UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Liber Primvs. Tractatvs Primvs, De Nomine vtilitate, necessitate, ac ratione Theologiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82291

Visual Library

LIBER I. TRACT. I. DE NOMINE, VTILITATE, NECESSITATE, AC RATIONE THEOLOGIAE CAP. I.

TRACTATVS PRIMVS.

De descriptione, ac distinctione nominis Theologiæ.

CAPVT I.

I. *August in.*

THeologia nomen Græcum, vt est apud Augustinũ lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 1. significat de diuinitate rationem, siue sermonem, quasi λόγον περὶ τοῦ θεοῦ, quemadmodum scientiam naturalẽ appellamus physiologiam, quoniam est ratio, siue sermo de natura: dictã quoque ex eo, quod tradita sit à Deo, censet Diu. Thom. q. vn. prologi. a. 1. in corpore, quasi sit sermo, siue doctrina ex Deo in mortaliũ animos deriuata. Verum hæc notatio nominis non cadit in omnes eius acceptiones, vt constabit ex dicendis, sed in eas solùm, quæ complectuntur notitiã ex peculiari Dei reuelatione mediatè, vel immediatè genitam; nam quamuis omnis scientia à Domino Deo sit, quatenus ipse est prima veritas, ac sapientia, à qua scientia omnis creata deriuatur; tamen hic generalis modus cõmunicandi creaturis notitiam veritatis non satis est; vt ex eo talis notitia nomen Theologiæ sortiatur: hoc enim modo scientia omnis posset Theologia nuncupari; id verò nequaquã in vsu est: nec enim quispiã Mathematicas scientias, aut philosophiam naturalem Theologiæ nomine censebit: neque Diu. Thom. eiusmodi notationem ex hac communi ratione in vniuersum tribuit, sed solùm tribuit ei doctrinæ, quæ ex diuina reuelatione originẽ ducit. Prima itaque descriptio sumpta à Deo, tamquam ab obiecto, quæ non solùm Augustini, sed Alensis. 1. p. q. 1. m. 2. Alberti. in sum. tract. 1. q. 2. ad 4. Diu. Thomæ. 1. p. q. 1. a. 7. & communis est; comprehendit omnes omninò acceptiones Theologiæ, quæ apud auctores reperiuntur.

Theologia vndè dicatur.

S. Thom.

Alensis. *Albert.* *S. Thom.*

Primum verò accipitur nomen Theologiæ pro quauis doctrina, siue notitia deitatis: cuiuscumque subiecti illa sit, quocumque modo, aut ratione habeatur, vel acquiratur: iuxta quam acceptionem, sapientia ipsa Dei, qua se ipsum perfectè comprehendit, quam nõ ex disciplina, sed ex natura habet; Theologia dicitur à sapientibus, dum quærunt, vtrum Theologia viatorum, beatæ, aut diuinæ subalternetur: è cõtrà verò etiam metaphysica naturalis, quæ humano discursu acquiritur, & per ea, quæ facta sunt, quasi per gradus ad notitiam deitatis ascendit, & quæuis alia doctrina de Deo, & cultu ipsius ab antiquis Theologia appellata est: ob eamque causam antiquissimi Poëtæ, vt Hesiodus, Linus, Musæus, & Orpheus, quoniam sub fabularum integumentis aliqua de Deo tradiderunt, theologi nomen obtinuerunt; vt notat Isidorus lib. 8. Etymologiarum. cap. 7. hoc enim modo Hesiodum & alios antiquos theologos vocat Aristoteles lib. 3. metaph. text. 15. & Orpheum Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat. & Nazianzenus ad Nemesium, quamquam illi quidem solãm eam partem humanæ theologiæ, quã theatralem, siue fabulosam vanè appellat, suis scriptis attigerunt; ea verò tripartita erat apud antiquos, vt habetur apud Diu. August. lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 5. vocabant autem tres eius partes mythicen, physicen, politicen, hoc est fabulosam, naturalem, ciuilem; quatenus omnes ad aliqualem deitatis notitiam, cultumque referebantur: quam triplicem gentilium theologiam tetigisse Paulum ad Rom. c. 1. docet S. Thom. lect. 7. in idem caput in fine; sed hæc longius persequi, non est præ-

II.

Antiqui poëtæ Theologi dicti sunt.

Isidor.

Aristot.

Clemens Alexandr.

August.

Diuisio Theologiæ iuxta Antiquos.

Ad Rom. 1.

S. Thom.

ugustin. sentis instituti, videatur Augustin. toto illo lib. 6. 7. & 8. inanem illam veterum Theologiam redarguens, & verã, ac naturalem, quæ à Platone, & alijs posterioribus philosophis tradita est, lógè illi præferens; Euseb. Cæsar. Eusebius etiã Cęsariensis, lib. 1. de præparatione euangelica. c. 7. & lib. 2. & 3. & 4. refert & confutat varias Theologias diuersarum gentium, nationũ & sectarũ, quas etiã breuiter refert Theodoretus, lib. 2. de Græcarũ affectionũ curatione paulò ante finẽ, & Theodoret. Isid. lib. citato, c. 6. verumtamen ex speculatiuis naturalib⁹ sola Metaphysica Theologiæ nomine censetur, vt patet apud Aristotelem lib. 6. Metaphys. text. 2. & lib. 11. Aristot. Summa. 3. c. 1. & Damasc. in Dialect. c. 3. de qua intelligẽdus est Boët. in lib. 1. de Trin. Damascen. Boetius. cùm inter tres partes scientiæ speculatiuæ Theologiam numerat; vt notat S. Thom. in commentarijs, & q. 5. super eum locum, S. Thom. Scot. q. 5. prologi. §. *Ad argumenta principalia*, & alij. Verùm totum hoc Theologiæ genus, quod solo naturali lumine rationis nititur, neque assurgit ad illius veritatis supernaturalis agnitionẽ, intra philosophiæ terminos cõtinetur, neque ad eam, de qua acturus sum, Theologiam pertinet; imò verò, vt tradit D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 1. ad 2. S. Thom. ab ea genere differt.

III. Theologia quæ propriè dicatur.

Magis propriè accipitur Theologia, pro quacumque cognitione tradita diuinitùs, siue per se primò ac proximè, siue remotè, & vltimatè in Deum referatur: & hoc genus notitiæ D. Thom. vbi suprà, cõsiderasse videtur, cũ Theologiam indè dictã putat, quod accepta sit ex diuina reuelatione; ea verò nõ solùm de Deo est; sed ad omnia ferè rerũ genera extenditur, creatorem, & creaturã; bona, & mala; præmia, ac supplicia: quia tamen, vt infrà dicam, de cæteris, est sub habitudine ad Deum, quod est præcipuum eius obiectum, meritò absolutè Theologia dicitur, & ad hunc sensum à magno Dionys. c. 13. de cœlesti hierarchia Esaias, ep. ad Ioannẽ ipse Ioannes, & epist. ad Timoth. Petrus, Theologi dicti sunt; quoniam doctrinã Euangelicam ex reuelatione Iesu Christi, & Spiritus diuini illustratione accepta hominibus tradiderunt; ea verò nunc Theologia, nunc doctrina Christi Ioan. 7. ad Tit. 2. 2. Ioan. 1. ad Cor. 2. Ioannis, nunc doctrina Spiritus, 1. ad Cor. 2. appellatur: Theologia ob rationes assignatas; doctrina verò Christi, quoniã is datus est à Deo patre testis, ac præceptor gentibus, constitutus Rex ab eo super Sion Montem sanctũ eius, prædicans præceptũ eius, docens nos ea, quæ audiuit à Patre: denique vocatur doctrina Spiritus sancti, *quoniam eo inspirati loquuti sunt sancti Dei homines*, imò & ipse Christus, secundum formã hominis, qui Lucæ 4. de se ipso interpretatus est illud Esaï. 61. *Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me.* Hæc verò vsurpatio etiã latissimè patet, comprehendit enim nõ solùm eam notitiam, quã immediatè ex fide habemus, sed etiã omnem illam, quæ ex ipsa fide, ac reuelatione diuina principium ducit, & saltem mediatè reuelatione, ac veracitate diuina nititur. Verùm, vt notat Nicetas in adnotationib⁹ ad orationem 8. Nazianzeni, quam habuit ad patrem, cùm sibi Nazianzenæ Ecclesiæ curam commisit, num. 5. nomen Theologiæ apud latinos latius patet, quàm apud Græcos; apud hos enim sola ea notitia deitatis Theologia dicebatur, Theologi verò, qui in diuinitatis doctrina indaganda, atque explicanda studium atque operã collocabant: nam cognitionẽ de Christi humanitate, & alijs mysterijs ad ipsam pertinentibus Theologiæ nomine nequaquã intelligebant; ideoque eos, qui in eiusmodi argumento versabantur, nõ in Theologia, sed in œconomia versari dicebant, vt patet ex verbis Nazianzeni, quem citat; ἡ θεολογία τὸ περιελέμενον ἦμιν ἀλλ' οἰκονομία. quã ideò sic veteres appellarunt, vt obseruat Turrianus noster in Scholijs ad procemium Cyparissioti, quoniam Christus Dominus vnus in vtraque natura, filius Dei, & filius hominis, tamquã bonus pater familias domum, & domestica omnia gubernauit, dispẽsans diuitias gratiæ suæ, & sanguine suo restituens hominẽ perditũ in pristinã gloriam, à qua ciderat: similiter distinguit Basilius, lib. 2. contra Eunomium, ad initium, & Apologia ad Cæsarianos, quæ est inter epist. 141. Ioannes Cyparissiota in procemio suarum decadum, & Turrianus in Scholijs eiusdem, nu. 5. & in hac acceptione, ait Nicetas, Ioannem Euangelistam, & postea Gregorium Nazianzenum Theologos appellatos, quoniam ille inter Euangelistas, hic inter patres deitatis notitiam vberiùs tradiderunt.

Nicetas. Nazianzen. Turrianus. Basilius. Ioan. Cyparis. Nicetas.

Theologiæ nomen latius patet apud latinos quàm apud Græcos.

IV.

Theologia tamen, pro vt comprehendit etiam œconomiam, bifariam distingui potest; aut enim reuelatio est euidens, ac manifesta, aut ineuidens & obscura: si sit euidens, attinet ad Theologiam beatorũ, qui reuelata facie, non per speculũ in ænigmate, sed per speciem, gloriam Domini speculantur. sic eam appellat Isychius super illa verba cap. 10. Leuitici, *& comedite absq; fermento iuxta altare*, dicens in hoc sæculo esse tantùm participatã Theologiam, in cœlis autem, eius plenitudinẽ, & omnes

Theologia alia euidens alia obscura

Isychius.

Scholasti-

Scholastici, quos referam, cùm agam de subalternatione Theologiæ nostræ, respectu Theologiæ beatorum; si verò reuelatio sit inuidens, distingui etiam solet nõ ex obiecto, aut lumine, sed ex modo tractandi in mysticam, siue Symbolicam, & demonstrantem, seu philosophicam, vt ex magno Dionysio in epistola ad Titum, & alijs antiquis patribus, explicat Ioannes Cyparissiota decade 1. cap. 1. Arcana siue Symbolica est, quæ cõstat ex Symbolis, siue mysterijs sub similitudine diuersarum rerũ continentibus arcanos, & reconditos sensus spirituales, vt, c. 2. & 3. eiusdẽ decadis explicat Cyparissiota: Theologia vero philosophica, siue demõstrans in probanda veritate versatur; & eam quasi sigillo obsignat, fidẽ faciens auditori. Rursus alterutra harum bifariam diuiditur; nam Symbolica, quam magnus Dionysius, c. 3. de mystica Theologia, significatiuam appellat in duas partes tribuitur, nempè eam, quæ vtitur Symbolis corporeis, ac visibilibus, vt cùm Deo tribuitur vterus, manus, caput, & similia; & eam, quæ vtitur inuisibilibus, vt cùm Deus dicitur pœnitere, tangi dolore; quam diuisionem tangit Albertus magnus, 1. p. sum. tract. 1. q. 5. m. 4. & D. Bonauentura in 1. d. 22. ar. 1. q. 3. & ex parte consentit Cyparissiota, vbi suprà, c. 2. differt tamen, quòd primum genus constituit in ipsis figuris corporeis, vt in rubo ardente in visione Dei, sedentis in throno; secundũ verò in verbis translatis, vt cùm Deus dicitur dormire, vigilare, &c. totum hoc genus comprehendit D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 9. cùm disputat, an sacra Scriptura debuerit vti metaphoris. Theologia verò demonstrans, in affirmantem, negantemque diuiditur, quas omnes acceptiones decade illa, 1. & 2. fusè prosequitur Cyparissiota.

Dionys. Areopag. *Ioan. Cyparis.* Theologia Symbolica quæ sit. *Dionys. mag.* *Albertus.* *Bonauent.* *Cyparissiot.* *D. Thom.*

V.

Porrò Theologia, pro vt versatur circa res obscurè à Deo reuelatas, comprehendit tres illas facultates, quarum meminerunt Duran. q. 1. prologi, num. 6. 7. & 8. Marsil. q. 2. ar. 2. not. 3. Petrus de Alliaco, q. vnica, a. 3. lit. DD. & alij, nempè eam, qua assentimur principijs reuelatis; Item eam, qua eadem explicantur, defenduntur, & probantur. Postremò eam, qua ex ijsdem principijs, conclusiones aliæ colliguntur: prima reciprocatur cum fide, quæ Christianis omnibus communis est, & aliquãdo à Patribus nomine Theologiæ censetur, de qua intelligendus videtur D. Cyrill. lib. 1. contra Iulian. post medium, cùm de Prophetarum & Euangelistarum concordia loquitur, *Vnus*, inquiens, *& idem Theologiæ modus videtur, & ne in vno quidem inter se pugnantes illos quis inueniet*; cuius rationem subdit; *Nam quæ verè audierunt à Deo, ea ex vno Spiritu loquuti sunt*: ex quo patet, sumi ab ipso Theologiam pro doctrina à Deo reuelata, & non ex studio, & ratione acquisita: similiter accipit Basil. homil. 11. in Hexameron, explicans illa verba, Gen. 2. *Crescite, & multiplicamini, hæc est*, inquiens, *Ecclesiæ benedictio; vt non in vno circumscribatur, & arctetur Theologia, sed in vniuersa terra prædicetur Euangelium salutis.* Porrò doctrina ea, quæ reuelata explicat, & tuetur, & ijs vtitur, vt principijs, ad aliarum veritatum indagationem, magis pressè Theologia dicitur, quam Nyssenus in enarratione vitæ Moysis, paulò pòst medium comparat monti, in quem ascendit Moyses. *Mons autem arduus*, inquiens, *verè, & ascensu difficilis Theologia est, cuius vix multitudo ad radices peruenire potest*; quia scilicet ad fidem, quæ est huius Theologiæ radix, & initium, multitudo fidelium peruenit, ad consummatam, perfectamque notitiam non ascendit. Similiter Isychius in hunc sensum explicat illa verba Leuitici, capite citato: *Sed quod remansit de simila Aaron erit, & filiorum eius; Theologiam quippe*, inquit, *studere non omnium est, sed sublimium, & appropinquantium Domino.* Et secundum hanc acceptionem Theologia hoc ferè tempore communiter vsurpatur: nam cùm simpliciter, & absque addito Theologum dicimus, vel audimus, nõ metaphysicum, non quemuis fidelem intelligimus: sed eum, qui ex principijs fidei, conclusiones Theologicas elicere, vel eas, imò & ipsa principia tueri possit. Hæc verò doctrina duplici ratione tractari à sapientibus solet: aut more quodam breui, & conciso, simili Aristotelico in disputando: aut fuso, & liberiore, qualem interdum in suis Dialogis vsurpat Plato: hoc posteriore modo magna ex parte vsi sunt antiqui Patres siue in concionibus ad populum, siue in libris de dogmatibus contra hæreticos, quamquam in his frequenter etiam syllogismis, & argumentationibus agebant; priorem modũ doctores illi vsurpant, quos Scholasticos appellamus, vndè etiam doctrina hæc Theologia Scholastica dicta est.

Durand. *Marsil.* *Petrus de Alliaco.* Theologia reuelata quomodo diuidatur. *Cyrill. Alex.* *Basilius.* Theologia quæ magis pressè dicatur. *Gregor. Nyss.* *Isychius.*

VI.

Ex his omnibus acceptionibus, quænã potissimùm sit ea, ad quam afflante propitia Spiritus cœlestis aura, tradendà aggredior, facilè conijci potest: Etenim prima, vtpote philosophis antiquis communis, & expers radij veritatis infusæ, atque cognitionis supernaturalis nõ habet locum, vbi solùm lucerna fidei præeunte, vestigijs antiquorum

In qua significatione Theologiã est tractaturus.

tiquorum Patrum, atque doctorum insistendum est; secunda, quatenus sola ea complectitur, quæ ex diuina reuelatione immediatè habentur, hebetem mentis aciem retundit, si consideretur quatenus diuina, clarè ostendit, & ideò de lege impossibilis est viatori, solis ijs concessa, qui longo virtutum vsu cordis puritatem assequuti, translati sunt de fide ad speciem: & sicut in via audierunt per fidem, ita per speciem vident in ciuitate Domini virtutum; si verò consideretur pro vt immediata Dei reuelatione, obscura tamen, acquiescit, nihil vlterius ex fide deducens, etsi Christiano sit satis, nō tamē viro docto, ac pastori: qui paratus esse debet reddere rationem fidei, & eos, qui contradicunt arguere; rectè propterea dixit Augustinus. lib. 14. de Trinitate, cap. 1. hac scientia nō pollere plurimos fideles, quamuis fide ipsa plurimùm polleant. Itaque scopus suscepti laboris est ea Theologia, quæ nomine scientiæ significatur à Paulo, vt ait Augustinus. lib. citato de Trinitate, cap. 3. qua nempè scimus, quemadmodum id, quod credimus, pijs opituletur, & contra impios defendatur: quæ supponit fidem, ex eaque ad aliarum veritatum notitiam peruenit; estque fidei simul, ac rationis partus honestissimus, & omnis scientiæ humano studio comparatæ supremus apex, quam sapientiæ nomine censeri suo loco ostendam.

Augustin.

De vtilitate, & necessitate Theologiæ, prout fidem explicat, & tuetur; & circa mediatè reuelata versatur.

Caput II.

I. THeologiam, quatenus includit habitum principiorū reuelatorum, nempè fidē maximè vtilem, imò necessariam esse humano generi, communis est sententia Theologorum, imò Ecclesiæ: sed eam necessitatem ostendere non est huius loci, sed in tractatu de fide, nunc solùm agendum de Theologia, pro vt à fide distinguitur, & habet modum scientiæ, cuius vtilitas triplici ex capite sumi potest, est enim vtilis ad robur fidei, & Ecclesiæ firmitatem, ad propagationem eiusdem fidei, & Ecclesiæ incrementum: denique ad ipsius fidei, & Ecclesiæ ornamentum. Vt verò singula expendam, suppono singulis fidelibus ad salutem satis esse fidem, quæ per charitatē operatur: atque adeò, si hac polleant, & si scientia careant, posse consequi beatitudinem: plurimùm tamen conferre Theologiam, vt fides non solùm in toto Ecclesiæ corpore, verùm etiam in singulis Christianis corroboretur, augeatur, & semper virens, ac florida sit per tria illa capita discurrendo, ostendendum est. Nemo enim negabit Theologiam, si eiusmodi fructus parturiat, esse maximè vtilem, cùm vel ex quolibet ipsorum, seorsim considerato, maxima existat vtilitas; nec dum ex omnibus simul sumptis. Qua in re similis omninò mihi videtur Theologia fonti illi, *qui ascendebat à terra, irrigans vniuersam superficiem terræ*, Gen. 2. eandem, ex qua ascendebat, terram, fons ille irrigabat, ortus sui vtilitatē in ipsam, à qua oriebatur, refundens; fidem ego, atque Ecclesiam ratione stabilitatis nō ineptè contulerim terræ: nam sicut *hæc in æternum stat*, Eccl. 1. sic illa stabit immobilis, vt notat Hugo Cardinalis in eum locum, vtpote *columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Tim. 3. nec vlla vi à fundamento, quod est Euangelium Christi, conuelli, aut in aliud Euangelium transferri poterit: fontem, siue fluuium, doctrinæ sacræ typum esse, non ambiget is, qui verba illa, Eccl. 24. considerauerit: *Ego sicut aquæductus exiui de paradiso, dixi, rigabo ortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum: & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius appropinquauit ad mare.* Quemadmodum verò fons ille ascendebat è terra, ita ex fide, atque Ecclesia Theologia, tamquam purissima, & christallina lympha procedit; nam quæ aliundè emanat, non Theologia, sed cacologia, ex puteo abyssi, ex Stygio lacu, luto, fumo, ac sulphure turbida, & obscura præterfluit, nec vnquā ad mare deitatis perueniet, sed in abyssum, vndè manauit refluo cursu reuertetur: hæc est doctrina omnis hæretica, quæ vtpotè merum mendacium, ex patre Diabolo est, qui est auctor mendacij. Sed vt ad Theologiam reuertar, illa propriè non ingrata parenti, vniuersam eius superficiem irrigat, & sicut vnda fluuialis, arborum allapsa radicibus, sitientes, ac penè emortuas firmat, vegetat, & assiduo allapsu nutrit & auget, vt in iustam magnitudinem crescant; deindè verò se virentibus frondibus, ac floribus induant; tandem vberes, & dulces fructus ferant: ita doctrina Theologiæ fideliū instillata animis, fidem roborat, auget, & pulcherrimis bonarū actionū fructib⁹ exornat, vt rectè docet Ioannes Damascen. lib. 4. fidei, c. 18. Hæc clariora sunt, quàm vt aliis argumentis indigeant, præter longā experientiam

Gen. 2.

Eccl. 1.

Hugo Card. 1. ad Tim. 3.

Eccl. 24.

Doctrina hæretica non est Theologia.

Damascen.

Theologiæ Scholasticæ vtilitas.

ab initio nascentis Ecclesiæ, ad hæc nostra tempora continuatam.

II. Quamuis autem hæc certa sint, iuuat tamen per singula capita discurrere, & quid in singulis emolumenti afferat Theologia, paucis expendere: ad robur, ac firmitudinem fidei Theologiam plurimũ conducere, verissima sententia est, quam Gregorius, & alij Patres supponunt, dum verba illa, Cant. 4. *Sicut turris Dauid collũ tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* exponunt de Ecclesiæ pastoribus, & doctoribus, qui colli instar eminent supra reliqua Ecclesiæ membra, & à capite ipso, hoc est, Christo, vim sentiendi, spirituque immediatè recipiunt, hoc est, doctrinam veritatis, quam in alios fideles transfundant: sunt verò instar turris, propter robur fidei, & propugnacula scientiæ; nam fundamentum quidem fides est, quod ne subruatur, propugnacula impedimento sunt, quæ illud circumquaque cingunt, & inconcussa excipiunt tormentorũ ictus, atque muralium machinarũ, crebro in se arietantium, vim, impetumque retardãt: tolle hæc propugnacula, videbis quàm primùm in populis fidei fundamenta nutare, imò & corruere: stent propugnacula, firmi in fide sunt populi intra ea concluſi. Quot Catholicos in vera fidei petra solidos, & constantes vnius Athanasij propugnacula reddiderunt? aduersus eum mundi principes, aëreæ potestates, rectores tenebrarum harum, & vniuersus penè Orbis coniurauit: at is, qua fidei gratia, qua scientiæ Theologiæ veritate fretus, se ipsum tamquam firmissimum propugnaculum fidei hostibus opposuit, ne ad fidei fundamenta subruenda peruaderent? & quicumque se continuit intra hæc Athanasij propugnacula, stetit in fide firmus. Non solùm autem doctrina sacra vim suam exerit tuendo fidẽ ab incursu hæreticorum, sed etiam ipsorũ dogmata, falsamque doctrinam expugnando: propterea enim turris illa Dauidica erat circumquaque instructa, non solùm clypeis, sed iaculis, ac sagittis, & omni genere armorum, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium:* doctrina sacra, veraque Theologia suppeditat clypeos ad excipienda, retundendaque iacula hæreticorum, & infidelium reliquorum, tela, & sagittas ad errores eorum verbo veritatis impugnandos, & ex hominum animis euellendos. Multæ fuerunt hæreses ab initio nascentis Ecclesię, quę plures prouincias infecerunt, & vna Arianis[illegible] inualuit, vt teste D. Hieronymo Dialogo aduersus Luciferianos paulò pòst medium, mũdus ingemuerit Arianum se esse videns; at omnes illæ temporum decursũ, diuina fauente gratia, euanuerunt: si primã causam quæras, Deus est: si secundam, & quasi ministerialem, sacra doctrina est. Quis Arianismum expugnauit? Athanasius, Gregorius, Basilius, & cæteri sacri doctores. Quis Eutychetis, & Nestorij sacrilega dogmata cõfutauit? Cyrillus, Leo, Flauianus, & alij eiusdem notæ Theologi: Quis Manichęos penè extinxit? Augustinus: quis Pelagianos afflixit? idem Augustinus, Hieronymus, Prosper: quis Iconomachos expugnauit? Damascenus. Longum fuerit omnes hæreses, & eos, qui de ijs triumpharunt singulatim recensere: illud planè constat, etsi nonnunquam fidei feruor cum vitæ sanctitate coniunctus hæreses ex hominum animis extirpet, vt plurimùm tamẽ Deum optimum maximum ad huiusmodi victorias vti præstantibus doctrina viris. Quapropter meritò de hac Theologorum vtilitate loquens Augustinus, epist. 56. ad Dioscorum ad finem. *Sed ille*, inquit, *fidei imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum, atq; gentium, sedesq; ipsas Apostolorum arce auctoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos, & verè spirituales viros copiosissimis apparatibus etiam inuictissimæ rationis armauit. Verùm illa rectissima disciplina est in arcem fidei quàm maximè recipi infirmos, vt pro eis iam tutissimè positus fortissima ratione pugnetur.*

Cant. 4. Theologia Scholastica ad fidei firmitatem plurimum confert.

Doctores sacri hæreses debellarunt.

Augustin.

Athanasij laus.

Hieronym.

Verùm enim verò nõ hæc sola est vtilitas Theologiæ, latius diffunditur, atque peruadit: nõ solùm munit, & conseruat fidem, & intra caulas ouilis dominici Christi oues continet; sed fidẽ verbi toto Orbe seminat, ac plantat: nõ ipsa quidẽ per se sola, sed tamquam diuinæ gratiæ administra: nam quamuis fides sit donum Dei, tamen *quomodo gentes credent ei, quum non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* prædicationem credituris necessariã esse Paulus affirmat ad Rom. 10. At quis sine sacra doctrina aptus erit Euangelij prædicator? qui sciat paruulis lac potũ præbere non escam, qui adultis solidæ doctrinæ panẽ apponat? sanè Euangelij prædicator, vt suo rectè fungatur munere, aut infallibilem Spiritus sancti assistentiã habere debet, vt Apostoli; aut magna præditus esse scientia, qua Domino cooperante queat fidei rationem reddere, & eos qui contradicunt arguere: non pura mysteriorũ traditione Paulus cũ gẽtibus agebat, sed rationibus & argumentationib⁹ vtebatur, vt videre est in ea, quã apud Areopagitas habuit, cõcione, Actor. 17. qua, cum pluribus alijs, magnum illud

ad Rom. 10.

Actor. 17.

Theologiæ lumẽ Dionysium cœpit Euangelicis retib⁹ simplici argumẽtatione contextis. Eadem ratione vbique terrarum, obstetricante doctrina sacra, multos filios Christo Domino per Euangelium genuit; itaque quamuis semen fidei, & verbi diuini sit admodũ fœcundum, manu tamen indiget, vt aspergatur, & in auditorũ animos immittatur, vt fidei germen erumpat, ac deinde qui credunt in nomine Christi, fiant per gratiam filij Dei, ex Deo ipso nati: quamuis verbum Dei reuelatum, sit cibus, non tamen omnes capiunt verbum regni Dei, non omnes vti possunt solido cibo, opus est doctore, qui panẽ frangat, ac porrigat; ideò Paulus ad Rom. 1. *Sapientibus, inquit, & insipientibus debitor sum.* cui doctrinæ debito pro personarũ varietate soluendo, non quiuis pius fidelis, sed sapiens, & doctus idoneus est, qui modò solidum cibum apponat sapientibus, modò verò insipientibus minutatim singula explicando quasi cibum mansum infantibus in os inserat: qua de causa aptè Doctores Ecclesiæ dentibus assimilantur; Cant. 4. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis nõ est inter eas.* vt docet Gregor. Magnus ibidem, & Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 6. mira comparatio: dentes vocat, quia panẽ cœlestis doctrinæ diuidunt, & mansum paruulis in Christo impertiuntur, & simul gregibus fœtarum ouium comparat, propter doctrinæ fœcunditatem, quę verbo Dei multos filios parit: tolle ab Ecclesia Theologos, tolle scribas, & sapientes, quis annunciabit verbum Dei? quis semen fidei per mundum sparget? ideò Christus Dominus cùm agit de missione ad prædicandum Matth. 23. *Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas,* sapientes mittit, non rudes absque doctrina, & peritia Theologiæ; quoniam hæc est verbi Dei administra, hæc prima diuinæ sapientiæ ancilla, quæ gentes vocat ad arcem, & domum, quam sibi in mundo æterna Dei sapientia ædificauit, ad mensam, quã apposuit, vt comedant panem eius, & bibant vinum, quod miscuit: hæc toto discurrens mundo vocat gentes ad cœnã nuptiarum agni, vt impleatur mensa discumbentium: hæc nomen Christi & Dei portat coram gentibus, regibus, & filijs Israël: hæc in caligine huius vitæ rutilat tamquã stella matutina in medio nebulæ, & ambulantibus in tenebris infidelitatis, & in vmbra mortis æternæ lucem Euangelij ostendit.

IV. Iam verò mirificus ornatus, qui in Ecclesiam redundat ex sacra Theologia, adeò conspicuus est, vt probatione nõ indigeat. Cœlũ Ecclesia frequẽter à sanctis Patribus appellatur, nõ sine fundamento sumpto ex verbis Domini, sæpius illã regnum cœlorum appellantis: Matth. 13. & alibi. *at doctos fulgere instar splendoris firmamenti, & eos, qui ad iustitiam erudiunt multos, tanquam stellas in perpetuas æternitates* sacræ literæ testantur Daniel. 12. quod ergo est splendor firmamento, quod stellæ cœlo, hoc veri Theologi sunt Ecclesiæ: quæ illorum sapientia tamquã clarissima luce collucet. Venustas oculorum maximè decet, & ornat fœminas, oculos sponsæ suæ Christus in Cant. c. 5. admiratur, atque commendat: *Oculi eius sicut columbæ: super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.* Quis ignorat ea similitudine commendari doctores sacros? qui ipsum Ecclesiæ caput ornant, vt videre est apud Greg. Nyssen. orat. 13. in Cant. qui propterea ait dictum esse, *quæ lacte sunt lotæ,* vt veritas doctrinæ commendetur: etenim inter humida, hæc est lactis proprietas, vt in ipso nullius rei simulacrum videatur, *quo sit,* inquit, *vt hæc oculorum Ecclesiæ sit laus perfectissima: quod nihil, quod nõ subsistat in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam simulacro fraudulenter repræsentent, sed ipsissimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris, & imaginationibus nequaquã admissis:* queis verbis præscribit Theologis, quid in suis speculationibus, ac sententijs spectare debeant, nempè ipsam primã veritatem reuelantem, à qua quidquid abhorret, tamquã spectrum immane explodi debet: lauantur ergo doctores Theologi, ipsius, cuius sunt oculi, Ecclesiæ lacte: quæ ex viuifica virtute Spiritus sancti cœlestis semper doctrinæ lacte tumet: non solùm autem hoc modo lauantur, sed ex aspectu chrystallini fluminis, quod è sanctuario manat, hoc est, sacra Scripturæ lectione assidua puriores, ac nitidiores in dies euadunt: ideoque additum à Salomone: *quæ resident iuxta fluenta plenissima.* videat lector, quibus in Ecclesia hæc maximè conueniant, quinam sunt illi, qui diuinas veritates speculantur, qui sacras Scripturas frequentius perlegunt, qui doctrinam omnem suam ad primæ veritatis normam exigunt? Nempè Theologi: qui proinde scientiæ splendore in Ecclesia, tamquam oculi in capite eminent, & coruscant. Vt verò ad aliam transeam metaphoram, quæ ab eodem Gregorio Nysseno ibidẽ indicatur: Quis ignorat arbores, quæ præterfluentium aquarum humore pascuntur, ita ab ijs vitam, & alimentum

capere,

Paul. ad Rom. 1.

Cant. 4.

Gregor. Magn. Augustin.

Math. 23.

Matth. 13.

Daniel. 12.

Cant. 5.

Doctores sunt Ecclesiæ firmamenti instar.

Gregor Nyss.

Sunt oculorum instar.

Theologi sunt instar pulcherrimarum arborum.

capere, vt grata quadam vice id, quod accipiunt, rependant? etenim ramorum proceritate, viriditate frondium, vmbrarum amænitate, florum varietate, & fructuum copia, fluminum ripas amæniſsimas, ac ſpecioſiſsimas reddunt. An non tales arbores Theologi, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & ſunt inſtar ligni, *quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet.* Pſalm. 1. Ipſi ſuis commentationibus, & ſententijs, diuini eloquij ripas ſic veſtiunt, & ornant, vt delectet plurimos ſub eorum ramis, & vmbra ſedere, & Scripturarum lymphas ſua nonnumquam profunditate obſcuras, & diuini ſolis luce vibrantes, rudium oculos perſtringentes, inter has frondes attentiùs intueri: longum eſſet numerare tot arbores, à tot annis ſatas, integra ſemper, ac virente fronde permanere: tot, inquam, tractatus, tot commentarios ſapientum ab initio naſcentis Eccleſiæ integra ſemper auctoritate, & veridico teſtimonio vigentes; quarum eo pulchrior, & gratior aſpectus, quo ſub eodem primæ veritatis teſtimonio, & eiuſdem fidei virore, ac ſimilitudine, plus varietatis habent; eſt enim pulchra, & iucunda in concordia veritatis ſcriptorum varietas: vt quoniam reconditos Scripturæ ſacræ ſenſus, atque doctrinam, vnus, aut alter eruere nequit, plures ſimul eliciant, quod paucos latet: quo etiam multorum faſtidio cõſultum eſt, quibus non ijdem placent auctores, nõ eadem ſcribendi methodus; & quamuis veritatem ament, aliter tamen, atque aliter ſtylo conditam auidius appetunt, frequentius edunt, digerunt faciliùs. Sed ne præter modum immorer, pleraque omitto, quæ de pulchritudine doctrinæ ſacræ dici poſſent: certum enim eſt, poſt eam, quæ ex virtutum concordia reſultat, nõ eſſe aliam in mortali vita pulchritudinem, quæ cum ſapientiæ decore comparari poſsit: ideoque iure optimo tamquam de Eccleſia benemeriti, ab eâdem celebrantur Doctores ſacri, qui eam monilium, & torquium inſtar adornarunt, vt optimè docet D. Gregorius exponens illud Cant. 1. *Collum tuum ſicut monilia.*

Pſal. 1.

Greg. Magn.

V.

Vt verò qua ratione diuerſis hominum ſtatibus hæc doctrina ſit vtilis intelligatur: ſat erit apponere verba D. Pauli 2. Timoth. 3. vbi de vtilitate doctrinæ ſacræ ſic ait. *Omnis ſcientia diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Si rectè attendimus, quatuor genera hominum recenſuit; ſunt enim quidam, qui non recipiunt veritatem, alij ex ignorantia, alij ex contumacia: porrò ex his, qui eam recipiunt, aliqui deficiunt in operando, vel ex negligentia, vel ex imperitia: quibus omnibus iuuandis ſacra doctrina vtilis eſt, nimirum ad docendum ignorantes, ad arguendum contumaces, ad corripiendum negligentes, ad erudiendum rudes, vt notat glos. Ex quo clarè patet, quantùm vtilitas Theologiæ reliquarum ſcientiarum, & artium ſuperet vtilitatem: etenim reliquæ magna ex parte ad vtilitatem bonorum externorum, & corporis aſſumuntur: at Theologia tota ad animæ commodum, ac bonum refertur; quod ſi aliquæ ex illis, ad ipſius quoque animæ vtilitatem inſeruiunt, vt ſcientiæ ſpeculatrices, & philoſophia moralis, longè tamen abſunt ab vtilitate Theologiæ, nimirum quantùm finis ipſarum à Theologiæ fine: nam ſcientiæ naturales ſuapte natura ad naturalem fœlicitatem referuntur, quæ longiſimè diſtat ab æterna fœlicitate, ad cuius conſecutionem Theologia vtilis eſt: quare, ſi rectè dixit Auicenna, vt refert Henric. 1. p. ſum. ar. 8. quæſt. 1. *ſcientias omnes in hac vtilitate conuenire, quæ eſt acquiſitio perfectionis humanæ præparantis hominem ad futuram fœlicitatem,* quãtò veriùs hoc de Theologia dici debet, quæ non ſolùm remotè præparat, vt ſcientiæ naturales: ſed proximè explicando, ac tuendo veritates diuinitus reuelatas, docendo ſemitam mandatorum Dei, qua itur ad vitam æternam.

Auicen. *Henr.*

2. ad Tim. 3. Theologia diuerſis hominum ſtatibus eſt vtilis.

VI. Theologiæ neceſſitas quanta ſit.

Quòd attinet ad neceſsitatem Theologiæ, non eſt inter Catholicos vlla ſententiarum varietas: omnes enim vnica conſenſione aſſerunt eam non ſolùm pro vt comprehendit aſſenſum rerum reuelatarum, ſed etiam prout fidem explicat, & tuetur, & ex illa concluſiones Theologicas deducit, eſſe toti Eccleſiæ neceſſariam, tradit Henricus in ſum. a. 13. q. 4. & Ioannes Gerſon ſæpius, & ſeriò commendat neceſsitatem Theologorum in Eccleſia ad bonos mores retinendos, & cauendas hæreſes, ita 1. p. tractat de examinatione doctrinarum, par. 2. conſideratione, 5. alphabet. 18. lit. l. & 2. p. Serm. de 4. domibus, in Domin. 19. poſt Pentecoſt. alphabet. 44. lit. C. & G. & ſæpè alibi fundamentum eſt, quoniam eſt neceſſaria ad propagandam, & conſeruandam fidem in animis ſingulorum, item ad tuendam Euangelij veritatem ab impugnatione hæreticorum, & cæterorum

Henr. *Ioan. Gerſon.*

terorũ infidelium, cõseruare autẽ puram, atque illibatã fidei veritatẽ est omninò necessarium ad Ecclesiæ cõseruationem: quę est desponsata Christo in fide, ideoque ea sublata, dissoluerentur eiusmodi sponsalia, & præcideretur spes futuri cõiugij per statũ gloriæ: ergo doctrina sacra est apprimè necessaria Ecclesiæ. Ex quo factũ est vt ab initio fuerint in ea non solùm Apostoli, ac Prophetæ, sed etiam *pastores, & doctores ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & cognitionis filij Dei, ad*

Ephes. 4. *Ephes. 4.* nimirùm vt non solùm credenda traderent, sed etiam explicarent, ac defen-

ad Tit. 1. derent: & ideò Apost. Tito, quem Episcopum instituerat, nõ solùm commendat fidem, sed etiã doctrinam, sic enim, c. 1. ep. ad ipsum scribit, *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, amplectentem eũ, qui secundũ doctrinam est, fidelẽ sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui cõtradicunt arguere,* & meritò doctrina Theologica in pastore requiritur, sunt enim pastores sacri, pastorẽs simul, & canes: pastores, vt vigilent, & luporũ insidias præcaueãt, canes, vt latrẽt, & gregẽ Christi tueantur aduersus lupos,

Gregor. vt docet Gregor. lib. 20. moral. c. 9. super illa verba, *cum canibus gregis mei*, at sublata scientia, quæ est spirituale lumen oculorũ, & vita, ac virtute vocis, quomodo hæreticorũ insidias præuidere, quomodo aduersus illos verbo veritatis latrare poterunt? sanè ex defectu quorundã pastorũ, quibus non erat peritia doctrinæ sacræ, Tartarei lupi hæretici in caulas Dominici gregis ingressi magnas strages ediderunt, quoniam pastores illi erant eorum similes de quibus

Esai. 56. Esai. 6. dicitur, *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt, vniuersi canes muti nõ valẽtes latrare.* Cæcos, ac mutos meritò appellat, quoniam carebant doctrina, quę mẽtes illuminat, & linguas facit disertas. Profectò qui

Causa hæresum est pastorum ignorantia. ꝓgressum Ecclesiæ ab initio ad hæc nostra tempora contemplatus fuerit, cõperiet inter alias causas hæreseon nõ vltimù tenere locũ negligẽtiam, atque imperitiã eorum, qui ex officio tenebãtur Dominicũ gregẽ

Hieronym. pascere, ideoque rectè dixit Hieron. in ep. ad Paulinum de studijs sacræ Scripturæ. *Sancta rusticitas solùm sibi prodest, & quantùm ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tãtùm nocet, si destruentibus nõ resistat.* contrà verò doctrinã sanctorum Pontificum impetum crescentis mali repressisse, & pestilẽtes hæresum nouitates extirpasse. Longũ esset recensere Basilios, Nazianzenos, Athanazios, Cyrillos, Hieron. August. Damasos, Leones, Ambrosios, & alia Græcæ, ac Latinæ Ecclesiæ lumina, qui serpẽti hæreseon contagioni veræ doctrinæ antidoto remediũ adhibuerunt. Itaque ꝙ est mũdo sol, oculi corpori, antidotũ cõtra virus, murus Ciuitati, militũ excubię belli tempore, panis, ac vinũ hominũ vitæ, hoc est doctrina sacra Ecclesiæ, hoc Theologia fidelium cætui; hęc mentẽ illuminat ad rerũ altissimarũ contemplationem; gressus dirigit ad rectã operationem; intellectũ præseruat, ac sanat ab errorũ lue: defendit, & custodit ab hostili incursu potestatum aërearum, & exercitus hæreticorum: cor fidelium pascit, reficit, lætificat, atque confirmat, quæ omnia si vniuersum corpus Ecclesiæ consideres, magnã Theologiæ necessitatem arguunt.

VII. At inquiet aliquis, omnia ferè, quæ hoc capite dicta sunt, intelligẽda sunt de scientia diuinitùs immediatè reuelata, hoc est, fide; & proinde nõ pertinere ad Theologiã sumptã, ꝙ ea doctrina, quę ex fide, & studio nostro gignitur: quod si de doctrina aliqua quomodolibet à fide distincta intelligantur, nequaquã cadere in eam, ꝙ nunc Theologiæ nomine accipitur, & Scholastica nuncupatur: sine hac enim diu, multumq; viguit, & maximè floruit Ecclesia, cui proinde illius accessu nihil cõmodi obtigisse videatur. Hæ tamen obiectiones proposita fundamenta nõ labefactant: vt autẽ primæ satisfiat, nõ est negandum oẽs eas vtilitates suo modo à fide deriuari, ita tamen, vt suus maneat Theologiæ locus, nã fides omnib⁹ Catholicis communis est, at veritates fidei explicare, tueri ex ijs, ea, quæ consentanea sunt, colligere, docere, arguere, erudire, nõ ad quemuis Christianũ pertinet, sed ad eum, qui sapientia instructus est, qui fidei addidit scientiam. Responsio secundæ longiorem exigit discursum, quã vt hoc capite cõcludi possit, nunc breuiter respondeo Theologiam, quã vocant Scholasticam, re ipsa nõ differre à Theologia, quæ viguit in Ecclesia à prima sui origine, & continuata successione per sanctos Patres ad nos peruenit: ideoque eandẽ habere vtilitatem ad illustrandum intellectum: & quidquid in hoc genere de illa dicitur, in hanc etiam conuenire, sed iam hoc ipsum cõtra hæreticos probandum, ac tuendum est.

Theologia Scholastica non pernicioſa, ſed perutilis eſt Eccleſiæ.

CAPVT III.

I. FAlsò, atque impiè de Theologia Scholastica quæruntur hæretici: eamque tamquam inutilem, imò pernicioſam de-

Cõtra Scholasticam Theologiã argumenta hæreticorũ.

medio tollendam censent: vtpotè quæ circa vanas, atque inutiles quæstiones curiosè versetur, & sine vllo pietatis, ac sapientiæ fructu vexet, ac torqueat sui studiosos, semper discentes, & nunquam ad doctrinam veritatis peruenientes, hærentes in cortice verborum, in disputationum contentione atque æmulatione; neque vmquã medullam ipsam veritatis attingẽtes; quin verò res alioquin obscuras, ac difficiles dialecticis technis, atque inuolucris obtegentes, & ipsam interdum veritatẽ in propatulo positam labyrintheis anfractibus includentes: ita ferè de Scholastica Theologia loquuntur, Lutherus, lib. cont. Latomum, Caluinus de institutione Christianæ religionis, cap. 13. & 18. & 49. vt refert Prateol. lib. 3. de hæresibus, cap. 4. Philippus Melancht. in Apologia contra Parisienses, Erasmus in scholijs super D. Hieronym. in epist. ad Auitum, aduersus Luciferianos ad Ctesiphontem, aduersus Pelagianos, ad Fabiolam de 42. mansionibus in præfatione in D. Hilarium, & sæpè alibi, & alij in quibus referendis nõ est diutius immorandum.

Luther. Caluin. *Philippus Melancht.* *Erasmus.*

II. Sed quid mirum, si lucem auersentur tenebræ, si fugiant antidotum venena? morbi oderint medicinam? lepra sacerdotes exhorreat? si canes detestentur lupi? latrones culpent excubias, portarum seras, ac repagula execrentur? denique si hostes rempublicam, quam oppugnant, armorum, militumque præsidio destitutam velint? quod hæreticis displicet, hoc ipso probabile est, & quod ipsi damnant, non turpe, sed gloriosum est: vt enim loquar cum Tertulliano in apologetico aduersus gentes, cap. 5. *Talibus dedicatoribus damnationis Theologiæ etiam gloriemur: qui enim scit illos, intelligere potest, non nisi aliquod bonum grande ab hæreticis damnatum: probatio est enim veritatis nostræ, accusatio ipsorum atque calumnia. Tenebræ ipsorum veram Theologiæ lucem non comprehendunt, nec obscurant; lucet ipsa per se, & possessores sui clarissimos reddit. Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Daniel. 12. quem locum ad Theologiæ professores, ac studiosos accommodat Honorius Papa, cap. super specula, de magistris, his verbis, *Ad Theologicæ professionis studium aliqui destinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellæ in perpetuas æternitates mansuri ad iustitiam valeant plurimos erudire.* Hanc lucem, hunc splendorem stellarum fulgentium, in Ecclesiæ firmamento tenebræ incredulitatis, atque ignorantiæ, vt vocat Augustinus in illud Psal. 87. *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua*, quibus hæreticorum mentes caligant, quia nec recipiunt, neque comprehendunt, tolli de medio volunt, atque extingui, & cùm sint corruptores, & interfectores animarum, illapsu præsentissimi veneni, quorum sermo vt cancer serpit, secundùm Apostoli doctrinam, 2. ad Timotheum, 2. *Et venenum aspidum sub labijs eorum.* Psalm. 13. vt docet Origen. lib. 3. in epist. ad Rom. post initium nolunt esse in Ecclesia antidota suis contraria venenis, qualia sunt doctorum hominum scripta, & lucubrationes, vt appellat Hieronymus, epistola ad Marcellam, cùm petisset enim mitti sibi scripta Nouatiani subdit: *Vt, dum schismatici hominis venena cognoscimus, libentius sancti martyris Cypriani bibamus antidotum.* hic sunt veri medici, vt lib. 1. pædagogi. cap. 1. Clemens Alexandrinus appellat, doctores veritatis, qui hæresum morbos, vt vocat Isidor. lib. 1. sententiarum, cap. 19. febres, atque languorem, vt Tertullianus, lib. de præscription. aduersus hæreses, cap. 2. salutaribus veræ fidei, ac doctrinæ medicamentis expellere, ac persanare solent: hi sacerdotes, qui hæresis lepram discernunt, vt dixit Hsychius super illud Leuit. 14. *Quasi plaga lepræ est in domo mea*; & D. Prosper, 2. p. de promissionibus, & prædictionibus Dei, c. 6. & miramur si hęretici eos de Ecclesia sublatos esse velint, quorum sale ipsa ab errorum, quos illi diffundunt, cõtagione, & corruptione defenditur? hostes illi Christianæ reipubl. vt ait Hieronymus, super c. 7. Micheæ, & super Psal. 8. August. epist. 59. & Gregorius in 1. Reg. cap. 2. & oppugnatores templi Dei viui, qui sunt fideles omnes lupi insidiantes ouili Christi, vt vocat Tertullianus vbi supra, Chrysostomus, homil. 19. operis imperfecti, & Vincentius Lirinensis, lib. aduersus hæreses, fures, & latrones, vt dixit Philippus presbyter. lib. 2. commentarij in Iob, cap. 24. ideoq; se ipsos produnt, cùm execrantur sapientes & doctores, quos instar sacerdotum ad custodiam templi excubantes esse dixit Gregorius, homilia 22. super Ezechiel. cum dolent Ecclesiæ aditus firmis seris, ac repagulis clausos, & munitos, hoc est, vera sapientia, & Theologia doctorum, & pastorum Ecclesiæ, quos feras, & repagula ipsius appellauit Eucherius, lib. de spiritualibus formulis, cap. 8. Hæc dixerim, vt appareat causa calumniæ, & quæ fides habenda sit hostibus veritatis,

Augustin. *2. ad Tim. 2.* *Psal. 13.* *Origen.* *Hieronym.* *Clem. Alex.* *Isidor.* *Tertullian.* *Hsychius.* *Prosper.* *Hieronym.* *Augustin.* *Gregor. Magn.* *Tertullian.* *Chrysost.* *Vincentius Lirinens.* *Philip. Presb.* *Greg. Magn.*

Daniel. 12. *Honor. Papa*

Doctores sunt in Ecclesia vt splendor firmamenti.

tis, cùm de propugnatoribus eius conqueruntur.

Sed ne inauditos condemnare videamur, audiamus ipsos: quamquam indigni sunt, qui audiantur: quoniam ipsi non audiunt communem matrem, ac magistram Ecclesiam Dei, quæ est columna, & fundamentum veritatis, sed obturant aures suas, tamquam aspis surda, ne audiant voces incantantis sapienter Ecclesiæ. Audiamus tamen ita, vt meminerimus venenũ aspidum sub labijs eorũ latere, vt rectè notat Origenes, lib. 3. in epist. ad Rom. post initium. Omnes autẽ ipsorũ calumniæ ad quatuor capita reduci possunt. Prima est, quoniam ex Theologia Scholastica nascuntur contentiones, & æmulationes, quas Paulus vehementer auersatur, tamquã pestes cõmunis otij, & pacis Ecclesiasticæ: nascuntur variæ sectæ, ita vt per Theologiam Scholasticam reuixerit pernicios illa cõsuetudo Corinth. dicentium. *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ*, quã Paulus acriter reprehendit, 1. ad Cor. 3. Altera calumnia est, quoniam eius studio difficilior factus sit aditus ad veritatis contemplationem, & mysteriorũ indagationem: tot enim Syllogismorum, & doctrinæ philosophicæ maximè Aristotelicæ sensibus, studiũ veritatis perdiscendæ obseptum est, vt pauci perrumpere, & ad ipsam veritatis agnitionem accedere possint: itaque Theologiæ Scholasticæ opera, factũ esse aiunt, vt maior pars Christiani populi fraudetur suauissimo fructu perdiscendæ veritatis. Tertiò Erasmus in scholijs in D. Hieron. Apologia aduersus Ruffinum, lib. 1. & 2. & in ep. ad Eustochium de custodia virginitatis, & alibi sæpè cauillatur Theologiam, vt barbaram, & eloquentiæ nitore vacuam, & quod peius est, liberalium artium, & eloquentię hostem: itaque tãtùm abest, vt cultum, atque ornatum Ecclesiæ addiderit, vt potius eam liberalium artium, & politiorum literarũ decore, ac venustate spoliarit. Tandem ex eo plerique hæreticorum Theologiam damnant, quoniã tota schola Theologorum occupata est quæstionibus minimè necessarijs; vertunt enim in dubiũ ea, quæ fide tenentur, nempè vtrum Deus sit, vtrum sit trinus, & similia: intricantur etiã vanissimis, & inutilibus disputationibus circa pugnas verborũ, ac genealogias, quæ nihil conferunt ad pietatẽ, aut doctrinam Euangelicam, adeò, vt sæpè qui ipsorum disputationib⁹ interest, dubitare possit, sit ne illa schola Christiana, & Theologica, an Ethnica, & philosophica: nihil rarius auditur, quàm mysterium fidei, nil crebrius personat quam dogma philosophicum: Aristoteles, si reuiuisceret, suos agnosceret alumnos, non agnosceret Augustinus, Gregorius, Basilius.

Origenes.

Hæretici quid obijciant aduersus Theologiam Scholasticam.

1. ad Cor. 3.

Erasm.

Hæ sunt hæreticorum calumniæ, quibus antequã respondeam, breuiter ostendam, quanta sit vtilitas Theologiæ Scholasticæ. Ea verò, vt ad calcem superioris capitis dicere cœperam, est eadem, quæ semper ex Theologia percepta est: etenim Theologia Scholastica ab antiqua non distinguitur re ipsa, sed methodo, vt recentiores interpretes D. Thom. 1. p. q. 1. ad ar. 1. annotarunt, & ratione cõuincitur. Nam habitus, seu facultates, quæ versantur circa idem obiectum sub eãdem ratione formali, quomodocumque alia ratione differant, solùm accidentaliter distinguuntur: at Theologia Scholastica versatur circa veritates reuelatas, & cõclusiones ex ijs deductas, illas defendẽdo, & explicando; has ratione, & arte comprobando: hoc autem munus idẽ erat antiquæ Theologiæ: vtraque enim agit de Deo, vel ijs, quę ad ipsum attributionem habent, sub lumine fidei, ac reuelationis diuinæ; ad quam principia sua refert: quare vtraque conuenit in eadem ratione formali scientiæ reuelatæ quo ad principia, & acquisitæ, quoad conclusiones ex illis deductas. Nam si Theologia Scholastica vtitur argumentationibus, ac Syllogismis, ijsdem sancti Patres vtebantur, vt ijs, qui in ipsorum doctrina sunt versati, perspicuum est; vim differendi exprompsit Augustin. in suis contra hæreses tractatibus, argumentationibus agit cõtra Manichæos, contra Pelagianos, cõtra Donatistas, cõtra Arianos: idẽ cęteri Christianæ militiæ signiferi Athanasij, Gregorij, Basilij, Cyrilli, Irenæi, Hilarij, Ambrosij præstitere: si Theologia interdum vtitur principijs philosophicis, & dogmata Aristotelica interserit, hoc etiã antiqui Patres vsurparunt. sed hunc locum in sequentibus ex ipsorum Patrum dictis illustrabo. Nunc illud sat est, nimirum ijsdem principijs, & argumentationibus vti nostrates Theologos, & antiquos: atque adeò eandem vtrorumque esse Theologiam, quoad substantiam, solumque differre quoad accidentalem docendi methodum.

IV.

Catholici Doctores vsi sunt Scholastico disputandi more.

Id verò modò probandum restat, scilicet, hunc ipsum modum, & methodum Scholasticæ Theologiæ, non esse pernicios um, aut inutilem, sed proficuum Ecclesiæ: nam si eo, quo ab antiqua Theologia distinguitur, nihil vtilitatis affert, cùm alioquin pariat multum molestiæ in studendo, & abducat hominem à

V.

rebus

In quo differat antiqua Theologia à noua.

rebus alijs agendis, inutilis prorsus, atque incommoda censenda est. Vt huius dubij veritas eluceat, oportet inspicere priùs quo potissimùm discrimine Theologia Scholastica differat ab antiqua: differt autē ordine, breuitate, comprehensione: nā si antiquā Theologiam spectemus, nonnihil ex illis tribus desiderabimus: apud singulos enim, varios de diuinis rebus tractatus inueniemus nullo interse ordine connexos, nec vllū opus extat, quod vniuersam Theologiam complectatur, & singula suis locis in doctrinæ ordinē digesta contineat: sed cùm Patres illi in acie, in puluere contra hæreticos versarentur, pro vt se dabat occasio, pro vt necessitas exigebat, stylum vertebant in hæreses, & quoniam in omnium vtilitatem sapientium, ac insipientium lucubrationes suas edebant, ita dictionē temperabant, vt oratorio more magis, quàm dialectico differerent: atque adeò fusiùs, & vberiùs argumenta tractarent, quæ paucioribus expediri poterant. Denique nolebant tradere doctrinā omnium, quæ ad mysterij, de quo disputabant, clariorem notitiam pertinebat: sed eius tantùm quæstionis, quæ suo tempore inter Catholicos, & hæreticos agitabatur, iuxta mensurā fidei, & verbū reuelatum, explicationem, & Catholici dogmatis tutelam profitebantur. Et ita siquis singulos attentè perlegerit, comperiet pleraque omitti eorum, quę ad mysterij, de quo agitur, notitiā maximè conducunt, quia tunc temporis rata, & certa inter Christianos habebantur. At Theologia Scholastica, vt ab vltimo incipiam, totū doctrinæ reuelatæ complexa corpus, ita singulas eius partes scrutatur, vt nihil ferè relinquat: & in diuite vena fidei rimatur aurū sapientiæ, & ex fonte doctrinæ reuelatæ innumeros in omnes partes riuulos deducit: neque solùm cōtenta est ad ipsam veritatis radicem peruenire, sed minimas quasq; eius fibras perscrutatur, varias, difficilesque quæstiones, ab antiquis vel prætermissas, vel breuiter perstrictas, vel cursim explicatas, serio, & exactè ad fidei normam, ad trutinā rationis expendit. Iam verò breuitas mira est, resecatis enim ijs, quæ oratores, & concionatores magis decent, figuris, inquā, & tropis eloquentiæ, excursionibus, digressionibus, narrationibus, soli veritati perquestigandæ insistit, & breui dialecticæ vsa compendio ea, quæ longo tractu ab antiquis, vno, vel altero libro dicebantur, illa vna, vel altera argumentatione concludit: nudam enim quærit veritatem, nullo peregrino colore fucatam, sed quam Deus manifestauit per lumen fidei tamquam purissimum speculum veritatis æternæ: & quemadmodum meliùs cernuntur ea, quæ directè, quàm quæ reflexè, & ea quæ paucioribus, quàm quæ pluribus reflexionib⁹ incidunt in oculos, quoniam breuiore videntur radio; ita etiam illa, quę mentis oculis perspiciuntur, quo breuiore compendio, absque digressionibus, & verborum lenocinijs, sese menti obijciunt, faciliùs capiuntur. Denique ordinem multò exactius seruat Theologia Scholastica, quàm antiqua: procedit enim methodo artificiosa incipiens ab ijs, quorum notitia ad alia necessaria est, distinguens singulas materias, & difficultates; easque seorsim examinat, ac exponit: ideoque, ne necessarium ordinem perturbet, non omnia casu vbique disputat: quædam aliundè supponit: alia suis locis tractanda relinquit: ex concessis, vel iam confirmatis, ad vlteriora procedit.

VI.

Ex dictis facilè concluditur id, cuius gratia hæc dicta sunt, nempè Theologiam Scholasticam esse valdè vtilem Ecclesiæ, quod ex professo tradunt Can. lib. 8. de locis Theol. Salmeron tomo 1. in Euang. Ratio est, quam ex Ioanne Gersone perstringit Franciscus Horantius lib. 5. locorum Catholicorum. c. 3. quoniam facultas, cuius methodus inseruit, vt breuiùs, faciliùs, ac distinctiùs veritatis reuelatæ cognitio acquiratur, est vtilis Ecclesiæ: id verò præstatur methodo, quam seruat Theologia Scholastica: ergo hęc est vtilissima. Assumptio constat, quoniam ad veritatē breuiore temporis spatio melius perdiscendā conducit breuitas, & ordo, qui seruatur in tradenda scientia: breuitas enim excludit superflua verba, præcidit inutiles quæstiones, & alia, quæ impediunt cursum veritatis, & distrahunt animum, ne vnico ictu attingat ea, quæ faciunt ad rē, de qua agitur. Ordo verò est instar lucis, quæ obscuritatē dissipat, & rerum perplexitatem explicat, vt docet Ambrosius, serm. in Psalm. 118. vers. 4. quæ duo deinde sunt in causa, vt quę plurib⁹ antiquorū tractatibus dispersa sunt, neque ijs legendis addisci possunt, Theologiæ Scholasticæ compendio perdiscantur. Quæ omnia solus ille iudicare rectè poterit, qui hanc, vel discendo, vel docendo methodū expertus est: nā qui ad Theologiā Scholasticam vel nunquā animum appulerunt, vel à primo limine salutatam, reliquerunt, nil mirum, si eius vtilitatē ignorent. Verùm, quamuis propria experientia id non didicerint, à fructu tamen debuissent arborem æstimare, cuius

Salmeron.
Ioan. Gerson.
Franciscus Horant.

Ambrosius.

fructus

fructus tot, ac tam suaues sunt, & salutares vt Ecclesiam vniuersam suo odore repleuerint, gustu, atque esu delectauerint, pauerint, ac refecerint, plurimosque errorū atque hæreseon labe infectos persanauerint. Longum esset Theologorum Scholasticorum numerum, à magistro sententiarum ad hæc nostra tempora recensere. longum vel eos, qui hac ipsa ætate vigent, quibus magna ex parte tribuenda est fidei contra hæreticos defensio, & inter Catholicos explanatio, denique inter pagano propagatio, quæ clariora sunt, quàm vt alicuius testimonio indigeant.

Argumenta hæreticorum, in ipsos meritò, retorqueri possunt, nam dissentiones circa obiecta scientiæ sub eadem fidei, & fraternæ dilectionis vnitate non dissuunt tunicam Christi incōsutilem, sicut discindit hæresis, ac schisma, queis fides, & charitas violatur: hæretici sunt, qui dicunt, ego sum Arij, ego Sabellij, ego Pelagij, ego Lutheri, ego Caluini: qua dissentione tamquā viperæ, vt ait Chrysost. hom. 45. operis imperfecti, disrumpunt viscera matris Ecclesiæ, & foras erumpunt alienati à fide, & à visceribus charitatis. At Theologi Scholastici, quamuis suos duces sequantur, & alij dicātur Thomistę, alij Scotistę, alij Nominales, omnes tamen habent pro regula, & mensura suæ Theologiæ verā fidem, & Ecclesiæ vnitatem: & ita opinionibus interdum differunt, vt eadem teneant fidei principia, solliciti seruare vnitatē Spiritus in vinculo pacis, quod Augustinus licere concedit in enchiridio. cap. 59. si verò aliquando ex infirmitate humana nonnulli excedant modum, id nō est vitium Theologiæ Scholasticæ, sed hominū. Erubescere debuissent hæretici, qui de præcipuis fidei nostræ capitibus, tot errores inuexerunt, vt vix ipsi numerare queant: &, cùm Theologia Scholastica quingentis ferè ab hinc annis cœperit, tres, vel ad summum quatuor sunt præcipuę familiæ Theologorum sub eadē regula fidei: hæretici verò, intra spatium centum annorum, tot sectas multiplicarunt, vt singulæ ferè diœceses suam fidē habeant: pro cuius rei cognitione videndus est Stanislaus Rescius, lib. 1. de Atheismis Euāgelicorum, qui ducentas, & septuaginta sectas recenset ortas à Lutheri temporibus vsque ad an. 1596. Porrò contentio, quę fidē retinet, & charitatem, proficua est ad examen veritatis; vt enim ait Clemens Alexand. lib. 1. strom. paulò pòst principium. *Ipsorum quoq; dogmatū conflictus, dum inter se cōferuntur veritatem conciliat, vndè sequitur cognitio.* Et Innocentius Papa, epist. 7. & habetur, c. graue. 35. q. 9. *veritas sæpius exagitata magis splendescit in luce, & pernicies reuocata in iudicium grauius & sine pœnitentia, condemnatur.*

Chrysost.

Scholastici Doctores quamuis inter se dissentiant, fidei tamen vnitatem tenent.

Augustin.

Stanislaus Rescius.

Clem. Alex.

Innocentius Papa.

Altera calumnia repelli potest sola negatione, iam enim dixi methodum Theologiæ Scholasticæ aperuisse faciliorem aditum ad veritatis indagationem, atque adeò plures his sęculis inueniri peritos huius scientiæ, quàm fuerint, antequam Theologia Scholastica mundo illuxit. Deindè verò respondeo semper hunc in Ecclesia fuisse morem, vt difficiliorū mysteriorum explicatio, nō nisi aptis ad ea percipienda traderetur; semper enim sapientes viri reputarunt periculosum esse arcanā veræ philosophiæ, ac Theologiæ rationem omnibus aperire, quod monet Dionysius de cœlesti hierarchia. c. 2. Clemens Alexandrinus. lib. 1. & 5. Stromat. Origenes lib. 1. contra Celsum, Nazianzenus. orat. 26. de modo in disputationibus seruando, & 33. quæst. 1. de Theologia, Hieronymus in c. 28. Isaiæ, & in c. 44. Ezechielis, Cassianus, collatione 14. c. 17. & Cyrillus Alexandrinus, lib. 1. contra Iulianum: ideò enim Paulus Corinthijs lac potum dedit, nō escam, quasi infantibus, & paruulis in Christo, 1. epist. ad Corinth. 3. quo loco ad hoc instituto probandū vtitur Augustinus lib. 2. de bono perseuerantiæ. c. 16. *facilè est enim,* inquit, *imò & vtile, vt taceatur aliquod verum propter incapaces, quoniā sicut is qui infantibus suppeditaret eosdem, & eode modo cōditos cibos, quib. vesci viri solent, nō præberet ijs alimentum, sed valetudinis nocumentū afferret; ita si Christiani rudes, atq; imperiti admittantur ad difficiles quæstiones de profundissimis fidei nostræ mysterijs, nihil omnino illis proderit ad salutem, sed oberit:* quod vtinam hoc sæculo sancta mater Ecclesia non fuisset experta: idcircò plures hæreses exortæ bonum semen fidei, multis in regionibus suffocarunt, quia absque alio studio sapientiæ, ex textrina, sutrina, & alijs officinis, ad docendum Dei verbum, & tractādas sacras literas assumebantur homines prorsus inepti: cui incommodo consultum fuisset, si eiusmodi homines rationalis scientiæ prorsus ignari, tamquam brutea animantes arcerentur à monte, in quo Deus in caligine videtur, hoc est, ab speculatione, & doctrina Theologica, quam montem appellat Gregorius Nyssen. in enarratione vitæ Moysis.

Dionys. Areopag.
Clemens Alexand.
Origenes.
Nazianzen.
Hieronym.
Cassian.
Cyrill. Alex.
1. ad Cor. 3.
Augustin.

Plures nunc S. Theologiæ periti reperiuntur, quam olim fuerint.

Gregor. Nyssen.

Iam verò tertium argumentū cum vltimo pugnat: nam, si volunt, vt Theologi eloquentiæ nitorem consectentur, obijci ijs potest idem, quod ipsi obijciunt, contra vsum philosophiæ, hoc est, ferè eo modo

IX.

Theo-

Theologia non desiderantam eloquẽtiam.

Theologos, alumnos potiùs Demosthenis, Ciceronis, Quintiliani, quàm Petri, Pauli, & cæterorum Apostolorum. *quorum sermo non imperſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* 1. Corinth. 2. Sed contemptibilibus, vt de Paulo dicebant Corinthij referente ipso Apostolo, 2. ad Corinth. 10. ipseque de se. c. 11. *Et ſi imperitus ſermone, ſed nõ ſcientia.* Et Augustinus in suis confessionibus. lib. 3. c. 5. fatetur se, prius quã Spiritum sacrarum literarum intelligeret, offendi solitum humilitate styli, & difficulter ad earũ lectionem se applicasse, Celsus item Scripturarum in eloquendo simplicitatem criminabatur, vt refert Origenes. lib. 6. contra eundem initiò, & multi Græcorum philosophorum, contra quos scribit Theodoretus mox citandus. Quid ergo volunt hæretici eloquentiæ flores in Theologia, vbi sunt alij multò suauiores flores, ac fructus veritatis? Verùm vt ad singula eorũ dicta respondeam, duo opponunt Theologis Scholasticis, nempè odium eloquentiæ, & politioris literaturæ, & dictionis barbariem. Primum calumnia est: nã bonarum artium vsus, & exercitatio nulli Theologo displicere debet, modo suum cuique tempus, consideratis circumstantijs personæ, status, ac dignitatis tribuatur. Bonus est vsus eloquentiæ, & Rhetoricæ magisterium, at Gregorium Nyssenum Rhetoricæ artem docentẽ D. Gregorius Nazianzenus epist. 30. reprehendit, eo quod Episcopus, senex, & doctus, potius in Ecclesia Euangelium docere, quã in cathedra Rhetoricam adolescentulis tradere deberet: quod si aliqui Theologi bonarum artium vsum interdum carpunt, de abusu intelligendi sunt, quo aliqui ita illis addicuntur, vt à rebus alioquin necessarijs abducantur. Quod attinet ad secundum in rebus Theologicis, ita barbaries vitanda est, vt nõ affectetur eloquentia, sed quantùm fieri potest breui, simplici, & perspicuo stylo veritas est proponenda, vt commodius percipiatur: vt communiter admonent Patres. Basilius, epist. 166. Hieronymus in procœmio in Amos, Prosper, lib. 3. de vita contempl. cap. 34. & alij, quod si nonnulli Theologi rudi, & impolita dictione vsi sunt, non scholæ, sed temporibus id tribuendum est: vt autem quod sentio dicam longè melius est, sub agrestibus verborum foliis suauissimos, ac pretiosissimos fructus veritatis exhibere, quàm sub eloquentiæ flosculis inanes fabulas, & hominum commẽta venditare, quod argumentum copiosè tractat Theodoretus. lib. 1. de curatione Græcarum affectionum, qui est de fide; itaque nec Theologia Scholastica liberaliores odit disciplinas, nec si illarum careat ornatu, proinde contemnenda est: imò verò diuinarum rerum veritas, quam discipulis propinat, etiam rudi, & inculto styli vasculo auidè expetenda est: vt enim rectè ait Prosper, lib. 3. de vita contemplat. cap. 34. *Cæterùm de accuratione dictionis elucubrata non ſatago, nec mihi pudoris eſt diſputatio mea, quæ fortè probatur in rebus, ſi aliquos verborum inanium ſectatores horrore incomptæ orationis offendat.*

1. ad Cor. 2.
2. ad Cor. 10. & 11.
Augustin.
Origenes.
Theodoretus.
Nazianzen.
Basilius.
Hieronymus.
Prosper.
Prosper.
Theodoretus.

X. Dupliciter de aliqua propositione quæstio excitatur.

Vt occurram vltimæ obiectioni, suppono dupliciter de aliqua propositione excitari quæstionem, nempè, aut studio indagandæ veritatis ignotæ, de qua in vtramque partem dubitatur, aut causa explicandæ certæ, & indubitatæ: vtroque verò modo procedere solet Theologus Scholasticus pro diuersitate materiæ, quã tractat: nam circa ea, quæ nõ constant certa fide, de quibus in vtramque partem absque infidelitatis nota opinari licet, veritatis assequendæ causa disputationem instituit: circa illa verò, quæ fide constant, non disputat in dubium vertendo veritatem, nec vt illã de nouo adipiscatur, sed vt eam clarius explicet, atque intelligat. Id verò nequaquam inutile, sed maximè vtile est, frangit enim nucem vt suauiter vescatur nucleo, non vt abijciat. nemo sanè dixerit Ioannem cùm discipulos ad Christum misit, vt interrogarent eum. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Lucæ 7. dubitasse de eo, quem prædicauerat esse agnum Dei, & tollere peccatum mundi, nec verò inutiliter egit causam discipulorum, aut fidei ipsius de vero Messia: nam interrogatione illa dedit occasionem Christo, vt multis miraculis cõfirmaret veritatem, & discipulis, vt crederent in eum, cuius tot, ac tam mirabilia opera cernerent. Hinc patet solutio ad eam partẽ argumenti, qua Theologi Scholastici arguuntur, eo quod in dubium vertant res fide credendas; non enim in dubium vertunt: sed, vt seruent doctrinæ ordinem, per modũ quæstionis proponunt res certas, vt explicent. Quod attinet ad alteram eiusdẽ argumenti partem, respondeo quæstiones Theologicas esse de rebꝰ magni momenti, & quæ maximè conducunt ad pietatem: si verò nonnulli Theologi interdum aliqua intermiscent, quæ resecari possent, non propterea Theologia Scholastica est accusanda quemadmodum nõ est contemnenda, aut comburenda seges boni frumenti, si fortè inter tritici spicas auena, & lolium simu-

Luc. 7.

Theologi nimiam eloquẽtiam affectare nõ debent.

adoleuerint; sed si fieri possit, inutiles herbæ euellendæ, seges intacta relinquēda est. Ita quæstiones à vera Theologia abhorrentes relinquendæ erunt philosophis, & quæ propria sunt tractanda Theologo: quamuis interdum necesse sit prius statuere dogmata philosophica, ex quibus sæpè pendet discursus Theologicus, vt infra dicam: & idcirco insignes, & pij Theologi vt S. Thomas, & S. Bonauentura, & alij philosophica intermiscent ad explicationem mysteriorum fidei: nam sine illis hæc non possunt commodè percipi, aut intelligi, vt asserit Clemens Alexandrinus, lib. 6. strom. ad medium; sed de vsu, & vtilitate naturalium scientiarū ad studium Theologiæ infra dicam: neque Basilius, Augustinus, & alij Patres antiqui nō recognoscerēt Theologos Scholasticos, vt suos alumnos, propterea quod vtuntur præsidio philosophiæ, & artium liberalium: quandoquidem ipsi quoque, vt ex eorum scriptis constat, ijsdem vtebantur. Ex quibus sufficienter responsum est ad calumnias appositas Theologiæ Scholasticæ, sed quia in vltima tangitur improbatio inquisitionis in disputationibus Theologicis, & vsus disciplinarum humanarum, quæ aliquod fundamentum videtur habere in ratione, & testimonijs sanctorum Patrum, id in sequentibus fusiùs erit examinandum.

Clemens Alexandr.

Inquisitio de rebus fidei vtilis est, & honesta.

Caput IV.

I. QVòd nulla inquisitio, & disputatio honestè, & cum fructu haberi possit à Theologis probari potest; primò, quoniam Theologia, quę argumentādo acquiritur, ac perficitur, non est de rebus fidei, siue à Deo immediatè, reuelatis, reuelata enim sunt principia Theologiæ, quę Theologo non probanda, sed supponenda sunt: vel igitur quærit aliquid nō reuelatum latens, ac fugiens aciem, siue lumen naturale mentis humanæ, aut aliquid illi peruium: neutrum sub Theologiam cadit: prius verò etiam inutiliter, imò temerariè, & cum erroris periculo indagatur: inutilis igitur, imò pernicioſa censeri debet Theologia. Assumptio manifesta est. Nam ad acquirendam notitiam rerum, quæ naturali lumine conspicuæ sunt Theologia non inseruit, quæ fide, & obscura notitia fulcitur; at res naturales non perfectè sciuntur, quam diu nō resoluuntur euidenter in sua principia, id verò non Theologiæ, sed singulæ quæque scientiæ naturales circa proria obiecta præstant. Non item ad habendam notitiam supernaturalium; si enim reuelata sunt, sufficit fides, si reuelata non sunt, nullo modo ad eorū notitiam peruenire discursu Theologico poterit: quamuis enim de plurimis ex fide cognoscamus quod sint, quid tamen, aut quomodo sint penitus ignoramus: quæ est cōmunis sententia Patrum. Cyrillus enim Alexandrinus, lib. de recta fide, *Quid*, inquit, *commodi affert humanis rationibus explorare ea, quæ neque dici, neque cogitari possunt? quæ etiam opinor sola fide oportet venerari omni curiositate seposita?* Similia habet, lib. 2. & 3. de Trinitate, & D. Chrysostomus hom. 17. in primam epistolam ad Timoth. explicans illa verba capitis sexti, *Languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quæstione*, inquit, *& concertatione verborū inueniri nihil potest: quæ enim fides profitetur, sola quæstio neg, ostendit, neque permittit intelligi.* Similia habet hom. 19. in epist. ad Ephes. c. 5. hom. 8. in epist. ad Roman. super illa verba, c. 4. *Tribuens gloriam Deo.* Ambros. lib. 1. de interpret. c. 9. Gregorius Nyssen. de resurrectione Christi. Nazianzen. in laudem Heron. Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 6. & 11. OEcumenius in id. 1. ad Tim. 6. *Languens circa quæstiones, &c.* & alij Patres. Iam verò periculum erroris, quod in Theologicis disputationibus aditur, planum est ex miserabili multorum ruina, qui dum alias ex alijs quæstiones serunt, in inextricabiles errores inciderunt: plerique enim hæreticorū in disputatiua Theologia exercitati fuerunt, & in errores veritatē indagando prolapsi sunt: cuius veritatis testes sunt Patres. D. Basilius in oratione de Martyre Manante. *Hæc demum est cognitio Dei, obseruantia videlicet præceptorum Dei, non inanis illa curiositas, non essentiæ Dei, & supra mundanorum inuestigatio, non rerum inuisibilium consideratio, satis tibi sit pastorem esse bonum, animam posuisse pro ouibus, terminus hic sit diuinæ cognitionis: quantus verò sit Deus, & quæ illius mensura, & qualis essentia, talia scisciranti sunt periculosa: ei, qui rogatur perplexa, & talium medicina est silentium.* & expendens verba illa Christi Domini, *Oues meæ vocem meam audiunt.* subiungit *audiunt, inquit non disputant.* quibus satis apertè vir Sanctus inculcat graues texere disputationes de rebus diuinis, vltra ea, quæ ex fide habemus, superuacuum, imò periculosum esse: S. Diodochus de perfectione Spirituali, cap 22. *Profundum*, inquit, *fidei si scrutemur, turbulentum quidem est, tranquillum verò, si simplici animo contemplemur: non enim patitur*

De reuelatis per fidem cognoscimus quod sint, sed nō quid sint. Cyrill. Alex.

Chrysost.

Ambros. Gregor. Nyssen. Nazianzen. Cyrillus Hierosolom. OEcumenius.

Basilius.

S. Diodochus.

profun-

profundum fidei, quod est aqua obliuionis, vt curiosis cogitationibus illud contemplemur. Quod profectò indicat infinitum illud augmentum torrentis apud Ezechielem, cap. 47. cuius aquæ ita intumuerant, vt transuadari non possent: quarum abysso profundissima absorpti sunt plurimi, qui ignotum vadum aggredi nõ dubitarunt, Arios dico, Sabellios, Eunomios, & alios id genus, diuinarum rerum temerarios indagatores, qui dum temerario ausu perscrutantur maiestatem deitatis, oppressi sunt à gloria ipsius: Etenim verissima est sententia illa Crysostomi homil. 17. in epistolam primam ad Timoth. *De Deo, quæ non oportet, opinamur, cùm in quæstiones incidimus.* quas propterea vitandas monet Apostolus, 1. ad Timoth. 6. 2. ad Timoth. 2. & ad Tit. 3. & Ecclesiast. 3. dicitur. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.*

Ezech. 47. *Chrysost.* *1. ad Tim. 6.* *2. ad Tim. 2.* *ad Tit. 3.* *Ecclesiast. 3.*

II. Secundò, Deus Optimus Maximus satis prouidit hominibus reuelando mysteria, quorum notitiam ipse voluit ad salutem necessariam, nec vbi de fide constat opus est vlterius progredi inuestigando, sed salubriter quiescere credendo; quem locum luculenter tractat Tertull. lib. de Præscript. aduersus hæreses, cap. 8. *Nobis,* inquit, *curiositate opus non est, post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium, cùm credimus, nihil desideramus vltra credere,* & paulò post, *Credendum est donec inuenias, & credendum, vbi inueneris, & nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti.* Et infra. *Ignorare melius est, ne quod non debeas noris, fides,* inquit, *tua te saluum fecit, non exercitatio Scripturarum: fides in regula posita est, habet legem, & salutem de obseruatione legis, exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio, cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti, nihil scire omnia scire est.*

Tertullian.

III. Verum enim verò ad diuinarum rerum contemplationem, & perscrutationem, nõ quidem curiosam, sed studiosam Christus ipse nos admonet, Spiritus diuinus instigat, ac præit, Patrum dicta, & exempla confirmant. *Quærite,* inquit Christus Dominus apud Lucam, cap. 11. *& inuenietis, pulsate, & aperietur vobis; omnis enim, qui petit, accipit; qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* quem locum de inquisitione veritatis exponit Clemens Alexandr. lib. 8. stromat. *Atqui,* inquiens, *pulsat quidem per inquisitionem, quæ per interrogationem, & responsionem habetur oratio, veritatis fores per id, quod apparet, aperto autem per scrutationem eo, quod est impedimento, ingeneratur contemplatio, quæ est ex scientia; ijs, qui sic pulsant, aperitur, vt opinor, id, quod quæritur: & ijs, qui sic petunt interrogationes per Scripturas, ad quod quidem à Deo contendunt, fit donatio diuinitus datæ cognitionis comprehendendo per rationalem, quæ verè elucet, cognitionem.* Eundem locum similiter interpretatur Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 1. & Hieronymus super illud Pauli ad Tit. 3. *stultas autem quæstiones, &c.* Olympiodorus supra illud Ecclesiastis 12. *Multum quæsiuit Ecclesiastes, &c.* Augustinus, lib. 2. de Genes. contra Manichæos, cap. 2. & Damascen. in logica, cap. 1. Rursus Christus Iudæos ad Scripturarum studium remittit Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Quis autem iure reprehendat rerum sublimium indagationem, & Scripturarum perscrutationem, ad quã Christus ipse hortatur, & aperiendo ostio, hoc est, remouendis obstaculis agnoscendæ veritatis, offert clauem scientiæ, & promittit Spiritum sanctum, qui docet omnia, & suggerit omnia, quæ Christus ipse dixit Apostolis: & quidẽ si Apostoli, postquam fidei mysteria à Christo Domino audierunt, doctore indiguerunt, aliquid latet in verbis, quod profundiore discussione, & clariore lumine egeat, vt agnoscatur. *Nos autem,* inquit. Apostolus 1. ad Corinth. 2. *non Spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* itaque diuina Spiritus sancti gratia mentem collustrat spiritualium virorum, vt acquirere possint scientiam supernaturalium donorum: non ergo superuacua, atque inanis est perscrutatio, ac scientia, ad quam Christus hortatur, Spiritus ipse diuinus adiuuat, atque illuminat.

Diuinarũ rerum inquisitio & perscrutatio probatur.

Basilius. *Hieronym.* *Olympiodor.* *Augustin.* *Damascen.* *Ioan. 5.* *1. ad Cor. 2.*

IV. Consentiunt antiqui Patres, qui fidem ita venerantur, vt tamen inquisitionem, ac studium non excludant, imò verò exigant, & commendent. Ita Clemens Alex. lib. 1. strom. paulò post principium, & lib. 5. *Fidem,* inquiens, *non otiosam, & solam, sed cum inquisitione ostendere oportere dicimus, non enim hoc dico non oportere omninò quærere, quærite,* inquit, *& inuenietis.* Cyrillus autem Alexandrinus in Euangel. Ioannis, lib. 4. cap. 13. *Probus,* inquit, *auditor, ac sapiens si qua ardua videntur, sæpè, ac multum inuestigans, atq; interrogans, tandem assequitur venatrices apprimè canes imitatus, quæ huc, atque illuc percurrunt feras quærentes: sic affectum esse sapientem propheticus quoque sermo denotat dicens, conquirens quære, & apud me habita: quærendum enim ita semper est, vt apud eum habitemus, & ad alienas sententias nõ deferamur.* In eundem sensum probat Athenagoras Christian.

Clemens Alexandr. *Cyrill. Alex.* Inquisitionẽ rerum ad fidẽ pertinentem patres probant. *Athenagor.*

Luc. 11. *Clem. Alex.*

Christian. philosoph. lib. de resurrectione mortuorum tom. 9. Biblioth. disputationem de veritate, ac pro veritate, nō solùm vtilem, sed necessariam esse fidelibus; *Chrysost.* his similia habet Chrysostomus hom. 16. in Ioannem, & hom. 6. in 2. ad Tim. super illud capitis secundi. *Stultas autem, & imperitas quæstiones de vita.* *Gregor. Nyss.* Gregorius Nyssenus, lib. de infantibus, qui prēmaturè abripiuntur, ante medium, *Hilarius.* Hilarius in Psal. 52. super illa verba *Dominus de cœlo prospexit, &c.* *Origenes.* Origenes homil. vn. in lib. Regnorum, *OEcumen.* OEcumenius super id, 2. ad Tim. 2. *Stultas autem quæstiones de vita.* & plerique alij, qui re ipsa posteros docuerunt, quàm vtile sit non singulis tantùm, sed Ecclesiæ vniuersæ diuinarum rerum assidua commentatio, & studium in perscrutandis sacris literis, & inuestiganda veritate, lucerna fidei præeunte; nam sine hoc studio cætera nil prosunt. Itaque non est superfluum studium, neque inanis exercitatio in rebus diuinis perscrutandis, quæ pulsat ostium sapientiæ diuinæ, & meretur aditum ad arcana mysteria, ad cellam vinariam sponsi cœlestis: quæ inuenit thesauros absconditos; quæ rupto cortice interiore fruitur medulla; quę ingressa caliginem lucis æternæ, quantùm viatori fas est, summæ veritatis splendoribus illustratur. Ex quibus omnibus totū hunc discursum breui ratiocinatione concludo. Nō est inanis ea scientia, neque temeraria inquisitio, quę ex certis principijs, superiore lumine cognitis, procedit ad agnitionē latentium conclusionum: scire enim per se honestum, atque optabile est, neque in exercitatione, & studio scientiæ certum est errādi periculum, siquis ipsis principijs firmiter adhæreat: Theologia verò Scholastica ex principijs fidei, supernaturali lumine notis, deducit plures conclusiones, quas ignorant illi, qui à Theologicis abhorrent: non ergo inanis ipsa, nec studium illius periculosum censeri debet, si tamen illius studiosi statuant firmiter supra petram fidei pedes suos, si principia, quæ captum creatæ mentis excedunt non solo lumine naturali rationis expendant, sed Deo reuelanti credendo supponant.

V. Diluuntur obiectiones

Ex quibus facilè diluuntur ea, quæ in contrarium obiecta sunt: si quando enim Patres, vel etiā sacræ literæ sublimium rerum indagationē damnare videntur, non quodcumque studium damnant, sed illud, quod cum temeritate, aut dubitatione fidei coniunctum est: temeritatem arguit *Prouerb. 25.* Scriptura cùm ait, Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* & cum. monet Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*: consistit autē hæc temeritas in eo, quòd humana mens occultas diuinæ prouidentiæ dispositiones, & decreta, & ineffabilia quæque mysteria diuina, ad quę naturale lumen non sufficit, nec fides aliquod principium inquisitionis aperuit, audaci ausu perscrutādo intelligere conatur, & inscrutabilia, atque incomprehensibilia capere præsumit: & hoc reprehendunt Sancti Patres, quando notant eos, qui non contenti fide Trinitatis, scire volunt, quomodo filius generetur, quomodo verbū caro factū est, & similia: quæ in hac quidē vita credimus quod sint, quid autē sint, aut quomodo, relinquitur beatis. Ad hunc sensum loquitur Cyrillus Alexandr. lib. de recta fide, *Stultissimum omninò fuerit examini subijcere ea, quæ mentem nostrā transcendunt, & tentare intelligere, quæ intelligere impossibile est:* quod argumentum latè prosequitur Gregor. Nazianzen. Oratione de pace, grauiter inuectus in temerarios similium rerum indagatores, *Non cognoscemus*, inquit, *quænam quæstiones à nobis percipi, ac comprehendi, & quatenus comprehendi possint? quænam rursus facultatem nostram superent? &c.* quibus satis arguit multorū temeritatem, qui supra vires quærunt, quod nunquam inuenient. Idem docet oratione de moderatione in disputationib⁹ seruanda, Cyprianus in expositione Symboli, Ruffinus etiam in expositione Symboli Apostol. Hieron. lib. 1. aduersus Pelagian. Isychius, lib. 5. in Leuit. c. 16. circa principium; & hoc solùm voluerunt Patres citati in 1. argumento. Non est autem temeritas eiusmodi in ipsa Theologia, sed interdū erit in superbo Theologo: quapropter in hoc studio seruanda sobrietas, & semper memoria recolenda est, iuxta præceptū Augustini, lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 15. Sententia illa Pauli ad Rom. 12. *Non plus sapere, quā oportet sapere, sed sapere ad sobrietatē.*

Ecel. 3.

Temeritas

Altiora quęrendi in quo consistat.

Cyrill. Alex.

Nazianzen.

Cyprian.

Ruffin.

Hieronym.

Isychius.

Augustin. ad Rom. 12.

VI.

Iam verò inquisitio, quæ reuelata vertit in dubium, non ad scholā Theologicam sed ad officinam pertinet hæreseon, nam Theologia non disputat de fide, vt aliam inueniat fidem, sed vt eam, quā accipit explicet, & ab hęreticorū incursibus tueatur. At hęresis cùm propria hominis electione, ac ratiocinatione nitatur, nunquam firma, ac stabilis permanet, sed semper nutat, ac fluctuat, tanquam fluctus feri maris, vt ait Apost. Iudas: & proinde inquisitio eius ex fidei dubitatione procedit, vt benè, lib. de præscript. citato, cap. 14. Tertullianus docet. *Si enim*, inquit, *verè adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt, & ideò quodcumq; videntur*

Iudæ epist.

Tertullian.

videntur interim tenere, dubitationē suam ostendunt, quamdiu quærunt: itaque tu, qui proinde quæris, spectas ad eos, qui & ipsi quærunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus à cæcis in foueam deducaris, necesse est. Hi sunt, quos
1. ad Tim. 6. notat Paulus 1. ad Tim. 6. cùm ait. *Languens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus*
Chrysost. *oriuntur inuidiæ*, ad quem locum Chrysost. hom. 17. sic ait, *Ergo languere quærere erit, & verborū pugnas: meritò sanè, quādo enim anima cogitationum vtitur febre, quando ambiguitatis iactatur fluctu, tunc quærit: cùm verò illa sana est, non quærit, sed fideliter credit.* Itaque quæstiones cum dubitatione de fidei mysterijs dānat Paulus, & execratur Chrysost. loco citato, & hom. 1. in illud 1. ad Tim. 1. *Quæ præstant quæstiones magis, quā ædificationē Dei.* Ambrosius, lib. 2. de fide, c. vlt. versus finem. Nostra autē Theologia vera, & Catholica nihil circa regulam fidei dubitādo
Tertullian. quęrit, vt idemmet Tertullianus paulò antè præmiserat recitato magna ex parte Symbolo, *Hæc regula*, inquit, *à Christo, vt probabitur*, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt: posito autē fundamento fidei, non prohibet vlteriùs disputando de alijs rebus agere, subdit enim. *Cæterùm manente forma eius, in suo ordine, quantumlibet quæras, & tractes, & omnium libidinem curiositatis effundas, siquid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari;*
Clem. Alex. in eandem sententiam est illud Clementis Alexandr. lib. 5. stromat. *Eam quidem, quæ vna cum fide cōuenit, quæstionem, quæ super fundamentum fidei superædificat splendidam, ac magnificam veritatis cognitionem, optimam esse scimus.* Et Anselmus de incarnatione verbi, c. 2. modum seruandum in disputatione Theologica diffinit his verbis, *Nullus Christianus debet disputare quod Catholica Ecclesia corde credit, & ore confitetur, quomodo nō sit, sed semper eandē fidem indubitanter tenendo, quantùm potest quærere rationem quomodo sit, si potest intelligere, Deo gratias agat, si nō potest, non immittat cornua ad ventilandum, sed submittat caput ad venerandum.* A quæstionibus etiam contentiosis abstinendum docent, Clemens lib. 5. stromat. paulò pòst principium, Ambrosius in c. 2. 2. ad Tim. Hieronymus epist. ad August. quæ est inter alias eiusdem 18. & Chrysost. homil. in epist. 2. ad Tim. quæstiones verò inutiles damnat August. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9. & Chrysostomus hom. 19. in epist. ad Ephes.

Anselm.

De quibus disputādum non sit & de quibus sit.

Clemens Alexand. Ambros. Hieronym. Chrysost. Augustin. Chrysost.

VII. Ad primùm verò argumentū respondeo Theologum, quando scientificè procedit, vel probare ipsamet reuelata ex alijs reuelatis, quod fieri non repugnat: vel etiā deducendo ad impossibile, aut absurdum aliquod contra fidem, vel rationem: quem procedendi modum probat etiam in naturalibus philosophus; vel denique ex reuelatis colligere non reuelata, quæ sublata fide non possunt certò cognosci à creatura; ea verò posita accedente rationis discursu possunt indagari: nā quemadmodum res, quæ latent in tenebris, nōnisi adhibita lucerna, & quæri possunt, & inueniri: ita supernaturalia incomprehensibilitatis caligine circumfusa, non, nisi fidei lucerna præuia indagantur, atque inueniuntur à nobis: Itaque Theologus in suo proprio discursu, neque solo rationis lumine nititur, neque illa quærit, quæ fide tenet: sed ex fide progreditur ad scientiam eorum, quæ non in se formaliter, sed in principijs radicaliter sunt reuelata. Ea verò, quæ solo naturali discursu cognosci possunt euidenter, non tractat Theologus ex instituto, nisi quatenus in fide, ac Theologia supponenda sunt: & quamuis ex sola fide argumentando scientiam euidentem non assequatur, assequitur tamen firmiorē quandam certitudinem, quatenus illa resoluit ad infallibile testimoniū primæ veritatis. Ad secundum argumentum respondetur, Deum reuelatione fidei satis, superque prouidisse Ecclesiæ: hinc tamen non sequi superfluam esse inquisitionem: quoniam tametsi singulis Christianis sufficiat simplex fides, absque vlteriore indagatione, in pastoribus tamen, atque doctoribus opus est eminentiore quadam scientia ad instruendos fideles, & refellendos hæreticos, cuius scientiæ semina in ipsa mysteriorum reuelatione indita sunt: & quemadmodum nō ineptè, aut inutiliter operatur is, qui semina iactat, plantat, ac rigat, vt fructus ex arbore percipiat, ita neque otiosa aut inutilis est Theologica exercitatio, quæ ex fidei semine discurrendo elicit arborem, ac fructū scientiæ: nam, vt ibidem
Tertullian. ait Tertullianus, *omnem prolationem quærendi, & inueniendi statuit fructus ipse quærendi*; habet igitur pulcherrimum, ac suauissimum fructū Theologia Scholastica, nempè sublimium, & maximarum rerum contemplationem, quem optabat Regius vates, cùm orabat dicens. Psal. 118. *Da mihi in-*
Psal. 118. *tellectum, & scrutabor legem tuam.* quòd si interdum ob ipsarū rerum altitudinem, animus agnitionis fructum non percipit, hoc ipsum egregij fructus loco haberi debet; si mens ex assidua indagatione cœlestium intelligat, ea adeò sublimia & incomprehensibilia esse, vt omnem vim creatæ facultatis intellectricis excedant, & ita ignorantiæ

rantiæ suæ conscia, veneretur humili obsequio, quod capere nequit intellectu. Hanc vtilitatem luculenter exponit D. Prosper, in prolog. lib. 1. de vita contemplatiua. *Siquidem necessariarum tractatio quæstionum, etsi non instruit, inuenientis, quod quærit, animum, exercet saltem quærentis ingenium, vt aut nouerit se quærendo, & nihil inueniendo nescire quod se forte nosse præsumpserat, & ignorantiæ suæ consequenter admonitus quod sibi deesse viderit, quærat, quod inuenerit, teneat, & quod tenuerit, diligenter exerceat.* Hæc D. Prosper, ex quibus, & alijs constat nequaquam inutiles esse quæstiones de rebus diuinis, & consequenter, neque Theologiam Scholasticam, quæ quærendo, ac disputando acquiritur, ac nutritur.

Prosper.

Vsus Philosophiæ, & reliquarum scientiarum naturalium Scholasticæ Theologiæ familiaris, minimè pernicios us, aut inutilis est.

Caput V.

I.

Respondendum deinde est alijs calumnijs Theologiæ Scholasticæ: quam nonnulli, inter quos fuit quidam Arnoldus à villa noua relatus à directorio inquisitorum, p. 2. q. 11. num. 2. & Prateolo, lib. 1. hæresum, cap. 69. propterea carpunt, quod humanis Iudicijs, & profana eruditione vtatur, miscens sacra profanis; & multò antè Ruffinus Hieronymum damnabat, quòd operibus suis sæcularium philosophorum doctrinas immisceret, vt patet ex epistola eiusdem Hieronymi 84. ad Magnum oratorem Romanum; verùm quia præcipua ipsorum querela est circa vsum philosophiæ, ac dialecticæ, hoc capite ostendã moderatum philosophiæ, ac reliquarum disciplinarũ vsum, nequaquam nocere doctrinæ veritatis; capite verò sequenti, quæ ex dialecticæ vsu in doctrinã Theologicam vtilitas redundet. Primò itaque contra vsum sapientiæ naturalis obijcitur auctoritas Pauli, qui 2. ad Cor. 10. scientiam à Deo acceptã naturali quasi ex aduerso opponit; *Arma*, inquiens, *militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Ad quem locum D. Chrysostomus, per arma carnalia sapientiam huius mundi intelligit; *Non in sapientia*, inquit, *carnali, sed in spiritu mansuetudinis, & potentiæ, munitiones autem dicit fastum Græcorum, sophismatumq;, & syllogismorum robur:* Itaque doctrina Apostolica destruit omnem Græcam, ac barbaram philosophiam naturalem, & cæteras scientias humanas, quæ sunt munitiones infidelitatis, vt expresè notat Hieronymus in c. 9. Zachariæ, initio explicans hoc Pauli testimonium, & in c. 10. Oseæ, ad finem, & meritò: nam intra has munitiones prædicantibus Apostolis, se aduersus veritatẽ tuebatur infidelitas arguendo Deum, si sit vnus, non posse esse trinum, quoniam vnum, & plura sibi aduersantur: & æternum, atque impassibilem, nõ potuisse nasci ex tempore, aut occidi: sed virtute Spiritus sancti, & efficacia verbi Dei, luteæ hæ munitiones corruerunt: Qui verò harum disciplinarum vsum in res sacras introducunt, rursus muros Hierichuntinos anathemati consecratos, & Euangelicæ prædicationis tuba collapsos erigunt aduersus scientiam Dei: quare meritò de his conqueritur Tertullianus, lib. de præscript. aduersus hæreticos, cap. 7. *Quid Athenis*, inquiens, *& Hierosolymis? quid academiæ, & Ecclesiæ? quid hæreticis, & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominũ in simplicitate cordis esse quærendũ: viderint qui Stoicum & Platonicum, & dialecticum Christianis prætulerunt*; cùm igitur humanæ disciplinæ sint præsidia infidelitatis, ac proinde fidei contrariæ, longè à doctrina Theologiæ abesse debent.

Arnoldus à villa noua.

Ruffinum.

Quæ probãt dialectica & scientijs humanis Theologo vtendũ non esse.

2. ad Cor. 10

Chrysost.

Hieronym.

Tertullian.

II.

Secundum fundamentum, cur hæc excludi debeant à vera Theologia est, quoniam sunt pernicios a, & inducunt in errorem, vt de philosophia patet ex Paulo ad Coloss. 2. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam*, vbi D. Hieronymus. *Contra philosophos*, ait, *quorum omnis penè disputatio de elementis est, & de visibilibus creaturis, & ex rebus naturalibus virtutem existimant Dei dicentes ex nihilo fieri nihil posse, & animam aut initium non habere, aut esse mortalem, &c.* Ideoque ipse Hieronymus in id Prouerb. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris*, per hanc intelligit sapientiam huius mundi, quæ incautos decipit; consentiunt Cyrillus Hierosolym. cateches. 4. initio, Ambrosius sermone 22. in Psal. 118. super illa verba *secundum verbum tuum da mihi intellectum.* & alij Patres, qui docent hæreses omnes ortũ habuisse ex philosophia, ita Tertullianus, vbi proximè de vniuerso genere disciplinarũ Græcarum loquens, *Hæ sunt*, inquit, *doctrinæ hominum, & dæmoniorum, de ingenio sapientiæ sæculi, quã Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam philosophiæ ipsius elegit.*

ad Coloss. 2.

Hieronym.

Philosophia in errorem quosdam inducit.

Cyrillus Hierosolym.

Ambrosius.

Tertullian.

Ea est enim materia sapientiæ secularis temeraria interpres diuinæ naturæ dispositionis, ipsæ denique hæreses à philosophia subornantur. quod ibidē susius prosequitur ostendens, à qua secta philosophica, quæque hæreses emerserint: quapropter idem, lib. contra Hermogen. & lib. de Anima, & Hieronymus, lib. aduersus Pelagium, ad Ctesiphontem, philosophos vocant Patriarchas hæreticorum, idem Hieronymus epist. 61. ad Pammachium epist. 84. ad Magnum oratorem Romanum, & in cap. 3. Nahum, super illa verba, *Paruuli tui quasi locustæ, &c.* docet venena hæreseon ex philosophorum fontibus manasse, & Nazianzenus tractatu de fide, *Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli philosophorum.* Epiphan. dixit hæresi 69. versus finem, Arianos ex Aristotelis, & alijs mundi sapientibus venenum sibi adfricuisse. Tandem Apostoli apud Clementem in constitutionibus Apostolicis, lib. 1. c. 6. *Abstine,* inquiunt, *ab omnibus libris gentilium, quid enim tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis prophetis? quæ quidem homines leues à fide recta detorquent.* quapropter cùm philosophia deceptionis, & erroris causa sit, non solùm immiscri non debet Theologicæ doctrinæ, sed prorsus abijcienda ab eo, qui veritatem assequi cupiat: vndè D. Basilius epist. 5. ad D. Gregorium de auditore Theologiæ sic ait, *Oportet illum esse humanarum doctrinarū indoctum, paratū ad suscipiendas in corde formas, quæ ex diuina doctrina imprimuntur.* supponens vtique humanarū scientiarum apparatum, nō solùm conferre nihil, verum etiam obesse plurimum ad veram Theologiam comparandam; similiter Chrysostomus homil. 7. in primam epistolam ad Corinth. explicans illa verba, cap. 2. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei,* prius eijcienda censet, quàm plantetur vera sapientia, & doctrina fidei: concluditur verò hoc argumentum in hunc modum, qui vtuntur philosophia, & alijs humanis scientijs, volunt res diuinas eadem mensura metiri, qua creatas, & ea, quæ superant omnē rationem, ac scientiam, adducere in examē rationis, ac scientiæ creatæ; hoc autem fieri non potest sine erroris periculo, vt nos docet multorum hæreticorum casus: ergo vera Theologia debet abstinere ab vsu philosophiæ, & reliquarum disciplinarum naturalium, ex quo fortè natum est, vt Episcopis interdiceretur vsus gentilium in 4. Concil. Carthag. cap. 16.

Hieronymus.

Philosophi sunt Patriarchæ hæreticorum.

Greg. Nazian.

Epiphanius.

Clem. Roman.

Basilius.

Chrysost.

Concil. Carthag.

III. Tertium argumentū sumitur ex ineptitudine eruditionis humanæ ad verā scientiam de diuinis rebus habendam: quod probatur ex Paulo ad Colos. 2. qui philosophiam inanem appellat, quā eo nomine damnat ibidē Hieronymus, & alij Patres: deinde Christus Dominus, & diuinus Spiritus sufficienti sapientiæ præsidio munuit Apostolos Christianæ Theologiæ magistros, & tamen humana sapientia non instruxit, sed solùm diuina: ideò enim Paulus 1. ad Corinth. 10. inquit, *Deum, quæ stulta sunt mundi elegisse, vt confunderet sapientes*; & Hieronymus in locum illum 1. ad Corinth. 1. *Perdam sapientiam sapientum: piscatores,* inquit, *eligendo, artem Rhetoricam, & philosophiam reprobauit. non quidem vt res omninò malas, cùm alioquin artes bonæ sint, sed tamquam inutiles ad studium veræ sapientiæ, quippe cùm nihil conferant quo indigeat fides, aut Theologia: Itaq; nos,* Christiani scilicet, ait Cyrillus Alexand. lib. 7. contra Iul. *ex sacris literis diuinæ Scripturæ omnigenam virtutem discimus.* & D. Augustinus, lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 42. *Quidquid homo extra* (nempè Ecclesiam) *didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si vtile est, ibi quisq; inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit.* Omnia itaque contineri doctrina fidei probat Clemens Alexandr. lib. 2. stromatum, tam quæ spectant ad ordinem rerum naturalium, quàm supernaturalium: quare nihil nobis philosophia contulit: imò ipsa philosophia, & doctrina gentilitia, si qua vera continet, ex vera, ac fideli philosophia, ac Theologia Patriarcharum, ac Prophetarum initium sumpsit, vt probat Tertullianus in Apologet. aduersus gentes, cap. 47. Minutius in Octauio, Augustinus, lib. 8. de Ciuitate, cap. 11. Origenes homil. 1. in Cantica in medio. Denique scientia omnis, atque eruditio humana adeò inutilis est veræ sapientiæ, ac philosophiæ perdiscendæ, vt D. Chrysostomus malit fidei auditorem prorsus rudem, atque imperitum, quàm ingeniosum, & scientijs sæcularibus imbutum: sic enim habet homilia 4. in epistolam primam ad Corinth. super illa verba, cap. 1. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, ad Euangelicam prædicationem accipiendam: neq; sapiens per sapientiam quidquam proficeret, neq; indoctus ingenij hebetudine quidquam afferret nocumenti: quod si res admiratione digna dicenda sit, ineruditio, quàm sapientia ad hanc susceptionem, & aptior est, & facilior.*

ad Coloss. 2.

Hieronymus. Humanæ eruditionis vanitas.

1. ad Cor. 10.

Hieron.

Cyrill. Alex.

Augustin.

Clem. Alex.

Tertullianus.

Minutius.

August.

Origen.

Chrysost.

IV. Peritia ad vsus disciplinarum humanarum Theologiæ non est inutilis.

Dico primùm humanarum disciplinarum peritia, & vsus, nequaquā pernicios us, aut inutilis Theologiæ, quin verò maximè vtilis est, hæc fusè ostenditur à Cano. lib. 9. de locis Theologicis, & Iulio Rugerio opusculo de auditore Theologiæ, c. 5. 6. &

Canus.

Iulius Ruger.

Henricus. S. Thom.

7. post Henricum in sum. art. 12. q. 5. & D. Thom. q. 2. super Boëtium de Trinitate, art. 3. & est communis doctrina Patrum. qui & ipsi liberales disciplinas studio proprio compararunt, & in suis libris frequenter vsurparunt, & expresè à calumnia vendicarunt, earũ ad sacræ doctrinæ studium vtilitatẽ commendantes. Primo loco ab omnib⁹ ferè proponitur exemplum Moysis, Danielis, ac trium puerorũ, quorum primus non pateretur se instrui disciplinis Ægyptiorum, nec alij perdiscerent doctrinã Chaldęorum, si eius studium, vel vsus pernicios⁹us, vel inutilis foret ad rerũ diuinarum scientiam comparandam. Iam verò Patres philosophicis disciplinis in elucidandis, & tractandis fidei veritatibus vsos fuisse facilè constabit ipsorum volumina legenti: vndè Aug. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 40. docet, quemadmodum quondã populus Israëliticus fugiens ex Ægypto, argentum, aurum, & vestes pretiosas sibi clanculò ad meliorem vsum vendicauit: ita antiquos Patres de societate gentilium exeuntes, liberales disciplinas ad vsum prædicandi Euangelij transtulisse: vndè concludit, *Nonne aspicimus quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de AEgypto Cyprianus doctor suauissimus, & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quãto Victorinus, Optatus, Hilarius?* quo argumento contra Ruffinum vtitur Hieron. epist. 84. ad Magnum oratorẽ Romanum, vbi omnes ferè Patres Græcos, & Latinos enumerans dicit eos omnes libros suos philosophorũ doctrinis repleuisse. Sæpè etiam Patres expresè asseruerunt humanarum disciplinarum, & philosophiæ vtilitatẽ ad studium Theologiæ, in primis Magnus Dionysius in epistola ad Polycarpum hoc supponit loquens de philosopho Apollophane, cui desiderat, vt fidei mysteria tradantur, ijs enim perdiscendis, & supposita fide intelligendis, magno vsui forè censens doctrinam philosophicam, qua pollebat: deinde Clemens Alexandr. lib. 1. strom. & 6. vbi, *Non est*, inquit, *absurdum datam quoque philosophiam à diuina prouidentia, prius erudienti ad eam, quæ est per Christum perfectiorem.* satis indicat his verbis philosophicam exercitationem, esse quasi præludium, ac introductionem ad veram scientiam, quæ per Christum communicata est, & ob eandem causam eodem, lib. post medium, ait *philosophiam vocari ab Apostolo mundi elementa*, quia scientiæ cœlestis elementa quodammodo doceat, & sit velut disciplina præcedens veritatem: atque adeò, sicut, elementorum ignari disciplinis humanis perciendis sunt inhabiles, ita scientiæ naturalis expertes ad studium Theologiæ sunt inepti. Orig. hom. 15. in Gen. & lib. 2. contra Celsum, *Quid*, inquiens, *mali est eruditum esse, disciplinis optimis excoluisse ingenium, prudentẽ esse, & haberi? quid hæc obstant cognitioni Dei, an non potius conducunt ad consequendam veritatem?* idem argumentũ persequitur D. Basilius in quadã concione ad adolescentes, contendens omnium disciplinarum præsidia comparanda ab eo, qui diuinæ sapientiæ, hoc est Theologiæ, vult esse particeps quoniã illis præparatur animus, vt facilè cognitione veritatis imbuatur: quod egregia similitudine explicat, *Quemadmodum tinctores*, ait, *vbi præparauerint prius curationibus quibusdam, quodcunq; tandem fuerit, quod tincturã excipiet, ita tandem florem inducunt, siue purpura, siue aliud quid sit: eodẽ sanè modo etiam nos, si ineluibilis nobis permanere debet honesti gloria, externis vtiq; his præinitiati, deinde sacras & arcanas doctrinas audiemus, & assequemur: & velut in aqua solem videre assueti, sic ipsi luci oculos admouebimus.* Quibus verbis tangit optimum argumentum, nimirum, quia res diuinæ propter sublimitatem, atque excellentiam nõ possunt facilè percipi ab intellectu rudi, & minimè assueto contemplandæ veritati: ad quã rem multum cõducit bonarũ artium vsus, quo mens quodammodo acuitur, & exuit hebetudinem, ex crassis corporearũ rerum phantasmatis collectã: atque ita fit promptior ad cœlestia cogitanda. Quod optimè etiam prosequitur Clemens Alexand. lib. 1. stromat. consentiunt alij Patres Hieron. epistolis infra citandis, Greg. Nazianzen. in orat. 20. de laudibus Basilij & in Carmine ad Nicobulum, August. lib. 2. de doctrina Christiana, c. 40. & lib. 2. de ordine, c. 16. & 18. Theodoretus, lib. de fide, Ioannes Damascen. in logica, c. 1. Aponius, lib. 1. in Cantica in fine, dum explicat illa verba. *Posuerunt me custodem in vineis*: tandem glossa interlinearis super illud Leuit. 2. *Primitias tantùm eorum offeretis.*

Augustin.

Hieronym.

Dionys. Areopag.

Patres vtilitatem scientiarum humanarum prædicant.

Clemens Alexandr.

Origen.

Basilius.

Clem. Alex.

Hieronym.

Gregor. Nazianzen.

Augustin.

Theodoretus.

Damascen.

Aponius.

Glossa interlin.

V.

Quomodo humanæ scientiæ ad cognitionẽ diuinæ & reuelatæ veritatis sint vtiles.

Sed omissa auctoritate ad rationẽ veniamus. Humanæ scientiæ, liberalesque disciplinæ, aut sunt pernicios⁹æ veritatis reuelatæ indagationi quoniam fallaces sunt, vel quia licèt intra limites proprij obiecti veritatẽ cõsectentur, ad altiora trãslatæ periculo proximæ sunt, sicut parua cymba placido fluuio traijciendo vtilis est, tranando verò mari cũ maximo nautarũ, vectorumque periculo adhibetur. Primum nequaquã dici debet, vt rectè probant Clemens Alex. lib. 6. stromat, & Orig. hom. 18. in Num. & in prologo super Cantica, & alij

Clem. Alex.

Origen.

Ecclesiast. 1. Patres ex illo Ecclesiast. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est.* atque adeò nequit esse suapte natura pernicioſa, aut errorum mater, & altrix. Secundum verò timeri quidem potest, si scientias humanas aliquis ad res diuinas adhibeat, vt iudices, & reginas, non vt administras, sicut re ipsa adhiberi debent: Itaque in vsu illarum non est periculum, sed in abusu: Est autem maximus in scientijs abusus, si inferiores, ac subalternatæ de superioribus iudicent, & eorũ principijs non acquiescant: sicut, si perspectiua velit principia geometriæ in dubium reuocare, aut musica demonstrationes arithmeticas dijudicare: Theologia verò, vtpote summa sapientia, de lege in via, communicabilis est omnium scientiarum, & disciplinarum Regina, quarũ ipsa errores corrigit, vtitur verò opera ad suorũ dogmatum confirmationem: atque adeò si quis ijs non vtatur ad veritates Theologicas ex fidei principijs eruendas, sed ad ipsa principia, & fundamenta Theologiæ labefactanda, pernicioſus erit Christianæ reipublicæ, imò & ipsi Theologiæ, nõ quidem ex humanarum artium vsu, sed abusu: qui verò principia fidei supponens, adhibet humanas disciplinas, vel ad illorum explanationem, ac defensionem, vel ad inuestigationem veritatum, quæ ex ijs tamquã è fonte promanant, nihil periculi cõflat, nihil negotij facessit Ecclesiæ. Nõ respuunt sancti Patres scientias sæculares, vt pernicioſas, verùm vt vtiles expetunt; nam cùm diuina scientia tradatur iuxta captũ mentis humanæ, & consuetum nobis intelligendi, ac loquendi modum, oportet humanarũ scientiarum habere notitiam, quarũ terminos, & sacræ literæ, & sancti Patres frequenter vsurpant: Ideoque venerabilis Beda in lib. 2. Reg. cap. 9. in Samuelis allegorica expositione, & refertur in cap. turbat. dist. 37. *Turbat*, inquit, *acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis sæcularibus literis omni modo æstimat prohibendos: in quibus si qua inuenta sunt vtilia, quasi sua sumere licet.* Cur autem turbat acumen legentium? cur deficere cogit, nisi quia tollit instrumẽta discendi, & arcet aditu scalarum, quibus ad veræ, sapientiæ culmen ascenditur? Hoc sanè rectè animaduertit impius Apostata Iulianus, qui vt Christianos inermes, & expositos infidelium calumnijs obijceret, bonarũ artium studijs arcebat, vt ita sensim doctrina, & scientia Christianorum deficeret, vt narrant Socrates, lib. 3. hist. Eccl. cap. 12. & 16. & Sozomen. lib. 6. hist. tripart. c. 37. videant, qui harũ artium vsum Theologis interdictũ esse volunt, quẽ imitentur. Tantum abest, vt is vsus sit pernicioſus, vt Iulianus Christianæ religionis ruinam meditans hanc vnã illius perdendæ viam facillimam iudicarit, si eum Christianis interdiceret. Confirmatur, quoniam Theologia nõ semper ex vtroque principio reuelato procedit, sed frequenter principia naturalia in obsequium assumit: fieri verò nequit, vt intellectus principijs ignotis ad vlteriora discurrendo procedat: quare totum studium, quo etiam ex principijs naturalibus, sub fide sumptis, Theologiæ conclusiones deducuntur, erit inutile ijs, qui philosophiæ ignari sunt: at philosophi facilè progressus facient in studio veræ Theologiæ, quoniã nõ coguntur in singulis argumentis hærere in principijs, & dogmatis naturalis philosophiæ perdiscendis: exemplum esse possunt insignes Ecclesiæ doctores, qui ijdem insignes philosophi fuêre, quales Dionysij, Iustini, Basilij, Gregorij, Cypriani, Augustini, Hilarij.

Iulianus Apostata Christianos ab humanio rum literarũ studio remouet.

VI.

Philosophia naturalis & alia, Dei dona sunt.

Vt autem satisfiat obiectionibus initiò adductis obseruandum est philosophiam naturalem, & alias huiusmodi disciplinas in se spectatas esse Dei dona, & virtutes intellectuales, neque per se ad errorem, deceptionemúe dirigi, sed puram veritatem consectari: eas tamen non semper in sua puritate, sed multiplicibus errorum sentibus obductas hominũ animis inesse, quemadmodum magna ex parte apud infideles cognitio veritatis cum innumeris erroribus permista erat, vt obseruarunt Iustinus dialogo cũ Tryphone, & oratione parænetica. Origenes, hom. 18. in Numeros, & ex instituto ostendit Lactantius Firmianus lib. 3. diuinarũ institutionum, per totum, & Hermias philosophus Christianus in opusculo dicto *Philosophorum gentilium irrisio.* Cùm itaque sancti Patres philosophiam, aut alias humanas disciplinas criminantur, vt pernicioſas, inutiles, aut superfluas, non loquuntur de ijs, qua ex parte sunt habitus veri, & à Deo veritatis, & scientiæ omnis auctore originem habent: sed quatenus Dæmonum dolis, & hominũ imperitia solent esse sentina, & officina errorum: ita faciunt Orig. hom. 2. in Cant. ante medium, Hieronymus in regulis monacharum, cap. 11. Augustinus epist. 131. ad Memorium Episcopum, & lib. 2. quæstionum Euangelicarum, q. 33. Gregorius, lib. 18. moralium, cap. 27. alias 30. super illud Iob, in c. 28. *Non cõferetur tinctis Indiæ coloribus.* Quãdo igitur D. Paulus sapientiam huius mundi opponit veritati fidei, nõ intelligit philosophiam, quæ vera, sed quæ falsa docet: eodẽ quoque sensu Patres loquuntur.

Iustinus. Origen. Lactantius. Hermias.

Beda.

Origen. Hieronym. August. Greg. Magn.

Socrates. Sozomen.

Exponuntur dicta Patrũ.

tur. Et quidem, vt à D. Chryſoſtomo incipiamus, quamuis arma carnalia ſapientiam mũdi intelligat, & munitiones ſcientiæ Dei contrarias ſophiſmatum, ac Syllogiſmorũ robur, tamen loquitur de ſapientia mundi, quæ inimica eſt Deo, propter errorum ſocietatem, & de dialecticis ſophiſmatis, & Syllogiſmis captioſis ad decipiendũ aptis: quibus nec Deus vtitur ad fidei propagationem, & defenſionem, nec veritas reuelata cedit: quod ſi aliqui philoſophorum bonis artibus abutentes in perfidia permanebant, hominibus, non artibus, quæ bonæ, & vtiles ſunt, culpa aſcribenda eſt; & ita ipſemet Chryſoſtomus in caput primum prioris epiſt. ad Cor. eam philoſophiam reprobari cenſet, quæ fallax, inanis, & curioſa, non quæ vera, & vtilis eſt: eadẽ eſt ſententia Hieronymi loco citato, & Tertulliani, quamuis hic etiam intelligi poteſt de nimio, ac temerario ſtudio illarum ſcientiarum, abſque debita reuerentia fidei: quod quidem pernicioſum eſt, nec probandum, ſed ſobrium, ac moderatum, quale Theologi vſurpant, ita, vt primas partes habeat fides, ſecundas, ratio, ac doctrinæ humanæ, vt monet. S. Thom. q. 2. ſuper Boëtium de Trinitate, ar. 3. quã moderationem, quia nonnulli omiſerunt, euanuerunt in cogitationibus ſuis, & aberrauerunt à fide: ſed hæc, vt iam dixi, non diſciplinarũ eſt culpa, ſed hominum: & in hunc modũ reliqui Patres exponẽdi ſunt. Eodem modo D. Baſilius, & Chryſoſtomus, cùm aiunt Theologiæ ſtudioſum debere eſſe humanarũ doctrinarũ indoctum explicari debent, de ijs doctrinis, quæ olim apud mundi ſapientes erãt in pretio, nempè diabolicis, fallacibus, inanibus: nã veras, ac ſolidas, eſſe optimas diſpoſitiones ad ſuſcipiendam fidei, & Theologiæ doctrinam: idem met Baſilius aſſeruit citata concione ad adoleſcentes. Patres igitur ea diſcretione vtendũ cenſent, ſtudio externarum diſciplinarum, vt, quæ vera ſunt, probentur, quæ falſa omittantur: quod optimè proſequitur Hieron. epiſt. 146. ad Damaſum in medio. *Huius*, inquiens, *ſapientiæ typus, & in Deut. 21. ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur, de qua diuina vox præcipit, vt, ſi Iſraëlites eam voluerit habere vxorem, caluitium ei faciat, vngues perſecet, & pilos auferat, & cùm munda fuerit effecta, tunc trãſeat in victoris amplexus: hæc, ſi ſecundùm literam intelligimus, nonne ridicula ſunt? Itaque, & nos facere ſolemus, quando philoſophos legimus, quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſæcularis, ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrũ dogma conuertimus; ſiquid verò ſuperfluum de Idolis, de amore, de cura ſæcularium rerum; hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium more ferro acutiſſimo deſecamus*, ſimilia dicit epiſt. 26. ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ vxoris, & epiſt. 84. citata, & Ioannes Damaſcen. lib. 4. fidei, cap. 18.

Chryſoſt.

S. Thom.

Hieronym.

Damaſcen.

VII.

Secundum fundamentũ facilè ex dictis euertitur; namque Apoſtolus non monet Chriſtianos, ne per philoſophiã decipiantur, ſed ne decipiantur per inanem philoſophiam, ſupponens vtique eſſe philoſophiam nõ inanem, quæ ſuapte natura non ſit apta decipere: & de illa, non de hac loquitur, vt notat Clemens Alexandr. lib. 1. ſtrom. ante medium, & Hieronymus in c. 12. Oſeæ in initio, & in 1d Pſalm. 115. *Ego dixi in exceſſu meo, &c.* & in eodem ſenſu loquuntur Patres, non enim vera philoſophia, ſed inanis & falſa decipere, aut hæreſum cauſa eſſe poteſt. Ad argumentum verò in forma reſpondetur negando maiorem propoſitionem: nã licèt aliqui ad eum modum philoſophia abutantur, nõ tamen veri, ac boni philoſophi: proprius enim docendi, ac diſcendi ordo eſt, vt principia ſupponantur, nec rationis diſcurſu examinentur, aut in dubium reuocentur; atque adeò ij, qui principia fidei ſecundùm propriæ rationis menſurã, expendere, ac metiri volunt, non ſeruant methodum ſciendi, nec vtuntur, ſed abutuntur humanis diſciplinis. Ad tertium reſpondetur philoſophiam, ac cæteras humanas diſciplinas, ſi per ſe ſolæ conſiderentur, nõ poſſe perducere hominẽ ad ſupranaturalium myſteriorum notitiam cõſequendam: niſi enim crediderimus, nõ intelligemus, vt dicitur Eſai. 7. Verùm nõ propterea dicendas inanes, & inutiles: quemadmodũ inſtrumenta fabrilia, niſi applicentur ab arte, & manu, nihil omninò efficient, quia tamen motæ ab arte, poſſunt vſui eſſe operibus fabrilibus, non dicuntur inutiles: ſat itaque eſt vt inſeruiant intellectui fidei luce illuſtrato ad veritates alias perdiſcendas. Itaque D. Paulus inanem philoſophiam non appellat eam, quæ veritatum naturalium eſt indagatrix, ſed eam, quæ errorũ fuit inuentrix. Porrò Chriſtus Dominus Apoſtolos diuini Spiritus aſſiſtentia muniuit, quæ ſupplebat omnem alium defectum; & ſi modò omnibus adeſſet, haud quaquam indigeremus philoſophia, vel alijs humanis diſciplinis. Cùm verò Hieronymus ait, Chriſtum Dominum piſcatores eligendo reprobaſſe artẽ logicæ, atque Rhetoricæ, non intelligendus eſt abſolutè, & ad omnem euẽtum, ſed in promulgatione Euangelij, quam aſcribi noluit humanis artibus,

Clemens Alexand. Hieronym.

Duplex philoſophia inanis & vera.

aut

aut potentiæ sed diuinæ sapientiæ, atque virtuti: deinde verò temporis progressu non inhibuit, quo minus hæc ad Theologiæ studium adhiberentur: vt rectè notat S. Thom. q.2. Super Boëtium de Trinitate, ar.3. ad 1. Quamuis autē in sacris literis virtus omnis discatur, vt ait Cyrillus, non proinde ad hoc ipsum discendi studium inutilis est philosophia. Augustinus autem non negat eas facultates esse vtiles, sed puriores, & defœcatiores in Ecclesia, quàm extra illam reperiri contendit: cùm verò Clemens Alex. sentit omnia reperiri in doctrina fidei, nō est intelligendus quoad omnia, quæ in humanarū disciplinarū ambitu continentur; hoc enim est apertè falsum, sed quoad aliqua principia, & vsum: & ideò nō inutile est methodum, & artem ex naturalibus scientijs mutuari. Denique D. Chrysostomus non loquitur de perdiscenda Theologia, sed de fide suscipienda, ad quā parum, vel nihil conducere sentit humanā sapientiam: ratio verò est, quoniam mysteria supernaturalia, quę credenda proponuntur, superant captū nostrum, nec sunt expendenda secundùm principia naturalia, sed solùm credēda Deo reuelāti, ad quod parum facit humana sapientia: ad quē sensum videtur loquutus Ambrosius, lib.1. de fide, c.5. cùm ait, *Tolle argumenta, vbi fides quæritur.* de Theologia verò perdiscenda longè alia ratio est, quia enim nō sola diuina auctoritate nititur, sed nostro etiā discursu comparatur, ad eius studium omnia illa vtilia sunt, quæ discursum iuuare possunt, vel dirigendo instar regulæ, quod præstat dialectica, vel fulciendo admodum principij, quod est munus philosophiæ, quæ subministrat propositiones notas lumine naturæ, sub principijs fidei subsumendas ad Theologicæ conclusionis illationem.

S. Thom.

Ambros.

Tolle argumenta vbi fides quęritur, hoc quid sit.

Vsus Dialecticæ non abhorret à Theologo.

Caput VI.

I. HÆc est altera ratio, propter quam nonnulli calumniantur Theologiam Scholasticam. Quoniam tota, inquiunt, Syllogismis, & enthymematis scatet; ita vt potiùs ex Zenonis Porticu, quàm cœnaculo Apostolorū prodijsse videatur; potiùs dialecticam, quàm Euangelium sapiat. Nā doctrina Euangelica, & Apostolica, plano, ac simplici stylo tradita, firma, ac solida persistit ipsa veritate, & Spiritus sancti illustratione: at Theologia Scholastica perplexa est, & intricata dialecticis labyrinthis, ita vt sæpè exitum nō reperiat, & auditorum animis tenebras potiùs, quàm lucem afferat: quæ cùm totū ferè discrimen Theologiæ Scholasticæ ab antiqua consistat in vsu artis dialecticæ, pernicioſa potiùs, quàm vtilis censenda est Ecclesiæ. Quin verò omnem vsum dialecticæ contrariū esse Ecclesiasticæ disciplinæ dicebat Cresconius Grammaticus, vt refert Aug. lib.1. contra eundem, c.13. Id verò probatur. Primùm auctoritate Patrum, qui dialecticæ vsum damnant vt pernicioſum: In primis Clemens Alexandr. lib.1. stromat. satis ante medium tractans illud Pauli 2. ad Timoth. 6. *Languens circa quæstiones, & verborum pugnas. Vides*, inquit, *quomodo in eos inuectus sit, logicam, quæ in sermone versatur, eorum artem morbum appellans: propter quam se efferunt, & magnificè circumspiciunt, quibus est hæc ars garrula, & improba, siue sint Græci, siue Barbari Sophistæ.* Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreses, c.7. Origenes, homil.4. in Exodum de decem plagis Ægypti per plagam cinyphum, intelligens artē dialecticam, quod ex Origene etiam docet Hieronymus in id Psal.104. *Et cinyphes in omnibus finibus eorum.* Et in Psal. 144. explicans illa verba, *Non est ruina maceriæ, neq; transitus*, de hæreticis, qui catenulis dialecticis veritatem conclusam tenent. Ambrosius, lib. de incarnationis Dominicæ sacramento, c.9. & lib.4. de fide, c.4. Dialecticam damnat, & lib. 1. de fide, c.3. sic habet, *Nō in Dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum, regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.*

Clem. Alex.

Tertullian.

Origenes.

Hieronym.

Ambrosius.

II. Deinde ratione. Aut vsus dialecticæ inseruit Theologo ad sacrarum literarum expositionem, & dogmatum Catholicorum explicationem, ac defensionem, aut ad acquisitionem nouæ alicuius notitiæ de obiectis non reuelatis: ad nihil horū vtilis est, ergo frustra adhibetur à Theologo. Assumptio quoad primā partē ostenditur, tū quia sacrę literæ eodē spiritu, quo dictatæ sunt, intelligi debent, ac exponi; Ideò enim in primitiua Ecclesia inter alia dona gratiæ erat Spiritus prophetiæ, qui prophetarū mentes illuminabat, nō solùm vt futura prædicerēt, sed præcipuè, vt mentē, ac sensū sacrarū literarū interpretarentur: de hoc.n. modo prophetandi loquebatur Apostolus, cū 1.ad Cor.14. optabat vt oēs propheraret, vt ibidē notat S. Thom. lect. 1. & alij interpretes. Quare cùm prophetia & omnis Scriptura sacra, nō Spiritu humano, sit allata, sed diuino, vt ait Pet.1.ep.c.1. ad sacrarum literarum explicanda sensa,

Spiritus prophetiæ in primitiua Ecclesia ad quid esset vtilis.

1. ad Cor.14

S. Thom.

1. Pet.1.

Qui & quot patres dialecticam in Theologia damnant.

non

nõn erit vſui dialectica, quæ eſt inuentum rationis humanæ. Accedit quod interpretatio Scripturæ non nititur diſcurſu, ſed linguarum peritia, notitia propriæ phraſis eius, qui ſcripſit, & alijs, quæ potius ſpectãt ad eruditionem humanam, quàm argumentandi diſciplinam. Secunda pars eiuſdem aſſumptionis ſuadetur: nã dogmata Chriſtiana per ſe à Deo reuelata, ſuperant captum humanæ intelligentiæ iuxta illud *Eccleſiaſt. 3.* Eccleſiaſtici 3. *Plurima ſuper ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi*: ad hæc autem explicanda nequaquã inſeruit induſtria humana abſque lumine diuino: non enim aliter ſe habent ad lumen naturale, ac liber ſcriptus propoſitus neſcienti literas: tota vis autem logicæ pendet ex lumine naturali intellectus: ergo nequit inſeruire declarãdis fidei myſterijs; & conſequenter neque tuendis: nam quæ ratione defenduntur, opus eſt, vt priùs intellecta percipiantur: atque adeò ſi dialectica facultas nihil conducit ad perçipienda & explicanda fidei myſteria, neque ad ea tuenda vtilis erit. Tertia denique pars oſtenditur, quoniam obiectum nouæ illius notitiæ, quam dialecticæ vſu Theologus acquirit, aut continetur intra limites obiecti connaturalis intellectus humani, aut ſupra illud eſt: ſi continetur ſub illo, talis notitia, vtpote merè connaturalis homini, non pertinet ad Theologum: ſi eſt ſupra illud, nõ ſatis eſt dialectica, quæ non niſi naturalium ſcientiarũ inſtrumentum eſt: ergo ex hac parte nõ eſt neceſſaria, aut vtilis Theologiæ. Vltimò regulæ dialecticæ plurimis in rebus ſunt contrariæ fidei, maximè illæ, quę pertinent ad ſyllogiſmos expoſitorios: exempli cauſa quod ex duabus affirmatiuis in tertia figura rectè colligatur ſingularis affirmatiua: nam ſiquis ea vtatur in terminis diuinis, inferet hæreticam concluſionem.

III. Vſus dialecticæ decet Theologũ.

Dicendum nihilominùs vſum dialecticæ nõ eſſe Theologo indecentem, aut pernicioſum, ſed maximè vtilem, ne dicam neceſſarium. Auctores huius aſſertionis habeo Patres, qui moderatum vſum diſſerendi commendant: & à viro Eccleſiaſtico, & ſacræ doctrinæ ſtudioſo negant eſſe alienum. Ita Origenes homil. 11. & 15. in Geneſ. Nazianzenus in carmine ad Nicobulum, Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. & 36. & lib. 1. contra Creſconium à cap. 13. Damaſcenus, in logica, c. 1. Petrus Damianus, epiſt. 4. de Dei omnipotentia, cap. 5. Lantfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis lib. de Euchariſtiæ ſacramento paulò poſt principium, qui habetur tom. 6. Bibliothecæ ſanctorum Patrum, Clemens Alexandr, & Hieronymus mox citandi, Caſſiodorus de inſtitutione diuinarum Scripturarum lib. 2. c. 27. Quin verò ipſamet ſcriptura Spiritus ſancti ſcripta digito ad vſum diſputandi hortatur: nam, vt tradit Clemens Alex. lib. 1. ſtrom. ad finem, *Meritò ergo Scriptura quoque tales nos eſſe volens dialecticos ſic hortatur, efficiamini autem probi trapezitæ, alia quidem reprobantes, quod autem bonum eſt tenentes: hæc enim reuera dialectica eſt prudentia prædita vi diuidendi ea, quæ percipiuntur intelligentia: aut facultas, quæ verſatur in rerum generibus diuidendis, deſcendens vſq; ad ea, quæ ſunt maximè ſpecialia, præbens vnumquodq; eorum, quæ ſunt, intuendum quale ſit. Quocirca ea ſola veluti manu ducit ad veram ſapientiam.* Origenes etiam lib. 6. contra Celſum paulò poſt principium, *Ipſa Scriptura diuina nos hortatur ad dialecticam alicubi Salomone dicente: Eruditio rationibus non examinata decipitur; alicubi huic atteſtante auctore libri ſapientiæ Ieſu Sirachi filio, ſcientia*, inquit, *inſenſati eſt ſermo carens examine.* Idem docet Auguſtinus, lib. 1. contra Creſcon. cap. 14. vbi illud Eſaiæ 1. *Venite, & arguite me dicit Dominus.* ipſe legit, *Venite diſputemus.* Et ideò Creſconium reprehendit, qui, quod omnes iuſti cum Deo faciunt ipſo inuitante, nõ imitetur ſapiente pietate, ſed inſulſa temeritate criminetur. Non ſolùm autem Scriptura ad vſum dialecticæ hortatur, ſed etiam ipſa non rarò dialecticæ documenta vſurpat. Hieronymus epiſt. 103. ad Paulinum ait Iob omnes leges dialecticæ, propoſitione, aſſumptione, confirmatione, concluſione, determinare, & epiſt. 155. ad Paulam vrbicam de interpretatione alphabeti Hebraici initio docet logica, & arte dialectica vti Cantica, Euangelia, & Paulum: quin & ipſe Chriſtus Dominus vſus eſt dialectica, vt tradit Auguſtinus lib. citato. c. 17. Quis enim neſcit illum ſæpè logica vſum fuiſſe, ſiue in ſua doctrina tradenda, ſiue in Phariſæorum ſophiſmatis diluendis? quid illud eſt Matthæi 7. *Si ergo vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater veſter dabit Spiritum bonũ petentibus ſe?* Quid illud ad Phariſæos Matth. 22. *Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt?* Sanè argumenta ſunt non ſolùm ex ſapientia Theologica, ſed ex logicæ viſceribus eruta. Quid illud cum Phariſæis obijcientibus Ioan. 8. *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* reſpondit, *Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, vos autem inhonoraſtis me.* Quid, inquam, hoc erat aliud, quàm vſus dialecticæ diſſipantis eorum ſophiſmata,

Ecclesiaſt. 3. *Origenes.* *Nazianzen.* *Auguſtin.* *Damaſcen.* *Pet. Damian.* *Lantfranc.* *Clemens Alexand.* *Hieronym.* *Caſſiodor.* *Origenes.* *Auguſtin.* *Eſai. 1.* *Hieronym.* *Auguſt.* *Matth. 7.* *Matth. 22.* *Ioan. 8.*

mata, tamquam araneorum telas redarguendo fallaciam consequentis, quoniam ex eo, quod dixerat eum, qui ex Deo est verba Dei audire, ipsos verò propterea non audire, quia ex Deo non erant, potius erat consequens ipsum quærere gloriam Patris, quàm esse à maligno Spiritu possessum. Paulum item disputatione dialectica vsum ait D. Augustinus, lib. citato, c. 14. & Apostolis Christum præcepisse dialecticæ vsum docet Ambrosius super illa verba Christi Luc. 5. *Laxate*, inquiens, *retia vestra in capturam, quæ sunt*, inquit, *Apostolorum, quæ laxare iubentur, retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos cœperint, non amittant?* Iam verò antiquos Patres, qui pensiculatè perlegerit, reconditam philosophiæ supellectilem, & frequentè dialecticæ vsum facilè animaduertet: ita de Basilio testatur Nazianzenus in oratione de laudibus ipsius: vnus Augustinus testimonio esse potest, cuius artè differendi cum diuina sapientia coniunctam hæretici omnes pertimescebant: denique ne in re perspicua diutius hæream, in Concilio Florentino in disputatione habita inter Græcos, atque Latinos, cùm vtrique easdem Scripturas canonicas, & Patrum dicta reciperent, Latini Theologica disputandi methodo, & arte dialectica instructi, apertè Græcos cõuicerunt ex Scripturis, ac Patribus manifestè deduci dogma Catholicum, de processione Spiritus sancti non solùm à Patre, sed etiam à Filio: quem probandi modum ferè omnes Patres obseruarunt, qui contra hæreticos scripserunt. Quomodo enim aliter, quàm arguendo probari potest veritas ex Scriptura, quam alter recipit, sed falsò interpretatur?

Augustin. *Ambros.* *Nazianzen.* In Concilio Florentino, Latini Græcos superarunt arte dialectica.

IV.

Ratione verò sic ostenditur: dialectica est instrumentum sciendi: ergo non est indecens, aut pernicioſa Theologo. Antecedens cõmuniter traditur à philosophis, Platone, Aristotele, & eorum sequacibus; recipitur ab ipsis Patribus, ac Doctoribus Ecclesiæ; & ratione ipsa patet. Nam scientia non aliter, quàm differendo gignitur, normas autem, ac regulas differendi tradit ars dialectica, cuius proinde præcipuum subiectum est demonstratio, quæ est Syllogismus faciens scire. Consequentia verò constat, quandoquidẽ eum, quem non dedecet aliqua operatio, vel finis operatione acquisitus; non dedecet etiã instrumentum operandi: atqui Theologum non dedecet scientia rerum diuinarũ proprio studio acquisita: ergo neque dedecebit ars dialectica, quæ est illius comparandæ instrumentum. Non esse verò pernicioſum constat, quoniam vtilitas, aut incommodũ instrumenti, expendi debet ex per se fine illius, nõ verò ex fine, & per accidẽs ipsius vtentis: nam gladius, & cætera arma nõ dicuntur pernicioſa reipublicæ, quamuis aliqui ijs abutantur ad ciuium perniciem, quia ex proprio fine diriguntur ad ciuium tutelam, & hostiũ internecionem: at proprius finis dialecticæ quatenus est instrumentum intellectus, est facere scire: quare, licet aliqui abutantur illa ad deceptionem, non est propterea pernicioſa iudicanda. Quod verò vsus dialecticæ Theologo sit maximè vtilis, facilè ostenditur ex fine, à quo utilitas instrumenti sumi debet. Nã Theologi proprium munus est fidem nutrire, ac tueri iuxta sententiam Augustini, lib. 14. de Trinitate, cap. 1. id verò præstat docendo, & arguendo, quod munus doctrinæ inspiratæ diuinitus vult esse Apostolus, 1. ad Timoth. 2. docendo quippe nutritur, ac roboratur fides in animis paruulorum, arguendo vero errores hæreticorum contra ipsorum tormenta, defenditur.

Augustin.

Ratione probatur dialecticæ vsus.

V.

Proprium quoque Theologi est, verum dogma à falso discernere, latentes veritates & immediatè non reuelatas ex reuelatis elicere. Ad hæc autem omnia perutilis, ac necessarius est vsus, ac methodus dialecticæ: ergo etiam est ad Theologiam. Assumptio ostenditur, & in primis quoad vltimum eius membrum, quoniam omnis indagator veritatis in examen adducat, necesse est rationum momenta, quæ in vtramque partem occurrunt, alioquin non acquiretur vera, sed falsa, ac sophistica scientia iuxta illud Ecclesiast. 21. iuxta lectionem Origenis vbi supra, *Scientia insensati est sermo carens examine*: hoc autem non aliter aptius fit, quàm vtendo argumentorum formis, quasi bilancibus stateræ intellectricis, vt ita perspiciat interno mentis intuitu in vtram partem lanx propendeat, & quo veritas inclinet: quod sine methodo logica præstari difficilè est, vt docet Augustinus, lib. 3. contra Academicos, cap. 13. & lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 36. nam tumultuarijs, & artis, ac ordinis expertibus disputationibus, veritas potiùs occulitur, quàm inuenitur. Oratorius verò agendi modus, cùm non solùm veritatis scopum intueatur, sed motus animi varios, & delectationem auditorum, plerumque veritatem obumbrat tropis, ac figuris; nec facilè ex vna re expeditur, potiusque in verbis quàm in rebus hæret: Ideoque, vt notat Augustinus.

Theologi officium proprium quale sit.

Eccl. 21. *Origenes.* *Augustin.* *Augustin.*

lib. de principijs dialecticæ, cap. 7. quamuis *nec disputationem deceat esse ineptam, nec eloquentiam oporteat esse mendacem, tamen in illa sæpè, at q; adeò penè semper audiendi delicias discendi cupido contemnit: & in hac imperitior multitudo, quod ornatè dicitur, etiam verè dici arbitratur.* At Theologia cum pro obiecto habeat tot, ac tãta mysteria, quibus explicandis multùm temporis opus est: si oratorio dicendi modo vteretur, nunquam finem intentum assequeretur. Argumento huic rei esse potest, quod ij Patres, quibus hic agendi modus familiaris non erat, quamuis alioquin doctissimi, atque ingeniosissimi, non omnes Theologiæ partes suis commentarijs illustrarunt, sed alij alias: at Augustinus, cui fuit hic vsus familiarior, longiùs progressus est. Theologi verò Scholastici hac methodo instructi, quemadmodum singulas quæstiones breuiùs, atque enucleatius expedire; ita vniuersam Theologiam breui stylo complecti potuerunt. Deinde quod attinet ad aliam partem de docenda ac tuenda fide, res est manifesta: nã breuitas, ac distinctio in tradenda doctrina est compendiaria via ad scientiam: sine dialectica verò nec breuitas, nec distinctio teneri potest, ad quas requiritur maximè vsus diuisionum, diffinitionum, & enthymematum, quæ sine dialectica vix possunt vsurpari: iam verò ad tuendam veritatem fidei, & hæreseon falsitatem impugnandã nemo absque dialecticæ armis idoneus erit: quomodo enim sophismatũ laqueos euadet, si nesciat bonam à mala consequentia discernere? quomodo poterit aduersarium conuincere, si formas differendi ignoret? vndè rectè

Clem. Alex. Clemens Alexand. lib. 6. strom. circa medium. *Sed neque,* inquit, *astutas, & callidas pertimescet orationes qui eas potest discernere ad interrogandum, & rectè respondendum: est enim dialectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur à Sophistis.* Quare cum bonus

ad Tit. 1. doctor secundum sententiam Pauli ad Titum 1. talis esse debeat, *vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere,* necessaria illi est methodus differendi, logica. Etenim, vt rectè

Augustin. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 31. agens de vtilitate logicæ, *Disputationis,* inquit, *disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda, & dissoluenda, plurimùm valet.* Et proinde verus Theologus, non sola auctoritate vtitur, sed ratione; nam plerumque contingit disputatio cum Ethnicis, qui nullã auctoritatem recipiunt: plerumque cum hæreticis, qui, licet recipiant, prauè interpretantur: hic se exerat ratio necesse est, & ministerio dialecticæ vtatur ad auctoritatis interpretationem, ac defensionem. Quare idem Augustinus epist. 56. ad Dioscorum, cùm dixisset Christum Dominum arce auctoritatis Ecclesiã muniuisse, subiungit: *Et per pauciores piè doctos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus etiam inuictissimæ rationis armauit.* Sed non opus est longo discursu, & auctoritate ad rem manifestam ostendendam, quo nos labore liberauit idem Augustinus lib. 1. contra Cresconium à cap. 13. vsque ad vigesimum vbi id fusè probat, & tandem cap. 20. concludit: *Hanc enim artem, quam dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quàm consequentia demonstrare, seu vera veris, seu falsa falsis, nunquam doctrina Christiana formidat: quod si illam non formidat in aduersarijs, quomodo timebit in suis?* liquidem non est aliud, quàm peritia disputandi; qui autem disputat, vt ait idemmet Augustinus eodem lib. cap. 15. verum discernit à falso. Itaque dialectica in manu Theologi est quasi ventilabrum in manu agricolæ, granum à paleis secernentis, ita enim Theologus disputando falsas, & inutiles opiniones, à veris, pijs, vtilibusque discernit: illas refutans, has amplectens, & in horreum Ecclesiæ recondens, non vt decipiat, sed vt pascat, ac reficiat pauperes, & inopes, qui indigent pane doctrinæ.

Augustin.

Disputationem non decet esse ineptã nec eloquentiam mendacem.

VI.

Sophistica dialectica à Patribus reprehensa, nõ vera.

Auctoritates Patrum in contrarium adductæ intelligi debent non de vera dialectica, sed sophistica, quam antiqui sophistæ ad decipiendũ potiùs, quàm docendum vsurpabant vt loco citato expresè docet Clemens Alexandr. affirmans eandem à Platone, & Aristotele fuisse damnatam: similiter Tertullianus, vt colligitur ex ipsius verbis, sophisticam damnat, quam vocat *Artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententijs coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, nequid omninò tractauerit.* Quæ omnia sophisticæ, non veræ dialecticæ conueniunt. Eadem ratione Ambrosius de sophistica loquitur, illo enim cap. 3. ita eam definit, *Quæ non astruendi vim habet, sed studium destruendi.* Idem dicendum de Origene, & Hieronymo, qui alibi vsum veræ dialecticæ valdè probant vt visum est. Præter quos Patres, multi alij in sophisticam dialecticam inuehuntur, quasi in præcipuum instrumentum, quo hæretici errores suos tuentur: ita Theophilus Alexandrinus Episcopus contra Apollinaristas, epistola Paschali prima paulò post

Tertullian.

Ambros.

Theophil. Alexand.

princi-

Aponius.

principium, & Aponius lib. 1. & 4. in Cantica ad finem. Eam verò, quæ eſt differendi doctrina, & diſputandi normas præſcribit, Patres vſurparunt, & Theologiæ vtilem iudicarunt, vt conſtat ex dictis: quæ ſi adhibeatur ad res ſacras, non eſt cur Theologia ad porticum Zenonis potiùs, quàm Salomonis, aut Apoſtolorum cœnaculum pertinere videatur: nam facultas non æſtimatur ex inſtrumento, ſed ex fine, & materia, ad quam eius vſus applicatur: Siquidem metaphyſica, & philoſophia naturalis, logica vtuntur: & tamen quia illâ vſurpant ad diſputandum de obiectis diuerſis, ipſæ diuerſæ ſunt, nec philoſophus de ente mobili diſputans, aut metaphyſicus de rebus materiæ expertibus, quia logica vtitur, res logicas tractare dicitur: ita Theologus ad tractationem de rebus ſacris, ac diuinis methodum differendi vſurpans, non ad porticum Zenonis, ſed ad cœnaculum Chriſti pertinet.

VII. Dialecticæ vſus ad quid inſeruiat Theologo.

Primum argumentum poſtulat, vt oſtendatur ad quid vſus dialecticæ inſeruiat Theologo; id verò iam patet ex ſuperioribus: vtilis enim eſt ad inferendas concluſiones ex reuelatis, ad tuendam eorum, & fidei veritatem contra rebelles, ac peruicaces: idque dupliciter, vel diſſoluendo ipſorum rationes, & argumenta, quæ peccant in forma: vel ipſos arguendo, & conuincendo, ex conceſsis deducendo ad impoſsibile, & pluribus alijs modis, qui traduntur in dialectica. In forma itaque concedenda eſt ſimpliciter maior; nam quamuis vnius tantùm loci expoſitio dialecticæ vſum non exigat, totius tamen ſacræ paginæ interpretatio, quam Theologus profitetur, eam expoſcit, vt agnoſcat antecedentia, conſequentia, repugnantia, & cætera, quæ requiruntur ad conciliationem locorũ primo aſpectu repugnantium, & doctrinæ conformitatem. Neganda itaque eſt aſſumptio. Ad confirmationem verò primæ partis reſpondeo prophetiam aliam eſſe ænigmaticam, & metaphoricam, cuius proprius ſenſus latet; & ad huius quidem veram, ac propriam declarationem, opus eſſe eodem, quo ſcripta eſt Spiritu; aliam verò planã proprijs verbis conſtantem: ad cuius interpretationem maiori ex parte neceſſaria eſt Spiritus ſancti gratia, & auxilium: verùm non requiritur lumen propheticum, ſed ſat eſt lumen fidei, cum peritia linguarũ, doctrina Theologica, & ingenij acumine, cum propria induſtria, ſtudio, ac labore, vt ſcimus contigiſſe pluribus interpretibus ſacrarum literarum, propriũ verò ſtudium, ac lumen naturale intellectus plurimum iuuatur ab arte dialectica. Etenim quamuis ad ea, quæ à ſolo Deo ſunt, non ſit opus arte humana, vt videre eſt in prophetia, cuius illuſtrationi recipiendæ, ac intelligendæ ars non inſeruit humana: quamuis interdum inſeruire poſsit ad excludendam contrariam diſpoſitionem, & aptandas potentias ſenſitiuas, vt contigit Prophetæ Eliſæo, qui ad hoc iuſsit afferri pſaltem, & in media auditione muſici concentus illuſtratus eſt ſpiritu prophetico, vt narratur, lib. 4. Regum, cap. 3. ijs tamen perficiendis, quæ ex humana induſtria dependent, plurimùm conferunt auxilia naturalium diſciplinarum. Ad confirmationem eiuſdẽ partis patet reſponſio ex dictis: non enim agimus de interpretatione vnius loci, ſed vniuerſæ Scripturæ, ad quam non ſolùm linguarũ peritia, ſed etiam dialectica opus eſt. Ad ſecundæ partis confirmationem reſpondeo myſteria reuelata per ſe ſuperare captum mentis humanæ, atque adeò ſine fide intelligi non poſſe iuxta illud Iſaiæ 7. *Niſi crediderit is non intelliget is.* fide tamen ſuppoſita, qua lumen naturale intellectus eleuatur, poſſe & intelligi, & defendi quãtum patitur ineuidentia fidei: nõ enim idcirco dicuntur excedere captũ mentis noſtræ, quia nulla ratione percipi ab ea poſsint: ſed ſolùm quia intellectus ſolis naturæ viribus non poteſt ad eorum notitiam peruenire: quemadmodum itaque poſita fide, ipſa vis naturalis intellectus fit proportionata ijs percipiendis, ita etiam ad hoc ipſum iuuatur arte, atque vſu dialecticæ. Ad confirmationem partis vltimæ danda eſt ſecunda pars diſtinctionis: nam, tametſi Theologicus diſcurſus, interdum ſit etiam de ijs, quæ aliàs naturali lumine intellectus agnoſci poſſunt, ſi ea deducat ex reuelatis, & vt ita deductis aſſentiatur: tamen per ſe propriè non eſt niſi de obiecto ſupranaturaliter agnoſcibili, ſaltem ratione principiorum, hoc eſt, propoſitionum reuelatarum: ex quarum aſſenſu procedit animus ad aſſenſum concluſionum. Ad huius autem impugnationem negandum eſt antecedens: etenim dialectica non ſolùm eſt inſtrumentum ſcientiarum naturalium, ſed etiam ſupernaturalium quoad principia, ſimilium tamen quoad modum diſcurſus: qualis eſt Theologia, quæ tametſi ratione principiorum participet aliquem ſupranaturalitatis modum, vt infra videbimus, quoad methodum tamen differendi ijſdem vtitur regulis, ac principijs, queis ſcientiæ naturales vtuntur. Ratio verò, cur dialectica

4. Reg. 3.

Eſai. 7.

Theologia quomodo requirat dialecticam.

Dialectica eſt inſtrumentum Theologiæ.

inseruiat vtrisque est: quoniam ipsa non considerat vllam materiam in particulari; sed solùm formam differendi, & ideò, siue materia sit naturalis, siue supranaturalis, adhiberi potest, vt regula formæ differendi.

VIII. Alterum argumentum facilè soluitur dicendo normas logicæ benè intellectas, nequaquam fidei aduersari: nec ijs seruatis concludi posse aliquid, illi repugnans. Quod verò obijcitur de regula probante syllogismum expositorium ex duabus affirmatiuis in tertia figura, non est huius loci explicare, sed pertinet ad materiam de Trinitate: illud certum est, si regula probè intelligatur, non posse tali syllogismo ex antecedente vero inferri consequens falsum, vt tradunt iuniores summistæ. vide Petrum Fonsecam lib. 6. institutionum dialecticæ, cap. 23. & 24. *Fonseca.* Ad id verò quod additur, nempè dialecticam captiosam esse, ac deceptoriam; respondetur id non habere ex se, cùm sit ars indagandæ veritatis, sed ex vitio sophistarum abutentium præceptis bonis ad malum finem. Verùm in his fortè longiùs, quàm par erat fum progressus: sed velitationes solent initio pugnæ præmitti: deinceps agendum pressius pedem pede, rationem ratione conferendo, quæ est methodus Scholastica in Theologicis disputationibus obseruanda: ad quas iam fauente numine & gratia Domini nostri Iesu Christi, & sanctissimæ Matris Mariæ, ac reliquorum cœlitum præsidio fretus accedo, solam Dei gloriam, & veritatem præ oculis habens: à qua ne vmquam falsò delusus aberrem faxit ille, qui corda illuminat, Spiritus veritatis.

Habitus propriè Theologicus, non est declaratiuus.

Caput VII.

I. QVoniam Theologiam, cuius vtilitatem, & necessitatem ostendi, & de qua hoc libro proœmiali sermo erit, non omnes eodem modo accipiunt, óperæpretium erit explicare ex varijs habitib⁹ quos diuersi Theologi tradunt, quidnã potissimũ Theologiæ nomine censeatur. Theologiam verò definiunt doctores communiter descriptione sumpta ex verbis D. Augustini, lib. 14. de Trinitate, cap. 1. in hunc modum: *est scientia, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* quæ quidem *Augustin. Quid sit Theologia.*

non est propria definitio, sed declaratiõ quædã per id, quod accidit scientiæ Theologiæ, vt ex dicendis constabit. Hoc vnum ex D. Augustini sentẽtia colligitur; Theologiam habere habitudinem aliquam ad fidem: qua de causa etiam alibi eam appellat scientiam fidei, vt refert Aureolus, qu. 1. prologi art. 2. *Aureol.* Porrò ad fidem multi habitus habere possunt habitudinem, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter. Quidam enumerant tres, vt Durandus, q. 1. prologi, num. 6. 7. & 8. Alliacens. q. vn. prologi, art. 3. lit. DD. & Marsil. q. 2. art. 2. notabili. 3. primus est habitus fidei infusus, quo creduntur ea, quæ sunt reuelata in Scriptura. Secundus, quo eadem defenduntur, & declarantur. Tertius, quo assentimur conclusionibus deductis ex articulis fidei. Alij distinguunt quinque, vt Bassolis, q. 5. prologi, art. 3. §. vltimo. *Durand. Alliacens. Marsil. Bassolis.*

II. Verùm ex definitione Augustini possunt colligi quatuor habitus saltem formaliter, & quoad actus distincti, nempè declaratiuus, probatiuus, defensiuus, deductiuus. Etenim fides continetur sacris literis, quæ sunt testimonia loquentis Dei primæ veritatis sigillo consignata: ideoque ad credendum necessaria est perceptio veri, ac literalis sensus, qué Spiritus sanctus intendit diuinas Scripturas inspirando: hic verò non est apertus sed profundus, & obscurus: neque simplici lectione deprehendi potest, vt ostendam tractatu de locis Theologicis cap. 6. ex quo iam se ostendit habitus aliquis fidei in aliorum animis gignendæ præuius, ac necessarius in docente, quem Theologi appellant fidei declaratiuum. Quoniam verò fides est de rebus nõ visis, arduis, & supra captum humani intellectus, quæ carnales homines, & infirmi obscuratum habentes cor sensibilium rerum similitudinibus, non facilè credunt, frequenter oportet adhibere rationes aliquas, saltem probabiles, similitudines, & exempla, quibus fidei veritas comprobetur: qua ratione D. Paulus cum gentilibus agens, ad eos conuincendos poëtarum etiam dictis, ad veritatis, quam prædicabat, confirmationem vtebatur: ad cuius rei facultatem requiritur habitus, quem nonnulli Theologi probatiuum appellant. Deinde verò, quoniam non omnes obediunt Euangelio, sed repugnant: nam mysterium crucis philosophis, ac sapientibus huius mundi nolentibus captiuare intellectum in obsequium fidei, & ea, quæ Dei sunt, ad proprij intellectus mensuram exigentibus, stultitia esse videtur: & ideò quia *Quatuor habitus Theologici in ipsa Theologia insunt.*

doctrina

doctrina fidei habet multos oppugnatores, opus est habitu, quo Theologus fidei veritatem defendere possit, & eos, qui contradicunt arguere: id verò fit argumentis ipsorum satisfaciendo, cui muneri præstando requirunt aliqui Theologi habitum, quem appellant defensiuum. Denique non omnia per se formaliter, atque immediatè reuelata sunt: sed implicitè, ac virtute in principijs, ex quibus deduci possunt: ex principijs enim fidei non minus, quàm ex notis lumine naturæ, conclusiones elici, & ostendi possunt: idcirco datur alius habitus, quem deductiuum vocant. Ex his quatuor habitibus primum indicauit Augustin. cùm dixit scientiam Theologicam esse, qua *fides gignitur:* explicatione enim, ac propositione obiecti reuelati dispositiuè gignitur fides, iuxta illud Pauli ad Roman. 10. *Quomodo credent sine prædicante?* secundum, cùm dixit *roboratur,* nam rationes, similitudines, & exempla, quæ ad fidei confirmationem adducuntur, fouere, ac roborare solent infirmam fidem paruulorum in Christo: & idcirco horum præcipuè vtilitati inseruit habitus probatiuus. Tertium verbum illud *defenditur,* vt per se patet. Quartum denique indicauit verbo *nutritur*; nam habitus deductiuus inclinando intellectum ad assensum eorum, quæ non sunt per se reuelata sed ex reuelatis deducuntur, fidem auget, & nutrit, vt rectè notauit Capreolus, qu. 1. prologi, art. 2. ad 4. Aureoli contra 5. conclusionem.

Ad Rom. 10.

III. An hi quatuor habitus sint habitus distincti.

An verò omnes hi habitus sint re ipsa distincti, inferiùs constabit, postquam singulorum discrimen assignabitur: constat tamen ferè inter omnes, non esse vnicum solùm habitum, qui sit facultas ad omnes actus numeratos. Fundamentum est, quoniam habitus omnino idem non est principium primæ, secundæ, & tertiæ operationis: sed inter actus superius enumeratos, alij ad primam alij ad secundam, alij denique ad tertiam operationem pertinent; ergo nequeunt immediatè omnes ab eodem habitu proficisci. Maior propositio per se patet, quoniam alioquin ad eundem actum specie per se inclinarent habitus oppositi, vel saltem specie differentes: quod est absurdum, quoniam habitus distinguuntur per actus. Sequela ostenditur, quoniam notitia terminorum eadem potest inseruire actui erroris, scientiæ, fidei, & opinionis, qui omnes distinguuntur specie, & priores duo sunt contrarij, ergo si idem habitus inseruit apprehensioni terminorum, & iudicio: apprehensio terminorum eiusdem speciei erit ab habitibus contrarijs, vel distinctis specie. Accedit, quòd nullus habitus adhæsiuus, inclinans ad assensum mentis, gignitur in nobis ante secundam operationem: atque adeò cùm habitus naturales solùm inclinent ad actus similes ijs, à quibus gignuntur, nullus habitus adhæsiuus inseruiet apprehensioni terminorum, sed necessariò supponet facultatem aliquam distinctam, qua mens percipiat interpretationem, & notionem terminorum: quod videre est in omnibus scientijs, & habitibus adhæsiuis: omnes enim supponunt apprehensionem terminorum. Quæ doctrina apud eos, qui distinguunt habitus adhæsiuos ab speciebus impressis, est omninò vera, atque indubitata: quandoquidem ad apprehensionem sufficiunt species, ad assensum verò vlterius requiritur habitus inclinans. Apud eos autem, qui in solis speciebus constituunt rationem habitus intellectualis, idem quoque dicendum est: nam cùm eadem species creata inseruire nequeat multarum rerum cognitioni, plures omninò esse debent: imò & sub diuerso ordine, ac dispositione, qua perficitur ratio habitus scientifici iuxta hanc opinionem: aliter enim coordinantur species ad apprehensionem, aliter ad iudicium, ac discursum. Itaque in omni opinione constat non esse vnicum habitum Theologiæ, quo habilitetur animus ad omnes actus intelligendi obiecta Theologica supra enumeratos. Porrò aliquem ex ijs habitibus, distingui saltem formaliter à fide, communis est sententia doctorum, sumpta ex Augustino vbi suprà, asserente scientia illa à se explicata non pollere multos Christianos, qui fide prurimùm pollent: ea verò quorum alterum sine altero reperitur, saltem formaliter distinguuntur. Præterea fidei tantùm est credere, solùm enim respicit testimonium dicentis: declarare autem, ostendere, tueri veritatem creditam, non est actus credendi, sed proficiscitur ex quouis alio habitu intelligendi. Denique ex studio, & discursu Theologico, aut acquiritur aliquis habitus,

Augustin. Hi habitus sunt à fide distincti.

habitus, aut non; si non acquiritur, frustra insumitur opera studendo; si acquiritur, necessariò distinguitur à fide, quæ à Deo nobis infunditur. Hoc autem inter fidem, ac Theologiam discrimine constituto, videndum est, quinam potissimùm ex quatuor habitibus numeratis, Theologicus dici debeat: quamuis enim omnes eæ facultates inesse debeant vero Theologo, vt rectè notat Marsilius vbi proximè; non tamen omnes pertinent ad formalem, aut propriam rationem Theologiæ, vt videre est in alijs scientijs, quæ multos amplectuntur habitus, terminorum, principiorum, rationum probabilium, qui tamen formaliter non integrant scientiam.

IV. Declaratiuus habitus an sit fidei.

Vt autem incipiam à declaratiuo, multis modis declarari possunt ea, quæ sunt fidei. Sunt autem duo magis præcipui communes omnibus facultatibus; alter dici potest declaratio, siue expositio quid nominis, alter verò quid rei; prior magna ex parte continetur peritia idiomatis, quo scientia, vel doctrina scripta est: & nonnullis descriptionibus, queis confusè saltem significatarum rerum natura declaratur: posterior consistit in expositione veritatis, applicando similitudines, atque exempla, quibus res alioquin obscura percipiatur; rationes, ac motiua, quibus veritas probetur. Hi duo modi etiam in expositione fidei reperiuntur: prior quidem præcipuè pertinet ad expositores sacrarum literarum, qui proprium, ac literalem sensum perscrutantur: ad quam rem multarum rerum scientia requiritur: nempè linguarum, præcipuè Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ peritia, notitia historiæ etiam profanæ, consuetudinum, ac morum plurimarum gentium, maximè earum, de quibus loquitur locus Scripturæ interpretandæ: ex his enim, & alijs percipitur inprimis sensus grammaticalis, qui est maximè necessarius ad eruendum literalem, & spiritualem, qui literali nititur. Itaque expositio illa sensus grammaticalis pertinet ad explicationem quid nominis. Interpretatio verò mentis propriæ scriptoris sacri, est declaratio quid rei: iam enim non est de solis verbis, sed de sententia: ad quam eruendam præter notitiam sensus grammaticalis, iuuat ipsamet Scriptura diuina, cuius vno in loco continetur apertius id, quod in alio est obscurius: Ecclesiæ definitiones, traditiones, probabilium Patrum interpretationes, rationes, similitudines, atque exempla: quæ omnia conducunt ad veram sententiam eruendam, intelligendam, & credendam.

Sensus literalis maximè est necessarius.

V. Goffred.

Quidam Goffredus, quem refert Aureolus, q. 1. prologi, art. 1. sensisse videtur, habitum Theologicum esse declaratiuum quid nominis: dicebat enim Theologiam eatenus esse scientiam, quatenus per ea sciuntur contenta in Scriptura diuina, sententia eorum, & expositio. Fundamentum est: quoniam scire quæ continentur alijs libris, mentem, ac sensum verborum intelligendo scientia est, qualem habent iuris Ciuilis, & Canonici interpretes; & ij, qui libros Aristotelis de ente mobili, aut quouis alio subiecto scientiæ naturalis memoria tenent, ac intelligunt. Ipse verò Aureolus, a. 1. citato dum impugnat primum dictum S. Thomæ, & a. 3. conclusione 3. & in 1. d. 48. quæst. vn. art. 3. sentit Theologiam esse habitum declaratiuum quid rei, quo distinctius, & clarius percipiuntur mysteria reuelata, & mens aptè disponitur ad ea distinctiùs cogitanda, absque vlla tamen adhæsione mentis. Itaque excluśit à ratione habitus Theologici propensionem ad assensum, & solùm illum cõstituit in facultate quadam mentis acquisita, qua mysteria reuelata clariùs intelliguntur, ac explicantur. Hunc vero habitum oriri posse ex terminorum explicatione, rationum oppositarum dissolutione, exemplorum similitudinum & rationum probabilium manuductione. Probatur autem hæc sententia inprimis auctoritate Augustini communiter vsurpata ex lib. 14. de Trinitate, cap. 1. vbi ad scientiam hanc pertinere dicit *Illud tantummodò, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur:* fides autem gignitur, ac nutritur declaratione, & expositione, & alijs medijs, quæ ab Aureolo indicantur: per ratiocinationes autem, & Syllogismos, quibus ex reuelatis colliguntur conclusiones non immediatè reuelatæ: non gignitur, aut nutritur fides, sed supponitur: ergo si de mente Augustini ad scientiam Theologicam ea solùm pertinent, quibus fides gignitur, nutritur, ac roboratur, solus habitus declaratiuus est Theologicus, non autem deductiuus. Maior propositio quoad priorem partem ostenditur; quoniam fi-

Aureol.

dem

dem maximè iuuat, ac fouet vera expositio Scripturæ reuelatæ, similitudines, exempla, ac rationes probabiles: queis ostenditur non repugnantia & congruentia veritatis reuelatæ: vt experientia compertum est ijs, qui solent oppugnari circa fidem; solent enim eiusmodi adminiculis sustentari. Quoad posteriorem verò partem probatur: siquidem mysteria fidei reuelata respectu conclusionum deductarum habent se tamquam principia: at verò notitia principiorum non gignitur, aut augetur ex notitia conclusionum, ne detur circulus perfectus contra doctrinam Aristotelis, sed ad ipsam supponitur: ergo neque per Syllogismos deductiuos conclusionum ex principijs reuelatis gignitur, aut nutritur fides. Secundo ex sententia D. Augustini vbi proximè non omnes Christiani, qui fide pollent, habent eam scientiam: atque adeò de lege per studium, & non ex infusione habetur: qui verò student interpretationi sacrarum literarum, & habent thesaurum similitudinum, exemplorum, ac rationum probabilium, ad explicandam, & tuendam fidem, habent facultatem aliquam, siue habitum à fide diuersum, circa eadem obiecta fidei: hic non potest esse alius, quàm Theologia, ergo in eo consistit. Maior patet. Nam si ex duobus intellectibus eiusdem speciei, vnus habeat facultatem ad aliquos actus, alter verò non, necessariò in priore est aliquis habitus, quo alter caret: quare si quiuis Christianus non habet prædictam facultatem declarandi fidei mysteria; is, qui illa præditus fuerit, esse debet instructus aliquo habitu, quo cæteri Christiani communiter carent. Assumptio eiusdem argumentationis ostenditur. Etenim ille habitus non est adhæsiuus; atque adeò non est intellectus, scientia, fides, vel opinio, qui omnes sunt adhæsiui: ergo necessariò est habitus Theologicus. Et confirmatur, quia non est vllus alius, qui hoc nomine dignus sit.

VI. Antequam quæstioni respondeam, noto habitum declaratiuum vel sumi pro facultate quadam exteriùs loquendi, & explicandi, quod aliquis intelligit; aut pro ipso habitu, quo verborum significata, aut rem ipsam percipit: priore modo non est propriè scientia: sed quædam facultas practica explicãdi per verba, quod mente concipitur, vt tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 181. art. 3. in fine corp. & 1. ad Corinth. 12. lectione 2. vbi gratias gratis datas, quas Apostolus appellat sermonem sapientiæ, ac scientiæ, ait esse distinctas à sapientia ipsa, ac scientia, quæ sunt dona Spiritus sancti: & ideò in hoc sensu sumi non debet habitus explicatiuus quando dicitur esse scientia Theologica: hoc enim modo Theologia non esset habitus speculatiuus, nec scientia de Deo, sed practicus, & scientia de vocibus, quod est absurdum. Si verò posteriore modo sumatur, tunc considerari debet in ordine ad obiectum, quod mens per eiusmodi habitum percipit: atque ideò habitus declaratiuus non solùm extenditur ad expositionem terminorum: sed ad omnem actum distinctè intelligendi: quemadmodum verbum *declaro*, à quo denominatur, non minus accommodatur ad simplicem declarationem terminorum, quàm ad deductionem rationis, qua veritas latens per rationem, siue argumentationem inductam, à Magistro declaratur, ac aperitur discipulo, siue per narrationem, assertionem, aut alio quouis modo: vt patet 2. Machabæorum 7. *Quemadmodum in protestatione Cantici declarauit Moyses.* eiusmodi vero declaratio fuit per assertionem illam: *In seruis suis consolabitur,* quæ declarationem continet veritatis, non expositionem terminorum: similiter vsurpatur, 1. Corinth. 3. & cap. 12. ad Hebræos; etenim idem habitus, quo quis aliquid scit, inseruit ad enucleandum alijs, siue sit simplex, siue complexa notitia: nam Mathematicus, qui verbo alijs explicat sua theoremata, eodem vtitur habitu, quo cùm solus ipse suam scientiam recolit.

S. Thom.

2. Mach. 7.

1. ad Cor. 3.
Ad Hebr. 12.

VII. Habitus declaratiuus non solùm est quid nominis.

Dico primùm. Habitus Theologicus non est propriè declaratiuus solùm quid nominis. In hac conueniunt omnes, etiam ipse Aureolus, vbi suprà. Fundamentum est. Quoniam sola cognitio terminorum, & expositio sententiæ significatæ, non gignit vllam veram scientiam de obiecto, de quo sermo est in libro aliquo: in sacris autem literis est sermo de Deo: Theologia enim est scientia de Deo: ergo non consistit in sola facultate declarandi terminos, ac mentem literarum. Patet consequentia: nam scientia vera de Deo immediatè fertur in veritates aliquas de ipso cognoscibiles: scientia verò quid nominis immediatè fertur in

voces ipsas, quatenus significatiuæ sunt, & cohærere potest cum errore oppositio: nam fieri non repugnat, vt aliquis perbellè intelligens libros Aristotelis, ac mentem eius percipiens, nihilominùs opinetur oppositum eius, quod à philosopho asseritur: & eodem modo infidelis potest intelligere sensum Scripturæ continentis aliquas veritates supranaturales: & nihilominùs reputabit esse absurdas, & rationi contrarias. Præterea is habitus est tantùm cognoscitiuus idiomatis, ac memoratiuus eorum, quæ in sacris literis scripta sunt: habitus autem purè memoratiuus, non habet rationem scientiæ: ergo in hoc non consistit propria ratio scientiæ Theologicæ; si verò respondeatur eum, qui studet alicuius scriptis, acquirere habitum eiusdem rationis cum eo, quo ab auctore scripta sunt, iam fit transitus de notitia quid nominis, ad notitiam quid rei; sed neque is habitus Theologicus est; nam scriptor sacer literis consignans mysteria fidei habebat assensum non Theologicum, sed propheticum, vel fidei; cui similem si habent legentes, atque intelligentes sacras literas, erit habitus fidei, vt rectè notat Scot. in 3. d. 24. q. vnica. §. Ad propositum. *Scot.*

VIII. Dico secundùm, habitus Theologicus non est tantùm declaratiuus rerum absque adhæsione intellectus: hæc est contra Aureolum, quem ex professo impugnant Ochamus, quæst. 3. prologi, principali litera N. & P. & Argentin. quæst. 2. a. 4. & est de mente omnium asserentium esse habitum adhæsiuum, & probatiuum, quos deinceps referam suis locis. Ostenditur verò, quoniam omnis declaratio exterior proficiscitur à mentali, quam supponit: hæc autem necessariò consistit in aliqua ex tribus operationibus intellectus, & reuocari debet ad aliquem ex tribus modis differendi, definitionem, diuisionem, & argumentationem: declarare enim est rem obscuram, & latentem explicare: id enim fit per modum historiæ, vel doctrinæ; Theologia supponit quidem historias reuelatas, sed ipsa nõ historico, sed doctrinali modo procedit: modus autem doctrinalis necessariò vno ex tribus differendi modis vtitur: ad veritatis autem indagationem, non sat est sola diuisio, aut definitio simplex carens copula verbali: sed præterea requiritur aliqua explicatio veritatis complexæ per discursum: hic autem necessariò tendit ad assensum mentalem, atque adeò habitus illo vtens ad explicandas veritates reuelatas, non erit solùm declaratiuus, absque adhæsione. Secundò eodemmet habitu explicatur veritas, quo percipitur: nam præter habitum explicationis quid nominis, non est necessarius alius distinctus ab eo, quo res ipsa percipitur, vt in cæteris omnibus scientijs constat: nam qui habet notitiam habitualem, definitiuam, aut diuisiuam alicuius obiecti, ea ipsa vtitur ad explicandam veritatem complexam obiecti: ergo etiam ad veritates Theologicas explicandas, non est opus alio habitu ab eo, quo agnoscuntur: hic est adhæsiuus, cùm versetur circa obiecta complexa: ergo non est solùm declaratiuus.

Ochamus. Argentin. Habitus Theologicus non est tantùm declaratiuus rerũ absque adhæsione intellectus.

IX. Respondebit Aureolus dupliciter versari intellectum circa complexa, nempè apprehendendo, aut iudicando & Theologicum habitum esse declaratiuum solùm penes apprehensiones, quia ex similitudinibus, exemplis, & rationibus probabilibus, quas Theologus affert, in causa est vt veritas Theologica faciliùs, ac distinctiùs apprehendatur, quod fieri potest sine adhæsione intellectus. Verùm hæc responsio multùm detrahit de nobilitate Theologiæ: quæ iuxta hanc opinionem ad solas apprehensiones inseruit, & in sola terminorum explicatione versatur, neque confiderat veritatem sub ratione veritatis: vt cæteræ omnes scientiæ naturales. Deinde, vt arguit Ocham. vbi proximè, scientia Theologica est habitus, quo fidelis differt ab infideli; penes apprehensiones verò fieri potest, vt non sit discrimen inter fidelem, ac infidelem, sed solùm penes assensus: quo dato iuxta sententiam Aureoli tam bonus erit Theologus infidelis negans omnia fidei mysteria, ac Christianus, qui eadem certa fide tenet. Denique rationibus, similitudinibus, & exemplis non solùm gignitur habitus declaratiuus, inseruiens distinctæ apprehensioni veritatis complexæ, sed etiam adhæsiuus, genitus ex persuasione aliqua de veritate rei, cui explicandæ motiua illa proferuntur. Nam exempla, similitudines, ac rationes adducuntur ad faciendam fidem, & extorquendum assensum; loci enim à similitudine, & exemplo conducunt ad fidem faciendam, vt tradit Aristoteles lib. 2. artis Rhetor. cap. 21. vbi exempla inductioni *Aristot.*

similia

Exemplis iussi demonstrationibus orator vti potest.

similia esse ait: inductionem autem habere vim gignendi assensum per se patet; atque adeò eandem habent exempla: ideoque concludit citato loco Aristoteles in hunc modum: *Exemplis igitur, siquidem non habeas enthymemata quasi demonstrationibus vtendum.* quam ferè doctrinam tradit lib. 2. priorum, cap. 24. ostendens exemplum copulare syllogismum, & esse aptum faciendæ fidei: quare non video, quomodo Aureolus admittat habitum Theologicum vti argumentis probatiuis, & nihilominus asserat esse solùm declaratiuum.

X. Ad argumentum Goffredi, respondeo eos, qui habent notitiam eorum, quæ continentur libris scriptis de aliqua scientia solùm per modum memoriæ, non perceptis rationibus, sed sola fide credentes auctori, non habere veram scientiam, sed fidem: & hoc modo se habere eos, qui habent memoriam eorum, quæ in sacris literis continentur, & absque discursu, aut ratione alia ijs assentiuntur. Hi enim præter notitiam quid nominis, & memoriam habitualem, quæ per se scientia nõ est, non habent alium habitum præter fidem, nec verè Theologi sunt: qui verò memoria tenent sacros canones, aut leges, etiam non habent veram rationem scientiæ, nisi quatenus ijs continentur conclusiones aliquæ practicæ ex principijs practicis deductæ. Pro solutione argumentorum, quibus probatur opinio Aureoli, obseruandum aliqua pertinere ad scientiam, vel habitum propriè, ac per se ratione sui, aliqua verò ratione suorum principiorum, vel eorum, quæ ad principia supponuntur: vt patet in mathematica: ad quam pertinet explicare terminos, suppositiones, ac principia suarũ conclusionum: non quod habitus mathematicus quatenus scientia est, & per se inclinat ad suos actus, versetur per se circa terminorũ expositionem, aut suppositiones, ex quibus conclusiones mathematicæ colliguntur. Hoc posteriore modo pertinet ad Theologiam explicare terminos suorum principiorum: quibus, vt assentiatur, oportet, vt habeat notitiam terminorum, & sententiæ, quæ verbis continetur: & ad hunc sensum exponi potest dictum Augustini dicentis ad ipsam pertinere illud tantùm, quo fides gignitur, ac nutritur; quia explicando vero sensu Scripturæ, ac remouendo falsum, scitur, quod credendum sit. Respondetur etiam fidem non gigni, nutriri, roborari, ac defendi, sola terminorum expositione: sed exponendo, & probando rerum inter se cohærentiam, & consequentiam, oppositorum errorum repugnantiam, vnius mysterij ex altero dependentiam: quæ non fiunt solo habitu declaratiuo, sed discursiuo ac iudicatiuo; atque adeò ob hanc etiam causam verè dixit Augustinus ad scientiam Theologicam illa omnia pertinere: quomodo verò ad eam pertineat defendere fidem, ad cuius assensum per se primò non inclinat, dicam inferius. In forma ad argumentum respondetur, maiorem quoad aliquid esse veram, non enim negandum est vera expositione Scripturæ nutriri, ac roborari fidem; quoad aliquid falsum, non enim sola expositione terminorum fides defenditur, sed rationibus, & argumentis, quorum vsus ad habitum adhæsiuum pertinet, vt dictum est: posterior pars est absolutè neganda: ad cuius impugnationem respondetur. Quemadmodum ad metaphysicam pertinet sua principia explicare, ac defendere, si impugnentur, ita ad Theologiam, quæ est suprema inter scientias de lege à viatore acquisitas, pertinere sua principia, hoc est, mysteria fidei tueri: id verò non præstat sola deductione conclusionum ex reuelatis, vt benè in argumento ostenditur; sed alijs modis infra explicandis. Secundi argumenti assumptio est neganda: nam, quamuis ea facultas sit aliquid prærequisitum ad Theologiam, vt in alijs scientijs se habet prænotio subiecti, & principiorum; non tamen in ea formaliter consistit. Ad confirmationem verò eiusdem respondetur eum habitum pertinere ad notitiam quid nominis: quæ, cùm sit de verbis, non erit propriè Theologica; quæ rerum notitia est. Ad aliam cõfirmationem respondeo dari habitum deductiuum conclusionum ex præmissis reuelatis: qui est verè Theologicus, vt infrà dicam: & ideò non esse solùm declaratiuum.

Fides quomodo gignatur.

Habitus Theologicus est adhæsiuus, ac probatiuus, & secundariò defensiuus.

Caput VIII.

I. NOn esse habitum Theologicum solummodò declaratiuum constat ex cap. superiore. Deinceps videndum, quis potissimùm ex alijs sit. Verùm, quoniam Aureolus, vbi suprà, asserit Theologian non esse habitum adhæsiuum: & argu-

Aureolus.

menta

menta eius eò tendunt, vt ostendant etiam non esse probatiuum, siue discursiuum: quæ duo necessariò vendicant cæteri habitus, priùs oportet statuere quid hac de re sentiendum sit: vt deinde faciliùs appareat quinã ex alijs habitibus sit propriè Theologicus. Non esse verò adhæsiuum ostenditur: quoniam assensus omnis, aut gignitur ex terminis, & simplici propositione motiui absque discursu, aut per discursum comparatur: neutro modo studio Theologiæ gignitur assensus vllus, aut habitus adhæsiuus à fide distinctus: quare superuacaneè ponitur. Assumptio quoad priorem partem ostenditur, quoniam assensus omnis circa obiecta explicitè, vel implicitè reuelata, est ineuidens: & ideò haberi nequit ex terminorum euidente penetratione, neque ex sensu, aut experientia: his enim modis semper gignitur assensus euidens; si verò habeatur ex simplici propositione reuelationis diuinæ, erit assensus fidei. Deinde verò probatur, non esse discursiuum in primis auctoritate Dionysij, cap. 1. de diuinis nominibus, vbi: *Nulla ratione*, inquit, *præsumendum est aliquid de supersubstantiali, secretißimáq; Deitate, aut dicere, aut cogitare præter illa, quæ nobis sacra eloquia tradiderunt.* Quibus verbis docet nihil vltra reuelata in sacris eloquijs perueſtigandum nobis esse: atque adeò temerarium esse discursum nostrum circa diuina. Probatur etiam ratione. Primò, quoniam omnis discursus terminatur ad notitiam veritatis proportionatæ intellectui humano; veritates Theologicæ excedunt captum illius: ergo acquiri nequit eorum notitia per discursum; atque adeò Theologia non est discursiua. Maior propositio est manifesta: discursus enim est propria, & connaturalis operatio intellectus humani: ideoque debet esse circa obiectum illi connaturaliter adæquatum, ac proportionatum. Assumptio facilè ostenditur, quoniam veritates naturali lumine agnoscibiles, licet aliquæ sint reuelatæ, non pertinent per se ad Theologiam, sed quatenus substant lumini supernaturali diuinæ reuelationis. Restat ergo, vt Theologia sit solùm per se de ijs, quæ naturale lumen mentis excedunt. Secundò Theologia habet certitudinem quandam supernaturalem, maiorem certitudine scientiarum naturalium, vt Theologi communiter admittunt: hoc verò fieri nequit, si sit argumentatiua: ergo non est habitus discursiuus. Assumptio probatur, quoniam certitudo assensus discursiui pendet ex bona forma syllogistica: quæ si inepta sit, quamuis principia habeant certitudinem supranaturalem, deficere poterit non solùm certitudo, sed veritas conclusionis: atque adeò, licet quando forma argumenti est idonea secundum regulas artis, conclusio sit vera, non habebit vllam certitudinem supranaturalem: quandoquidem pendet ex aliqua regula purè naturali; nam quemadmodum conclusio, quæ pendet ex maiore necessaria, & assumptione contingente, est simpliciter contingens, & nullo modo necessaria; ita assensus pendens ex regula naturali, discursus non habebit certitudinem supranaturalem, quantumuis principia, ex quibus habetur, constent certitudine supranaturali.

Theologicus habitus probatur nõ esse adhæsiuus.

Magn. Dionys.

II.

Argui deinde potest ex Aureolo, reducendo plura eius argumenta ad hunc discursum: Omnis habitus Theologicus versatur, aut circa principia ipsa immediatè reuelata, aut circa ea, quæ secundariò, & quasi mediatè reuelata sunt: at verò, circa hæc duo genera propositionum, non est alius habitus adhæsiuus à fide, neque versatur discursus verè Theologicus probatiuus: ergo Theologia non est habitus discursiuus. Maior propositio est euidens: habitus enim adhæsiuus erga obiecta reuelata solùm fertur in veritates immediatè reuelatas, vel ex his deductas. Assumptionem ostendit, quoad immediatè reuelata: hæc enim vel sunt alioquin scita, vel nullo modo cadunt in scientiam naturalem: circa neutra est habitus Theologicus probatiuus: non circa priora, habitus enim ex motiuo naturali euidente genitus, non est Theologicus, sed metaphysicus, vt constat ex Aristotele & Comment. lib. 6. metaphysicorum, Comment. 5. & 9. vbi Auerroës, inquit, *ad scientiam diuinam pertinere ea, in quorum definitione ponitur Deus, sicut in definitione naturalium ponitur natura.* Patet etiam ratione. Quoniam habitus, & discursus, qui non supponit fidem, & cogit intellectum cuiusuis infidelis ad assensum, nequaquam est Theologicus: eiusmodi verò esset habitus ex naturali demonstratione comparatus. Circa immediatè verò reuelata, & fide diuina credenda non potest esse alius discursus probatiuus, quàm ex rationibus probabilibus, similitudinibus, & exemplis: per hunc verò in homine habente fidem gigni nequit vllus habitus adhæsiuus: ergo circa eiusmodi obiecta nõ est vllus habitus adhæsiuus à fide distinctus. Assumptionem ostendit, quoniam ex eo discursu nõ posset acquiri alius habitus adhæsiuus, quam

Aristot.

Auerr.

optimo:

opinio: indignum verò est poni habitum Theologicum in opinione constituere: nam opinio includit essentialiter formidinem, & ideò Theologia faceret Christianum de rebus fidei formidare: atque adeò perniciosum, & stultum esset studio, ac labore comparare habitum, qui fidem non perficeret, sed multò magis impediret. Alteram verò partem eiusdem assumptionis quoad discursum circa mediatè reuelata fusè etiam ostendit: sed argumenta relinquo in caput sequens, in quo dicam cuius obiecti probatiuus sit habitus Theologicus.

III. Habitus Theologicus est adhæsiuus.

Dico primùm, habitus Theologicus est adhæsiuus. Hæc est communis sententia Theologorũ. Et probatur; quoniã Theologia dicitur communiter scientia ab Augustino & alijs, tractat. 4. cap. 6. num. 13. referendis. Et quamuis Theologi disputent, vtrum habeat veram, ac propriam rationẽ scientiæ quoad omnes eius rationes, sentiunt tamen habere similitudinem aliquam cum illa, saltem quoad certitudinem, & adhæsionem intellectus ad veritatem complexam. Et confirmatur quoniam Theologia, vt infrà ostendam, & ipse Aureolus admittit, art. 3. citato, propositione 4. est sapientia, & scientiarum, quæ proprio studio acquiruntur, præstantissima: ergo debet esse cognitio veritatis in actu exercito, nõ verò sola notitia quid nominis, & expositio terminorum. Consequentia est manifesta: quoniam notitia non attingens veritatem obiecti, sed solùm apprehendens illud, est communis homini cum animantibus rationis expertibus; & menti cum sensibus: ergo cæteris paribus est minus perfecta, quàm scientiæ naturales, quæ attingunt veritatẽ obiecti. Et confirmatur ex Argentinate, q. 2. prológi, art. 4. quoniam Aristoteles lib. 6. Ethicorum, cap. 7. tamquam certissimum supponit sapientiam esse exactissimã scientiarum, & esse simul scientiam, atque intellectum: hi verò duo habitus sunt adhæsiui, vt per se patet: quare si Theologia sapientia est, erit habitus adhæsiuus. Huic argumento respondit Aureolus sapientiam, qua ex parte scientia est, esse habitum adhæsiuum, non autem qua intellectus est: sed solùm ad ipsam pertinere communes terminos explicare, & generalia principia tueri, quod præstat metaphysica, vt constat ex ea, quam docuit Aristoteles, qui communes terminos in ea exposuit, & communissima principia explicauit: cùm verò his principijs assentitur, vel ex ijs aliquid deducit, iam, inquit habet rationem scientiæ: ideoque quamuis Theologicus habitus sit solùm declaratiuus terminorum, & principiorum fidei, habebit veram rationem sapientiæ. Quæ solutio est contra mentem Aristotelis: nam ipse ad rationem sapientiæ non minùs exigit, vt sit scientia, quàm intellectus: atque adeò si habitus Theologicus non retinet vllo modo rationem scientiæ, neque sapientiæ nomine dignus est. Deinde quamuis ad hoc sufficeret, vt sit intellectus, adhuc Aureolus non tribuit rationem intellectus habitui Theologico; nã intellectus, vt à scientia distinguitur, est habitus adhæsiuus: ergo nisi Theologia sit habitus adhæsiuus, non erit intellectus, atque adeò nec sapientia. Antecedens sumitur apertè ex eodem Aristotele loco citato, vbi sic habet: *Sapientem igitur non solum ea, quæ ex principijs sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet.* Queis verbis explicat idem, quod infrà asserit, nempè sapientiam esse scientiam, & intellectum: nam quatenus scientia, cognoscit ea, quæ sunt ex principijs; quatenus intellectus circa principia verum dicit: verum autem dicere non contingit absque assensu mentis: quare habitus, qui verum dicit est adhæsiuus. Idem confirmatur ex eo, quòd intellectus numeratur ab eodem Philosopho eod. lib. cap. 3. inter virtutes intellectuales, secundum quas animum affirmando, vel negando, verum dicere astruit ibidem, & cap. 2. in fine: ergo fieri nequit, vt sapientia, qua est intellectus, non sit habitus adhæsiuus. Secundò Theologia est doctrina veritatis, quasi germen fidei, ex cuius radice pullulat accedente studio, & perscrutatione intellectus, vt constat ex illo Esaiæ 7. *Nisi credideritis non intelligetis.* supponentis fidem tamquam fundamentum scientiæ rerum diuinarum, & est communis sententia Theologorum, qui ad Theologiam prærequirunt fidem, saltem acquisitam: sed habitus quicumque non adhæsiuus, esse potest absque fide siue acquisita, siue infusa circa rem cuius termini per eiusmodi habitum explicantur: ergo fieri nequit, vt Theologicus habitus nõ sit adhæsiuus. Assumptio constat. Nam explicatio quid nominis terminorum, aut propositionũ reuelatarum habet se ad fidem, qua ijs præstatur assensus, sicut notitia simplex terminorum, aut apprehensio propositionum ad assensus principiorum: sed apprehensio terminorum, non pendet ex assensu: ergo neque habitus ille declaratiuus supponit adhæsionem mentis; atque adeò neque fidem infusam, vel acquisitam de reuelatis.

Aureol.

Argent.

Aristot.

Sapientia est scientiarum exactissima.

Esai. 7.

Dico

IV. *S. Thom. Albertus. Bonauent. Richard. Argentin.* Theologia est habitus discursiuus; quod probatur.

Dico secundùm, Theologia est habitus discursiuus, ita expresè D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 8. & q. 1. prologi. ar. 5. Albertus in sum. tract. 1. qu. 4. Bonauentura, q. 2. prologi. Richardus, q. 7. prologi. Argentin. q. 4. prologi, art. 2. & est communis omnium Theologorũ aliorum, qui docent principia huius scientiæ esse articulos fidei, quos referam tractatu 2. cap. 4. Fundamentum est. Quoniam omnis habitus adhæsiuus, inclinans ad assensum propositionis, propter motiuum de inesse, & nõ ex solo testimonio dicentis, non contentum solis extremis illius, sed medio termino extrinsecus assumpto, est discursiuus. Theologia ita se habet: ergo est discursiua; Maior propositio per se patet, nam terminus extrinsecus assumptus, & in præmissis copulatus extremis conclusionis, & illa mutuò nectens constituit discursum, vt constat ex dialectica. Assumptio facilè probatur: nam conclusioni Theologicæ nõ assentimur ex terminis, sed opus est ratione aliqua, quæ fidem faciat: nam cùm sint ineuidentes, fieri nequit, vt eis assentiamur præcisè ex terminis. Dixi *propter motiuum de inesse*, & non ex solo testimonio dicentis, vt ne modo extra propriũ locum discuterem quæstionem in materia de fide tractari solitam, nempè vtrum fidei assensus discursum necessario supponat: nam quidquid hac in re de fidei assensu dicendũ sit, certum est, quando nõ ex terminis, aut alterius testimonio præbetur assensus alicui propositioni, eiusmodi iudicium esse discursiuum: & habitũ ex quo procedit argumentatiuum. At, inquies, Theologum cõclusionibus, quas probat, assensum præbere ex vi testimonij diuini, in quod tandẽ notitia Theologica resoluitur: atque adeò licet non assentiatur ex terminis, nõ proinde esse discursiuum. Respondeo diuersam esse rationem, quia qui credit, auctoritate diuina immediatè nititur: non verò qui conclusioni Theologicæ assentitur: hic enim ideò assentitur cõclusioni, quia assentitur præmissis: Verbi gratia si quis ita ratiocinetur; sola aqua naturalis est materia baptismi: rosacea nõ est naturalis, ergo nõ est apta materiæ baptismi: ideò infert conclusionem, vt veram, quoniam credit præmissas esse veras, ita vt immediata ratio assentiendi sit, quia sola aqua naturalis, qualis nõ est rosacea, est vera materia baptismi; quod est medium de inesse ex veritate cognita, mouens ad assensum cõsequentis; quod sine discursu fieri nequit. Ex eo verò quòd maiori propositioni præstetur assensus propter motiuum auctoritatis diuinæ, non tollitur vera ratio medij de inesse, ac veri discursus procedentis à veritate præmissarum, & obiecti per illas significati, ad assensum conclusionis.

V. *2. ad Tim. 3.* Scriptura vtitur argumentis.

Eandem conclusionẽ probat D. Thom. ex auctoritate Pauli 2. ad Tim. 3. dicentis, *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, & arguendum*: quæ sententia, si explicetur in sensu formali, quasi ipsa notitia reuelata sit habitus argumentatiuus, nõ propriè cõfirmat Theologiam ipsam, sed fidem esse argumentatiuam: quod suo modo verum est: nam in sacris literis habentur nonnunquam argumenta, quale est illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* subintelligitur enim, fides autem nõ est inanis, ergo mortui resurgunt. Quoties autẽ Scriptura continet argumenta, fides non solùm inclinat ad simplicem assensum propositionum, verùm etiam ad assensum deductum, & illatum ex alio, vt notat Durandus, q. 1. prologi, num. 15. si verò sensus sit Scripturam esse vtilem ad arguendum, tamquam principium, ex quo sumitur argumentum: tunc rectè infertur Theologiam esse argumentatiuam: non enim est alius habitus, quõ Scriptura vtatur tamquam principio discursus, quàm Theologia: id autem præstare nequit, nisi sit habitus discursiuus. Confirmatur 2. ratione sumpta ex D. Thoma, q. vnica prologi, art. 5. ex fine Theologiæ, qui est destructio errorum, & contemplatio veritatis: quorum neutrum absque argumentis fieri potest: non prius, quoniam errores nõ impugnantur simpliciter assertione veritatis, sed opus est ratione ostendente falsitatem: non posterius, quoniam veritas inquisitione indagatur: inquisitio verò absque discursu nõ habetur. Præterea, quia nõ omne verũ est primum principium, sed plerumque dependet, ac mensuratur ex alio, ad exactam verò eius cognitionem opus est, vt procedatur à notitia principij, quod habet rationem mensuræ ad conclusiones, quę ex illo deducuntur, ac mensurantur, quod, vt per se patet, absque discursu fieri nequit.

1. ad Cor. 15.

Durandus.

S. Thom. Finis Theologiæ est destructio errorum, & contemplatio veritatis.

VI. Theologia habitus non solum est defensiuus, sed ad indagandam Veritatẽ est aptus.

Dico tertiùm, habitus Theologiæ non est solùm defensiuus. Sensus, est eum habitum, qui à fide distinguitur, & propriè Theologia dicitur, non esse primò, ac per se fidei defensiuum, sed secundariò. Hæc est de mente ferè omnium, qui Theologiæ tribuunt veritatis indagationem circa res diuinas: habitus autem defensiuus non dirigitur ad indagandam veritatem, sed ad ipsam inuentam tuendã à calumnis aduersariorum.

ſariorum. Facilè verò oſtenditur, quoniam ad tuendam veritatem per ſe non requiritur alius habitus ab eo, quo inuenta percipitur, ac poſsidetur: & proinde ſemper habitus defenſiuus habet etiam rationem adhæſiui: quare ſi habitus Theologicus defenſiuus eſt, erit etiam adhæſiuus, & ita nõ conſiſtet in ſola ratione defenſiui. Maior propoſitio oſtenditur, quoniam per eadẽ principia veritas defenditur, per quę diſcitur, ac creditur: vt videre eſt in omnibus ſcientijs naturalibus: non enim duplicem ſtatuimus philoſophiam, aut duplicem mathematicam, alteram ad determinandas proprias concluſiones, alterã ad tuendas: ſed vnus idemque habitus, vnũ idemque motiuum vtrique muneri inſeruit: propterea enim dixit Philoſophus, lib. 1. Poſter. c. 2. in fine, *qui ſcit, certum eſſe debere de veritate principiorum, per quæ ſcit, & concluſionis, quam ſcit*; atque etiam de falſitate principiorum oppoſitæ concluſionis, & ipſiuſmet concluſionis, quoniam principia ſcientiæ excludunt principia oppoſiti erroris. Et confirmatur quoniam defenſio præcipuè fit reſpondendo argumentis oppugnantibus veritatem, quamuis interdum etiam fiat errores ipſos poſitiuè impugnando: ſi priore modo fiat, ſupponitur motiuum, quo reſpondens credit veritatem, quam tuetur, & ita ſi motiuum eſt ſola reuelatio, & defenſio, procedit ex negatione principiorũ repugnantium reuelatis, non requiritur ad ipſam habitus alius à fide: ſi verò motiuum nõ eſt reuelatio, ſanè ex ipſo habetur alius aſſenſus à fide, & alius habitus per ipſum genitus, qui eidem veritati tuendæ inſeruit; ſi verò fidei veritates poſteriore modo defendãtur, cùm fides non ſit per ſe, ac propriè habitus argumentatiuus, ſed ſolùm creditiuus: nam quamuis interdum cadat ſupra diſcurſum, non tamen proprio ſtudio factum, ſed ab ipſo ſcriptore ſacro propoſitum: cuius etiam veritatem credit, ſicut alia reuelata: at verò ad diſcurſum proprio marte contextum à Theologo, non ſufficit ſola fides: ſed opus eſt alio habitu, qui, quoniam concurrit ad actum aſſenſus interni, per ſe 1. inſtitutus erit ad præbendum aſſenſum veritati: ſecundariò verò ad repellendam falſitatem. Cùm enim excluditur vna forma per contrariæ poſitionem, intentio agentis per ſe primò dirigitur ad poſitionem propriæ formæ, & conſequenter ad oppoſitæ expulſionem. Quare ſi præter fidem datur habitus Theologicus defenſiuus veritatis reuelatæ, is non erit ſolùm defenſiuus.

Ariſtot.

Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Reſpondeo Theologiam nõ eſſe habitum adhæſiuum ex terminis, aut alio ſimplici motiuo abſque diſcurſu: ſed propriè inclinare ad aſſenſum, ex diſcurſu gignendum. Vt autem ſoluantur argumenta, quæ oppoſitum ſuadent, obſeruandum eſt dupliciter obiectum aliquod excedere captum, aut proportionem potentiæ vitalis. Primò ita vt omninò ſit extra latitudinem obiecti adæquati; qua ratione ſubſtantiæ materiæ expertes ſuperant captum potentiæ ſenſitiuæ; quandoquidem ſunt extra terminos obiecti ſenſibilis, quod eſt adæquatum obiectum ſenſus. Deinde ita vt contineatur quidem intra latitudinem obiecti adæquati potentiæ, non tamen ſub obiecto connaturali, ac proportionato: qua ratione dona ordinis ſupranaturalis, & pleraque myſteria fidei noſtræ ſe habent reſpectu intellectus humani; nam quia ſunt entia, & conſequenter vera, atque intelligibilia, continentur ſub obiecto adæquato intellectus, quod eſt verum: quia ſunt alterius ordinis à potentijs naturalibus, non ſunt obiectum ipſis connaturaliter proportionatum. Inter hæc autem hoc diſcrimen interuenit, quod ea, quæ priore modo excedunt captum potentiæ, nulla vi, aut eleuatione illius percipi poſſunt: quoniam repugnat potentiam ferri extra ſuum obiectum: quæ verò poſteriore percipi poſſunt à potentia eleuata, & tranſlata quodammodo ad eundem ordinem ſupranaturalem, non quidem intrinſecè, hoc enim fieri nequit, ſed per inhæſionem, aut coniunctionem auxilij, aut principij ſupranaturalis. Hoc poſito. Ad auctoritatem Dionyſij reſpondeo, mentem eius nõ eſſe excludere diſcurſum fundatum in ſacris literis de rebus diuinis, nam eo ipſe frequenter vtitur, ſed ſolùm eum diſcurſum, quo ex propria imaginatione quidam de diuinitate fabulantur, & confingunt meras nugas: & hanc eius mentem melius explicauit altera verſio, quæ ſic habet. *Vniuerſaliter non eſt audendum dicere aliquid, nec etiam cogitare de ſuperſubſtantiali occulta Deitate; præter ea, quæ diuinitus nobis ex ſanctis eloquijs ſunt expreſſa.* Vbi D. Thomas. *ſignanter non dixit in ſanctis eloquijs, ſed ex ſanctis eloquijs, quia quæcumq; ex ijs, quæ continentur in ſacra Scriptura elici poſſunt, non ſunt aliena ab hac doctrina, licet ipſa in ſacra Scriptura non contineantur.* Ad primum verò argumentum, quo ſuadetur Theologiam non eſſe habitũ diſcurſiuum, diſtinguenda eſt maior propoſitio. Nam ſi intelligatur de diſcurſu, cuius omnia

S. Thom.

VII.

Obiectum dupliciter captum potentiæ vitalis excedit.

principia naturalia sunt, vera est, sed in hoc sensu non infertur conclusio: discursus enim Theologicus, vt inferius dicam, necessariò vendicat aliquod principium diuinitùs reuelatum: si verò intelligatur de discursu, qui constat aliquo saltem principio supranaturali, negetur: nam quemadmodum mens humana supranaturaliter adiuta potest habere actus pertinentes ad primam, ac secundam operationem, ita etiam habere potest pertinentes ad tertiam. Ad confirmationem verò respondetur discursum circa obiectum connaturale esse operationem connaturalem intellectus humani: eum verè, qui est de obiecto improportionato per excessum, contento tamen sub latitudine obiecti adæquati, qualis est discursus Theologicus, nequaquam esset naturaliter proportionatum intellectui nudè sumpto, sed coniuncto cum aliquo principio supernaturali.

Theologicus discursus necessario vendicat aliquod principium diuinitùs inspiratum.

VIII. Ad secundi argumenti solutionẽ opus esset explicare modum certitudinis assensus Theologici, quæ difficultas habet proprium locum inferius: nunc autem breuiter respondeo: cùm certitudo conclusionis pendeat ex certitudine præmissarum, eum assensum, qui pendet ex præmissis, quarum veritas est magis infallibilis, esse certiorem: atque adeò cùm veritates reuelatæ, ex quibus pendet conclusio Theologica, sint magis infallibiles, quàm naturali lumine cognitæ, quoniam lumen diuinum est certior regula, quàm humanum, conclusio Theologica est certior, scientia naturali. In forma neganda est assumptio. Ad confirmationem respondetur notitiam discursiuam non pendere ex sola forma, sed etiam ex materia, hoc est, ex principijs: vt verò effectus aliquis supernaturalis sit, non requiri vt omnia principia, & causæ sint supernaturales: alioquin nullus actus vitalis à potentia naturali elicitus, esset supernaturalis: quod est error in fide: ideoque posse conclusionem Theologicam esse participem certitudinis supranaturalis, & si norma discursus, quo colligitur, sit naturalis. Ad huius impugnationem sumptam ab exemplo conclusionis, illatæ ex altera præmissa necessaria, altera contingente, respondetur esse disparem rationem; quoniam necessitas sumitur ex medio, siue coniunctione ipsius cum extremis: quæ si vel ex vna parte contingens, ac indissolubilis est, medium est contingens: & consequenter ex vi ipsius non infertur conclusio necessaria: at maior, vel minor certitudo sumitur ex maiore vel minore repugnantia principiorum, vt deficiant; atque adeò cùm stante eadem forma syllogistica possit deficere veritas conclusionis ob defectum principiorum, fit vt discursus similes quoad formam, dissimiles quoad principia, sint magis, vel minus certi iuxta maiorem, vel minorem certitudinem principiorum: & quoniam principia discursus Theologici reliqua omnia certitudine excedunt, conclusio quoque ex ijs illata omnes alias conclusiones certitudine superat.

Conclusio Theologica est certior naturali scientia.

IX. Argumenta Aureoli non concludunt: nam licet cætera omnia, quæ longo illo discursu continentur, admittam suo loco expendenda, & solùm dicam, quando ex discursu constante vtraque præmissa reuelata, vel saltem altera cum alia naturaliter euidente colligitur aliqua conclusio, acquiri nouum habitum à fide distinctum, tota vis argumenti eneruatur.

Habitus Theologicus per se, ac propriè non est probatiuus principiorum reuelatorum, sed deductiuus conclusionum ex ipsis.

Caput IX.

I. DVrandus, quæst. 1. prologi, num. 10. 18. & 48. Theologiæ habitum probatiuum esse contendit, vult tamen, vt hoc sibi vendicet, non ratione conclusionum ex principijs reuelatis deductarum, sed respectu articulorum, ita vt proprius habitus Theologiæ sit is, quo principia reuelata defenduntur, ac probantur. Indicat autem eiusmodi probationes non niti auctoritate diuina, sed ratione: quandoquidem ait *hunc habitum, & fidem esse de eodem: differre autem, quia id quod fides tradit sola auctoritate, Theologia tradit ratione.* Hanc verò rationem sentire videtur esse solùm opinatiuam, vt patet ex argumento, quod proponit, num. 14. & solutione, quam adhibet, num. 17. Probat verò numero illo. 18. suam sententiam. Quoniam omnis habitus Theologicus deficit à ratione scientiæ propriè dictæ: atque ideò non est vnus habitus præcipuus, qui nomine Theologiæ censeatur, & cui veluti annexi sint alij habitus de eadem materia, sicut fit in alijs scientijs: sed omnibus habitibus Theologicis facientibus assensum, conuenit nomen Theologiæ, maximè verò probatiuo eorum quæ sunt fidei, vt constat ex

Durand.

testimo-

testimonio Augustini sæpius citato, ergo ille habitus est propriè Theologicus. Probat deinde, num. 48. citato, quoniam ex principijs fidei nulla est vera deductio, sed solùm explicatio explicita eius, quod in articulo reuelato continetur implicitè. Verbi gratia, quando ex eo, quòd Christus dicitur homo, concludimus Christum habuisse veram carnem, & non phantasticam; argumentamur ad explicandum sensum, quo dicitur homo, nempè verus, nō verò ad inferendum aliquid non reuelatum. Tandem licet ex articulis multa practicè deducantur, tamen in eo principaliùs intenditur clarior intelligentia ipsorum.

II. *Aureol.* Hæc eadem pars ostendi potest argumentis, quibus vtitur Aureolus ad probandum non gigni assensum vllum Theologicum à fide distinctum per Syllogismum deductiuum, ex principijs de fide. Nam vel vtrumque erit de fide; vel saltem alterum coniunctum cum aliqua præmissa naturali: si vtrumque sit de fide, vel saltem alterum cum naturali necessaria, erit actus fidei: si cum naturali probabili, erit actus opinionis: neuter verò est propriè Theologicus, vt patet: ergo assensus resultans ex syllogismo deductiuo ex reuelatis, non est Theologicus: & consequenter neque actus ex ipso genitus. Si in præmissis interueniat aliqua propositio probabilis, certum est totum medium esse probabile, & consequenter eo discursu gigni opinionem: nam cùm medium deficiat alterutra præmissarum deficiente, non potest esse certum, ac necessarium; si vel vna sit probabilis; & consequenter nequit gignere assensum certum, sed formidolosum, qualem non elicit habitus Theologicus. Si verò altera præmissarum sit reuelata cum naturali euidente coniuncta, non gigni actum, vel habitum à fide distinctum, id verò multipliciter ostendit. Primò quoniam conclusioni sic illatæ assentitur Theologus assensu certo, atque ineuidente propter veritatem primam quæ est propria ratio assensus fidei. Secundò quia oppositum hæresis est propriè obiectum fidei, qui verò negaret hanc, *Christus habet duas voluntates*, deductā ex principijs fidei, esset hæreticus: ergo qui illi assentitur credit ex fide. Tertiò denique, quoniam implicitum, & explicitum non distinguunt habitum fidei: sed tunc conclusio illata solùm differret ab immediatè reuelatis penes implicitum, vel explicitum: nam principia essent explicitè reuelata, conclusio verò implicitè in ipsis præmissis: ergo non haberet habitum à fide distinctum. Maior propositio constat, quoniam fides maiorum veteris testamenti erat implicita circa multa mysteria, quæ nos explicitè credimus, nec tamen erat alia fides à nostra.

III. Habitus Theologicus non est probatiuus aut discursiuus circa principia fidei. *S. Thom. Caietanus. Richardus. Capreolus. Hispalens. Soncinas.*

Dico primùm, habitus Theologicus non est primò, ac per se probatiuus, aut discursiuus circa ipsa principia fidei reuelata. Sensus est, non pertinere per se ad habitum Theologicum probare ipsos fidei articulos, aut veritates à Deo immediatè reuelatas: ita D. Thom. 1. p. qu. 1. art. 8. cum Caietano, Richardus q. 7. prologi in cap. Capreolus, qu. 1. prologi, art. 1. conclusione 5. Hispalens. q. 1. a. 1. concluf. 4. Soncin. qu. 1. conclusione 5. & eiusdem sententiæ sunt doctores, qui dicunt articulos esse principia, quos referam tractatu secundo, capite quarto. Fundamentum D. Thomæ est, quoniam ad nullam scientiam per se pertinet ostendere sua principia, sed illis suppositis ad veritates ijs contentas inuestigandas procedere: propositiones immediatè reuelatæ sunt principia Theologica, vt ostendam loco proximè indicato: ergo nō per se pertinet ad Theologum illa ostendere. Secunda Theologia vt ipsemet Durandus admittit, & infrà ostendam, est habitus distinctus à fide, & ab omni habitu solo naturali lumine acquisito: si verò versetur circa obiectum fidei, ex pura ratione naturali nullo modo distinguetur ab habitibus naturalibus: pleraque enim reuelata ostendit philosophus naturalis: atque ita non est per quid Theologia à philosophia naturali, vel metaphysica distinguatur: distinctio enim non sumitur ab obiecto materialiter sumpto, sed à medio, quo conclusio ostenditur: aut ergo Theologia vtitur rationibus opinatiuis, nullo modo ex reuelatione pendentibus, aut media, queis vtitur, resoluit in diuinam auctoritatem: si vtitur medijs opinatiuis absque auctoritate diuinæ reuelationis, ea sub eadem prorsus ratione formali adhiberi possunt à metaphysico: vndè D. Thom. art. 8. citato ad secundum merito asserit sacram doctrinam vti rationibus, & auctoritatibus philosophorum tamquam medijs extraneis, vt benè ibi explicat Caietanus. Atque adeò Theologia quatenus vtitur illo argumentandi modo, non differt à scientijs naturalibus: si verò vtitur reuelationis adminiculo, aut tamquam ratione immediata assentiendi; & ita non distinguitur à fide, quæ immediatè nititur reuelatione diuina: aut tamquam principio remoto, atque mediato:

S. Thom.

Caietan.

diato: & ita iam erit proprie discursiua deducendo conclusiones à principijs fidei, non verò solùm ipsam tuendo. Id verò, quòd asserit Durandus, nulla probabilitate nititur; nimirũ proprium, ac verum habitum Theologiæ esse eum, quo articuli fidei ex probabilibus ostenduntur. Nam obiecta materialia fidei sunt diuersissima: atque adeò cadere nequeunt sub vnius scientiæ considerationem, nisi sub vna ratione formali motiua: atqui rationes probabiles non continentur vlla certa ratione formali: ergo non est vnus habitus, aut scientia circa diuersa obiecta ex solis probabilibus disputans; ad hoc enim sat est dialectica vtens.

IV. Theologicus habitus differit circa cõclusiones principijs reuelatis fundatas. *Basilius.*

Dico secundùm. Theologicus habitus propriè, ac per se differit circa conclusiones in principijs reuelatis virtute contentas. Hæc scientia est D. Thomæ, & communis doctorum, quos pro præcedenti conclusione citaui; traditur etiam à Basilio in Psal. 115. explicans enim illa verba: *Credidi propter quod locutus sum: in quolibet*, inquit, *studio, quod ordine ad finem procedit, impossibile primorum subiectorum demonstrationes inquirere; sed necesse est omnium artium, quæ probatione nituntur, principia sine inuestigatione, aut rationem admittentem ad reliqua, quæ deinceps sequuntur, respicere. Sic & Theologiæ mysterium ex fide minimè rationibus probata ædificium quærit.* suadetur autem ex citato D. Pauli testimonio: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad arguendum.* nam veritas vtilis ad arguendum continet virtute alias veritates, quæ ex ipsa per discursum deduci possunt: cognitio vero per eum discursum genita pertinet ad habitum, qui per ipsum gignitur: hic non est fides, quæ præcedit discursum, vtpote eius principium: non habitus vllus, aut scientia naturalis: ergo Theologicus. Inquiet aliquis hoc argumento probari Theologiam discurrere circa eiusmodi conclusiones: sed non per se primò, quod erat probandum. Probatur tamen, quoniam Theologia ideò nõ discurreret per se primò circa conclusiones ex fide deductas, quia hoc per se primò conuenit alteri habitui: vel quia ipsa per se primò versatur circa aliam materiam: neutrum ex his verum est: ergo per se primò discurrrit circa conclusiones deductas ex fide. Probatur assumptio, quoniam non est alius habitus, cui id competat; non fides, vt patet ex dictis, & infrà probabo; non vlla scientia naturalis: quia habet euidentiam, quam non admittit assensus deductus ex reuelatis: non fides humana aut opinio, quia non habent eam certitudinem, quam vendicat assensus collectus ex principijs reuelatis. Ipsa verò Theologia non habet aliud obiectum circa quod per se primò versetur. Etenim eius obiectum vnum ex tribus fingi potest: vel connaturale non indigens reuelatione, vt agnoscatur: vel immediatè reuelatum: vel deductum ex immediatè reuelatis. Circa primum nec ipsemet Durandus asserit versari Theologiam, & meritò: quoniam est obiectum scientiarum, & habituum naturalium: circa secundum versatur fides, non Theologia: ergo hæc non habet aliud, circa quod primò, ac per se versetur. Et confirmatur, quoniam eiusmodi conclusiones ex fide deductæ, sunt obiecta per se cognoscibilia, non minus quàm conclusiones scientiarum naturalium: hæ vendicant habitus, qui circa ipsas propriè, ac per se primò versentur: ergo & illæ vendicabunt, non enim apparet vlla diuersa ratio: nõ est autẽ alius, quàm Theologicus: ergo ad hunc propriè & per se primò spectat disputare de quæstionibus Theologicis inferendo conclusiones non immediatè reuelatas ex principijs reuelatis.

V.

Dico tertium. Interdum per accidens fieri potest, vt Theologia argumentetur tuendo principia; hæc est D. Thomæ, 1. p. quæst. 1. art. 8. cum Caietano, Richardi citati, Scoti in 3. d. 24. quæst. vnica. §. *contra istam*, Argentinat. quæst. 2. prologi, art. 2. & quæst. 4. art. 2. ad 1. argum. ex 2. loco positis, Marsilij quæst. 2. art. 3. propositione 8. Capreoli, qu. 1. ad primum Aureoli contra quintam conclusionem Soncinatis vbi supra. & Cani lib. 12. de locis, c. 5. pro cuius explicatione notanda doctrina D. Thomæ, art. cit. vbi ait eos, *qui negant principia fidei, vel quædam negare, alia recipere, vel nulla omnino recipere: si priore modo se habeant, posse Theologum aduersus eos argumentari ex ijs, quæ recipiunt, ad probanda ea, quæ negant: qui vsus fuit frequens apud Patres, vt videre est in Tertulliano libris aduersus Marcionem, vbi ex nouo testamento, quem recipiebat, ostendit Deum veteris, quem negabat, esse ipsummet, quem Euangelium prædicat:* & in alijs Patribus aduersus hæreticos disputantibus. *Si verò posteriore modo se habeant, ait nullam superesse viam probandi illis articulos fidei: sed solùm soluendi ipsorum rationes, quas certum est non concludere, cùm nulla ratio contra veritatem careat solutione.* Itaque tria ex hac doctrina colliguntur: primum est: contra recipientes aliqua principia fidei disputare potest Theologia probando: secundò contra omnia negantes non potest disputare

S. Thom. Caietanus. Richardus. Scot. Argentinat. Marsilius. Capreolus. Soncinas. Canus.

Theologia quomodo argumentando tueatur principia.

arguen-

arguendo: tertium potest cum eis differe re respondendo, & soluendo rationes.

Quomodo ex reuelata alia etiam reuelata colliguntur.

Primum facilè probatur: quoniam inter articulos reuelatos, alij ex alijs rectè colliguntur: nam ex immortalitate Dei, rectè deducitur æternitas; & tamen vtraque est reuelata: item ex eo, quòd Deus genuerit filium, rectè colligitur contra Sabellium Filium esse alium à Patre, & eos esse duas personas realiter distinctas; quare si quis concedat primum & neget secundum, facilè conuincetur à Theologo: esse verò hoc munus Theologiæ, non fidei, probatur: quoniam fides ad eorum assensum per se inclinat, quæ reuelata sunt ex motiuo reuelationis: talis autem deductio non est reuelata; ergo fides non inclinat ad assensum ex eo discursu pendentem. Non est alius habitus à quo esse possit quam Theologia: si quidem scientia, aut habitus naturalis non procedit ex principijs reuelatis. Ex quo colligitur discrimen inter Theologiam, & alias scientias quoad modum probandi sua principia: quoniam aliæ vel nullo modo probant, vel non probant directè, & ostensiuè: sed deducendo ad impossibile, & non ex propria ratione sui habitus: Theologia verò quamuis per se non probet principia, quia illa supponit ex diuina auctoritate, per accidens tamen aduersus negantes probare potest: dico per accidens, quia per accidens est, vt propositio, quę ex reuelatis deduci potest, sit etiam reuelata: non verò quia discursus ille nõ sit verè Theologicus: verè enim, ac propriè proficiscitur ab habitu Theologico directè ex proprijs principijs, non verò per deductionem ad impossibile, vt metaphysica ostendit communia principia. Ratio huius differentiæ est, quoniam prima principia scientiarum non habent alia prima in eodem genere scientiæ, à quibus ostendantur: at in Theologia sunt plura principia reuelata, quorum vnum probari per aliud potest: atque ita Theologicus habitus discursu verè Theologico vti potest ad probanda sua principia, cùm opus est, ad eos, qui alia negant, alia recipiunt. Duo alia dicta D. Thomæ inferiùs expendenda sunt.

VI. Porrò primum fundamentum Durandi nõ est firmum: nam quamuis Theologia ratione ineuidentiæ non participet omninò propriam, ac perfectam rationem scientiæ, ratione tamen certitudinis maximè ad illam accedit: & est multò excellentior omni habitu genito per assensum productum virtute medij opinatiui; atque adeò habitus procedens ex assensu Theologico circa conclusiones ex fide deductas est multò excellentior, quàm omnes ij, de quibus loquitur Durandus: nam quamuis sint de obiecto materiali fidei, sunt incerti ex parte medij opinatiui: & ideò inter omnes prior ille tamquam præcipuus in doctrina Theologica reputandus est, ad quem cæteri reducantur, si quo tamen modo reduci possunt, qua de re inferiùs agam. Porrò auctoritas D. Augustini non cuilibet habitui accommodari potest, & multò minùs opinatiuo, vt vult Durandus: nam Augustinus scientiam vocat, habitus verò opinatiuus caret vtraque scientiæ proprietate certitudine scilicet, & euidentia: ideoque Doctores communiter dictum Augustini interpretantur de vero habitu Theologico: qui etiam præstat ea omnia, quæ numerat Augustinus vel per se, ac primariò; vel secundariò, & per accidens: Augustinus autem non intendebat tradere exactam definitionem Theologiæ, sed eam vtcunque per aliquos eius effectus declarare. Ad secundum respondeo, non semper discursus Theologicos procedere ad explicandum sensum propositionis immediatè reuelatæ: vt fortè accidit in eo, cuius in argumento fit mentio, sed etiam ad sciendum formaliter, ac per se veritatem in se ipsa non reuelatam. Nam si vera est demonstratio physica, qua ostenditur hominem esse risibilem, quia est animal rationale, cur non erit Syllogismus Theologicus, quo idem de Christo ex eodem motiuo probatur. Quod verò vltimo obijcitur, nimirum, principaliùs intẽdi per Syllogismos Theologicos clariorem notitiam reuelatorum, non est absolutè verum, si consideremus naturam habitus deductiui: qui per se primò dirigitur ad cognoscendas nouas veritates, quamuis per accidens ex intentione vtentium aliter aliquando contingat.

VII. Ad fundamentum Aureoli dicendum proprium discursum Theologicum constare vtraque præmissa reuelata, vel saltem altera reuelata, altera naturaliter euidente: cùm verò obijcit hoc discursu gigni propriè, ac per se actum fidei, non verò assensum Theologicum, negandum est: & ad primam rationem, qua oppositum suadetur dicendum, non eodem modo assentiri conclusioni certò, atque ineuidenter propter veritatem primam ex habitu fidei, ac ex Theologico, hic enim, vt infrà explicabo, nititur remotè reuelatione diuina, fides autem proximè. Secundò respondeo eum qui negat conclusionem

Theologicam, implicitè reuelatam, censeri hæreticum, quia præsumitur negare præmissam in se reuelatam: nam si negaret putans non benè sequi ex illa, non esset hæreticus, vt fusius alibi exponam. Porrò exemplum de duabus in Christo voluntatibus, non est conclusio purè Theologica, sed in se etiam reuelata, & credenda, quia in Concilijs definita. Ad tertium respondeo; cùm dicitur eadem fides Patrum, ac nostra, sermonem propriè esse de obiecto fidei, quod etiam fidei nomine censetur, vt colligitur ex verbis Athanasij in Symbolo. *Athanas.* Quomodo sit eadem fides patrum veterum, ac nostra. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter, firmiterq; crediderit, saluus esse non poterit.* quod enim creditur fidei obiectū est: fuit itaque Patrum veteris, ac noui testamenti fides eadem, quoniam, quod hi explicitè credunt, illi credebant implicitè: non quidem ita vt more Theologorum ea quę nos credimus explicitè tenerent ex principijs immediatè reuelatis deducentes: sed quoniam credentes sibi reuelata principia, figuras, & vmbras futurorum, implicitè credebant significata, & contenta in ijs virtualiter: ex quo etiam sequitur actum credendi implicitè, atque explicitè, ad eundem habitum pertinere, si præcisè sit actus credendi: erit autem quoties immediatè fertur in obiectum per se reuelatum: at si explicita cognitio per se primò, & immediatè non nititur reuelatione, sed remotè, tunc ratio cognoscendi explicitè infert specificam differentiam actus, vt infrà constabit.

TRACTATVS SECVNDVS DE CAVSIS THEOLOGIAE.

QVoniam vnamquamque rē scire tunc maximè dicimur, cùm principia eius, & causas agnoscimus, vt Theologiæ naturam, & proprietates inuestigemus, ab illius causis exordiendū est. Et primò quidem agendum de extrinsecis, ex quibus sumitur ratio formalis intrinseca, in qua natura eius, & essentia consistit: nam cùm sit res spiritualis, non habet aliam causam intrinsecam, quàm formalem: extrinsecas verò habet ex omni genere finalē efficientem, materialem, & formalem: nā obiectū, ad quod habitus suapte natura referuntur, & à quo sumunt speciem, ac distinctionē, meritò vocari potest ratio formalis extrinseca; ab eo enim quasi sigillo quodam formantur habitus. In hoc autem tractatu de tribus prioribus: in sequente de obiecto dicam. Et quoniā finalis inter omnes causas primum locum habet, eum quoque in hoc tractatu vendicabit.

Finis Theologiæ est cognitio primæ veritatis, & instructio ordinans ad summam bonitatem.

CAPVT I.

I.

HAbitus omnis, & facultas est ob aliquē finem, vel eius potentiæ, in qua est, vel alterius ab ipsa regulatæ: quidquid enim vim actiuam habet, finē respicit, cuius metaphorica tractatione cessante, cessat omnis operatio agentis. Theologia verò, vt ex nominis etymologia constat, est facultas loquendi de diuinis rebus; locutio autem, operatio mentalis est, omnis enim sermo exterior ab interna mētis cōceptione deriuatur: atq; adeò Theologia est quædā facultas intelligendi res diuinas: ex quo etiam constat considerationem eius versari circa finem vniuersi. Et ita finem Theologiæ esse Deum, supponunt Bonauentura, q. 1. prologi ad 2. Henricus in sum. art. 19. q. 1. ad 1. & 2. Scotus, q. 3. prologi. §. *ad 1. argum. 1. opinionis.* in solutione 2. Richardus, q. 6. ad 1. Bassolis. q. 3. §. vlt. ad 2. arg. & alij: probat autem D. Thom. lib. 1. contra gentes, c. 1. in hunc modum. Finis vltimus vniuersi est veritas prima: Theologia autem versatur circa primam veritatem: ergo præcipuè insistit circa considerationem

Theologia quid sit.

Bonauent. *Henric.* *Scotus.* *Richard.* *Bassol.* *S. Thom.*

Theologiæ finis Deus est.

nem finis vniuersi. Maiorem propositionem ostendit, quoniam finis vltimus cuiusuis rei est is, qui intenditur à primo eius auctore, ac motore: nam quæcumque ab hoc fiunt, diriguntur ad vltimum finem ipsi propositum; primus autem auctor, & motor vniuersi est intellectus: bonum verò eius est veritas: ergo hæc est vltimus finis totius vniuersi.

II. *Ferrarienſ.* Circa hanc rationem nonnulla mouet dubia Ferrariensis ibidem. Precipuum est, quoniam quamuis intellectus sit absolutè secundum rationem prior voluntate, omnis quippe actus voluntatis supponit actũ intelligendi, non è contra; tamen in ratione motiui prior est voluntas intellectu, vt ipsemet D. Thom. affirmat. 1. p. q. 82. ar. 4. ergo in creatione vniuersi, & in finis intentione primus motor est voluntas, nõ intellectus: ex quo deinde sequitur vltimum finem vniuersi esse bonitatẽ Dei, nõ veritatem, vt ait D. Thom. *S. Thom.* Vt his dubijs respondeat, supponit duplicem esse finem, alterũ proximum, alterum remotum; & proximum finem sapientiæ, siue intellectus diuini esse; vt suam formam creatis rebus inducat, hoc est, vt faciat illas conformes suæ cõceptioni, siue ideæ: & quia creatura imitatur conceptionem diuini intellectus, habet pro fine proximo operantis veritatem intellectus diuini: quia verò hoc ipso, quod Deus veritatem suam creaturæ communicat, intendit etiam, vt ipsa diuinæ bonitatis particeps fiat: bonitas est finis vltimus. Deinde supponit finem vltimum dupliciter dici posse: primò quia est vltimatè intentus à suis causis ordine executionis: alio modo quia finis proprius est causæ vltimæ, & supremæ ordine resolutionis. Et hoc modo quiuis finis à causa vltima intentus, dicitur vltimus in ordine ad fines aliarum causarum, qui omnes tandem referuntur ad finem illius; finis autẽ huius non ordinatur in finem alterius causæ superioris. Hoc posito respondet ad primum dubium D. Thomam locutum fuisse de fine vltimo hoc secundo modo, cùm dixit veritatẽ esse vltimum finẽ vniuersi: idque colligit ex eo, quod D. Thomas non dixit finis vltimus vniuscuiusque rei est, qui vltimatè intẽditur à primo eius auctore, sed absolutè, atque indistinctè, qui ab eius primo auctore intenditur: atque ita quamuis bonitas sit absolutè vltimus finis vtroque modo, non impedit, quo minùs veritas sit vltimus secundo modo. Ad secundũ verò dubium respondet, ex eo, quòd D. Thom. appellet intellectum primum motorem, non excludi voluntatem, quoniam Deus agit per intellectum & voluntatem, & quamuis motio libera sit prior à voluntate; tamen semper præcedit aliquis actus intellectus.

Finis vltimus dupliciter dici potest.

III. Hæc tamen responsio non videtur ad mentem D. Thomæ, nec facit ad eius institutum: nam D. Thomas intendit ostendere finem Theologiæ esse considerare primam veritatem, quæ est finis vltimus vniuersi: at si veritas non est finis vltimus simpliciter, non probatur institutum; nam dici poterit potiùs esse finem Theologiæ considerare bonitatem diuinam, quæ est finis omninò vltimus; quàm veritatem, post quam creaturæ referuntur vlteriùs ad bonitatem. Præterea id, quod dicitur finem proximum sapientiæ diuinæ esse, vt formam suam creatis rebus imprimat, non est verum. Tum quia prima, & immediata operatio Dei ad extra non est finis sapientiæ diuinæ, sed medium ad finem, à Deo intentum: tum quia hoc etiam modo quis diceret immediatum finem bonitatis diuinæ esse imprimere creaturæ formam, & similitudinem suam, faciendo illas sui participes; deinde verò per vtriusque formæ impressionem dirigi vlterius creaturam ad manifestationem, tum veritatis, tum bonitatis diuinæ: atque adeò quoad hoc nullum esse discrimen assignatum à Ferrariense, qui aberrauit à mente D. Thomæ propter æquiuocationem nominis *veritas*: quę modo sumitur pro formali perfectione intellectus, hoc est, pro sapientia, quomodo dici potest veritas in intelligendo: & ita vsurpatur à Theologis, quando dicunt primam veritatem falli non posse: modo verò pro veritate intelligibili, quæ pertinet ad obiectum intellectus, & dici potest veritas in essendo: quæ est proprietas omnis entis, & quemadmodum Deus est primum ens, ita secundum hanc acceptionem est, ac dicitur prima veritas. De hac verò non de priore loquitur D. Thom. cùm ait *sapientiam insistere circa primam veritatem, & eam esse vltimum finem vniuersi:* Etenim sapientia non insistit solùm circa considerationem veritatis, quatenus sapientia est, sed etiam bonitatem, omnipotentiam, & reliqua attributa diuina contemplatur. Et quia Ferrariens. interpretatus est D. Thom. de veritate intellectus, non obiectiua, sed formali; idcirco non soluit difficultatem, nec explicauit quomodo ex hac ratione D. Thom. colligatur, finem Theologiæ esse eundem, qui totius vniuersi, hoc est, primam veritatem: nec aperuit discrimen, quod inter ipsam, & res cæteras intercedit, quoad

Finẽ proximum sapientiæ diuinæ esse, vt formam suam creatis rebus imprimat, non est verum.

respectum ad hunc finem: nam si totius vniuersi, & creatarum rerum omnium finis est prima veritas, quid peculiare sibi quoad hoc Theologia vendicat?

IV.

Ferrariens.

Vt hæc duo explicentur, & dissoluantur dubia proposita, obseruandum id, quod ipsemet Ferrar. ibidem §. *Circa istam propositionem in eadem*, rectè notauit, nimirum dupliciter rem aliquam esse propter finem: primò scilicet propter ipsum faciendum, perficiendum, aut obtinendum realiter: secundò propter ipsum declarandum. Priore modo non sunt creaturæ propter Deum, aut vllam eius perfectionem: præexistit enim rebus omnibus; neque ipsi aliquid intrinsecum ex sua, aut illius creaturæ operatione accedit, neque realiter à nobis; sed solùm intentionaliter attingitur. Posteriore verò modo res omnes factæ, relatæ à Deo sunt ad manifestationem gloriæ suæ, bonitatis, sapientiæ, ac reliquorum attributorum quæ in eius operibus elucent, vt constat ex illo Pauli ad Roman. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, &c.* & quamuis per quædam opera intendat manifestare potiùs vnum attributum, quàm aliud, in reproborum punitione iustitiam, & hominum redemptione misericordiam: singulis tamen omnia ferè manifestat saltem tria ad quæ cætera fermè reducuntur, nempè sapientiam, bonitatem, omnipotentiam. Quomodo igitur, inquiet aliquis, finis vltimus dicitur veritas, non sapientia, aut bonitas, cùm hæc ipsa manifestentur? Respondeo causam esse, quoniam omnia manifestantur sub ratione veritatis, manifestatio enim ordinem habet ad obiectum, quod manifestatur: & ad potentiam, cui manifestatur: atque ita non potest obiectum materialiter sumptum, manifestari potentiæ, nisi sub ratione formali ipsius. Manifestatio autem, quam Deus intendit, est in ordine ad intellectum, cui nihil proponitur nisi sub ratione veri: atque adeò quamuis per operationes Dei ad extra, & res omnes creatas perfectiones omnes diuinæ manifestentur, omnes tamen ad hoc induunt rationem veritatis, sub qua manifestantur: & consequenter formaliter loquendo verissimè dicitur creaturas omnes, & totius ordinem vniuersi manifestare veritatẽ perfectionem diuinarum. Quod probatur ex responso Christi Domini ad Pilatum. Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* quo vtitur D. Thom. eodem loco: Christus autem non venit, vt solùm testimonium perhiberet de sapientia diuina, sed de bonitate, & alijs mysterijs abconditis; quia tamen hæc omnia testabatur, ac docebat sub ratione veritatis, & hoc ipso primã veritatem, cui subsunt omnes perfectiones diuinæ, manifestabat hominibus, idcirco dixit se ad hoc natum, vt testimonium perhiberet veritati: ad quod testimonium pro suo modulo perhibendum creatura omnis est condita à Deo. Quoniam verò testimonium, siue manifestatio, vt iam dixi, habitudinem quoque habet ad potentiam, cui veritas manifestatur, tota machina vniuersi, & effectus Dei ad extra, ad hoc sunt, vt de prima veritate testimonium perhibeant creaturæ rationali: hæc autem non solùm, vt testimonium perhibeat, sicut cæteræ, sed vt veritatem ipsam contempletur, & agnoscat: & quoniam contemplatio fit interuenta alicuius luminis, aut habitus: illius quoque finis est contemplatio primæ veritatis: Et hinc patet sensus literæ D. Thom. & cur potius dixerit primam veritatem esse finem vniuersi, quàm bonitatem: nempè quia manifestatio perfectionum diuinarum, ad quam res omnes ordinantur, materialiter respicit bonitatem, vt cæteras: formaliter autem veritatem, nam omnes manifestantur sub ratione veritatis.

Res aliqua propter finẽ est dupliciter.

Ad Rom. 9.

Ioan. 18. Quomodo Christus venerit in mundum, vt testimonium perhibeat veritati.

V.

Intellectus quomodo sit primus inter.

His positis facilè diluuntur dubia mota à Ferrar. Ad primum dicendum est intellectum dici primum motorem, quoad directionem, non quoad finis intentionem: hæc enim semper est à voluntate: & quia diuina voluntas liberè quidem, sed non casu, & sine arte operatur, res ad extra producit secundum artem, & sapientiam diuinam, quam nostro modo intelligendi sequitur in modo agendi. Itaque duæ hæ potentiæ se mutuo præcedunt, & subsequuntur in operando: intellectus ostendit opus, & modum operandi, voluntas applicat artem, & omnipotentiam ad executionem: imò ipsa voluntas intendit manifestationem diuinæ veritatis modo explicato: & ita veritas ipsa sub ratione boni intenditur à voluntate diuina tamquam supremus rerum omnium finis. In hoc verò differt Theologia à cæteris rebus in huius finis intentione: quòd illæ respiciunt illud, vt obiectum significandum, ac declarandum potentiæ intelligenti: Theologia verò, vt obiectum contemplandum, & intelligẽdum. In quo differt etiam à reliquis scientijs inferioribus, quæ non considerant ipsam primam veritatem, sed veritates creatas à prima illa deriuatas. A metaphysica verò differt, quoniam licet hæc cõsideret etiam

primam

primam veritatem, non tamen prout est finis vniuersæ creaturæ, sed naturalis: quæ tãtùm est apta ad manifestandas perfectiones diuinas, quatenus sunt principia, ac fines rerum naturalium: Theologia verò respicit ipsam primam veritatem, quatenus est finis vniuersæ creaturæ, tam naturalis, quàm supernaturalis; & multo magis hoc secundo modo, quo veritas est finis vltimus omnium rerum: nam naturalia ad supernaturalia ordinantur, hæc autẽ referuntur ad manifestationem veritatis primæ in se, & supra captum facultatis omnis creaturæ intellectricis; quam proinde sola Theologia contemplatur in via obscurè, in patria euidenter. Ex quo tandem apparet proprius finis nostræ Theologiæ, qui consistit in contemplatione ænigmatica veritatis diuinæ.

VI. Veritatis perfecta contemplatio duobus continetur.

Veritatis autem perfecta contemplatio duobus continetur, nempè, errorum impugnatione, & veræ notitiæ acquisitione: extirpandis enim erroribus veritas mentibus inseritur, & adolescit: & hoc indicauit Augustinus, cùm dixit lib. 14. de Trinitate, cap. 1. *Illud tantummodò huic scientiæ tribuo, quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Duo enim priora pertinent ad veritatis perceptionem; posteriora ad errorum propulsationem; opera enim, & studio Theologiæ fides contra errores defenditur, & roboratur, ne in pusillorum animis falsis argumentis oppugnata deficiat. Et quemadmodum *scienti*, vt ait Philosophus lib. 1. Posteri. cap. 2. in fine, *nihil est certius, quam oppositum suorum principiorum esse impossibile*, & demonstratio quæ facit scire, hoc ipso oppositum errorem excludit: ita Theologia per se quidem, ac directè refertur ad notitiam veritatis habendam; quia tamen supernaturales veritates, quas cõtemplatur, ignorantur, imò & oppugnantur ab infidelibus, non potest plantare semen fidei, ac veritatis, nisi euellantur errores oppositi: idcirco à D. Thoma duo hi fines Theologiæ assignantur: confutatio errorum, & contemplatio primæ veritatis: quos colligit ex sententia illa Salomonis Prouerb. 8. *Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.* Veritatis contemplatio satis constat prioribus verbis, erroris detestatio colligitur ex posterioribus: nam quid est aliud detestatio impietatis, quàm reprobatio falsitatis repugnantis doctrinæ veræ religionis, quæ pietatis nomine censetur. Itaque opus sapientiæ reuelatæ, siue Theologiæ, est verum attingere, ac non decipi, & errantes refellere, vt notat idem D. Thom. in cap. 2. epistolæ 2. ad Timoth. lect. 3. & ob hanc causam Apostolus, 2. ad Corinth. 10. fidem ac scientiam sibi à Deo datam vocat *Arma spiritualia potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* per altitudinem verò extollentem se aduersus scientiam Dei, intelligitur profunditas humanæ sapientiæ, qua elati philosophi mysteria fidei contemnebant; arma verò Apostoli spiritualia, nempè sermo veritatis: hanc ipsam inanem sapientiam, & errores destruebant: quo significatur pars quædam finis Theologiæ, siue scientiæ reuelatæ. Redigebat autem in captiuitatem intellectum in obsequium fidei, puram, sinceramque veritatis notitiam tradendo, qua susceptà credebant, subijcientes intellectum testimonio veritatis circa ea, quorum euidentiam non habebant, quæ est altera, imò præcipua pars finis Theologiæ. Id verò rectè colligitur ex nomine, quo Paulus vtitur, vocans arma: hæc enim aliquem finem respiciunt, cui obtinendo vtilia sunt. Verùm hîc notandum Theologiam hunc finem primò, ac per se intendere in eo, cui inest, quem facilitat ad primæ veritatis contemplationem, & erroris detestationem; secundariò verò in alijs, qui opera Theologi ab errore ad veritatẽ reuocantur: idem enim est habitus, quo magister contemplatur, & scit veritatem, & quo eandẽ alijs cõmunicat, vt docet S. Thom. lib. 4. contra gentes, cap. 13. de primo intelliguntur verba, Salomonis superiùs adducta: de secundo sentẽtia D. Pauli proximè allata.

S. Thom.

2. ad Cor. 10

Aristot.

S. Thom.

Prouerb. 8.

VII. Theologia alia est speculatiua, alia practica.

Porrò hic finis contemplandi veritatem, & refellendi errores adhuc bifariam secatur, iuxta veritatis ipsius distinctionem: nam veritas alia est purè speculabilis, alia operabilis: ex qua varietate nascitur distinctio scientiæ speculatiuæ, ac practicæ, quarũ rationes modo aliquo in Theologiam cadere infra ostendam. Ex quo patet duplicem esse finem Theologiæ, alter est considerare veritatem primam, vt purè speculabilem: alter agere de ipsa quatenus praxeon obiectum esse potest: non enim Deus cognoscitur solùm vt sapiens, iustus, misericors, & perfectionũ omniũ pelagus, sed etiã ratione ipsarũ, vt summè amabilis, & colendus, ex quibus sumuntur principia rationis practicæ dirigentis operationes humanas

humanas erga Deum. Ex quibus omnibus elicitur finē Theologiæ reuelatæ esse ipsam creaturæ rationalis perfectionem: quæ ex actione, & cōtemplatione coalescit; siquidem Theologia actionem mensurat, contemplationem elicit. Quæ omnia D. Paulus complexus illis verbis ex 2. ad Tim. 2. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei.* Nam hoc ipso, quo est vtilis, finē aliquem respicit: is autem est veritas, siue practica, siue speculatiua: vt etiam colligitur ex illo Christi Domini Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus docebit vos omnia.* scilicet cognoscenda vt citato loco ad Tim. notat D. Thom. *Et suggeret vobis omnia.* nempè operanda. Porrò vtrumque horum, tū quoad veritatis agnitionem, tum quoad expulsionem errorum, attigit Apostolus: nam cùm dicit *vtilis ad docendum,* indicat vim rationis speculatiuæ ad inferendam veritatis agnitionem: cùm verò addit *Ad arguendum,* eiusdem vim ad falsitatis expugnationem: veritatis enim oppugnatores arguimus, vt patet ex illo Pauli ad Tit. 1. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quoad rationem verò practicam eadem duo perstringit illis verbis *Ad corripiendum, & erudiendum.* Corripiuntur enim, qui labuntur in culpam, vt fugiant à malo. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum,* Paulus 1. ad Cor. 11. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur:* ad bonum verò operandum erudiuntur homines per sanam doctrinam. Vltimum verò effectum siue finem, qui ex vtroque integratur, tetigit Apostolus vltimis verbis, *Vt perfectus sit homo Dei:* hic enim est finis, quem sacra doctrina respicit, vt effingat hominē perfectum, & reformet in eo imaginem Dei.

2. ad Tim. 2. — Ioan. 14. — S. Thom. — ad Tit. 1. — Matth. 18. — 1. ad Cor. 11.

VIII. Obiectiones contra prædicta.

At obijci potest, in primis, quòd finis hic est Scripturæ diuinitùs inspiratæ; Theologia verò nō est Scriptura diuina, sed habitus ratiocinatione humana acquisitus: non est autem idē finis doctrinæ immediatè reuelatæ, & studio acquisitæ. Deinde quoniam superius dictum fuit primo veritatis contemplationē esse vltimum finē Theologiæ: nunc autē dico esse supernaturalem hominis perfectionem: quæ duo nō cohærent, nam perfectio hominis cōtinet plura alia diuersa à contemplatione primæ veritatis. Priori obiectioni respondeo habitū principiorum, & conclusionem magna ex parte coincidere, quoad rationē finis: nam si principia sint purè speculatiua, etiā conclusio talis est: si verò practica, etiā scientia conclusionis respicit praxim circa idem obiectū. At verò, vt infrà dicam, Scriptura diuina continet principia Theologiæ Christianæ; & ideò eandem, quam habet vim, & facultatem illi confert, siue quoad speculationē veritatis, siue quoad regulam bonitatis, seruato tamen discrimine principij, & conclusionum. Secundæ satisfiet, si dicamus, cùm Theologia præcipuè sit speculatiua, & secundū quid practica, rectè dici posse absolutè primæ veritatis cognitionem esse finem eius vltimum: quoniam, etsi huiusmodi cognitio referri à nobis possit ad excitandū in nobis amorem Dei, tamen ipsa de se quoad præcipuam sui partem, nullum alium finē respicit, quàm veritatis agnitionem: ratione tamen alterius partis minus præcipuæ, dici potest ordinari ad perfectionem dirigendo operationes secundùm regulas superiores diuinitus reuelatas: ad quam etiam suo modo pertinet cognitio speculatiua, non tamquam regula dirigens, sed tamquam pars integrans: magna enim humanæ perfectionis pars est ipsa cognitio summæ, ac primæ veritatis. Ideò enim Christus dixit Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quæ verba intelliguntur etiam de cognitione Trinitatis in via, qua suo modo, & in radice reddimur æternæ vitæ participes. Et ita perfectio hominis quatenus agnitionem Deitatis includit, est finis Theologiæ secundùm potissimam eius rationem: quatenus autem virtutes appetitiuas exposcit, est finis eiusdem secundum rationem practicam: & ita non repugnat, vt finis eius sit primæ veritatis contemplatio, & creaturæ rationalis perfectio.

Ioan. 17.

Prima, ac præcipua causa efficiens, Theologiæ est Deus reuelans, & illuminans.

CAPVT II.

I. Finis & efficiens proportionem inter se habere debent.

FInis, & efficiens congruam proportionem habere debent: & ita, quamuis instrumenta, imò & inferiores causæ, quia applicantur à primo agente, nō necessariò debent per se primò intendere finem vltimum, aut ad illum mouere: sed sat est, vt ab agente primo moueantur: ipsum tamen primum efficiens, à quo primò, ac per se finis intenditur, habere debet vim proportionatam perducendi causas intermedias ad assecutionem finis. Ex quo principio apertè constat, causam efficientem primam, ac præcipuam, in suo genere, non esse inferioris ordinis, quàm sit finis: atque

adeò

adeò cùm Theologiæ finis supernaturalis sit, prima quoque, ac præcipua eius causa efficiens supernaturalis esse debet. Est autem Deus Optimus Maximus per lumen fidei, & diuinam reuelationem mentibus nostris immittens prima principia, & quasi semina Theologiæ: quam causam explicauit Apostolus verbis illis citatæ epist. ad Timoth. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata.* vt notat D. Thom. in commentarijs eiusdem loci: itaque quemadmodũ Deus per impressionem luminis naturalis, quo prima principia naturalia innotescunt, est causa scientiæ naturalis, vt constat ex illo Ecclesiast.1. *Omnis sapientia à Domino Deo est.* & explicat D. Thom. q.11. de ver. art.1. ita per inspirationem luminis diuini, quo intelliguntur principia reuelata, est auctor, & causa prima Theologiæ, vt fusè probat, & explicat Henricus in sum. art.11. q.1. Et ideò Christus Dominus huius diuinæ philosophiæ auctorem, & magistrum, modò Patrem, modò se, ac Spiritum sanctum appellat Ioan.7. *Mea,* inquiens, *doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, Patris.* & suam dicit, & non suam, sed Patris: suam quia ipse est sapientia genita, cuius per æternam generationẽ sunt omnia, quæ Pater habet à se: non suam, quia sicut ipse est à Patre, à quo per æternam generationem habet vitam, & perfectionem omnem essentialem Deitatis, ita quoque sapientiam, & doctrinam ab illo habet, nõ tamquam à magistro docente, sed tamquam à Patre per generationem ipsam communicante. Et rursus, ne persona Spiritus sancti exclusa videretur, missurum se promittit Apostolis eundem tamquã suẽmet doctrinæ magistrum. Ioan.14. *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* nõ poterat alius magister inferioris ordinis à semetipso docere, & explicare sacrosanctæ fidei mysteria. Quidã dubitant de hac doctrina, quoniã scientia Theologica acquiritur per actum vitalem; homo verò est causa principalis suorum actuum vitalium, & habituum per ipsos productorum. Verum hoc secundum non est absolutè verum: sed solum, quando actus eliciuntur solum per principia & instrumenta naturalia, si verò aliquid supernaturale interuenit, non omne sed Deus est simpliciter causa principalis. Ita colligitur ex illo Apost. ad Rom.8. *quicunq; enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Ad quẽ locum D. Thom. lect.3. notat dici passiuè *aguntur* quoniam homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquid agendum. Et tamen talis actio vitalis est: quapropter non repugnat, vt agens vitale sit interdum nõ principale, sed quasi instrumentarium, quando scilicet eleuatur per auxilium, aut donum ordinis supernaturalis, & applicatur ad agendum ab agente superiore: vt contingit scientia Theologica.

II.

At obijciet aliquis, nõ esse hoc peculiare Theologiæ; quandoquidé cæteræ omnes scientiæ à Deo sunt tamquã à prima, & suprema causa, siquidẽ sapientiam *Effudit super omnia opera sua.* & ipse est *Fons sapientiæ in Excelsis.* Eccl.1. neque est alius magister, q. vera doceat. *Nolite,* inquit Christus Dominus, Matth.23. *Vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* & ratione concluditur, nã primum in vnoquoque genere est causa, & mensura cæterorũ eiusdem generis: Deus autẽ est prima veritas, ac sapientia: ideoq; ipsi tamquã primo auctori, & magistro scientia omnis tribuenda est: quamobrem rectè dixit Ambrosius in 1. ad Cor. c.12. initio. *Quidquid verũ à quocunq; dicitur, à Sancto dicitur Spiritu.* Verum lõgè diuersa est ratio progressionis à prima veritate Theologiæ, & reliquarũ scientiarũ, vt notat. S. Thom. q. vn. prologi. a.3. in c. & Ægyd. 2. p. prologi, q.1. & Henric. vbi suprà. Etenim cæterarum scientiarum sicut Theologiæ, ac rerũ omniũ est causa prima cõmunicans participationẽ aliquã suarum perfectionũ creaturis: Theologiæ verò est etiam causa principalis, supplens defectum causæ secundæ. Etenim Deus quatenus causa prima est, nõ excludit consortiũ causæ secundæ in suo ordine, ac genere principalis: qua ratione se gerit communiter in operationib' naturalibus, ad quas creaturæ instructæ sunt, sufficiente virtute, & vi sibi cõnaturali: & ideò quãdo per illã operantur, ipsæ quoque in suo genere operantur tamquã causæ principales: & hoc modo se res habet in acquisitione scientiarũ naturalium: nam cùm ad eas comparãdas sit satis lumen naturale intellectus agentis, neque requiratur lumen ordinis supernaturalis, quãuis Deus vt causa prima sit auctor omnium scientiarum, tum quia dedit lumen naturale, tum quia semper actu concurrit cum intellectu addiscente, nihilominùs relinquit causæ secundæ rationem, causæ principalis in suo genere. At in acquirenda notitia rerum supernaturalium, quas lumen naturale per se solum non manifestat, causa secunda non habet rationem principalis, sed instrumentalis, quia indiget speciali motione, & illustratione

primæ,

2. Tim. 2. S. Thom. Deus est auctor Theologiæ.

Ecclesiast. 1. S. Thom.

Henric.

Ioan. 7.

Ioan. 14.

Ad Rom. 8.

Eccl. 1.

Math. 23. Deus omniũ scientiarum Auctor est & dator.

Ambrosius.

S. Thom. Ægydius. Henr.

Sed Theologiæ specialiter.

primæ, quæ participationem sui luminis supernaturalis creaturæ imprimens per illam tamquam per instrumentum est causa præcipua notitiæ supernaturalis: creatura verò solùm tamquam instrumentalis, quia non operatur per formam sibi connaturalem, sed eiusdem ordinis cum causa prima: & propterea D. Petrus vt rationem causæ præcipuæ negaret intellectui creato dixit 2. suæ Canoni. c. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* radicem voluntatis excludit, quoniam sola voluntas cum principijs, & instrumentis sciendi naturalibus, quæ ipsa pro arbitrio mouet, & applicat, nõ potuit intellectũ perducere ad notitiam propheticam habendam, cuius principia sunt extrinseca voluntati, & pendent ab inspiratione diuina.

2. Pet. 1.

III. Diuina scientia est primũ principium Theologiæ.

Est autem primum principium Theologiæ ipsamet diuina scientia, longè aliter, quàm reliquorũ habituũ intellectualium naturalium: nam horum est principium exemplare, non motiuum: omnis enim vera cognitio, vtpote scientia participata, conformatur diuinæ, vt proprio exemplari: non tamen omnis resoluitur in illam, vt in motiuum credendi: naturalis enim, si est à priore, resoluitur in prima principia, & per hæc in notitiam simplicem terminorum: si à posteriore in notitiam aliquam experimentalem: neque vllus vmquam philosophus reddens rationem motiuam suæ scientiæ, recurrit ad scientiam Dei, sed ad principia, & causas conclusionis sibi naturali lumine notas. At Theologia nõ solùm procedit à diuina sapientia tamquam ab exemplari, & fonte omnis veræ notitiæ, sed tamquam à principio credendi, in quod resoluitur. Nam cùm principia ipsius, vt infra dicam, sint credita ex testimonio diuino, proximum credendi motiuum est diuina reuelatio, in quam propterea tamquam in rationẽ credendi resoluuntur conclusiones illatæ ex principijs creditis: & quoniã principium, & causa infallibilitatis reuelationis est prima veritas in dicendo, & intelligendo, ad hanc vltimò resoluitur assensus fidei, vt traditur in materia de fide: & consequenter ipse quoque assensus Theologicus, qui fide nititur. Si enim Theologus rogetur, cur assentiatur conclusioni illatæ discursu Theologico, respondebit, quia sunt veræ præmissæ, ex queis sequitur: si iterum rogetur cur illas credat, dicet, quia Deus reuelauit: denique si interrogetur cur credat Deo reuelanti, respondebit, quia est verus in intelligendo, & verax in dicendo: atque ideò nec fallere, nec falli potest; & ita vltimum principium, & motiuum, in quod veritas Theologica resoluitur est sapientia diuina. Nec verò ex hoc solùm capite est supernaturale principium Theologiæ, sed etiam ex parte luminis intellectualis, vt enim ex Augustino, lib. 9. de Trinitate, cap. vlt. communiter vsurpant Theologi *ex obiecto, & potentia paritur notitia*: & ita scientiæ naturalis considerari potest duplex genus principij efficientis, alterum ex parte obiecti, alterum ex parte potentiæ. Ex parte obiecti sumitur motiuum, obiectum enim sub hac, vel illa notione sumptum, habet varium modum mouendi intellectum: ideò enim, vt desumitur ex Aristot. lib. 11. met. cap. 6. per definitionem resoluitur omnis quæstio, nempè de prædicato per se, & non per accidens subiecti; quia definitio cõtinet causam, & rationem proprietatum, quæ per se conueniunt subiecto: atque adeò demonstratio; in qua medium est definitio, extrema verò subiectum, & passio, cõtinet proprium principium, ac motiuum enunciandi passionem de subiecto. Ex parte potentiæ requiritur lumẽ intellectuale proportionatum repræsentationi obiecti, vt cum illo simul haberi possint euidentes assensus principiorum, & conclusionum ex illis deductarum. In naturalibus autem scientijs vtrumque principium completum habetur ex natura: namque & obiecta immittunt sui species proportionatas ad simplices apprehensiones euidentes, & aptas progignendis assensibus principiorũ euidentibus: & lumen naturale intellectus est suapte natura proportionatum, & potens illustrare species, & ex ijs elicere congruas notiones terminorum ad assensus principiorum, ex quo natum est, vt D. Thom. q. 10. de veritat. a. 6. in fine, & alias frequenter asserat prima principia esse nota lumine intellectus agentis: & ex hoc ipso multi occasionem sumpserint opinandi, non esse alium habitum primorũ principiorum naturalium, ab intellectu agente distinctum.

Sapientia diuina est motiuum in quod resoluitur veritas Theologica.

Augustin.

Aristot.

S. Thom.

IV. At verò circa veritates per se reuelatas, neutrum ex ijs principijs habetur à natura: nõ primum, quoniam nulla species beneficio phantasmatis, aut vi intellectus agentis elicita, est sufficiens, aut proportionata ad repręsentanda supernaturalia, sicut in se sunt: atque adeò neque ad determinatè causandum assensum terminorum sufficientem germinandis assensib⁹ principiorum, aut proponendum intellectui motiuum determinans ad assensum conclu-

sionis.

sionis. Neque si quouis modo hæc darentur, adest ex parte intellectus lumen sufficiens ad vtendum ijs speciebus, & præbendum assensum reuelatis per se, ordinisque diuini. Vtrumque verò defectum supplet Deus, vt rectè deducit Scotus, q. 1. prologi. §. *Antequam hæc.* primùm quidem testimonio suo reddens præsentia secundùm esse credibile obiecta, suapte natura occulta, & abscondita ab oculis omnium viuentium, & supplens ipsorũ causalitatem: nam, verbi gratia, notitiam huius propositionis, *Deus est trinus, & vnus*, sola essentia diuina clarè cognita, apta est causare in ratione obiecti, & nulla alia omninò res: cùm vero agens supplens eius vicem generat notitiam illius obscuram, supplet aliquo modo vicem ipsius obiecti: deinde verò interni luminis collustratione complens, atque eleuans in proportionatum lumen intellectus creati, vt ex vtraque parte obiecti scilicet, & intellectus sit completa vis, & principium sufficiens ad acquirendã scientiam Theologicam: ideò Christus huius doctrinæ acquisitionem disciplinæ à Deo traditæ comparat Ioan. 6. *omnis*, inquiens, *qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me.* Audire enim est accipere internam illustrationem, discere est per eiusdẽ luminis adiutorium propositæ à Deo veritati consentire.

Scotus.

V. Quoad hos duos modos causandi scientiam Theologicam, vel saltem principia, à qua ipsa pendet, non eodem modo se habet Deus: nam quoad primum admittit causas instrumentarias, non verò quoad secundum. Hæc est sententia D. Augustini infra citandi. D. Thom. q. 11. de ver. art. 1. & 3. & 1. p. q. 117. art. 1. Henrici in sum. art. 11. q. 1. Bonauent. qu. 4. prologi ad 1. Ægyd. 3. p. prologi. q. vn. Ostenditur autem, quoniam *Deus ipse per se, & immediatè non omnibus reuelat abscondita, sed primoribus Seraphinis*, vt auctor est Magnus Dionysius in libro de cœlesti hierarchia, qui illuminant inferiores Angelos, per quos diuinarum reuelationũ radij ad homines descendunt; neq; verò omnes homines accipiunt reuelationes immediatè ab Angelis, sed etiam ab ipsis Ecclesiæ doctoribus, ac pastoribus de credendis instruuntur: atque ita de se ipso dicebat Apostolus, 1. ad Tim. 2. *Veritatem dico nõ mentior, doctor gentium in fide, & veritate, & Christus dedit, ait idem Apostolus, quosdã quidem Apostolos, alios autem pastores, & doctores.* Vt scilicet Deus nostro se captui, & naturali modo discendi accommodaret, inspirauit alijs, quę alij discerent: vndè gloss. super illud Pauli ad Rom. 10. *Fides ex auditu, licet*, inquit, *Deus intus doceat, præco tamẽ exterius annunciat.* Et D. Augustinus Tract. 1. super Ioan. *Per homines ministratæ sunt Scripturæ, nisi enim montes ista dicerent, vndè omninò cogitaretis, nõ inueniretis.* Satis indicans nõ esse in nobis ex parte obiecti principium illũ supernaturalia mysteria non solùm credendi, sed ne cogitandi quidem: hanc enim vim habent illa verba, *Vndè omnino cogitaretis, nõ inueniretis.* Per homines itaque Deus proponit hominibus mysteria, quę primum ipse reuelauit: & ita quoad hanc partem exhibendi obiecti credibilia, & motiuum credendi nõ excludit causas secundas instrumentarias: non quidem ita vt auctoritas humana sit motiuum credendi, sed instrumentũ quoddam, applicans verum motiuum auctoritatis diuinæ: quemadmodũ magistri, qui naturales scientias docet, auctoritas, aut sapientia, nõ est ratio propter quam discipulus intenta mentis acie propositam sibi ab eodem demonstrationem considerans, euidenter assentiatur præmissis aut conclusioni: hoc enim debet lumini intellectus proprij sub ea claritate, ac perspicuitate apprehendentis terminos, vt ex ipsis oriatur euidens assensus principiorum, & deinde conclusionis: quamuis magister ordinatè, & pedetentim procedens sit causa coordinationis, & adaptationis specierum ad cõgruam terminorum apprehensionem, quatenus, vt ait D. Thom. q. 11. de ver. art. 1. in corpore, & ad 11. & 14. & p. p. art. citato proponit signa intelligibilium intentionum, quas intellectus discentis ab illis signis accipit, & in semetipso recondit. Et hoc significauit Boët. lib. 5. de consol. prosa 5. asserens per doctrinam solùm mentem hominis excitari ad scientiam.

Augustin. *S. Thom.* *Henr.* *Bonauent.* *Ægyd.* Deus per se & immediate non reuelat abscondita hominibus. *1. ad Tim. 2.* *Ephes. 4.* *Glossa.* *Augustin.* *S. Thom.* *Boet.*

VI. Quòd verò attinet ad alium modum, quòd Deus, vt causa principalis est auctor Theologiæ per luminis infusionem, & eleuationem potentiæ, nullo modo admittit vllam causam secundam tamquam administram; sed ipse immediatè illustrat mentem, & confert vim assentiendi veritatibus ordinis superioris. Quæ est communis sententia Doctorum, sumpta ex sententia illa Pauli 1. ad Corinth. 3. *Neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*; quod disertè docuit Augustinus, vbi suprà citato tract. 1. in Ioan. nam post illa verba subiungit, *Ergo ex montibus:* intelligit autem montium nomine Doctores, alludens ad illud Psal. 71. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam:* & ad illud Psal. 120. *Leuaui oculos meos in montes, vndè veniet auxilium mihi.* Quia sicut prius à sole il-

Deus est causa principalis Theologiæ quoad luminis infusionem.

Augustin. *Psal. 71.* *Psal. 120.*

lustrantur montes, deinde valles, ita Spiritus sanctus insignes viros radijs suæ veritatis illustrat, vt ab ipsis reliquum vulgus doceatur. *Ergo ex montibus*, inquit, *venit nobis auxilium, vt ista audiretis: sed nondum potestis intelligere, quod audistis: inuocate auxilium à Domino, qui fecit cœlum & terram, quia montes sic potuerunt loqui, vt non possint ipsi illuminare, quia & ipsi illuminati sunt audiendo: Ioannes, qui suprà pectus Domini discubuit, de pectore Domini bibit, quod nobis propinaret: sed propinauit verba, intellectum autem inde debes capere, vndè & ipse bibebat, qui tibi propinauit, vt inde impleas pectus, vndè impleuit ille.* Idem optimè prosequitur tract. 3. in 1. ep. Ioan. ad finem. Quæ est sententia Ambrosij serm. 8. in Psal. 118. super illa verba: *Iustificationes tuas doce me.* Gregor. hom. 33. in Euangelia, & reliquorũ Patrum. Quamuis autem magistri & doctores interdũ illuminare dicantur; quo pacto Paulus ad Eph. 3. *Mihi sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes*: & eodem modo de prædicatoribus Euangelij loquitur Glossa in illa verba Pauli ad Rom. 10. *Quam speciosi sunt pedes; isti*, inquiens, *sunt pedes, qui illuminant Ecclesiam*, & à Magno Dionysio *superiores Angeli dicuntur illuminare inferiores*. hoc tamen, vt in materia de Angelis ex instituto probatur, non est intelligendum de collatione alicuius luminis spiritualis, aut immediato concursu ad intellectionem elicitam ab inferioribus, sed de manifestatione per modum signi, & reuelationis, qua congruè proponitur obiectum, vt intelligatur, vt notat D. Thomas art. citato ad 9.

Ambros. *Gregorius.* *Ad Ephes. 3.* *Glossa.* *Magn. Dion.* *S. Thom.*

VII. Reliquæ scientiæ sunt à Deo, vt à causa generali, Theologia vt à speciali.

Ex his patet solutio eorum, quæ in contrarium obiecta sunt: nam cæteræ scientiæ sunt à Deo, vt à causa prima vniuersali, Theologia verò, saltem ratione principiorum, etiam vt à causa particulari: ille verò locus Eccl. 1. vbi Deus dicitur *effudisse sapientiam super omnia opera sua*, non intelligitur de ratione particulari communicandi scientiam; sed est metaphora, qua sumitur causa pro effectu: est enim eo loco sermo de sapientia diuina secundum interpretationem D. Hilarij de Synodis aduersus Arianos, quæ ideò dicitur effusa super omnia opera, quia in ijs summa cõditoris Dei ars, & sapientia elucet, ad modum, quo artifex in opere aliquo excellente totam sapientiam suam dicitur collocasse. Verbum autem Dei dicitur fons sapientiæ per appropriationem, quoniam procedit per operationem intellectualem, ibi autem sumitur absolutè pro vt in ratione causæ primæ est principiũ omnis scientiæ, & cognitionis veræ. Præter hoc autem Theologia habet particularem modum processionis à prima veritate modo explicato. Illo autem loco Matth. 23. non prohibet Christus simpliciter, ne homines, siue discipuli eius vocentur magistri, vt rectè arguit D. Thom. qu. 11. de ver. art. 1. arg. 3. ex secundo loco positis: nam eodẽ loco simul dicitur: *Vnus est magister vester, & vnus pater vester*: atque adeò quemadmodum ex eo quòd Deus sit Pater, non excluditur, quo minùs homo etiã pater esse possit, ita quoque ex eo quòd ipse si magister, nõ debet excludi, quo minùs homo magister sit, aliter Paulus tam exactus obseruator mandatorum Christi, nequaquam se magistrum, & doctorẽ appellaret 2. ad Tim. 1. *In quo positus sum ego prædicator, & magister*: vt etiam illum vocat Glossa in c. 3. eiusdẽ epistolæ ad illa verba: *Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi*; supplet Glossa, *à me tamquã à vero doctore*. Itaque sensus Christi erat, ne discipuli per fastum superbiæ ad modũ pharisæorum honorificum nomen magistri assumerent; & hoc significant priora illa verba: *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester*. Inter plurima autem indicia superbiæ Pharisæorum præmiserat illud: *Amant vocari ab hominibus Rabbi*: & ideò vt rectè notat S. Thom. in eum locum, Christus dixit: *Nolite*, id est, non *ambiatis* vocari magistri: hęc etiam mens Christi erat, ne appeterent nomen magisterij absolutum, & quasi primarium, & ab ipso independens; idcirco enim subdidit: *Vnus est enim magister vester Christus*. Hanc solutionem affert D. Thom. citata q. de ver. art. 1. ad 1. & art. 3. ad 5. & sumitur ex Glossa ad eum locum Matth. super illa verba: *Nolite vocari Rabbi, ne*, inquit, *diuinum honorem hominibus tribuatis, aut quod Dei est, vobis vsurpetis*; sola autem præcipua, & prima auctoritas magisterij Dei propria est.

S. Thom. *2. ad Tim. 1.* *Glossa.* *Quomodo Christus vetuerit nomẽ magistri.* *S. Thom.* *S. Thom.* *Glossa.*

VIII.

Hæc dicta sunt, vt explicetur quomodo cum primaria docendi auctoritate, quæ in Deo est, nõ repugnet secundaria in hominibus. Sed nondũ explicatum est, quomodo Deus aliter sit magister scientiæ naturalis, aliter doctrinæ reuelatæ: verùm facilè ex dictis colligitur; namque naturalium veritatum non alitẽr est magister, quàm per creationẽ luminis intellectualis connaturalis animæ, quod est veluti quædã impressio diuini, vt D. Thom. 1. p. art. 1. citato ad 1. & alij colligunt ex illo Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Supernaturalium autẽ veritatum doctor, & auctor scientiæ de illis habendæ, est per infusi luminis illustrationem, & obiecti latentis reuelationem, qui modus est particularis,

S. Thom. *Psal. 4.* *Quomodo Deus sit auctor scientiarum naturalium, & supernaturalium.*

adeo,

adeò, vt nulla causa secunda sit in suo genere principalis ad huiusmodi scientiæ acquisitionem. Ad rationē respondeo rectè concludere sapientiā diuinā in genere causæ exemplaris, ex æquo regulare omnem scientiā creatam: in hoc enim sensu est verum illud axioma Philosophi lib. 10. met. t. 7. *Primū in vnoquoq; genere est causa, & mensura reliquorum:* at verò respectu doctrinæ reuelatæ habet Deus particularē causalitatem, quā nō habet respectu scientiæ naturalis. Dictum verò D. Ambrosij ad eundē modū interpretatur D. Thomas in comment. c. 2. epist. ad Tim. 2. lect. 3. de communi ratione inspirandi veritatem per lumen rationis naturale, & alias causas secundas naturales, quę nō sufficit ad instruendā mentē ad finē cognitionis primæ veritatis, quoad rationes occultas, & supernaturales.

Aristot.

S. Thom.

Causa minus præcipua, sed per se necessaria est ratio humana fulta principijs reuelatis.

Caput III.

I. Vtrū Theologia sit principaliter à Deo.

EX dictis, cap. præcedente emergit hæc difficultas. Vtrum Theologia eo modo, quo fides, sit principaliter à Deo. Namque in eo constitui discrimen inter Theologiam, & scientias naturales, quod harum auctor est Deus, vt causa vniuersalis per collationē instrumentorū naturalium, ad illarū acquisitionem, & cōcursum ordinarium, quo simul cum intellectu producit nostros actus, & habitus scientiarū. Theologiæ verò est causa suo modo particularis, & præcipua, tū reuelando mysteria suapte natura nobis occulta, tū verò conferendo lumen supernaturale congruum ijs percipiendis: hoc autē modo est auctor fidei: atque adeò non videtur quoad hoc vllū esse discrimen inter eas. In cōtrarium verò est quoniā fidē accipimus à Deo per infusionem: Theologiam nostris actibus acquirimus: ad illā immediatè cōcurrit lumen diuinum, ad hāc ratio, & discursus humanus: quæ magnā arguunt vtriusque diuersitatē, & consequenter probant Theologiam esse ab homine principaliter, non verò à Deo. Quod suadetur primò, quoniam operatio procedens à potētia naturali operante modo sibi proprio, & connaturali, tribuitur viuenti ipsi tamquā causæ præcipuæ in suo genere: actus verò facultatis Theologicæ eo modo procedunt ab intellectu humano; tribuendi ergo sunt homini tamquam causæ secundæ principali. Assumptio patet quoniā modus intelligendi per discursum est proprius intellectus humani, cōueniens ipsi ex principijs naturæ intrinsecis: assensus verò Theologici per discursum gignuntur: quare procedunt ab intellectu operante modo sibi proprio, & cōnaturali. Secundò quotiescunque actus reducitur vltimò ad lumen naturale intellectus, ita vt per eiusmodi resolutionē sit certus de principio, quod quærit, habet se intellectus, siue homo intelligens, vt causa præcipua: siquidem operatur per instrumentū sibi connaturale: sed omnis discursus quoad normā, & rationē consequētiæ reducitur in lumen naturale intellectus; per hoc enim euidenter iudicat, vtrū sit bona forma discursus, nec ne: ergo homo discurrens est causa præcipua Theologiæ. Denique quotiescunque artifex habet naturalem vim, & facultatē vtendi instrumentis ad operationes artis propriæ, est in suo genere præcipuus auctor ipsarū, quamuis instrumenta propria arte fabricare nō possit: vt facilè per singulas artes discurrendo, perspicuum fiet: nō enim miles est solùm causa instrumentaria pugnæ, eo quòd ensem, & arma ipse nō fecerit, sed à fabris fabricata acceperit, & sic in cęteris. Intellectus autē humanus, secundùm naturale lumen spectatus, habet vim sufficientem, vt positis assensib⁹ principiorum, quę sunt instrumēta sciendi ex ijs colligat conclusionem, eique assentiatur: ergo quāuis lumen naturale nō sufficiat ad principiorū assensus, nō proinde Theologicus assensus per discursum tribuetur Deo, vt causæ principali in omni genere, sed homo etiam in suo genere erit principalis.

II. Duo requiruntur, vt agens sit causa præcipua ad aliquem finem.

Proposita argumenta perstringunt duas difficultates. Altera est vtrum homo possit dici præcipua causa Theologiæ; altera quæ sit penes hoc inter fidē, Theologiamque diuersitas. Quibus vt satisfiat, suppono ad rationem causæ præcipuæ, in ordine ad aliquē finē duo requiri: alterum, vt agens sit instructus sufficiente virtute, & instrumentis sibi cōnaturalibus ad agendum; alterum vt nō subordinetur alij agenti principali in eodem genere, applicanti illud ad propriam operationem, & dirigenti ad finem à se intentum: & vtralibet harū conditionū deficiente, cessat ratio principalis agentis. Defectu prioris, aqua nō est causa principalis calefactionis, neque speculum illuminationis, quoniam neque illa habet principiū naturale calefaciendi, sed prius affici, & eleuari debet forma peregrina, & super naturā propriā, nempè calore ignis: neque speculū habet à se, sed à sole lucem, quæ est principiū formale quò illuminandi: & ita illuminando est causa instrumentaria respectu solis, sicut aqua calefaciendo respectu ignis. Defectu posterioris miles

pugnans in acie, non est causa præcipua victoriæ, sed dux: qui illã per se intendit, ad eamque dirigit vim, & operationẽ totius exercitus, & cõsequenter militum singulorum. Item basilicæ, aut cuiusuis alterius fabricæ causa præcipua nõ sunt artifices, qui singulas eius partes perficiũt, & absoluunt; sed architectus, qui totã machinam animo conceptam habet, & ad eius cõsummationem applicat singulorũ artificum manus, & artem. Inter hos autem duos modos est nõnihil discriminis; nam prior omninò, & absolutè excludit rationẽ principalis agentis; posterior patitur aliquam rationẽ causæ præcipuæ, non quidẽ respectu eius finis, & effectus, qui per se primò intenditur à primo, & præcipuo agente, sed respectu proprij, & proportionati effectus. Discrimen patet, nã aqua nullã vim propriam confert ad calefactionem, sed solùm agit virtute ignis, cuius formã participat: at verò miles per se pugnat, & ferit hostẽ quamuis per se solus non assequatur victoriam: artifices subordinati architecto, per se quoque ædificant aliquas partes, quamuis hęc ipsorum operatio ad consummationem totius operis ab architecto dirigatur.

III. Homo non est præcipua causa scientiæ Theologicæ.

His positis dico primùm. Homo nequaquam dici potest absolutè causa præcipua scientiæ Theologicæ. Ostẽditur, quoniam homo cõsideratus secundũ proprias vires, & naturam, nõ habet instrumenta naturalia accommodata, & sufficientia ad acquirendam cognitionẽ obiecti Theologici; id verò, vt ex suppositione patet, requiritur ad rationẽ causæ præcipuæ in suo genere: nõ ergo absolutè dici potest causa præcipua scientiæ Theologicæ. Maior propositio habetur ex Augustino, &alijs, cap. superiore relatis, quatenus asserunt non potuisse homines venire in diuinarũ rerũ cognitionem, nisi Deus reuelasset, & mẽtes interius illustrasset: probatur verò, quoniam, vt ait D. Thom. q. 10. de verit. art. 13. & quodl. 8. art. 4. instrumenta sciendi sunt potentiæ sensitiuæ, & lumen naturale ipsius intellectus: nam à potentijs sensitiuis sumitur principium sciendi, vt constat ex Philosopho lib. 1. posterior. cap. 14. & lib. 2. cap. vltimo, asserente assensum principiorum fieri ex sensuum experientia; item 1. Post. t. 33. docente non posse nos habere scientiam eius obiecti sensibilis, cuius sensu caremus; lumine verò ipso completur, ac perficitur scientia: at hæc duo principia secundũ vires naturales cõsiderata, nõ sunt apta comparandæ notitiæ, nisi earũ rerum, quæ ex effectis sensibilibus agnosci, vel secundũ quandã analogiam ex illis æstimari possunt; qualia nõ sunt pleraque eorum, de quib⁹ agit Theologia: tũ quia effectus sensibiles, vel etiam intelligibiles ea certò nõ repræsentant: tũ quia intellectus humanus habet pro obiecto sibi proportionato, & cõnaturali intelligibile per species à sensibus abstractas. Secundò omne agens, quod nõ agit nisi motum, & applicatũ ab altero; habere nequit vicem agentis principalis: at homo secundũ proprias vires, ac lumẽ naturale intellectus; nequit Theologicè discurrere, aut venire in notitiam illius cõclusionis per se, ac propriæ Theologicæ, nisi moueatur, atque applicetur à Deo particulari modo operante: ergo nõ habet rationẽ causæ prẽcipuæ. Maior propositio habetur ex suppositione, & asseritur à D. Thom. in 4. d. 40. q. vn. art. 1. ad 1. & sæpè alibi. Et constat ratione: causa namque indigens alterius motione, est illi subordinata in agendo: & proinde minus præcipua. Assumptio cõstat ex dictis. cap. proximo: nãnisi Deus reuelasset, & mentes infusione diuini luminis illustrasset, non esset alia Theologia, quàm naturalis: item principia discursus Theologici quoad assensus certos, & infallibiles, quales in Theologia requiruntur, cognosci nequeunt per lumen naturale intellectus, & exigunt lumẽ fidei; atque adeò ad inchoationem discursus nõ habet intellectus instrumenta sufficientia, vt per se ipsum procedere possit ad acquirendam notitiam conclusionis, sed indiget auxilio particulari Dei mouentis.

Augustin.

S. Thom.

Aristot.

S. Thom.

IV.

Ex his constat intellectum ex defectu vtriusque conditionis, nõ esse causam prẽcipuam scientiæ Theologiæ. Verùm, quia discursus Theologicus cõstat principijs, & conclusione, perspicuum est Theologiam ratione principiorum non habere causam aliam præcipuã præter Deum, atque adeò assensum præstitum conclusioni, quatenus pendet ex assensu prẽmissarum, in illũ tamquã in præcipuam causam referri, superest videndũ vtrum ad ipsum assensum cõclusionis per se, atque immediatè, & nõ solùm ratione principiorũ opus sit motione, aut eleuatione Dei particulari; an verò positis assensibus præmissarum intellectus suapte vi, absque alia eleuatione, possit elicere assensum conclusionis; & cõsequenter ex hac parte habere modũ aliquẽ causæ præcipuæ in suo genere, sicut habet ad assensus reliquarum scientiarum. Huic quæstioni respondeo, positis assensibus præmissarum, non requiri nouam eleuationem, aut motionẽ intellectus à superiore causa, vt assentiatur conclusioni, sed ipsum suapte viget erminare assensum ex præconcepto semine princi-

An intellectus positis assensibus prẽmissarum possit suapte vi elicere assensum conclusionum.

principiorum: atque adeò quoad hanc partem habere modum aliquem causæ in suo genere principalis. Vt positio intelligatur recolendū est id, quod dialectici tradunt, nimirū semper ad assensum cōclusionis interuenire iudicium de bonitate cōsequentiæ, siue formale, siue virtuale; deinde verò intellectū affectū eiusmodi iudicijs præmissarum, & consequentiæ, ferre iudicium de cōclusione, dico itaque Theologum ad hoc iudiciū prout immediatè procedit ab intellectu ita eleuato assensib⁹ præmissarū, nō egere alia eleuatione Dei, aut motione ad assensum: sed ex se nō minùs naturaliter illi assentiri, quàm assentiatur alijs conclusionibus naturalibus. Fundamentum est. Quoniam ad præbendū assensum discursiuum, nō est alia difficultas ex parte intellectus, quàm ignoratio principiorū, aut consequentiæ: his namque cognitis necessariò determinatur ad assensum: at difficultas intellectus circa principia reuelata vincitur, & in potentia suppletur per eleuationē luminis diuini: bonitas verò cōsequentiæ naturali lumine euidēter agnoscitur: ergo ijs positis absq; alia noua motione sola vi naturali cōiuncta principijs intellectus gignet assensum Theologicum. Et confirmatur. Quoniam, si posito aliquo principio, euidenter sequitur aliqua conclusio, qui illud admittit, & videt euidentē alterius ex illo cōsecutionem, quamdiu illud nō retractat, necessario determinatur ad assensum: at positis assensibus præmissarū de fide, & bonitate cōsequentiæ, intellectus lumine naturali potest intueri euidētiam cōsequentiæ, cuius vi efformare poterit hanc conditionalem euidentem; si principia hæc sunt vera, conclusio est vera: & nō retractando iudicium præmissarū, necessariò determinabitur quoad assensum conclusionis; quē proinde gignet absque ope alterius luminis distincti à lumine principiorū. Ex quo deinde sequitur posterior pars eiusdē assertionis. Nam quādo ad effectū per se, requiritur principium, quod haberi potest ex propria, & cōnaturali vi agentis, id quoad hāc partē dici suo modo potest agens principale, saltem secundum quid: ad assensum verò discursu genitū per se cōcurrit, ac requiritur iudicium saltē virtuale de bonitate consequentiæ: hoc autē vltimo resoluitur in lumē naturale intellectus; qui suapte vi absque ope extrinseca reducere potest discursum ad primas regulas naturaliter euidentes: ergo homo ratione luminis naturalis ex hac parte potest dici secundum quid, causa præcipua assensus Theologici. Dico, *secundum quid*, quoniam assensus hic per se pendet ex principijs reuelatis, quorū iudiciū reducitur in Deum, tamquā in primam causam, & de primo ad vltimum ipsa quoque notitia conclusionis: præterea, qua ex parte assensus discursiuus pendet ex solo lumine intellectus, quoad iudiciū consequentiæ, opus est applicatione, nō quidē immediata, sed remota per reuelationem, ac lumen ad assensum principiorum. Ex quo tandē efficitur, lumen naturale intellectus quoad præbendū assensum Theologicum, nō esse causam minus principalem prioris generis, quæ nihil de suo cōfert ad operationem: sed posterioris, quæ vi propria, modo aliquo attingit effectū, quamuis nō sit per omnia similis causis naturalibus subordinatis: nā artifex particularis ad proprias operationes nō necessariò recipit vim agēdi ab architecto, sed directionem: Theologus verò nō solùm applicationem habet à superiore causa, nempè Deo, sed etiam potiorem rationē agēdi, qui sunt assensus præmissarum ex diuina reuelatione, ac lumine habiti: magis aptè cōferri potest instrumentis artium, quæ in se habent vim aliquam, & aptitudinem ad effectum, si applicentur, ac moueantur ab arte: etenim intellectus adhibita applicatione per fidē præmissarum, vim naturalem habet ad assensum conclusionis. Atque ex his constat solutio prioris difficultatis.

V. Theologia & fides quomodo differant.

Ex hac verò solutione elici potest responsio ad alteram quæstionē de diuersitate Theologiæ à fide: quæ præcipuè consistit in tribus. Primum est, quod respectu fidei intellectus nō habet in vllo genere principium, aut potentiam completam; respectu verò Theologiæ habet quoad aliquid. Secundum verò est, quia fides indiget proximo, atque immediato principio supernaturali, Theologia verò remoto. Tertium denique, quoniam fides est habitus infusus necessariò requisitus ad actus sui ordinis: Theologia verò est habitus acquisitus, non necessarius, ad constituendā potentiā simpliciter, sed solùm ad faciliùs operandum. Quæ tria perfacilia ostenduntur ex dictis: & primū quidē cōstat ex eo, quòd actus fidei est simpliciter supernaturalis ordinis, ac diuini; atque non adeò est in intellectu respectu eius potētia completa, sed indiget eleuatione supernaturali, vt ex instituto probatur in materia de gratia; & ideò Theologi communiter asserunt virtutes, & habitus supernaturales conferri nobis à Deo, nō ad meliùs ac faciliùs operandum, sed vt potentia fiat completa, & proportionata, vt possit actū elicere: respectu verò Theologiæ, vt ex dictis cōstat, habet intellectus

vim completam, saltem ad vnum principium assensus, hoc est, iudicium de consequentiæ bonitate. Secundum etiam patet, quoniam ad assensum fidei non sat est, vt assentiamur ex auxilio, ac lumine supernaturali alicui principio, ex quo conclusio reuelata colligatur: sed opus est, vt assensus præstetur immediatè ex lumine, ac motiuo supernaturali, vt doceri solet in materia de fide: & patet ratione, quoniam actus est substantialiter ordinis diuini, & indiget immediato principio eiusdem ordinis. At verò actus Theologiæ, cùm immediatè procedat ex ratione, & discursu humano, conflato tamen ex assensibus ordinis diuini, sat est si ratione præmissarum habeat principium supranaturale: quod tamen nõ concurrit immediatè ad eliciendum assensum conclusionis.

VI. Obijciet aliquis, hoc discrimen non esse verum, quoniam assensus principiorum immediatè concurrunt ad assensum conclusionis: hi verò in Theologia sunt ordinis diuini, ac supranaturales, nempè actus fidei: ergo etiam Theologia immediatè procedit à principio supernaturaliter eleuante. Respondeo sermonem non esse de principio, siue causa per modũ actus, quo contineatur motiuum assensus discursiui: sed de principio ad hoc ipsum eleuante intellectum per modũ habitus, & complente potentiam, vt positis præmissis assentiatur conclusioni: nã ad hoc tã completa est potentia intellectus ad assensus Theologicos, quàm sit ad assensus aliarũ scientiarum positis primis principijs: ita vt quemadmodũ philosophus naturalis, postquã præbuit assensus suis principijs, virtute horum suapte vi assentitur cõclusioni. Theologus etiam positis assensibus de fide circa præmissas, absq; ope noui auxilij supranaturalis, virtute tamen præmissarũ præstet assensum cõclusioni. Atque ita quoad hoc habet medium locum inter fidem, ac scientias naturales: nam ad has est absolutè completa potentia intelligẽdi, neque p se indiget auxilio ordinis diuini, siue ad assensum præmissarum, siue conclusionis; fides autẽ ad omnem proprium actũ eget auxilio eleuante potentiam ex se incompletam: scientia verò Theologica eget quidem eleuatione ratione principiorum, & concursu horũ ad assensum cõclusionis: nõ tamen exigit concursum alium proximum supranaturalem immediatè eleuantẽ ad assensum discursu Theologico genitum. Ex quib' tandẽ constat tertiũ discrimen. Nam fidẽ esse habitũ per se infusum habetur ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. Theologiam verò esse acquisitũ, est communis sententia Doctorum, quos referã tractatu 6. c. 2. atque adeò, licet fides cùm præcedat actus per modũ potentiæ, ab ijs nõ gignatur, habitus tamẽ Theologicus proprijs actib' gigni debet; quia nõ requiritur, vt complens potentiam, sed datur ad maiorem facilitatem: & ideò per se nõ supponitur à suis actibus, sed supponit illos. Et quamuis in adultis, qui cõuertuntur ad fidem, etiam supponatur actus credẽdi tamquam dispositio ad habitũ, est longè diuersa ratio: nam actus ille nõ est causa efficiens habitus, sed dispositiua tãtùm; & ad ipsum eliciendũ prærequiritur auxilium proportionale habitui, supplens eius vim, atque concursum: actus autẽ Theologicus, vt habeatur ante habitum, nõ indiget concursu vllo supplente habitũ; sed sola determinatione, siue motione principiorũ de fide, iudicio de bonitate consequentiæ, & propria virtute naturali intellectus: quę causæ sufficiunt ad eum eliciendũ: ipse verò efficienter attingit productionẽ habitus, vt cæteri actus, queis respondent habitus acquisiti.

Fides est habitus per se infusus: Theologia est habitus acquisitus.

VII. Hinc facilè sumitur responsio ad rationes dubitandi initio propositas. Nam quia habitus Theologicus partim cõuenit cum habitu fidei, partim differt; idcirco reducitur ad eadem principia, ad quæ fides: nõ tamen eodẽ modo: nã fides immediatè pendet à reuelatione, & lumine diuino: Theologia verò remotè interuentu suorũ principiorum, quæ teneri debent assensu fidei: & ita patet responsio ad rationẽ probãtem nõ esse discrimen inter vtramque. Quę verò suadent interesse discrimen, cõcedendę sunt. Verùm ex ijs nõ sequitur hominẽ esse causam præcipuam simpliciter assensus Theologici: nã quamuis ad eum immediatè concurrat ratio, ac discursus humanus quoad formã Syllogisticam, discursus tamen constat præmissis creditis fide diuina, vt infrà ostendam; cùm verò actus credẽdi sit principaliter à Deo, principaliter quoque ab ipso erit assensus Theologicus; quoniam interuentu præmissarũ reducitur ad eandẽ causam. Ad primum verò argumentum eorum, quibus idẽ suadebatur, dicendum maiorem propositionẽ esse veram, si operatio procedat simpliciter, & absolutè modo cõnaturali potentiæ: tunc enim substantia vtens eo modo, potentia, est causa præcipua operationis. At in hoc sensu non est vera assumptio: nam quamuis discursus quoad formã sit connaturalis operatio hominis, quoad materiam tamen, & assensus principiorũ potest esse supranaturalis: vt re ipsa cõtingit in discursu Theologico: & quia assensus discursiuus non minus pende

Concil. Trid.

a prin-

à principijs materialib⁹ quàm à forma, imò quoad determinationẽ, & genus actus, magis pẽdet ab illis, fit, vt, licet discursus quoad formã procedat modo, ac ratione cõnaturali intellectus humani, sit simpliciter supranaturalis ratione principiorum: atque adeò præcipuus eius auctor, & causa nõ sit homo, sed Deus. Secundum eodẽ ferè modo soluitur. Nõ enim Theologus resoluit omnia principia sui assensus ad lumẽ naturale: assensus quippe præmissarũ de fide, ad id resolui nequeunt: & ita simpliciter est causa minus prẽcipua, quamuis proprio lumine resoluat in principia formalia, qua ex parte nõ repugnat, vt dicatur causa præcipua secundũ quid, modo superiùs explicato. Tertium argumentũ dissoluitur dicẽdo assensus fidei non esse instrumenta intellectus, sed Dei, per eos mouẽtis intellectũ ad assensum conclusionis: nõ enim quidquid cooperatur alteri ad eius actionẽ, est instrumentum, nisi sit virtus naturalis ipsius, aut ab eo acceperit virtutẽ, ac motũ: vt multis exemplis patet: etenim calor cœlestis cooperatur viuentibus ad operationes animæ vegetãtis, nec tamẽ est illius instrumẽtum, imò habet rationẽ instrumẽti respectu cœli per eum cooperãtis actionib⁹ inferiorũ. Simili ferè modo habitus supernaturales cõcurrunt cũ potẽtijs spiritualibus ad operationes vitales ordinis diuini: nec sunt earum instrumẽta, sed Dei per eos eleuantis potentias: assensus autẽ præmissarũ de fide nec sunt virtutes naturales intellectus, nec ab ipso tamquam causa præcipua accipiunt virtutẽ, aut motũ: ideoque non habent respectu eius rationẽ causæ instrumentariæ. Exempla verò instrumentorũ artificialiũ quæ in cõtrarium proferuntur, nõ sunt ad rem: nã artifices, qui vtuntur instrumentis ab alia arte præparatis, imprimunt ijs vim, ac motũ, vt ferræ faber, gladio miles, & sic in cæteris: principia verò fidei potius vim cõferunt intellectui, quàm ab eo accipiant.

Assensus Theologicus exigit eadem principia formalia, quę reliquę scientiæ: materialia verò per se solùm exigit reuelata.

Caput IV.

I. Principia prima, atque remota, exigunt alias causas medias, & instrumentarias, quę immediatè attingant effectus, Deus, & homo sunt causæ suo modo remotæ assensus Theologici: ideò oportet propinquiores indagare. Omnis autẽ assensus discursiuus resoluitur immediatè in duo genera principiorũ, scilicet, in formalia, & materialia. Idcircò philosophus duos de resolutione tractatus scripsit: priorẽ de resolutione in principia formalia, posteriorẽ de resolutione in materialia: illa cõtinẽtur figura, modoq; Syllogistico: hæc principijs, vel cõmunibus, vel ꝓprijs singularũ scientiarũ. Theologiã ego supra tractatu 1. ostẽdi esse habitũ discursiuum; atq; adeò in hęc etiã duo genera principiorũ resolui debet.

Assensus discursiuus in duo genera principiorum resoluitur.

II. Theologia nihil speciale exigit, quoad principia formalia.

Circa principia formalia nihil speciale exigit Theologia ab alijs scientijs, ijsdẽ. n. quibus illæ, vtitur argumentãdi formis. Id tamẽ aduertẽdũ nõnullas regulas maximè circa Syllogismos expositorios nõ eodem modo habere vim in terminis diuinis, atq; in creatis. Sed de his agitur in materia de S. Trinitate, in qua ꝑcipuè regulæ illæ deficere videtur. Porrò q̃a principia formalia faciunt euidẽtiã cõsequẽtiæ, videbitur alicui repugnare assensui Theologico ineuidẽti, vt in ipsa euidẽter resoluatur. Quã sententiã ex alio capite docuit Sotus lib. 1. Posteriorũ, c. 3. q. 2. ad cõfirmationẽ septimi argumenti principalis: quo loco existimat nõ gigni assensum Theologicum ex reuelatis, quãdo adest euidẽtia cõsequẽtiæ, sed præberi assensũ fidei. Fundamentũ est, quoniã Syllogismo cõstante principijs reuelatis, & euidẽter cõcludẽte proponitur sufficiẽter cõclusio illata, vt credatur ex motiuo reuelationis diuinæ. Cùm verò præbetur assensus enunciationi ex motiuo reuelationis, est actus fidei, nõ Theologię: ergo euidẽtia cõsequẽtię excludit assensum Theologicũ.

Sotus.

III. Consequentia alia materialis alia formalis.

Vt huic dubio satisfiat, notandũ est cõsequẽtiã aliã esse materialẽ, aliã formalẽ: materialis est, cùm non habita ratione formæ Syllogisticæ tantũmodò attẽditur habitudo cõsequentis ad antecedẽs, vt se res habet in propositionibus cõditionalibus: nã cùm dicimus, si sol lucet, dies est, aut vice versa, nõ habemus vllã rationẽ cõsequentiæ formalis: sed solũ respicimus habitudinẽ necessariã inter lucẽ solis, ac diẽ: formalis verò est, cùm inspicitur figura, & modus syllogisticus; qui abstrahendo ab omni materia, vel benè, vel malè concludit. Porrò in cõsequẽtia formali secundũ se semper est, vel necessitas, & euidẽtia, vel ineptitudo ad certò, & euidẽter inferendã cõclusionem, quãuis alicui ob ignorãtiã videri possit bona cõsequẽtia, quę inepta est. In cõsequẽtia verò materiali est diuersitas: Nã cùm inter causas alię sint necessariæ, & semper cõiunctæ cũ effectu, alię vt plurimũ, alię indifferẽtes, in vtrãq; partẽ, exposition primarũ necessariò sequitur effectus; & ita si penetretur natura ipsarũ, cõsequẽtia materialis erit euidens: sicut est cũ dicitur, si est ignis, calefacit: in alijs verò non erit omnimoda

euidentia, ſed pro varietate circumſtantiarum erit maior, vel minor, vel nulla, verbi gratia in hac cõditionali: ſi eſt mater, diligit filium, nõ eſt euidẽtia ſimpliciter, ſed tantummodò moralis, in hac autem, ſi eſt hyems, viget frigus, tãtummodò phyſica. In hac verò, ſi eſt poëta, eſt pauper, non eſt euidẽtia, ſed probabilitas. Et ſicut euidentia cõſequentiæ formalis, & materialis, nõ neceſſariò cõiungitur: nã in cõditionalibus ſola eſt materialis, in Syllogiſmo ex probabilibus, vel etiam falſis apto ſecundum formam, eſt ſola formalis: Ita quoque poteſt euenire, vt in eodem diſcurſu ſimul ſint: vt ſit in demonſtrationibus mathematicis in prima figura.

IV. Hoc poſito dico. Ad aſſenſum verè Theologicum neceſſariò requiritur euidentia cõſequentiæ formalis, nec repugnat euidentia materialis, nõ tamen requiritur.

Caiet. Prima pars eſt Cani lib. 12. de locis. c. 2. ad finem, vbi tacito auctoris nomine opinionem Soti reprehendit, eſt etiã Doctorum aſſerentiũ Theologiam eſſe ſcientiã ratione certitudinis, & euidentiæ cõſequentiæ, quos referã tractatu 4. c. 7. & eſt de mente omnium qui vocant illã ſcientiam, qui referentur eodẽ tractatu, c. 6. ſcientia enim non eſt, vbi deeſt euidentia conſequentiæ. Tandem idẽ ſentiunt, qui aiunt certitudinẽ Theologiæ eſſe maiorẽ certitudine cuiuſuis ſcientiæ naturalis, quos referã tractatu 6. cap. 3. Etenim aſſenſus omnis genitus diſcurſu, cuius cõſequentia nõ eſt certa ſecundum formam, eſt minus certus eo, qui gignitur diſcurſu certo cõcludente, ſi tamẽ vtriuſque præmiſſæ ſint certæ. At verò, ſi diſcurſus Theologicus nõ ſit euidẽs ſecundum formã, conſequentia nõ erit certa, vt eſt cõſequentia diſcurſuum pertinentium ad ſcientias naturales: ergo Theologia non erit magis certa, quã illæ. Maior propoſitio patet, quoniã aſſenſus genitus ex vtroque principio formali, ac materiali certo, eſt ſimpliciter certus: qui verò deſiderat certitudinẽ alterius, ſimpliciter nõ eſt certus, vt quis enim certò aſſentiatur vni propoſitioni propter alias, debet eſſe certus de veritate ipſarum, & de bonitate illationis: nã ſi de hac, vel de illa dubitet, cõſequenter etiã de veritate cõcluſionis dubitabit. Aſſumptio verò patet, quoniam ſcientiæ naturales habent vtramq; certitudinẽ, vt patet; Theologia verò, ſi nõ ſupponat euidentiã conſequentiæ, non erit certa de illa; quandoquidẽ, licèt aliquæ conſequentiæ ſint reuelatæ in ſacris literis, potiùs reſpiciunt materiam quàm formã. Et hæ ipſæ ſunt pauciſsimæ: eæ verò, quibus communiter vtitur Theologus, non ſunt reuelatæ: & ideò nõ habent aliundè certitudinem, quàm ex euidentia. Quare ſi hæc defuerit, aſſenſus Theologicus non erit æquè certus, ac is, qui gignitur diſcurſu ſcientiæ naturalis.

V. Secunda pars oſtenditur, quoniã ad euidentiam materialis cõſequentiæ, nõ requiritur notitia euidens alicuius propoſitionis abſolutè de ineſſe; ſed ſat eſt euidens notitia connexionis medij termini cũ paſsione, & propoſitionis cõditionalis contextæ ex ijſdẽ terminis. Exempli gratia, ex ratione hominis euidẽter ſequitur riſibilitas, & ex ratione equi hinnibilitas; & ideò ſi dicatur eſt equus, rectè ſequitur, ergo eſt hinnibilis; eſt homo, ergo riſibilis: quare etiamſi hi termini cõiungantur cũ alijs, cum quibus repugnat omninò naturalis connexio, nihilominùs cõſequentia erit euidens, ac neceſſaria: vt ſi dicas, ſi Alexander eſt equus, eſt hinnibilis: ſi Bucephalus eſt homo, eſt riſibilis. Nã quoniam veritas conditionalis cõſiſtit ſolùm in ratione conſequentiæ, vt docent Logici, fieri poteſt, vt cõſequens, & antecedens ſit impoſſibile, & nihilominùs propoſitio cõditionalis vera, vt ait D. Th. 1. p. q. 25. art. 3. ad 2. & cõſequenter neceſſaria, quoniã omnis cõditionalis vera eſt neceſſaria, vt docet idem. S. Doct. lib. 6. metaph. lectione 3. ante mediũ, & conſequenter erit euidens cernenti connexionẽ antecedẽtis cũ cõſequente. Ex quo infertur fore euidentẽ cõſequentiam materialem, etiã ſi antecedens, & cõſequens ſit euidens: nã cùm ad euidentiã cõſequẽtiæ nõ requiratur veritas ipſorũ, nequaquã etiã requiretur euidentia; quãdoquidem, quãdo propoſitio eſt falſa, non poteſt habere euidentiam veritatis: quare euidentia conſequentiæ materialis, quæ cohærere poteſt cũ falſitate antecedentis, & conſequentis, ſtare poterit cũ ineuidentia eorundem. Atque ita patet, hanc conditionalem, *ſi verbum diuinum eſt homo, habet voluntatẽ humanam:* eſſe euidentem quamuis hæ duæ, *verbum diuinum eſt homo, verbum diuinum habet voluntatem humanã,* ſint ineuidẽtes. Ex quo tandẽ ſequitur hunc Syllogiſmum: *omnis homo habet voluntatem humanam; verbum diuinũ eſt homo: ergo habet voluntatẽ humanam,* admittere euidentiam conſequentiæ materialis.

S. Thom.

VI. Tertia pars oſtenditur, quoniam aſſenſus Theologicus, cùm ſit ineuidens, cohærere poteſt cum ineuidentia conſequentiæ materialis. Id verò tunc erit, quãdo Syllogiſmus Theologicus conſtiterit vtraque præmiſſa reuelata, & credita fide diuina; erit enim aſſenſus Theologicus, vt patebit hoc ipſo capite; & nihilominùs nõ erit euiden-

tia con-

tia cõsequentiæ materialis. Ratio est, quoniam ad eiusmodi euidentiam opus est saltem, vt sit euidens intellectui cõnexio medij termini cũ passione, vel subiecto: tunc enim hoc ipso, quo aliud extremum quodcumque cõiungitur, aut cõiungi supponitur cũ medio termino, euidens est coniungi debere etiam cum passione, vt patet in exemplis allatis: nam, quia hinnibilitas euidenter coniungitur cũ equo, hoc ipso, quo siue verè, siue falsò, siue euidenter siue ineuidẽter supponitur aliquẽ esse equum, euidenter etiã sequitur eundẽ esse hinnibilem. At quando vtraque præmissa est de fide, & cõsequenter ineuidens, cõiunctio quoque medij termini siue cum passione, siue cum subiecto est ineuidens; atq; adeò ipsa quoque consequentia materialis manet ineuidens, vt si dicas *Christus est filius Dei, Christus est filius Virginis: ergo filius Virginis est filius Dei:* nã medius terminus est *Christus*, cuius coniunctio cũ extremis non est nobis euidens; & consequenter neque consequẽtiæ materialis habet euidentiam, neque si fiat ex ijsdem terminis conditionalis propositio, nimirum, *si est Christus, est filius Dei*, erit euidens. Ex quo apertè deducitur euidentiam consecutionis materialis, non necessariò requiri ad assensum verè Theologicum.

VII. Ad primum motiuum oppositæ sententiæ respondeo, sicut necessitas illationis nõ confert certitudinẽ assensui, nisi principia ipsa materialia sint necessaria, vel alioquin certa, vt patet in assensu nato ex Syllogismo apto secundũ formã, constante tamen præmissis solùm probabilibus: ita etiã solã euidentiã consecutionis nõ sufficere, vt assensus sit euidens, nisi vtraque præmissa sit euidens. Ad secundũ distinguenda est maior, nã si sensus eius sit, Syllogismo euidenter cõcludẽte proponi conclusionẽ, vt credendã immediatè propter motiuum reuelationis diuinæ, negãda est: repugnat enim, vt assensus sit propriè discursiuus, & cadat in conclusionem proximè, & immediatè propter idẽ motiuum, propter q̃ præmissæ creduntur esse veræ. Etenim motiuum immediatũ assensus discursiui est notitia, qua cernitur cõiunctio medij termini cum vtroque extremo: hæc autem cõtinetur assensibus præmissarum; & differt à motiuo, propter quod ipsæmet creduntur: & ideò, cùm reuelatio diuina sit immediatũ motiuum assentiendi præmissis Theologicis, fieri nequit, vt assensus prẽstitus cõclusioni ob notitiã præmissarũ ex reuelatione habita nitatur immediatè reuelatione diuina. Si verò sensus sit eam propositionẽ sat esse, vt præbeatur assensus mediatè, ac remotè propter reuelationem, concedenda est maior: sed in eo sensu non est vera assumptio; assensus enim cadens supra conclusionem, vt solùm deductã ex principijs fidei per se, ac formaliter, non est assensus fidei.

VIII. Quod attinet ad principia materialia. Quædã ex ijs sunt cõmunia omnibus scientijs, quæ dignitates appellantur, & ingrediuntur oẽs demonstrationes, nõ formaliter, & actu, sed virtute: qualia sunt, *de quolibet est affirmare, vel negare: impossibile est idem simul esse, & nõ esse*. Alia verò sunt, quæ formaliter per se ingrediuntur demõstrationes. Verùm ex his quoq; assignari possunt aliqua prima, quæ virtute cõtinent reliqua omnia, quatenus cæteræ demonstrationes resoluuntur in cõclusionem demonstratã per eiusmodi principia, & cõsequenter in ipsa: quæ proinde ingrediuntur oẽs eiusdẽ scientiæ demonstrationes, primã formaliter, cęteras virtute. Ex qua diuisione principiorũ tria disquirenda se offerunt. Primũ est, vtrũ Theologia habeat principia communissima, & quasi dignitates; quæ virtute singulos eius discursus ingrediatur. Secundum vtrũ habeat prima aliqua principia: ex quib⁹ cætera procedãt, & in quę vltimo resoluantur. Tertium denique quod nã sit genus, quæ cõditiones principijs Theologicis necessariæ. Et quoniã in his cõuenire debent omnia, siue sint cõmunia, siue non, ab hoc vltimo incipiam inquirendo genus materiæ probatiuæ, qua vtitur Theologus.

Principiorũ diuisio.

IX. Quadruplex autem materiæ probatiuæ modus traditur ab Aristot. lib. 1. Topicorum, scilicet necessaria, vel potius euidens, probabilis, sophistica, pseudographa: quo loco nõ cõsideratur materia secundũ quod est in se: & ita nõ dicitur necessaria, contingens, impossibilis: sed secundũ quod sumitur ab intellectu, sub aliqua apparentia veritatis; & quatenus substat assensui mẽtali, sub diuersis motiuis. Porrò de duob⁹ vltimis generibus materiæ nõ est vlla dubitatio: nam, cùm Theologia sit habitus verus, nõ potest vti materia probatiua, q̃ gignit errorẽ, ac deceptionẽ, veritas enim nõ eget adminiculo falsitatis: restãt duo alia genera materiæ probatiuæ, scilicet, euidentis, ac probabilis: cui adiungendum est tertium: quod, quia supra naturã est, latuit Philosophum, nempè materia infallibilis, ineuidens: quę omnia diuersimodè inter se connecti possunt: ita, vt vna prę̃missa pertineat ad vnũ genus, altera ad alterum. Verbi gratia, si Syllogismus constet altera præmissa reuelata, altera probabili, & sic in cæteris.

Aristot. Quatuor probatiuæ materiæ modi sunt.

X. Toletanus q. 2. prologi, art. 2. conclusione 4. & q. 3. art. 2. cõclusione 4. & q. 4. art. 2.

Toletan.

art. 2. conclusione 4. habitum, qui procedit ex vtraque euidenti naturali, præsuppositis articulis fidei, vt cõditione extrinseca, docet esse verè Theologicum; & q. 2. art. 2. conclusione 3. qu. 3. art. 4. ad argumenta contra secundam conclusionem, & q. 4. art. 2. conclusione 3. idem affirmat de habitu probatiuo ex Syllogismo constante duobus probabilibus. Rationem verò huius opinionis indicat loco illo quæstionis tertiæ proximè citatæ, dicens habitum hunc esse distinctum à metaphysica, & illa nobiliorem ratione obiecti; vndè elici potest hæc ratio: habitus scientifici distinguuntur ratione obiecti, sed prędicti habitus sunt de obiecto, quod per solam rationem naturalem nõ potest innotescere, quales sunt veritates de Deo, quæ pertinent ad metaphysicam: ergo pertinent ad superiorem scientiam, quæ est Theologia.

XI. Nihilominus dico. Ad discursum Theologicum per se, ac necessariò requiritur motiuum reuelationis diuinæ. Ita Albertus in prologo summæ, dicens, Theologiam per reuelationem diuini luminis omnia probare, & tractatu 1. qu. 4. principijs distingui ab alijs scientijs, quia in ea sunt cognita per fidem; & q. 5. m. 2. esse certiorem alijs, quia innititur primæ veritati. Consentiunt omnes, qui docent articulos fidei esse principia scientiæ Theologiæ. Ita Alensis 1. p. q. 1. m. 1. D. Thom. qu. vnica prologi, art. 3. quæstiuncula 2. ad 2. & 3. & quæstiuncula 3. & art. 5. & 1. p. q. 1. art. 2. 5. & 8. cum Caietano. Ægyd. 2. p. prologi, q. 1. art. 3. in cap. Henricus in Summa art. 6. q. 1. ad 4. Richardus. q. 2. 6. & 7. prologi. Gregor. q. 1. art. 2. in responsione ad arg. & q. 3. art. 3. Argentin. q. 2. art. 2. Marsilius. q. 2. art. 3. propositione 5. & 6. Alliacens. q. vnica. art. 3. litera EE. Capreolus. q. 1. art. 1. conclusione 5. Carthus. q. 1. ad 4. 6. & 9. rationem. Sylvester in consl. q. 1. art. 10. & 11. Maior. q. 4. prologi; Canus lib. 12. de locis. c. 3. & 4. Palatius. q. 6. prologi. Hispal. & Soncin. q. 1. sæpius, & omnes qui affirmant obiectum formale Theologiæ esse credibile, aut reuelabile, quos tractatu sequenti, c. 10. referam. Ostenditur in primis auctoritate Magni Dionysij, cap. 2. de diuinis nominibus paulò post principium vbi sic ait: *Nam siquidem est, qui omninò sacris Scripturis resistat, longè omninò aberit, & à Philosophia nostra: ac nisi illi curæ sit diuina sanctarum literarum sapientia, quomodo nobis erit curæ ipsum ad castißimorum eloquiorũ scientiam adducere?* & secundum aliam translationem: *Quomodo nobis curæ sit istius manuductionis ad Theologicam scientiam?* quibus verbis manifestè docet nõ esse aliam viam probandi Theologicè mysteria diuina, quàm ex reuelatis, ideoque postea subiungit: *Sin vero Scripturæ sanctæ veritatẽ intuetur, ista nos quoq; regula & luce freti, ad rationem pro viribus reddendã nusquã declinãdo pergemus.* Fundamentũ sumitur ex ipsa nominis etymologia, & vsu inter Christianos: sumitur enim Theologia pro habitu, ac notitia de Deo: nõ vtcumque, hac enim ratione nõ distingueretur à Metaphysica, sed ex diuina reuelatione: vt enim iam supra notaui, Christiana Theologia non ita appellatur solùm, quia de Deo est, sed potissimùm, quia ex Deo est, saltẽ remotè ratione principiorũ, quæ reuelantur. Si verò nihil reuelatum in prę-missis habeatur totus discursus ad scientias, & habitus omninò naturales pertinebit. Et confirmatur, quoniã actus proprius alicuius habitus, non fertur in obiectũ materiale, nisi quatenus subsłat formali: propria vero ratio formalis obiecti Theologici nõ est completa absque reuelatione diuina, vt constabit in tractatu de subiecto Theologiæ: ergo cùm reuelatio non aliter applicetur conclusioni discursu illatæ, quàm per principia reuelata, si neutra ex præmissis est reuelata, aut ex reuelatis deducta, fieri non poterit, vt actus ex earũ assensu genitus sit Theologicus. Dixi vel ex reuelatis deducta: quoniã vt rectè notat Toletanus. q. 4. prologi. art. 1. dist. 2. & Sylvest. q. 1. conflati. art. 11. §. 2. Maior. q. 4. prologi, alias 9. & Alliacens. q. vn. ar. 3. litera EE. quemadmodũ in scientijs naturalib⁹ ad verã rationem assensus scientifici, non necessariò requiritur, vt immediatè procedat ex primis principijs notis ex terminis: sed sat est si procedat ex propositionibus iam determinatis, & resolutis ad prima principia; ita etiam vt assensus propositionis illatæ sit verè Theologicus, non est opus, vt immediatè procedat ex principijs in se reuelatis: sed sufficit, vt inferatur ex propositionibus ex fide deductis, & resolutis in lumen diuinæ reuelationis.

Albertus. Alensis. S. Thom. Caietan. Ægyd. Henric. Richard. Gregor. Argentin. Marsilius. Alliacens. Capreol. Carthusian. Sylvest. Maior. Canus. Palat. Hispalensis. Soncinas.

Theologia non solum de Deo est, sed ex Deo.

Toletan. Sylvest. Maior. Alliacens.

XII. Quando vtraque præmissa est de fide, assensus est Theologicus.

Ex hac assertione duo corollaria deducuntur. Alterũ est, quotiescumque discursus cõstat vtraque præmissa de fide, gignere assensum Theologicum, si cadat in conclusionẽ, quatenus præcisè deducta est. Constat, quoniã ciusmodi assensus ad nullũ habitũ scientiæ naturalis pertinet, quoniam habet principia ineuidentia propter assensum fidei obscurum: nõ ad opinionẽ, suspicionem, aut fidẽ humanam; nã excludit incertitudinẽ, quã illi habitus nõ excludunt: nõ denique ad fidẽ, quoniã nõ immediatè nititur reuelatione, Alterũ est, si præmis-

sarum nulla sit de fide, aut ex principijs fidei deducta, nõ gignere assensum Theologicum: ac proinde nullum assensum genitum ex vtraque præmissa naturaliter euidente, aut ex vtraque probabili esse Theologicum. Hanc propositionẽ expresè tenent Bassol. q. 5. prologi, art. 3. §. vlt. Greg. q. 1. art. 2. Alliacens. q. vn. art. 3. litera FF. Maior. q. 4. satis post medium. Caiet. 1. p. q. 1. art. 8. §. *In responsione.* & seq. ex doctrina D. Thomæ. Ratio est quoniam discursus eiusmodi, & assensus per eum genitus caret propria ratione formali Theologiæ. hæc enim sumitur à principijs reuelatis: eiusmodi verò Syllogismus nullum habet ordinem ad reuelationem; nõ si constet ex vtraque necessaria euidente, quoniam haberi potest lumine naturali, & pertinet ad metaphysicam: vt sumitur ex Comment. 6. metaph. Com. 2. afferente illa pertinere ad scientiã diuinam, hoc est, Theologiam naturalem, siue metaphysicam, in quorum definitione ponitur Deus, sicut in definitione naturalium natura: tamẽ quia in subsidium luminis naturalis, & ad certitudinem fidei Deus reuelauit etiam plurima ex ijs, quæ naturaliter agnosci possunt: vt notat D. Thom. q. 14. de ver. art. 10. in 3. d. 24. quæst. 1. art. 3. & sæpè alibi, & facilè ex Scriptura colligitur: nam Paul. ad Rom. 1. ait virtutem, ac diuinitatem Dei ex creaturis agnosci ab hominibus: in lege autem vtrumque horum reuelatum est: Deut. 6. *Audi Israël Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* & Exod. cap. 15. *Omnipotens nomen eius.* si quis naturalis demonstrationis ignarus, vel oblitus præmissas naturali lumine agnoscibiles, & reuelatas à Deo non sub euidentia naturali, sed sub lumine fidei, reuelationisque diuinæ assumat ad inferendam conclusionem, eliciet assensum Theologicum, non actu scientiæ naturalis: quia fertur in obiectũ sub ratione formali Theologiæ, non philosophiæ. Non est autem absurdum discursum materialiter eundem, quoad terminos, propositiones, & obiecta ratione assensuum diuersorum pertinere ad diuersos habitus: nam vt benè notat Scotus in 3. d. 24. quæst. vn. §. *Contra hæc.* & Quodlibet. quæst. 7. §. *Tertia conclusio.* ijdem termini materiales inseruiunt diuersis assensibus: & in casu, de quo sermo est, Philosophus assentiretur principijs euidenter ex habitu intellectus: qui verò caret huiusmodi euidentia, & recordaretur reuelationis diuinæ, assentiretur ex habitu fidei: & consequenter de eadem conclusione hic haberet assensum Theologicum, ille scientiæ.

Bassol. *Gregor.* *Alliacens.* *Maior.* *Caietan.* *Comment.* *S. Thom.* *Ad Rom. 1.* *Deut. 6.* *Exod. 15.* *Scotus.*

Si verò discursus constet vtraque præmissa probabili; non esse Theologicum ex instituto probat Gregor. q. 1. prologi, art. 2. conclusione 1. & facilè constat, quoniam assensus probabiles nituntur motiuo humano fallibili: & ita, quamuis versentur circa diuina, abhorrent à vera ratione Theologiæ: quare Syllogismus constans vtraque præmissa probabili, nullum ordinem habet ad reuelationem, & indifferenter haberi potest à quouis homine: nam si quis Platonicus motus ratione aliqua apparente, sumpta ex actibus nostri intellectus, & voluntatis, & inductus ex verbis Trismegisti, & Platonis, assereret tres in Deitate personas absque vllo ordine ad auctoritatem Dei, nõ proinde Theologus censendus esset. Ad hoc enim nõ sufficit, vt versetur circa idẽ obiectũ materiale: alioquin omnis Syllogismus probatiuus eiusdẽ conclusionis ad eundẽ habitũ pertineret, quod est apertè falsum: nã eadẽ conclusio, si demonstretur medio mathematico, procedit ex habitu scientiæ mathematicæ, si medio physico, pertinet ad philosophiam naturalem: ergo Syllogismus probabilis nõ per se pertinet ad Theologiam. Ex quibus patet solutio ad rationem Toletani: distinctio enim habituum nõ est desumenda ab obiecto materiali, quod cognoscitur: sed ex motiuo, & ratione formali, quæ in Theologia necessario inuoluit diuinam reuelationem. Quod verò docet de illa extrinseca suppositione articulorum fidei tractatu 4. cap. 3. est examinandum. XIII.

Gregor.

Discursus Theologicus constare potest altero principio naturali, dum modò sit euidens, ac necessarium.

Caput V.

NVnc indagandum, vtrum discursus Theologicus admittat principium aliquod naturale; quod coniunctum alteri reuelato cõcurrat ad assensum Theologicum? Et quoniã solùm de probabili, ac necessario dubitari potest, prius de probabili, deinde dicam de necessario. Sat verò esse concursum propositionis probabilis, cum altera reuelata ad discursum Theologicum, sentire videtur Palat. quæst. 6. & 9. prologi, suadetur autem quoniam plurimæ argumentationes fiunt ad hunc modum: eæ verò non pertinent ad vllam aliam scientiam, vel habitum: ergo ad Theologiam. Maior per se patet: nam Syllogismus, quo quis probaret sub speciebus hostiæ consecratæ, quã videt, contineri I.

Palat.

corpus

In hac hostia consecrata, ab hoc sacerdote, contineri sacrum Christi corpus qua fide sit credendū.

corpus Christi, cōstaret altera deinde, altera probabili: in hunc modū, *post consecrationem continetur corpus Christi sub speciebus panis; est autem ab hoc sacerdote consecratus panis: ergo sub eius accidentibus cōtinetur verum Christi corpus.* Cuius Syllogismi maior est de fide, assumptio tantùm probabilis: non enim est euidenter verum, aut de fide certum, hunc hominem singularem esse sacerdotem, aut habuisse intentionem consecrandi: sed sola fide humana creditur; similia exempla passim occurrent in alijs materijs. Assumptio verò per se constat, quoniam hic Syllogismus versatur in materia Theologica, nempè in sacramentali: nititur reuelatione diuina ratione alterius præmissæ: atque adeò eius conclusio agnoscibilis per reuelationem mediatè, vel immediatè: ergo ad nullum alium habitum pertinet. Probatur consequentia: nam nullus habitus per se fertur in obiectum materiale alterius sumptum sub formali: at materia sacramentalis pertinet ad obiectum materiale fidei; & stat sub formali, nempè sub reuelatione diuina: ergo assensus productus vi talis discursus non pertinet ad vllum alium habitum, quam ad Theologiam. Secundò omnis assensus mentalis distinctus à Theologico infuso vel acquisito, haberi potest naturaliter absque vlla reuelatione: assensus autem cadens supra conclusionem ita deductam haberi nullo modo potest absque reuelatione: ergo cùm non sit actus fidei, erit Theologicus. Tertiò quotiescunque ratio formalis obiecti extenditur ad materiam contingentem, tum media assumpta pertinere possunt ad materiam contingentem: ergo quemadmodum potest esse altera præmissa de fide circa materiam contingentem, ita quoque potest cum illa assumi altera naturalis de materia contingenti: circa eam verò materiam non habetur alius assensus, quam probabilis: ergo Syllogismus constans ex vna de fide, & altera probabili, est verè Theologicus.

II. Dico primùm: Syllogismus constans altera præmissa de fide, altera probabili nō est verè, ac propriè Theologicus: sed indirectè, & tamquam additamentum. Prior pars traditur expresè à Maiore vbi suprà. *Maior.* Est communis doctorum, quos referam tractatu 4. cap. 1. & tractatu 6. cap. 3. asserentium Theologiam esse certam, imò certiorem omnibus scientijs naturalibus: quod non competit habitui, qui deducitur ex principio probabili, vt per se patet. Ostenditur autē primò ex communi sententia doctorum, qui referentur tractatu 4. cap. 6. appellantium Theologiam scientiam, si nō quoad omnes cōditiones scientiæ, de quo est controuersia, saltem quoad eām proprietatem, qua iuxta doctrinam Philosophi lib. 6. & hic. c. 4. & 7. distinguitur ab opinione, ac suspicione: quia scilicet est habitus, quo determinatè verum dicimus, vt explicat Scotus, q. 3. prologi, q. 4. laterali: nam suspicio, & opinio est indifferens ad verum, vel falsum: ita vt manens eadem vicissim substet modò veritati, modò falsitati ob mutationem obiecti; at verò scientia manens eadem non potest esse quādoque vera, quandoque falsa, sicut neque modò scientia, modò nō scientia, vt docet Philosophus, lib. 7. Metaph. text. 53. in hoc itaque sensu Theologia communiter scientia appellatur: cùm hoc autem repugnat, vt vtatur Syllogismo probatiuo constante, vel vna solùm præmissa probabili: ergo ad Syllogismum verè Theologicum est prorsus inepta materia probabilis. Assumptio constat. Etenim, cùm veritas conclusionis illatæ sit, & agnoscatur dependenter à cōiunctione medij cum vtroque extremo, si hæc sit dissolubilis, etiam veritas conclusionis erit variabilis, & mutabilis in falsitatem: atque adeò assensus conclusionis de vero, transibit in falsum: quotiescumque verò aliqua præmissarum est probabilis, fieri potest, vt dissoluatur vnio medij cum vtroque extremo, etiamsi altera sit de fide: huius enim veritate manente, & coniunctione medij termini cum extremo, quod est in ipsa, destrui potest veritas alterius præmissæ probabilis, & coniunctio medij cum extremo, quod est in ipsa: medium autem non connectit extrema inter se, nisi sit vtrique coniunctum: & ita quemadmodum ipsum disiungi potest ab extremo præmissæ probabilis, ita extrema conclusionis disiungi possunt inter se, & conclusio manebit falsa: & similiter assensus cadens super illam. Confirmatur eadē pars conclusionis à simili. Nam Theologia quoad veritatem non est inferior scientijs naturalibus: in his verò Syllogismi constantes vel vna præmissa probabili, nō per se procedunt ab habitu scientiæ: ergo neque assensus conclusionis deductæ ex vna reuelata, altera probabili per se, ac propriè erit actus Theologicus. Posterior pars suadetur argumentis in contrarium adductis, & exemplo aliarū scientiarum: ad quas indirectè reducuntur Syllogismi, & assensus probabiles, qui versantur circa idem obiectum sub aliqua ratione propriè abstractionis ipsarum, vt patebit in solutione argumentorum.

Aristot. Theologia qua modo sit scientia. *Scotus.*

Aristot.

III. Ad primum, quatenus priori parti assertionis

rtionis aduerſatur, dicendum eſt actu pliciter poſſe ad ſcientiam totalem perhere, nempè per ſe, propriè, ac directò: vel per accidens, & quaſi additamentum: priore modo pertinent ij, qui procedunt ex proprijs ſcientiæ principijs: poſteriore verò ij, qui non ex ſciendi, ſed opinandi principijs oriuntur. Vtrumque modum actuum videre licet in philoſophia naturali: nam geniti per veram demonſtrationem circa ſubiectum conſideratum ſub propria abſtractione entis mobilis, à materia ſenſibili in ſingulari per ſe ad illam pertinent, qui verò gignuntur ex diſcurſu probabili de eodem ſubiecto ſub eadem etiam abſtractione, non per ſe, ſed per accidens, & tamquam ex addito ad ipſam reuocantur. Et hoc ipſum dicendum eſt de actibus Theologicis: nam, qui pendent ex medio opinabili, non per ſe propriè, ſed tamquam ex addito pertinent ad habitum Theologicum. Et in hoc ſenſu concedendenda eſt aſſumptio primi argumenti, neganda in priore. Ad probationem dicendum, eodem argumento concludi poſſe opiniones philoſophicas propriè, ac per ſe pertinere ad habitum ſcientiæ naturalis, quoniam verſantur circa ens mobile, ſub abſtractione à materia ſenſibili: quemadmodum itaque in philoſophia vim nõ habet, ita neque in Theologia. Quando vero ſcientiæ diſtinguuntur per eiuſmodi abſtractiones, & rationes formales, iam ſupponitur aliquid commune omnium obiectis, quod completur propria ratione formali, nempè ſcibilitas: quod quia non reperitur in obiecto concluſionis opinabilis, idcirco, licèt aliquo modo participet rationem aliquam abſtractionis, non conſtituitur ſub propria, & completa ratione formali talis ſcientiæ. Et quoniam Theologia quoad immutabilitatẽ veritatis conuenit cum alijs ſcientijs, eius obiectum formale non eſt quomodocunque cognoſcibile per reuelationem: ſed ſcibile remotè per reuelationem. Aliter hoc ipſum explicari poteſt, dicendo completam rationem formalẽ obiecti Theologiæ eſſe cognoſcibile per reuelationem infallibili diſcurſu applicatam: per diſcurſum verò conſtantẽ altera prẽmiſſa probabili fallibiliter applicatur reuelatio concluſioni: nam deficiente veritate illius præmiſſæ diſſoluitur medium, & ceſſat applicatio reuelationis. Ad ſecundum dico maiorem propoſitionem eſſe veram, ſi intelligatur de aſſenſu Theologico latè ſumpto: non verò de eo, qui propriè talis eſt; nam quiuis actus per ſe, vel per accidens Theologicus, ſupponit diuinam reuelationem. Tertij argumenti aſſumptio eſt negãda: & patet aperta inſtantia in ipſis actibus fidei, qui circa plurima cõtingentia verſantur, nec tamen ſunt opinatiui, ſed omninò certi; & quemadmodũ principia ipſa Theologica, quorum proprius aſſenſus excludit formidinem, & incertitudinem opinionis, ſunt de contingentibus: ita etiam concluſiones, quamuis circa cõtingentia verſentur, poterunt terminare aſſenſum non opinatiuum, ſi pendeant ex medio non opinatiuo, ſed certo: vt ſunt omnes ferè concluſiones Theologicæ de myſterijs incarnationis, & ſacramentorum.

IV. Ex duabus præmiſſis, quarum altera eſt reuelata altera euidens, non gignitur concluſio Theologica.

Hæc de Syllogiſmo conſtante ex altera præmiſſa opinatiua, ſi verò loquamur de altera euidente, dupliciter haberi poteſt: ſcilicet, de obiecto vel neceſſario, vel contingenti, quando nempè gignitur ex ipſa præſentia obiecti, & eſt experimentalis intuitiua, vel memoratiua, abſtractiua. Quantùm ad primam Syllogiſmum conſtantem ex altera præmiſſa de fide, & altera euidente neceſſaria non gignere aſſenſum Theologicum oſtenditur. Primò, quoniam medium conflatum ex altera prẽmiſſa reuelata, altera nota naturaliter, non eſt ſimpliciter reuelatum: ad hoc enim opus eſt, vt ipſa connexio medij cum vtroque extremo reuelata ſit: cùm verò altera tantùm eſt reuelata, non reuelatur coniunctio medij cum vtroque extremo, ſed cum eo tantùm, quod continetur præmiſſa reuelata. Confirmatur, quoniam eiuſmodi diſcurſu continetur motiuum, & ratio formalis diſtincta ſpecie ab ea, quæ continetur Syllogiſmo conſtante vtraque prẽmiſſa reuelata. Etenim vtraque præmiſſa per ſe integrat, & complet motiuum, & rationem formalem aſſenſus: atque adeò, cùm altera eſt euidens lumine naturæ, confert partialem rationẽ motiui diſtinctam ſpecie ab ea, quæ confertur à præmiſſis reuelatis. Secundò præmiſſa ordinis inferioris ſemper trahit ad ſe, & ſuam abſtractionem præmiſſam ordinis ſuperioris: ſi enim principio metaphyſico addatur aſſumptio phyſica, determinatio pertinet ad philoſophiam naturalem: ergo, cùm præmiſſæ notæ lumine naturæ ſint inferioris ordinis, reuelatæ autem ſuperioris, quæuis præmiſſa naturalis addita reuelatæ, reponet Syllogiſmum in materia probatiua naturali.

V. Heruæus.

Dico ſecundùm, ex vna de fide, & altera neceſſaria euidente colligitur concluſio Theologica. ita docent expreſsè Heruæus q. 1. prologi dum impugnat primam & ſecundam

Durand. Gregor. Marsil. Alliacens. Maior. Canus.

cundam opinionem Durandus. q. 1. nu. 53. Gregor. q. 1. art. 2. in responsione ad art. Marsilius. q. 2. ar. 2. dub. 1. 2. & 3. Alliacens. q. vn. art. 3. litera EE. Maior. q. 4. prologi cit. Canus. lib. 12. de locis c. 2. ad finem, & c. 3. post 3. cõclusionem: & recentiores communiter, & est de mente D. Thom. qui lib. 2. contra gent. c. 4. docet, interdũ ex principijs philosophiæ humanæ sapientiam diuinã procedere. Ad probationẽ suppono, quando ex permistione principiorum diuersi generis discursus fiunt, semper conflari vnicum motiuum vnica tãtùm ratione formali cõtentum: neque diuersitatem vnius præmissæ ab altera inducere motiuum formale integrum, ac distinctum: nã motiuum integrum semper cõstat duabus propositionibus; ideoque nunquã vna sola constituit integram rationẽ motiui. Quod planum fiet per singula discurrendo, nam motiuum integratum ex vna necessaria, & altera probabili probabile tãtùm est: conflatum verò ex primo principio, & propositione sophistica, sophisticũ est. Ad discernendum verò vtra ex præmissis trahat ad se alteram ad constituendũ motiuum proprij generis, obseruandũ est, ex vtrius coniunctione ad alteram abstrahatur medium à propria ratione formali alterius: nã quæ hanc vim habuerit, habebit vim dandi rationem, ac speciem motiuo. Exempli gratia, propositio probabilis connexa necessariæ euidenti, reddit medium solum probabile: ideò ipsa traducit euidentem ad constituendum secum motiuum solùm probabile: propositio physica coniuncta metaphysicæ extrahit medium ab abstractione à materia: nã vbi interuenit principium physicum, non fit omnimoda abstractio à materia, & ita motiuum constans altero principio metaphysico, altero physico, simpliciter spectat ad philosophiam naturalem.

S. Thom. Ex vna de fide & altera necessaria euidenti colligitur conclusio Theologica.

VI. Discursus constans altero principio reuelato & altero naturaliter euidente, facit Theologicam conclusionem.

His præmissis rectè sequitur discursum cõstantem altero principio reuelato, & altero naturaliter euidente, ad Theologiam pertinere. Nam principium naturale non potest trahere propositionem reuelatam, cui adiungitur ad cõstituendum medium euidens, quale exigit assensus philosophiæ naturalis: propositio autem reuelata trahit principium naturale ad constituendũ motiuum ineuidens, ac reuelatum: quę est propria ratio motiui Theologici. Nam licet altera pars nõ sit reuelata, quia tamen connexio vnius ad alteram vltimo constituitur per reuelationem, idcirco motiuum, quod in medij cum extremis connexione consistit, reuelatum dici potest; & manet ineuidens, quia connexio medij cum extremo, quod continetur propositione reuelata ineuidens est. Ex quo fundamento colligitur institutum. Primò, quoniam assensus per eum discursum genitus, nititur diuina reuelatione, atque adeò non spectat ad vllam scientiam naturalem: habet certitudinem requisitam ex parte medij; neque assignabitur vlla conditio necessaria ad assensum Theologicum, quæ ipsi desit: ergo verè Theologicus est. Maior propositio ostenditur, quoniam scientia omnis naturalis nititur proprij intellectus testimonio, & habet sufficiens motiuum, ac principium in natura: motiuum verò contentum hoc discursu neque nititur solo testimonio intellectus, neque constat vtroque principio naturali: ergo non pertinet ad scientias naturales. Secundò eiusmodi coniunctio terminorũ extrahit medium à ratione formali cuiusuis scientiæ naturalis, quæ cõstituitur ex varia abstractione, & illustratione terminorũ virtute intellectus agentis: & reponit in ordine superioris ordinis illustrati lumine alterius rationis, nempè reuelationis diuinæ: ergo non pertinet ad scientias naturales, sed ad Theologiam. Denique discursus, quo Patres communiter vtuntur contra hæreticos, ad fidei dogmata ex reuelatis cõfirmanda, est maximè Theologicus: hic autẽ argumentandi modus est maximè familiaris Patribus, frequenter enim assumunt sub fide propositiones notas lumine naturæ: vt videre est in disputationibus contra Arianos, contra quos plerique ex eo quod Christus dicatur in sacris literis filius Dei, colligunt esse Deum subsumentes hanc propositionẽ naturali lumine ex terminis notam, *filius est eiusdẽ naturæ, ac substantiæ cum patre.* Eadem ratione argumentandi vtuntur sacra Concilia ad stabilienda aliqua dogmata fidei implicitè reuelata, probando verbi gratia, Christum habere voluntatẽ non solùm diuinam, sed etiam humanam ex eo, quòd non tantùm est Deus, sed etiam homo. Dicendum ergo est Theologicum esse discursum, qui constat altera reuelata, altera naturaliter euidente.

VII. Ad primum argumentũ in oppositum, distinguenda est maior propositio, dicendo motiuum constans altera præmissa reuelata, altera naturali, non esse simpliciter reuelatum, quoad vtramque partem: esse tamen quoad connexionem, quod sufficit. Et ad huius impugnationẽ respondeo, cùm reuelatur id, quo vltimò completur coniunctio, ipsam quoque coniunctionẽ censeri reuelatam: quandoquidem reuelando

coniunctio-

coniunctionē vnius extremi cum medio, quod suapte natura cum altero connexum est, hoc ipso reuelatur coniunctio medij cū extremis, quę ante reuelationē non erat nota, per eam verò innotescit: & ita nō est nota lumine naturæ sed primū est agnoscibilis lumine reuelationis: & idcirco præmissa naturalis euidens ex coniunctione ad reuelatā, extrahitur à ratione motiui naturalis ad motiuum supranaturale. Ad cōfirmationem respondeo, non valere consequentiam vt patet ex dictis: nam cùm vna sola præmissa nō habeat rationem motiui completi, duæ simul diuersi ordinis non conflant motiuum specie diuersum ab eo, quod coalesceret ex duab⁹ huius, vel illius ordinis: sed vnicum tantùm pertinens ad genus eius propositionis, quæ trahit alterā ad se modo explicato. Ad secundū respondeo quamuis in ordine principiorū naturalium prę̄missa inferioris ordinis plerumque trahat ad se præmissam ordinis superioris, vt patet exemplo adducto in argumento: hoc tamen nec esse vniuersale, nec rationē esse, quia inferioris ordinis est: non est vniuersale, quoniam si ex duobus principijs altero metaphysico, altero physico confletur discursus, per se propriè ad philosophiam naturalem, non ad metaphysicam pertinebit: quoniā motiuum cōsistens in coniunctione medij cum extremis, non abstrahit à materia, quod est necessariū ad discursum metaphysicum. Non est ratio, quia altera præmissa est inferioris ordinis, sed quia habet vim continendi medium in sua abstractione, vel ratione formali, vt explicatū est: quam, vt patet ex dictis, habet principium reuelatū comparatū cum naturaliter euidente. Quin verò etiam assensus fidei quoad aliquid, hoc est, quoad ineuidentiam, est minus perfectus assensu naturaliter euidente, & quoad hoc illū ad se trahit: sed vt iam dixi, ratio non est sumenda ex imperfectione, sed ex vi explicata afficiendi totum medium sua ratione formali.

VIII. Quod attinet ad notitiam euidentem respectu obiecti contingentis, non sat esse ad discursum Theologicum, vt altera præmissa ita euidens coniungatur cū altera reuelata, suadetur, quoniam ad præmissam Syllogismi Theologici requiritur saltem certitudo excludens falsitatem, & transitū de veritate in falsitatem; propositio vero euidens de obiecto contingenti manens eadem, transire potest de veritate in falsitatem: namque mutato obiecto desinit esse vera: obiectum verò, quia contingens, mutari poterit: atque adeò assensus supra illud cadens esse falsus.

IX. Ad discursum Theologicum nō requiritur vt præmissa sit de obiecto necessario.

Dico tertiùm. Ad discursum Theologicum non requiritur, vt præmissa euidens coniuncta reuelatæ sit de obiecto necessario. Fundamentū est. Quoniam præmissa altera de fide potest esse de obiecto suapte natura contingenti: atque adeò ratio præcisa contingentiæ non impedit quo minùs propositio sit apta discursui Theologico. Et cōfirmatur, quoniā vt præmissa naturalis apta sit cōiungi prę̄missæ reuelatæ, ad illationē cōclusionis Theologicæ, sat est certitudo veritatis: ad hanc autē nō requiritur ipsius obiecti necessitas: ergo ex eo præcisè quod sit de obiecto contingenti nō erit inepta ad Syllogismū Theologicum. Assumptio patet. Nā oēs propositiones reuelatæ habent sufficientē certitudinē veritatis, & tamen pleræque sunt de obiecto cōtingenti. Respondebitur diuersam esse certitudinē euidentiæ naturalis circa cōtingentia ab ea, quæ habetur ex reuelatione diuina: hic enim innititur primæ veritati immutabili, illa verò tandē reducitur ad ipsum obiectū intuitiuè cognitum, quod mutabile est: atque adeò, quæ illi innititur, erit quoq; mutabilis, & incerta. Sed non soluitur argumentum. Namque mutatio obiecti nō efficit, quo minùs assensus, qui respicit illud ꝑ aliquo tempore, sit semper verus: vt videre est in ipsismet assensib⁹ de fide respectu obiectorū cōtingentium: etenim propositio hæc: *Deus incarnabitur*, ante aduentum Christi erat de fide, ac vera: & incarnatione peracta mutata est veritas, quæ erat de futuro in veritatē de præterito: nec tamen proinde desinit esse verū, incarnationem semper habere rationem futuri, respectu temporis quod illā præcesserit: semper enim Deus videt illā, vt futurā pro illo tempore, & solùm pro illo, nō verò pro eo, quod est subsequutū incarnationē, inclinabat fides ad assensum illius propositionis: *Deus incarnabitur*: nā post illud inclinat ad hanc: *Verbum caro factū est*. Ita notitia euidens, quam baptizans infantē habet de sua intentione semper est vera: nā quamuis transacta fuerit, & ideò ille iam non possit verè dicere: ego habeo intentionē baptizādi infantem, notitia tamen memoratiua relicta, ex intuitiua euidēter agnoscit se talem intentionem habuisse: & quemadmodū dū baptizabat, potuit Syllogismo Theologico cōcludere infantē illū esse in gratia dicēdo: quicumque non opponens obicem gratiæ ab habente intētionem, baptizatur vera aqua naturali sub forma à Christo tradita, recipit gratiam: hic infans nō opponit obicem gratiæ, & baptizatur vera aqua sub forma

tradita à Chriſto,& cum intentione miniſtri: ergo recipit gratiam: ita poſtea poteſt vti eodē Syllogiſmo mutato ſolo tempore de præſenti in præteritum, & concludere illum infantem pro eo tempore recepiſſe gratiam. Et confirmatur, quoniam mutatio veritatis ſolùm penes tempora nō ſufficit ad reddendū falſum actum, qui reſpicit certum tempus, nec habitum, qui ad illum inclinat, dummodo non deficiat, aut mutetur veritas propoſitionis, prout eſt terminatiua actus:at in cōtingentibus terminantibus euidentē notitiam ſolùm mutari poteſt veritas penes tempora, non autē deficere,aut mutari, quatenus ſignificatur per propoſitionē terminatiuam actus, quatenus illum terminat: ergo nō deeſt in ijs certitudo ad diſcurſum Theologicum requiſita.Maior patet in actu fidei,nam fidelis ante Chriſti aduentum ex fide eliciebat hunc aſſenſum:*Deus incarnabitur*,qui nō proinde erat falſus,quia obiectum mutandum erat de futuro in præſens,aut præteritum. Aſſumptio patet,namque omnis euidentia naturalis de contingentibus, apud nos oritur ex aliqua notitia intuitiua experimentali, cuius obiectum licet mutetur de præſenti in præteritum, numquam tamen deſinit eſſe verum pro eo tempore,& ſub ea ratione, qua terminat notitiam euidētem,nempè intuitiuam ſub ratione præſentis,abſtractiuam ſub ratione præteriti.

X. Ex his patet reſponſio ad rationem dubitandi.In primis enim neganda eſt aſſumptio, namque propoſitio euidens non poteſt deficere à veritate:nam ſi eſt intuitiua, reſpicit determinatum tempus prę ſens;&, cùm cauſetur ab exiſtentia obiecti, habet veritatē neceſſariam,ex ſuppoſitione antecedente: quod ſi in tempore ſequente mutetur obiectum,ipſa non eſt falſa, quia non erat de quocumque tempore, ſed de illo determinato, pro quo ſemper eſt vera. Si verò eſt abſtractiua memoratiua; eſt de præterito, ad quod non eſt potentia; & ita eius obiectū ſub ratione præteriti ſumptū tranſire nequit de veritate in falſitatem. Poteſt etiam diſtingui eadē aſſumptio dicendo, quamuis propoſitio materialis, de qua eſt euidentia, poſsit eadem manens tranſire de veritate in falſitatem:nō tamen eandē formaliter, hoc eſt,quoad aſſenſum: nā cùm aſſenſus ſit euidens, fieri nequit, vt ſit de obiecto falſo. Atque ita ſi mutetur obiectū, corrumpitur notitia illa euidens, quæ ad ipſum terminabatur;qui enim finito baptiſmo,omiſit intentionem,quam ad illum miniſtrandū conferebat, iam nequit habere aſſenſum euidentem,quo iudicet ſe habere intentionem. At conditio ad hanc veritatis certitudinem, ab Ariſtotele requiſita ſolummodò eſt,vt nō ſit obiectum falſum manente cognitione. Obijcies ex hoc ſequi præmiſſas probabiles eſſe quoq; aptas Syllogiſmo Theologico, quādoquidem licet obiectū mutetur,veritas nō mutatur, quia ſolùm eſt de tempore, quo exiſtebat obiectum, vt in hac ipſa materia patet: Nam qui videns ſacerdotē miniſtrantem puero baptiſmū, ſolùm pro illo tempore iudicat habere ipſum intentionem baptizandi. Reſpondeo aſſenſum opinatiuum ex vi proprij motiui hoc habere, vt non repugnet illi eſſe falſum,etiā cùm primùm incipit; vt videre eſt in exemplo allato, namque fieri poteſt, vt miniſtro baptiſmi nō habente intentionē baptizandi, quiuis alius probabiliter iudicet habere, quo caſu ſubeſt falſitas. Et quāuis ij aſſenſus, qui determinatè reſpiciunt aliquod tempus, ſemper ſint veri vel falſi,frequenter tamē opiniones abſtrahunt à tempore, & continuari poteſt idem actus opinantis, tranſeunte obiecto de veritate in falſitatem,& vice verſa. At ſi notitia eſt euidens, dum ipſa manet, nō fit eiuſmodi tranſitus, neque dum eſt, pōteſt illi ſubeſſe falſitas: atque ita hæc,vtpote ſemper vera, eſt apta diſcurſui Theologico:opinio verò nequaquam,quia eſt capax falſitatis.

Quæ ſint prima principia in Theologia.

Caput VI.

HIs in commune dictis de principijs Theologicis, nunc in particulari dicendum, ſint ne principia aliqua communiſsima per modū dignitatum, & alia ſimpliciter prima, ad quæ cætera reſoluantur. Et vt à naturalibus incipiam, nō eſt negandum principia illa cōmuniſsima, quæ virtute ingrediuntur demonſtrationes omnes naturales, ingredi quoque Theologicos diſcurſus, vt ex inſtituto oſtendit Franciſcus Mayronius, q. 1. prologi, & facilè patet: nam quemadmodum reliqua principia naturalia regulantur per illa,ſuo modo etiā propoſitiones reuelatæ, & diſcurſus ijs conſtantes,ſi non euidenter,& abſolutè, ex ſuppoſitione tamen poſſunt per eadem probari ad hominem admittentem aliquam propoſitionem reuelatam. Ex cæteris verò naturalibus, non eſt vllum ſimpliciter primum ad Theologiam ſpectans: quandoquidem cum Theologia non per ſe illa adhibeat,ſed pro varietate rerum,de quibus agit,modo hæc,modo illa vſurpet,

I. *Franc. Mayr.* Principia quędā Theologiæ ſunt, per quæ cætera regulantur.

non

non nititur per se vllo primo principio naturali, quod per se ingrediatur discursum, & à quo cætera dependeant: sed naturalibus omissis ad reuelata veniamus.

II. Si propria Theologiæ principia attendamus, ipsa quoque suas habet dignitates proprias, quæ virtute insunt omnib⁹ principijs. sunt autem duæ tantùm, altera est, quidquid Scripturæ canonicę cõtinent, est à Deo reuelatum: Quod docet Toletan. q. 4. prologi, art. 2. conclusione 1. & Palatius, q. 6. prologi: altera quidquid Deus dicit, verum est, vt affirmant Syluester. q. 1. conflati. art. 11. §. 2. Marsilius q. 2. prologi, a. 3. post conclusionem 9. propositione 3. & 4. Esse has facilè ostenditur, quoniam illud principiũ habet rationẽ dignitatis simpliciter, virtute cuius fulcitur omnis discursus eius scientiæ, cuius principium est & quo concesso pleraque probantur, & negato, non restat vlla probandi via: hæc verò conueniunt duobus illis principijs; nam assensus omnis fidei, qui semper ingreditur discursum Theologicum, nititur prima veritate reuelante: quo motiuo duæ continentur rationes, altera quod obiectũ creditum sit à Deo reuelatum: altera quod Deus reuelando semper verum dicat: sed prior continetur priore illo principio, posterior posteriore; ergo ea virtute ingrediuntur, ac roborant omnẽ discursum Theologicum: etenim vt traditur in materia de fide, quicumque credit, implicitè saltem resoluit assensum in illa duo principia. Quod autẽ illis admissis multa probentur, etiam si negentur alia, patet: nã Iudæo admittenti vetus testamentum & neganti nouum, possumus ex veteri plurima probare; quemadmodũ & Manichæo neganti vetus testamentum esse à Deo, ex nouo, quod admittit, possumus ostendere Deum esse auctorem veteris; & hoc est, quod ait D. Thom. mox citãdus, Theologum probare posse dogmata fidei ijs, pui recipiunt Scripturas sacras vel in totum, vel in partem. Denique negatis illis principijs non restare Theologo vllã probandi viam asserit D. Thom. 1. p. q. 1. art. 8. Gregor. q. 1. prologi, art. 2. in 5. probatione primæ conclusionis, & alij communiter. Et per se patet: quoniam si quis neget, vel Deum reuelasse, vel non posse mentiri, reuelando, non est firma ratio assentiendi: qui enim primum negauerit, tollit immediatũ credendi motiuum: qui secundum, tollit primum, in quod fit resolutio, vt fusius explicatur in materia de fide. Vnde non est audiendus Toletanus, vbi suprà, existimans solùm esse vnicum principium communissimum, nimirum, quæ cõtinentur Scripturis canonicis sunt à Deo reuelata: namque hoc licet virtute ingrediatur omnem probationem Theologicam, non tamen sufficit, nisi sub intellecto illo altero, Deus reuelans mentiri nequit: etsi enim aliquis illud admitteret, non proinde infallibiliter crederet, si quouis modo existimaret non repugnare, vt Deus mentiatur.

Toletan. *Palatius.* *Syluest.* *Marsilius.* Dignitates Theologiæ duæ tantùm sunt, & quæ illæ. *S. Thom.*

Non esse verò alias docet Toletan. q. 4. prologi, art. 2. concl. 1. & per se patet, quoniam negato quouis alio principio, non incluso virtute in his duobus, nõ eo ipso negantur omnia reuelata: nam, si quis neget mundum incepisse, adhuc possunt illi ex alijs reuelatis probari plures veritates Theologiæ, & idem videre est in alijs particularibus articulis. Dixi verò, nisi negentur quædam illis virtute inclusa, verbi gratia: *Deus est, Deus est omniscius, est summæ veracitatis in dicendo*, quoniam his sublatis priora illa tolluntur: si enim Deus non est, nihil reuelauit: si non omnia scit, si non est summæ veracitatis, mentiri potest. Et hoc videtur respexisse Marsilius, art. citato, propositione prima, cùm dicit, hanc propositionem, *Deus est*, esse primum principium omnium veritatũ Theologicarum, quia omnes innituntur reuelationi diuinæ, quæ præsupponit Deum esse: & secunda propositione, deinde proximè sequi hoc principium *Deus est summè bonus, & verax*. Idem fortè existimabit aliquis de hoc principio, *Quidquid Ecclesia proponit credendum, est verũ & à Deo reuelatum*. Verum hoc, etsi maximè commune sit, tamen, vt rectè notat Gregorius. q. 1. prologi, art. 2. ad 1. nõ necessariò requiritur ad omnem assensum fidei Theologicum: nam ijs etiam, qui hoc principium ignorant, vel etiã negant, si tamen priora illa duo admittant, probare adhuc aliquid Theologicè poterit. Et constat etiam in capitibus Ecclesiæ: qui reuelationem à Deo immediatè acceperunt: ac proinde non egebant illo principio, vt per illud regularetur ipsorum fides, aut discursus constans ex propositionibus sibi reuelatis.

III. *Toletan.* *Marsilius.* *Gregorius.*

Canus lib. 12. de locis, cap. 3. versus finem vult duos illos articulos, *Deus est*, &, *Est remunerator inquirentibus se*, esse principia simpliciter prima, & dignitates vi sua generali continentes omnia alia principia; vt se habet in metaphysica principium illud: *Impossibile est simul affirmare, & negare*: ideoque ijs non concessis Theologus progredi vlterius non potest. Id verò probat ex S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 7. asserente in illis articulis alios omnes implicitè contineri.

IV. *Canus.* An sint aliæ in Theologia dignitates. *S. Thom.*

Verùm enim verò, ſi ſermo eſſet de duobus primis principijs ſecundùm rem formaliter ingredientibus aliquã demonſtrationem primam in ſuo genere, & virtute cæteras ab ea dependentes, fortaſsis aliquo modo defendi poſſet aſſertio Cani, ſumendo illud principium, *Deus eſt*, tamquã primum reſpectu proprietatũ neceſſariarum, quæ de Deo probari poſſunt: illud autem, *eſt remunerator*, reſpectu veritatum ad extra, quæ pendent ex intentione finis, quem Deus tamquam remunerator ſuis operibus præfixit. Et ad hunc modum intelligi debet D. Thom. cùm ait cæteros articulos duobus illis contineri: dici verò non poteſt ad hæc duo cætera referri, tamquam ad dignitates regulatiuas, ad modum, quo ſe habet in naturalibus hoc principium, *impoſsibile eſt ſimul affirmare, & negare*. Namque per hanc aſſertionem, *Deus eſt remunerator*, non regulantur in primis veritates neceſſariæ de Deo: neque enim, ſi quis id principium negarit, eo ipſo negat Deum eſſe Trinum, aut Omnipotentem. Si verò quis dicat, negata vna proprietate, hoc ipſo negari naturam, & conſequenter omnia, quæ conueniunt ratione naturæ, nõ ſoluet argumentum. Hac enim ratione probaretur propoſitionem omnem, qua enunciatur aliqua proprietas de Deo, debere eſſe primũ principium regulatiuum Theologiæ, quod eſt falſum: ad rationem enim principij nõ ſat eſt, vt ipſo negato, negentur conſequenter omnia, à poſteriore: ſed opus eſt, vt ſublato ipſo tamqũ prima regula, nõ reſtet alia prima, atq; vnica regula omnium. Deinde neque ex eodẽ principio probantur omnia, quæ pertinẽt ad opera redemptionis: qui enim negaret Deum eſſe remuneratorem, adhuc concedere poſſet primum hominem infeciſſe totum hominum genus: & ad ſatisfaciendum pro eiuſmodi peccato, Deum in carne veniſſe, & alia plura. Porrò primum illud principium, *Deus eſt*, etſi radicaliter contineat vim regulandi, quia ſupponitur à prima veritate, vt paulò ante dixi, ipſum tamen formaliter nõ habet rationẽ dignitatis regulantis omnes veritates reuelatas, vt fuſius oſtenditur in materia de fide.

V. *Toletan.* Quod attinet ad ſecundum, Toletan. vbi ſupra, concluſione 2. exiſtimat duo tantùm eſſe principia prima in ſuo ordine in vniuerſa Theologia, nempè articulum S. Trinitatis, & incarnationis. Probat in primis non eſſe alia, ſeu potiùs non quamuis propoſitionem reuelatam eſſe primum principium: quoniam id, quod probatur à priore, & per cauſam in aliquo habitu ſcientifico, non eſt primum principium: nonnulli autem articuli hoc modo probantur, vt patet ex Apoſtolo 1. ad Cor. 15. ex reſurrectione Chriſti probante reſurrectionem noſtram, cuius illa eſt cauſa, vt ait Gloſſa ibidem, & doctores communiter: quapropter articulus reſurrectionis non eſt primum principium in Theologia. Deinde oſtendit eſſe illa duo ſupponendo aliquos articulos fidei eſſe principia Theologiæ: quo ſuppoſito ſic diſcurrit. Omnis concluſio reuelata reſolui poteſt in illa duo principia, namque concluſio omnis Theologiæ reuelatæ eſt de Deo ad intra, vel ad extra, vel ex ipſis deducta: ſed omnis concluſio de Deo ad intra, poteſt deduci ex hoc principio, *Deus eſt trinus, & vnus*. omnis verò ad extra, ex hoc, *Filius Dei incarnatus eſt*. Ergo illa duo ſunt prima, & ita inter articulos pertinentes ad diuinitatem articulus Trinitatis eſt primus: & inter pertinentes ad humanitatem articulus incarnationis. Et confirmatur ex proceſſu D. Athanaſij in ſymbolo, vbi proponere volens fidem circa Deum ſic incipit: *Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*, ex quo deinde ſingula ſuo ordine deriuata proponit. Deinde verò exponere volens fidem myſteriorum ad extra, circa humanitatem ſubiungit: *ſed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem quoq; Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat*. poſtea verò alia ordine digerit. Et confirmatur, quoniam ſi incarnatio non fuiſſet, cætera fieri minimè potuiſſent, & conſequenter illa reſpectu eorum habet rationem principij.

1. ad Cor. 15.

Athanaſ.

VI. Primum principium in aliqua facultate formaliter ingrediens primam demonſtrationem, & virtute cæteras, vel poteſt eſſe tale ſecundùm ſe, vel ſecũdùm lumen, & abſtractionem, ſiue ſecundùm rationem formalem, ſub qua ea ſcientia, vel facultas verſatur circa proprium ſubiectum. Primum ſecundùm ſe eſt id, quod non habet aliud, in quod vllo modo reſoluatur, & in quod cætera reſolui poſſint: ita vt ex veritate illius pendeat veritas reliquorum. Primum verò in aliqua ſcientia, ſecundũ proprium lumen, ac rationem formalem, eſt id, in quod ſub eodem lumine cætera reuocantur, quamuis ipſum ſecundum ſe poſsit in aliud reſolui, non tamen ſub lumine, ac propria ratione formali eiuſdem ſcientiæ. Porrò ad rationem primi principij ſecundum ſe non ſat eſt, vt ratione ſuæ integritatis contineat primam rationem primæ paſsionis, & reliquarum interuentu eius ab

eadem

eadem radice pullulantium: nam hoc modo animal rationale esset primum principium sensus, & cæterarum proprietatum, quæ cum sensu necessario coniunctæ sunt: quandoquidem in illo coniuncto continetur natura animalis, quæ est prima, ac per se radix sensus. Sed opus est, vt principium ratione sui; quatenus ipsum primò, ac per se contineat cætera principia, ac passiones, vt Aristot. ostendit lib. 1. poster. c. 2. qua ratione natura animalis, siue propria eius definitio est per se primum principium sensus, & passionum cum eo naturaliter cohærentium. Ab hac autem ratione dupliciter deficit principium, vel quia licet contineat primam, & conuertibilem causam, siue rationem passionis, addit tamen aliquid cum ipsa nõ conuertibile: sicut animal rationale addit differentiam hominis naturæ animalis, vel quia continet rationem aliquam intrinsecam causæ conuertibili, non tamen integram: sicut se habet viuens, cuius ratio includitur in natura animalis, ita vt sine illa, nec animal, nec sensitiuum esse possit: natura tamẽ animalis addit propriam differentiam, ratione cuius est causa sensus, quam viuens non includit.

Aristot.

VII. Dico primùm. Duo illa principia non sunt simpliciter prima secundũ se, alterum veritatum diuinarum ad intra, alterum ad extra. Assertio est euidens. Nam pleræque veritates Theologicæ, siue de rebus ad intra, siue ad extra sunt contingentes, hoc est, non necessariæ: hæ verò non probantur necessariò, ex illis duobus principijs: nam ex illo, *Deus est Trinus & vnus*, non probatur prædestinatio electorum, & pleraque alia, quę pertinent ad actus liberos voluntatis diuinæ: etiam ex illa, *Verbum caro factum est*, non concluditur hæc, *crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, resurrexit tertia die*: nam incarnatio non habet secundùm se necessariam connexionem cum morte, ac resurrectione: potuit enim verbum incarnari, quin moreretur, aut resurgeret. Id tamen aduerterim, quoad aliquid, hanc, *Verbum incarnatum est*. posse dici primum principium secundum rem cæterorum, quæ de Christo prædicantur: quoniam est primum omnium fundamentum, & posita illorum existentia, deueniri nequit ad hanc veritatem, Deus natus, mortuus, & crucifixus est, nisi per hanc propositionem, *Deus est homo*, quæ pendet ex illa, *Deus est incarnatus*: & hoc quidem loquendo de non necessarijs: nam eorum, quæ humanitatẽ necessariò sequuntur, & de Deo ratione eius prędicantur, primũ principium secundum rem est illa propositio, *Deus homo factus est*: ex hoc enim medio probari ea omnia de Deo possunt. Quod verò attinet ad illud aliud principium, *Deus est Trinus, & vnus*: tametsi contineat in se primam rationẽ omnium veritatũ necessariarũ de Deo, non tamen est omnium causa, siue ratio quatenus ipsum, hoc est, ratione totius illius complexi, *Deus Trinus, & vnus*: sed ratione primæ alicuius rationis virtute distinctæ à cęteris, quã nos concipimus tamquã formã primã, & substantialem Dei: etenim quando aliquid complexum cõstituitur ex pluribus, quorum vnũ est ratio alterius, non dicitur totũ complexũ per se ipsum esse ratio omnium, sed per illud, quod est ratio alterius: sed Deum esse Trinum, est quædã ratio secundum se fundata, ac radicata in essentia diuina; ergo hæc sola est, quæ ingreditur primũ principium Theologiæ secundũ se, ad quod resolui possunt oẽs veritates complexæ necessariæ, de Deo enunciabiles: atq; adeò nõ ad illud, *Deus est Trinus, & vnus*. Patet, quoniam perfectiones oẽs absolutæ nõ conueniunt ratione alicuius personæ: ergo ratione illarum conuertibilis non est illud principium, *Deus est Trinus, & vnus*; quandoquidẽ sublato termino, *Trinus*, adhuc constaret propria, & adæquata ratio ipsarum. Et ita quàmuis propositio illa, *Deus est Trinus, & vnus*, sit primum principium per modum inclusionis, non tamen per se, primò, & quatenus ipsum, sed ratione vnius tantùm partis.

VIII. Dico secundùm. Nec duo proposita principia, nec vllũ aliud particulare, sunt per se prima principia Theologiæ secundũ proprium eius lumen, & rationem formalem: sed oẽs, ac singulæ propositiones immediatè reuelatæ habent rationẽ primi principij. Prior pars ostenditur, quoniam resolutio Theologica nõ est in principia, & causas essendi; sed in rationẽ credendi: nõ enim discursus Theologicus resoluitur in terminos simplices, vt aliæ scientiæ, sed in primã veritatem Dei reuelantis: ad hoc autẽ parum refert, vtrum re ipsa veritas aliqua secundũ rationẽ essendi resolui possit in aliam, siue nõ: ergo quamuis vna perfectio diuina resolui possit in aliam; verbi gratia, æternitas in immutabilitatem, tamen hæc resolutio non est propria Theologi: nam illam ipsam resoluere debet in reuelationem diuinam. Quod clarius patet in mysterio incarnationis; etenim vt iam dixi, proprietates hominis de Deo dictæ, secundum rem possunt resolui, tamquã in primum principium in illam, *Deus est homo*: Verùm hanc ipsam debet Theologus resoluere

in illam, *Deus reuelauit*: & cęteras, quę enunciant aliquas ꝓprietates humanas de Deo, ſi ſint immediatè reuelatæ, nõ debere vltimò ſoluere in illã, *Deus eſt homo*, ſed in eam reuelationem, qua illæ in ſe ſunt reuelatæ. Exempli cauſa hęc, *Deus eſt paſsibilis*, quę per communicationẽ idiomatũ eſt vera, quia immediatè reuelata eſt verbis illis Actor. 26. *Si paſsibilis Chriſtus, &c.* nõ debet reſolui in illam, *Deus eſt homo*. tunc enim habet rationem cõcluſionis Theologicæ, ſed in immediatam Dei reuelationem, qua innotuit. Secunda pars aſſertionis traditur à D. Thom. q. vnica, prologi, ar. 3. quæſtiuncula 2. ad 2. Argentinate. q. 2. art. 2. ad finem, Gerardo Senenſi apud Tolet. q. 4. art. 3. in argumentis cõtra 3. concluſionem. Gregorio, Sylueſtro, & Cano proximè citatis. Probatur, quoniã veritates omnes immediatè reuelatæ nõ vna ratione alterius, ſed ſingulæ per ſe primò, & ex æquo participant rationẽ formalem, ac primã ſuæ veritatis, & infallibilitatis, quæ eſt prima veritas reuelans: & cõſequenter oẽs ſunt principia immediata in Theologia, nec vna reducitur ad alteram, ſed omnes ad teſtimonium primæ veritatis. Hæc dicta ſunto de immediatè reuelatis: nã quæ nõ in ſe ipſis, ſed virtute in alijs reuelatæ ſunt, non repugnat, imò neceſſe eſt, vt reſoluantur in ea, in quibus ſunt virtute reuelata, ſi aſſumi debeant tamquam principia Theologica: quemadmodum in ſcientijs naturalibus, vt concluſiones demonſtrabiles loco principiorum ingrediantur concluſionem, opus eſt, vt ſint ad ſua principia reſolutæ.

Actor. 26.

S. Thom. Argentin. Gerard. Gregor. Sylueſt. Canus.

IX. Ad argumentum Toletani reſpondeo, maiorem propoſitionẽ eſſe veram, cõſiderando præcisè illud principium ſub ratione, qua demonſtratur; nam ſi habeat rationem aliam, ſub qua non demonſtretur, habere poteſt rationẽ primi principij; vt cernere eſt in principijs ſecundũ diuerſa genera cauſarũ: nã cùm cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, poſſunt aliæ per alias mutuò demonſtrari: & tamẽ in quouis genere datur aliqua prima cõſtituens primũ principium in eo genere. Similiter propoſitio immediatè reuelata poteſt interdum oſtendi per aliam: verùm quãdo præſtatur illi aſſenſus propter aliam, nõ habet rationẽ principij, ſed concluſionis Theologicæ: quãdo verò conſideratur, vt formaliter in ſe reuelata, nõ indiget diſcurſu, quo ex alio principio deducatur, ſed eſt apta terminare ſimplicẽ aſſenſum ex proprio motiuo reuelationis, ſicut illa, à qua diſcurſu etiam Theologico deduci poteſt. Porrò reſurrectio mortuorum, cuius exemplũ in argumento propoſitur, eſt in ſe ipſa reuelata; & ideo quamuis à priore, aut quouis alio modo colligatur ex illo alio principio, *Chriſtus reſurrexit*, vt tamen conſideratur in ſe immediatè reuelata, habet infallibilem veritatem, æquè primò reſolubilem in diuinam reuelationem, ac reliqua omnia principia fidei. Secundum argumentum ſolùm procedit de principijs ſecundum ſe, & non ſecundũ lumen Theologicum: nam licet re ipſa propoſitiones aliæ per illa duo principia probarentur, ſecundũ ſe tamen, quia ſunt immediatè reuelatæ, nõ eſt opus recurrere ad ea principia ſed immediatè ad diuinã reuelationem. Sed neque probat eſſe principia ſecundum ſe; & ideò admiſſa ſuppoſitione, negãda eſt maior propoſitio, ad cuius confirmationem dicendum, illam propoſitionem, *Deus eſt Trinus & vnus*, nõ eſſe per ſe & conuertibiliter, ſed per modũ incluſionis primum principium omnium veritatum enunciabilium de Deo ad intra, nec illam, *Verbum caro factum eſt*, omnium enunciabilium de Deo ad extra, vt paulò antè explicaui. Ad confirmationem verò ſumptã ex Athanaſio dicendum, eum non intendiſſe proponere principia Theologiæ eo modo, quo nunc loquimur, ſed potius veluti ſummã per modum incluſionis omnium credendorum de Deo ſecundum ſe, & homine facto: quam deinde ſingulatim, & per partes explicauit: vel potiùs voluiſſe proponere duo ſubiecta adæquata, de quibus ſingulæ veritates in ſuo ordine dicerentur; nam de Deo vno, ac Trino dicuntur omnia, quę Deo ratione propriæ naturæ conueniunt: de Chriſto verò omnia, quæ conueniunt ratione naturæ aſſumptæ. Ad vltimam confirmationẽ circa illud principium *Deus incarnatus eſt*, reſpondeo ſolùm concludere eſſe modo aliquo principium, remotum tamen, & minimè conuertibile cum veritate demonſtranda; hoc verò genus principij non dicitur ſimpliciter primum in ſcientijs, quin verò, & ſi ſecundum ſe tale foret, non tamen in Theologia, vt explicatum eſt.

Principia Theologica credi debent fide diuina.

Caput VII.

I. PRincipia diſcurſui Theologico per ſe neceſſaria, debent eſſe reuelata, vt ex dictis conſtat. Nunc quærendum, debeant ne neceſſariò ſumi ſub motiuo reuelationis diuinæ, an verò ſub quouis alio. Omnes quidem exigunt, vt ex fide vera eſſe iudicentur; ſed quo genere fidei, diſcre-

pant.

Fides duplex est, acquisita & infusa.

pant. Fidē enim plerique Theologi distinguunt in acquisitam, atque infusam: hęc nō solùm ex motiuo, sed ex lumine est, atque adeò simpliciter supranaturalis est, & omni ex parte infallibilis, scilicet ex parte motiui, quod est veritas prima, nō errans, aut decipiens; & ex parte luminis intellectualis, siue sit habituale donū fidei, siue auxilium Dei speciale: quod cùm sit participatio quędam, & impressio luminis diuini intellectualis, nō potest ad falsum inclinare, aut iuuare intellectum: fides autem acquisita dicitur, quæ ex propria facultate mentis elicitur absque auxilio ordinis diuini ac proinde est simpliciter naturalis, quamuis secundum quid, & ex suppositione reuelationis diuinæ dicatur supernaturalis. Hæc verò dupliciter etiam accipitur ab aliquibus Theologis: altera enim est de obiectis reuelatis ex motiuo reuelationis diuinæ; altera ex motiuo humano. Verbi gratia, auctoritate parentum, & doctorum à quibus discimus, & quorum testimonio credimus. Vel miraculis, & signis, quibus mouemur ad assensum. Controuersia modo est: vtrum ad discursum Theologicum per se requiratur, vt principia ipsius necessariò credantur vera assensu aliquo certæ ex his tribus; an verò satis sit, vt quodlibet ex his indifferenter credatur, dummodò nō euidenter, sed ex fide teneatur.

II. Hac in re est inprimis opinio, quam recentiores aliqui probabilem dicunt, quæ asserit, nō opus esse vt principia Theologica, credātur assensu supernaturali fidei per lumen supernaturale: atque adeò cōclusiones, & assensum Theologicum per se non pendere ab eiusmodi assensu, sed ex assensu alterius generis, firmo tamen, & comparato, aut signis, aut ratione, aut auctoritate humana Ecclesiæ: cui fauere putant Maiorem in 4. q. prologi, aliàs 9. cùm ait hæreticum, qui nō habet fidē infusam, posse esse Theologum, & habere habitum, & actum Theologiæ circa plures cōclusiones. Fundamentum est hoc ipsum, quod tetigit Maior, nempè quia si quis Theologus incurrendo hæresim, amittat habitum fidei, non amittet habitū Theologiæ; ergo ad assensum Theologicum sat est, vt præcedat assensus fidei acquisitæ de principijs reuelatis, consequentia est manifesta, quoniam sublato habitu primorū principiorū corrumpitur etiā habitus conclusionis ex ijsdē pendentis: neque potest esse facultas ad assensum cōclusionis sublata facultate ad assensum principiorū: ergo, si sublato habitu fidei diuinæ restat adhuc habitus Theologiæ, & vsus ipsius, signum est assensum Theologicum nō per se pendere à fide infusa, aut eius actibus: atque adeò sat esse ad verā Theologiæ rationē, vt principia credantur fide acquisita. Antecedens autē illud, nempè amissa fide nō amittitur habitus Theologiæ, experientia compertū est: hā habitus non aliunde colliguntur, quā ex actibus, & facultate, ac propēsione ad illos eliciendos: constat autē experientia Theologum, antea Catholicum, & postea in hæresim lapsum eodē modo discurrere circa alias materias, de quibus nō habet peruersam fidē, ac discurrebat, quo tempore habebat verā fidem, signum ergo est retinere adhuc habitū Theologiæ. Secundò habitus Theologicus est acquisitus actib⁹ nostris, & nō infusus, ergo nō procedit ab actib⁹ fidei infusæ, sed acquisitæ. Patet consequentia, quoniam principia, & conclusiones, & cōsequenter habitus principiorum, & conclusionū pertinent ad idē genus: nā principia mathematica reuocantur ad idē genus scientiæ mathematicæ: & principia philosophiæ naturalis, ad idē genus scientiæ naturalis, quare nō videtur naturę cōgruum, vt habitus conclusionum purè naturalis, & acquisitus necessariò requirat habitū principiorum supranaturalem, atque infusum. Denique ex modo acquirendi scientiam æstimatur eius natura: at, quando Theologia discitur, raro is, qui studet aduertit ad reuelationē diuinā, vel propter illā assentit sed simpliciter, & absq; reflexione assumit principia, vt vera, & ex ijs procedit ad conclusiones: ergo Theologia nō requirit per se assensum principiorū ex fide diuina.

Maior.

III. Dico primùm principia Theologiæ, vel omnia, vel saltem singula, in singulis Syllogismis necessariò debent esse credita, ex motiuo reuelationis diuinæ proximè vel remotè. Sensus est, ad verum discursum Theologicum necessariò debere intercedere motiuum auctoritatis diuinæ: additū verò est proximè, vel remotè: quoniam vt notat Alliacensis. Maior, Tolet. & Sylvest. citati. c. 4. nu. 11. non opus est, vt præmissæ discursus Theologici sint immediatè reuelatæ, & ex motiuo reuelationis immediatè creditæ, sed sufficit, vt ex immediatè reuelatis per discursum Theologicum deductæ sint: quemadmodum, vt ait Philosophus, lib. 1. Topic. c. 1. ad scientiam nō necessariò requiritur, vt immediatè procedat ex principijs per se notis: sed sufficit etiam, vt procedat ex his, quę per prima, & vera suæ cognitionis initium sumpserunt. Huius sententiæ sunt omnes, qui dicunt obiectū formale Theologiæ esse reuelabile, quos referam tract. seq. c. 10. & qui dicunt principia

Alliacens. *Maior.* *Toletan.* *Sylvester.* *Aristot.*

Theo-

Theologiæ eſſe articulos fidei fide cognitos, quos citaui, c. 4. num. 11. non enim id intelligunt de fide humana, ſed de ea, quæ confert ad ſalutem: neque vllũ ex antiquis legi, qui faueat oppoſitæ ſententiæ. Maior, enim, qui in contrarium refertur, eſt in alia ſententia, vt mox patebit. Probatur ratione primo omnis habitus, ſiue re ipſa, ſiue ordine vnus, exigit rationem aliquam formalem, vnam ex parte obiecti, ſub qua ſpeculetur veritates de illo enunciabiles; Theologiam eſſe habitũ intellectiuum ſuo modo vnũ inſtar aliarũ ſcientiarum, omnes communiter admittunt; ergo debet habere rationem aliquam formalem vnam: hanc autem non efficiunt ſigna, rationes, aut auctoritas humana; nam auctoritas humana eſt ratio quædã vaga, & applicabilis omni materiæ, & ita ex vi huius motiui principia Theologiæ non magis pertinebunt ad vnũ genus ſcientiæ, quàm quæuis aliæ veritates ex fide humana credibiles, quæ nullo certo genere cõtinentur. Deinde rationes, aut ſunt probabiles, aut euidentes: de omnib' fidei articulis haberi nequeunt rationes euidentes; ſi verò de aliquibus habeantur, cognitio per eas genita nõ ad Theologiam, ſed ad naturales ſcientias pertinebit; rationes verò probabiles, præterquam quòd deficiunt à certitudine, ac veritate, quam Theologia vendicat, niſi ſumantur ſub aliqua ratione formali, aut abſtractione propria alicuius ſcientiæ particularis, nequeunt per ſe ſolæ conſtituere vnicam rationẽ formalem ſcientiæ. Signa item, & miracula, ſi tãtùm fide humana ex hiſtorijs credantur, candẽ habent vim cum auctoritate fidei humanæ; ſi ex fide, ac reuelatione diuina, iam erit motiuũ ipſa reuelatio: atque adeò, ſi motiuum reuelationis abſit, non gignunt aſſenſum certũ, qualem Theologia exigit. Et ſanè non video, quomodo hi auctores ex his motiuis cenſeant gigni aſſenſum certũ, niſi fortè intelligant de certo moraliter. Secundò omnis ſcientia diſtinguitur ab alia principijs non tã materialiter, quàm formaliter diuerſis: Theologia diſtinguitur ab omni habitu intellectuali, & ſcientia naturaliter acquiſita; non habet autẽ rationem aliam formalem ex parte principiorum, quàm reuelationẽ diuinam: ergo principia ipſius neceſſariò ſubſtare debẽt aſſenſui præſtito ex motiuo reuelationis diuinæ. Aſſumptio patet à partiũ enumeratione. Nam motiuum probabile, vel ex fide humana funditur per omnia rerũ genera, & per omniũ ſcientiarum materias; motiuum euidens pro ratione abſtractionis ad hanc, vel illã ſcientiam ſpectat. Sola verò reuelatio diuina eſt motiuum aptum facere aſſenſum principij, ex quo deducantur concluſiones diſtinctæ ab ijs, quæ pertinẽt ad oẽs ſcientias naturales: & conſequenter propriæ alicuius habitus deductiui: non alterius, quàm Theologici.

IV. Ad primum argumentum neganda eſt maior propoſitio. Et ad huius probationẽ neganda aſſumptio; quoniam, qui fidẽ perdit, ſimul etiam amittit habitũ Theologiæ: quam Sancti ſcientiam appellant: quemadmodum, amiſſo habitu principiorũ, ſcientia corrumpitur. Cuius ſignũ eſt, quod hæretici poſtquam ſemel à fide naufragauerunt, nõ habent firmitatem circa reliquos articulos, & concluſiones, de quibus adhuc rectè ſentiunt, ſed frequẽter titubant, imò de errore in errorem traducuntur; & concluſiones Theologicas, quibus, dum eſſent Catholici, firmiter adhærebant, hæretici facti minus certo animi decreto amplectuntur: nec mirũ ſi fundamẽto fidei ſublato tota ſcientiæ Theologiæ machina corruat. Ad aſſumptionis comprobationẽ reſpondeo, eam experimentiam nihil cõcludere: quoniam vt plurimùm ſolùm hoc efficit, vt admittamus eſſe in Theologo habitum aliquẽ fidei acquiſitæ circa concluſiones Theologicas, quod ſuprà fieri poſſe conceſſi; quo remanente in hæretico, cùm ſit inclinatio ad actus ſimiles Theologcis, quoad ſubſtãtiam, poterit is experiri facilitatẽ ad diſcurrendum. Verùm ex hoc mãnimè ſequitur nõ dari alium actum, & habitum diſcurſiuum genitum ex principijs creditis, qui ſit in Catholico, & deſinat eſſe in hæretico: nã ſi hæc experientia vim haberet, probaretur etiam manere in hæretico fidẽ infuſam, quoad articulos, quos non reijcit, vel non habuiſſe illam antequam in hæreſim laberetur: ſiquidem experitur facilitatem ad aſſentiendũ illis: quemadmodum igitur hic nihil probat, quoniam ea facilitas remanet ex habitibus fidei acquiſitæ, quos fidelis elicit ex varijs motiuis: ita neque vim habet in habitu Theologico. Siquidem Theologus diſcurrit interdũ ex principijs creditis fide acquiſita eliciendo circa concluſiones ſimiles actus, ex quibus germinantur habitus inclinantes ad eoſdem actus, qui manent in hæretico.

Hæretici qui fidem perdiderunt, ſimul & Theologiam perdunt.

V. Obijcies diſparem eſſe rationem. Nam fides eſt habitus infuſus, atque adeò non gignitur noſtris actibus; ideoque opus eſt aliquo alio habitu, qui per actus credendi acquiratur: at verò habitus Theologiæ eſt acquiſitus, & ideò ſuperfluus eſt alter acquiſitus circa idẽ obiectum. Negatur conſequentia: quoniam tota ratio, cur alius

generetur

generetur habitus, est diuersitas actuum: nam vt ait D. Thom. infra citandus per actũ fidei diuinæ, nõ producitur vllus omninò habitus: sed quia frequenter habent homines actus fidei acquisitæ, ideò similes habitus gignuntur: eadem verò quoad hoc est ratio in Theologia vera, cuius actus distinguitur specie ab actu fidei acquisitæ per discursum comparatæ: ideoque vtraque gignit habitũ sibi correspondentem. At inquiet aliquis, supponamus nunquã eiusmodi actus elicuisse: quid fiet, si hæresim incurrat? dico eandẽ esse difficultatẽ in fide, neque obiectionẽ habere particularẽ vim in Theologia. Et quemadmodũ Theologus respondebit hæretico tũ temporis nõ habiturum vllã facilitatẽ ad assensum articulorum, quos nõ pernegat; quandoquidẽ vt ait D. Thom. 1.2.q.51.art.4. ad 3. Caiet. & Medin. ibidem, per actus virtutũ Theologicarum, nullus omninò habitus producitur, sed præcedens corroboratur: ita respondeo non habiturũ ad discurrendũ circa conclusiones ex ijs deductas, quoniam facultas ad discursum circa cõclusiones nititur facultate ad assensum præmissarum.

S. Thom. *Caietan.* *Medin.*

VI. De materia secundi argumenti inferiùs ex institudo differẽdum. Nunc suppositò, quòd ibi probandum est habitũ Theologicum esse acquisitum, & non per se infusum, negatur consequentia. Ad cuius probationem respondeo, quando dicitur principia, & conclusiones, & vtrorumque habitus pertinere ad idẽ genus, sensum nõ esse, quod debeant esse eiusdẽ perfectionis, & excellentiæ: hoc enim falsum est, nã habitus principiorũ sunt multò excellentiores habitibus cõclusionum: illud solùm requiritur, vt sint circa eandẽ subiectam materiam, & sub eadẽ communi ratione formali: ob quã Philosophus lib.1.Poster.c.7. 8. & 9. meritò distinguit principia, petitiones, & interrogationes mathematicas à philosophicis, & hæc ab illis: & vult, vt cuiuscunque scientiæ sint propria principia, suppositiones, ac petitiones. Hoc autẽ modo, licet fides, & scientia Theologica differant quoad dignitatem, & fides sit infusa simpliciter; Theologia verò acquisita, conueniunt tamẽ quoad materiam subiectam; quoniam tã fides, quàm Theologia est habitus verus circa res diuinas, vel eas, quę ad Deum attributionem habent: & quoad rationem formalem, hoc est, reuelationẽ diuinam, qua fides immediatè nititur, Theologia mediatè. Ad vltimum respondetur cum, qui Theologiam discit, reuelatis, quę assumit vt principia, nõ assentiri ex terminis, sed ex alio motiuo, & hoc plerumque esse reuelationẽ diuinam: nam, si procedat ex primis in Theologia, necessariò incipere debet ab aliquo fidei dogmate contento in libris canonicis, vel Ecclesiæ definitione stabilito, quæ cum proponuntur, mens ipsa respicit testimonium veritatis primæ, & propter illud assensum præstat: non nego tamen interdum ex alio motiuo præberi posse assensum præmissis, tunc autem assensus conclusionis non erit verè Theologicus.

Aristot.

VII. Ex ijs, qui dicunt esse necessarium, vt principia Theologica sub motiuo reuelationis sumantur, quidã nõ exigunt ex parte intellectus lumen, aut habitum fidei infusæ; sed sufficere volunt habitum fidei acquisitæ, ad eliciendũ actũ fidei: qualis necessarius est ad salutem, & habitũ infusum concurrere ad eundẽ actum specie, & numero, vt necessarium solùm ad maiorem certitudinem, & intensionem. Ita docet Scotus in 3. d. 23. §. vltimo, & Nominales, Ocham. in 3.q.8.art.3.ad 2. difficultatem, Gabriel. d. 23. quæst. 2. art. 1. litera G. & art. 2. conclusione 1. & 2. & art. 3. dub. 1. Toletan. q.3. prologi, art.4. ad argumenta contra primam conclusionem, Maior. q. 1. prologi ad 12. argumentum & ad 2. dubium in 3. d.23. quæst.8. 10.& 11. & alij. Aliqui tamen recentiores dicunt posse intellectum humanum naturali lumine, vel habitu acquisitio elicere actum fidei ex motiuo diuinæ reuelationis, certum quidem ex parte obiecti formalis, non tamen ex parte luminis, ac proinde distinctum specie ab actu fidei infusæ. Quod autem satis sit cognosci principia Theologiæ fide acquisita altero ex his modis probatur primò; quoniam ad assensum principij Theologici solùm requiritur certitudo cum ineuidentia; at assensus fidei acquisitæ est certus, & ineuidens: ergo principium reuelatum creditum huiusmodi fide acquisita sat est ad discursum Theologicum. Secundò quæcumque substant eidem rationi formali, siue motiuo pertinent ad eandem scientiam: at principia reuelata credita fide acquisita propter reuelationem diuinam substant eidem motiuo, & rationi formali credendi, cui substant, si credantur fide infusa: ergo, si hoc modo credita sunt principia Theologiæ, etiam credita priore modo erunt. Tertiò ex principijs creditis fide acquisita, ob motiuum reuelationis fieri potest discursus colligens easdem veritates, quæ colliguntur ex ijsdem principijs creditis fide infusa, is autem discursus pertinet ad aliquam scientiam, non ad aliam quam ad Theologicam:

Scotus. *Ocham.* *Gabr.* *Toletan.* *Maior.*

quan-

quandoquidem ad naturales non pertinet, vt per se patet, in via autem non est alia supernaturalis, quàm Theologia.

VIII. Articuli reuelati crediti actu sunt principia Theologica.

Altisiodor. Alensis. Albertus. S. Thom. Henric. Durand. Richard. Heruæus. Argentinat. Sylvester. Petrus Bergom. Conrad.

Dico secundùm, articuli reuelati crediti actu fidei diuinæ pendente ab habitu infuso, vel speciali Dei auxilio, sunt per se, ac propriè principia Theologica; hæc est expressa sententia omnium ferè antiquorum Theologorum. Altisiodorensis, lib. 3. tract. 3. c. 1. q. 1. Alensis. 3. p. q. 68. m. 9. art. 1. Albert. in prologo summæ tract. 1. q. 1. ad 2. & 4. & q. 4. ad 5. & q. 5. m. 2. S. Thom. q. vn. prologi, art. 3. querela 2. ad 2. & ad 3. & querela 3. ad argumentum, & art. 5. in c. in 2. scripto. q. 2. prologi, art. 2. in cap. & q. 2. de Trinitate art. 2. in cap. Henrici in summa art. 6. q. 1. ad 4. & q. 3. & art. 7. q. 2. Durand. q. 1. prologi à num. 49. & q. 4. n. 5. & 6. Richard. quæst. 7. prologi ad 1. & 2. Heruæus, querela 5. q. 19. Argentin. qu. 2. prologi art. 4. Sylvester in q. 1. conflati ar. 10. §. 1. & art. 11. circa fol. ad 3. Petri Bergomens. dub. 600. Conrad. 1. 2. q. 3. art. 6. §. *Nota pro fundamento* & q. 57. art. 2. §. *Infert quoddam.* qui omnes expressè dicunt vel habitum principiorum Theologiæ esse infusum, vel principia ipsius cognosci diuina illustratione, superiori lumine. Probatur autem, quoniam ex principijs hoc modo cognitis, fieri possunt discursus, & inferri conclusiones de Deo, & creaturis, prout ad ipsum attributionem habent: hi verò discursus non sunt alterius scientiæ, quàm Theologiæ, ergo articuli fide diuina crediti sunt per se, ac propriè principia Theologiæ. Secundò, sub eo lumine propriè pertinēt principia ad scientiam, quod est adæquatum, ac proportionabiliter respondens motiuo proprio ipsorum: sed solùm actus fidei diuinæ sub lumine infuso est per se adæquatus motiuo reuelationis: ergo sub hoc sumi debent articuli, vt sint principia Theologica. Maior propositio patet, assensus enim, & motiuum sibi mutuo respondent. Assumptionem probo; ille actus proportionatus, & adæquatus motiuo, quo non datur alius perfectior secundum speciem genitus ab eodem motiuo; nam quoties motiuum non concurrit ad actum perfectissimum, quem potest secundum speciem, nō habet lumen intellectuale sibi adæquatè respondens: at actus omnes fidei acquisitæ sunt infra terminū perfectionis actuum, qui ex motiuo reuelationis gigni possunt: actus autē fidei infusæ est perfectissimus omnium, qui ex motiuo reuelationis haberi possunt: ergo hic solū est illi adæquatus. Itaque cum præstantissimus assensus, qui ex reuelatione, ac fide haberi potest, sit actus fidei infusæ, similiter præstantissimus actus Theologicus est, qui procedet ex principijs creditis fide infusa: &, cùm vocabula plerumque stent pro potiori significato, Theologia, cùm scientia dicitur, accipitur pro præstantissimo habitu, quē per discursum ex reuelatis de Deo comparamus: & consequenter principia ipsius propriè loquendo, fide diuina credita esse debent.

IX.

Sed quid dicendum, si fide acquisita credantur? tunc enim ex ipsis quoq; discursus fieri, & conclusiones deduci possunt. Hæc interrogatio supponit id, quod ego etiam huc vsque supposui: quia Doctores aliqui ita loquuntur, nimirum ex motiuo reuelationis diuinæ haberi posse per vires naturæ actū fidei eiusdem speciei, cum eo ad quem concurrit habitus infusus, quod sentiunt Nominales: vel saltem actū fidei acquisitæ distinctū ab actibus infusæ, quod est dubium Theologicum in materia de fide disputandum: & idcirco ab eius discussione supersedeo. Dico tamen breuiter in primis sententiā Nominalium nullo modo esse admittendam, quia vult actus fidei diuinæ esse in substantia naturales; quod non est cōforme Scripturis & Patribus loquentibus de necessitate gratiæ, vt alibi ostenditur. Deinde neque placet sententia Recentiorum, quoniam respectu eiusdē obiecti sub eadem ratione formali, nō possunt dari actus specie distincti. Denique nullo modo probo, elici immediatè posse actus naturales acquisitos ex motiuo reuelationis. Si verò quis dicat esse supranaturales elicitos ab habitibus acquisitis, nō euadet. Etenim vel actus, queis ij habitus gignuntur, sunt naturales, vel supranaturales; si naturales ipsi quoq; habitus, & actus postea ab eisdē eliciti, naturales erunt; nam actus, & habitus à se mutuò geniti sunt eiusdem ordinis: si verò supranaturales erunt ipsimet actus fidei infusæ, nam circa obiecta reuelata nō sunt alij actus credendi supernaturales, quàm actus fidei infusæ: & ita semper principia Theologiæ, quatenus habet modum scientiæ, non nisi fide diuina credi debent. Et confirmatur, quoniam ex discrimine essentiali principiorū sumitur distinctio scientiæ: atqui scientia Theologica, vt iam probaui, propriè, & per se procedit ex principijs creditis fide diuina sub lumine infuso; ergo quicunque alius actus, vel habitus gignatur ex principijs creditis actu, vel habitu alterius speciei per se requisito, distinguetur etiam specie à vera, ac propria Theologia. Dixi verò ab habitu per se requisito, quoniam in sententia

eorum,

eorum, qui præter habitus infusos admittunt acquisitos eiusdem ordinis supranaturalis, ijdemmet habitus acquisiti concurrunt ad actus virtutum infusarum, non per modum eleuandi potentias, quod præstant infusi, sed solummodò facilitando; atque adeò supponunt potentiã intellectus completam per habitũ infusum, vel auxilium supranaturale; & consequenter non sunt per se requisiti; nã ad actus, quibus gignuntur, minimè sunt necessarij: ideoque etsi ipsi concurrant, non excluditur necessitas habituum infusorum, ad quorum actus solùm facilitando iuuant. Quo posito, adhuc ad assensum principij reuelati ex motiuo reuelationis, licet similiter concurrant habitus acquisiti huius generis, necessariò concurrere debet lumen fidei infusum: & sub hoc cognitum, nõ verò aliter est principium discursus Theologici, siue adsit habitus alius acquisitus, siue non.

X. Ex dictis facilè diluuntur argumenta contrariæ opinionis; quæ omnia supponunt dari posse actũ fidei acquisitæ ex solo motiuo reuelationis diuinæ. Ad primum negãda est assumptio; quamuis enim quidam ex recentioribus dicant fidem acquisitam esse certam solùm ex parte motiui, diuinam verò tum ex hac parte, tum ex parte luminis infusi, mihi tamen hæc distinctio non placet: namque opus est, vt ex parte intellectus sit causa sufficiens, & completa, proportionata motiuo, efficienter producens actum certum: ad hoc verò nõ satis est virtus naturalis ipsius, quæ solùm gignit actũ certum, cùm habet euidentiam: atque adeò hæc duo repugnant: nempè vt actus sit certus ex parte motiui, & non ex parte luminis. Nam quemadmodũ in actibus naturalibus certitudo actus, quæ ab ipso non distinguitur, numquam habetur solùm ex parte motiui, sed ex parte eius in ratione motiui, & ex parte intellectus in ratione luminis, siue potentiæ intellectricis proportionatæ motiuo, ita in supernaturalibus, certitudo debet procedere ab vtroque, scilicet à motiuo, & lumine illi proportionato. Ad secundum, neganda est similiter assumptio, qua supponitur eadem sententia, supra impugnata. Ad tertium, neganda est maior propositio, quæ idem supponit, si quis autem eam sententiam admitteret, opus est, vt semper ex parte obiecti requirat aliquam rationẽ formalem, sub qua fides acquisita tendat in obiecta reuelata diuerso modo ab eo, quo tendit infusa: & tunc respondebit ad argumenta non conuenire tunc principia sub eadẽ ratione formali; atque adeò si sub his diuersis rationib⁹ sumantur principia ad discursus, gigni actus longè diuersos: & eos, qui procedunt à principijs creditis fide diuina pertinere propriè, ac per se ad Theologiam; reliquos verò ad alium habitum similem, quoad aliqua, sed inferioris ordinis à primo.

De causa materiali Theologiæ.

Caput VIII.

I. Causa materialis habituum intellectualium duplex est.

CAusa materialis, siue subiectiua habituum intellectualium duplex est: altera in qua, altera de qua, vel circa quam: prior est subiectum inhæsionis, posterior subiectũ speculationis: de posteriore, quia plus difficultatis habet, peculiarem tractationem instituam: de priore dicam hoc capite. Porrò habituum, & actuum vitalium, vtpote immanentium, subiectũ est eadem potentia, à qua eliciuntur actus, & quam ad illos eliciendos habitus ipsi eleuant vel facilitant: habitus enim residen in eadem potentia, quã ad operandum promptam, atque expeditam immediatè reddunt. Ex quo perspicuè colligitur subiectum inhæsionis habitus Theologici esse intellectum, cui nõ repugnat texere discursus Theologicos, & conclusionibus per eos deductis assentiri. Quamuis autem nulli intellectui secundum naturam suam considerato hoc repugnet, atque adeò omnis possit esse subiectum inhæsionis Theologiæ: tamen pro aliquo statu fieri posset, vt ratione formæ alicuius, vel priuationis non sit aptus elicere, & consequenter neque recipere actus Theologicos. Et id modò inuestigo; num intellectus pro quouis statu sit subiectum capax Theologiæ: loquor autem de lege ordinaria, secundum quam receptio actus vitalis coniuncta est cum productione; nã si de absoluta Dei potentia sermo sit, non credo repugnare, vt si quo modo actus vitales à solo Deo producantur, cuiuis intellectui pro quouis statu insit actus, & habitus Theologicus: quoniam ex vi solius inhæsionis nõ requiritur alia conditio quippe cum per se immediatè, & absque alterius adminiculo intellectus recipiat, ac sustentet actus. Sed nunc agendum de intellectu quatenus actuum, & habituum acquisitorum est similiter causa efficiens, & materialis.

II. Hac in re est vnum ab omnibus receptum: duo alia versantur in controuersia. Certum est intellectum cuiusuis viatoris fidelis esse subiectũ aptum recipien-

do habitui, & actibus Theologicis: controuerſia eſt vtrum duæ illæ conditiones, *viatoris*, ac, *Fidelis*, neceſſariò requirantur. Primùm per ſe patet, quandoquidem viator fidelis eſt capax habitus principiorum Theologiæ, ſeu potiùs illum actu habet: quicumque verò habet habitum principiorum poteſt illis aſſentiri, & per diſcurſum deducere concluſiones, ijſque præbere aſſenſum: ergo quiuis viator fidelis, eſt aptum ſubiectum Theologiæ habitualis, & actualis. Sed quoniam plerique doctores Theologi in principio ſententiarum, dum quærunt vtrum poſsit communicari viatori clara Dei notitia abſtractiua, multa dicunt de ratione viatoris, quę potiùs ad illam, quàm ad hanc quæſtionẽ pertinent, ego viatorẽ accipio eum, qui eſt de lege ordinaria, quẽ videtur Apoſtolus deſcripſiſſe. 2. ad Corinth. 5. cùm dixit: *Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem*: vbi duo perſtringuntur, alterum eſt ſtatus tendentium cum negatione acceſſus ad terminum patriæ, tendentia indicat ſtatum merendi, quod ſignificatur verbo illo, *ambulamus*, elongationem verò à termino indicant illa verba, *non per ſpeciem*, alterum habitus fidei, qui eſt proprium peregrinantium, ac viatorum, vt colligitur ex verbis antecedentibus Apoſtoli, *Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino*, cuius rationem reddit verbis paulò ante citatis, quæ mox ſubiungit, *Per fidem enim ambulamus, non per ſpeciem*. Quamuis autem non omnes viatores fidem habeant, ſat eſt vt pro ſtatu ſint illius capaces, & ita fides ſolùm eſt conditio viatoris ſecundum aptitudinem ſtatus, aut merendi cum negatione acceſſus ad terminum per ſe eſt omninò requiſitus, & ita D. Thom. in. 2. d. 11. q. 2. art. 1. in corp. & in 4. d. 49. q. 2. art. 7. ſtatum viæ creaturæ rationalis eſſe ait quo deficit à beatitudine; hæc verò elongatio à termino de lege ordinaria coniuncta eſt cum ineuidentia rerum ſupranaturalium. An verò, ſi Deus communicaret homini, vel Angelo abſtractiuam ſui notionem euidentiſsimam, maneret viator, an non, ad præſens inſtitutum parum refert, nã quoad repugnantiam cum Theologia eadem eſt ferè ratio, quæ in beatis: quamuis enim aliqui doctores diſcrimen ſtatuant inter notitiam intuitiuam, & abſtractiuam euidentem, quod hæc non excludat fidem, illa verò maximè; ego tamen cum D. Thoma, & alijs cenſeo hoc diſcrimen nullum eſſe; quod nunc ſuppono, quia id ex inſtituto expendere ſpectat ad materiam de fide. Itaque quod attinet ad viatorem, qualis de lege eſt, nemo dubitat ipſum, ſi fidelis ſit, eſſe capacem Theologiæ: ex quo ſequitur animas ſanctas dum in purgatorio igne commorantur capaces eſſe Theologiæ noſtræ: namque, licet non ſint ſimpliciter viatores, quia non ſunt in ſtatu merendi, ſunt tamen ſecundum quid, nempè quia nondum peruenerunt ad patriam, vt notat D. Thom. in 4. d. 45. quæſt. 2. art. 1. q. 2. ad 3. & ita retinent adhuc fidem, quoad actum, & habitum & ſimiliter Theologiam, cuius principium, & fundamentum eſt fides.

2. ad Cor. 5.

S. Thom.

S. Thom.

III.

Quod attinet ad priorem controuerſiam Caietan. 1. p. quæſt. 1. art. 2. §. *quoad 2.* & §. *Quoad reliqua*, & Bannes. art. 2. dubio 3. exiſtimant etiam beatos eſſe capaces Theologiæ, quoad habitum, & actum: & in patria elicere actus Theologicos eiuſdem ſpeciei cum noſtris. Id verò probant auctoritate D. Hieronymi epiſtola ad Paulin. de ſtudio diuinæ Scripturæ ad finem dicentis, *Talem ſcientiam diſcamus in terris, quæ nobiſcum perſeueret in cœlis*. Item ex D. Thom. eodem art. aſſerente ſacram doctrinam eſſe ſcientiam, cuius principia ſunt nota lumine ſuperioris ſcientiæ, nempè Dei, ac Beatorum: ex quo Bann. infert non repugnare ipſi coniungi cum ſcientia ſuperiore, quemadmodum non repugnat ſcientiæ ſubalternatæ coniungi cum ſubalternante in eodem intellectu. Deinde probatur ratione. Nullus habitus inhærens animo corrumpitur, niſi ratione alicuius habitus contrarij, aut aliter oppoſiti, vel propter obliuionem medij, aut concluſionis ipſius: nihil horum interuenit in patria: ergo manet habitus Theologicus in via acquiſitus. Aſſumptio quoad obliuionem per ſe patet, nam ſtatus beatificus non corrumpit ſpecies intellectuales memoratiuas, ex queis pendet memoria: nam ſi dines in inferno habebat memoriam fratrum, ac eorum, quæ geſſerat in vita, cur beati erunt immemores eorum, quæ in via didicerunt? non eſſe verò vllam repugnantiam Theologiæ cum beatitudine oſtenditur. Quoniam non eſt aliud, quod illam præ ſe ferat, quàm ineuidentia Theologiæ noſtræ: quæ cohærere nequit cum euidentia viſionis beatæ: ſed ineuidentia habet ſe per accidens ad Theologiam ratione ſtatus imperfecti viatorum, neque habet neceſſariam connexionem cum illa: quemadmodum imperfectio ætatis puerilis per accidens ſe habet ad rationem hominis, qui manens idem ſpecie, imò & numero, modò eſt

Caietan. Bannes. Hieronym. S. Thom.

puer,

puer, modo senex, quare non est vlla oppositio inter beatitudinem, & Theologiam. Antecedens probat, quoniam Theologia secundùm se est perfecta scientia; atque adeò licet in viatore, ratione status imperfecti habeat admixtã ineuidentiam, manere poterit in statu perfecto beatitudinis recedente ineuidentia accessu euidentiæ. Et confirmatur, quoniam dona Spiritus sancti pertinentia ad intellectum habent ineuidentiam pro statu viæ; & tamen, vt auctor est D. Thom. 1. 2. quæst. 68. art. 6. manent in patria simul cum euidentia: ergo similiter fieri poterit, vt habitus Theologicus exutus ineuidentia, quã in via sumit ex consortio fidei, sit in patria coniunctus cum euidentia visionis beatæ.

S. Thom.

IV. Theologia quam viatores acquirunt in terris, non manet in cœlis,

Dicendum nihilominùs eam Theologiam, quam viatores acquirunt, & habent in terris, non manere in cœlis quoad id, quod est formale in habitu, quamuis non repugnet, vt maneat quoad materiale, hoc est, quoad species intelligibiles rerum, siue etiam enunciationum, de quibus est. Suppono opinionem D. Thom. vt explicatur à Ferrarien. lib. 1. contra gentes, cap. 56. §. *Aduertendum*, & Caietan. 1. 2. quæst. 54. art. 4. nimirum habitum intellectualem acquisitũ de materiali importare species, & ipsarum coordinationem, de formali verò dicere habilitatem quandam actiuam, qua mens redditur facilis ad assensum. Quoad posteriorem partem assertionis ita explicatæ non est controuersia: nam species repræsentantes obiecta etiam complexa de se, non magis inseruiunt assensui euidenti, quàm ineuidenti, siquidem apprehensiones, quibus illæ immediatè inseruiunt, omninò similes substerni possunt assensibus distinctis specie propter diuersitatem motiuorum: & ita quoad hoc manere potest Theologia in quocumque statu. Verùm, quia propria denominatio sumitur à formali, negandum simpliciter est, manere Theologiam pro illo statu, cui repugnat ratio eius quatenus est habitus actiuè facilitans intellectũ ad assensum Theologicum, & id asseritur in priore parte assertionis, quæ est sententia Heruæi, quæst. 6. prologi. §. *Ad primam quæstionem*, ad secundam obiectionem. Medinæ 1. 2. quæst. 67. art. 2. ad 3. Capreoli, quæst. 1. prologi, art. 2. ad 4. ex 2. loco positis contra 2. conclusionem. Palatij, quæst. 2. prologi. Gabriel. in 3. d. 31 quæst. vnica, art. 3. dubio 3. Ambrosij Catharini super id, 2. ad Corinth. 13. *siue scientia destruetur*. Caietan. ibidem, vbi mutauit sententiam, quam 1. p. sequutus fuerat, suadetur verò à quibusdam ex dicto Paul. 1. Corinth. 13. *Siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Verùm ex his præcisè verbis non habetur institutum, D. enim Paulus simul loquitur de dono linguarum, & de scientia, illud autem non penitus in patria tolletur: quin potiùs beatos post resurrectionem linguis corporeis laudaturos Deum sentit D. Thom. lect. 3. super eundem locum Pauli, sicut ergo ex hoc loco non colligitur cessaturum prorsus donum linguarum, ita neque colligitur euacuandam scientiam Theologicam. Accedit, quod Apostolus non absolutè, sed sub conditione loquitur: *Siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Ex assertione autem conditionata, non benè infertur absoluta. Verùm quamuis ex his verbis solùm non rectè concludatur intentum, tamen adiunctis sequentibus magna vis probationis existit, Paulus enim adiungit: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quòd ex parte est*, id enim euacuandum censet, quod habemus ex parte: Dei autem cognitionem ait nos habere ex parte, vt constat ex illis verbis: *Ex parte cognoscimus*, nempè per fidem, & scientiam Theologicam: ergo eiusmodi cognitio euacuanda est: vndè respondet Ban. nomine scientiæ intelligi fidem; nam quæ certò cognoscimus, licèt ineuidenter, scire dicimur; quo pacto dicebat Iob, cap. 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum*. quod tamen nonnisi per fidem sciebat. Verùm cùm Paulus dicat euacuandum quod ex parte est, & Theologia nostra non minus sit ex parte, quàm fides, non est vllum fundamentum huius distinctionis. Respondent alij euacuandam quidem Theologiam quoad id, quod ex parte est, nempè quoad imperfectionem viæ: mansuram tamen quoad substantiam cum perfectione congrua statui beatifico. Sed neque hæc solutio est adæquata; nam D. Paulus id ipsum, quod ex parte est, ait euacuandum, nempè ipsum actum, vel habitum imperfectioni subiectum. Præterea fides non euacuatur solùm quoad imperfectionem, sed quoad rem ipsam, & entitatem: ergo etiam Theologia nostra eodem modo euacuabitur. Huius argumenti vim conantur eludere dicendo, diuersam esse in fide, ac Theologia rationem: namque imperfectio, quam fides importat, est de substantia, & intrinseca ratione

1. ad Cor. 13.

S. Thom.

Ferrarien.

Caietan.

Iob 19.

Hernæus.

Medina.

Capreol.

Palatius.

Gabriel.

Catherin.

Caietan.

ipſius, nempè ineuidentia, qua ſublata, non manet fides; atque adeò hæc euacuari nequit, quoad imperfectionem, & manere: at imperfectio Theologiæ viatorum, nempè eadem ineuidentia eſt accidentalis ipſi, ac proinde, poteſt adeſſe, & abeſſe manente eodem habitu quoad ſubſtantiam, & entitatem: & ita de facto euenire, nam habitus Theologiæ in via ineuidens, in patria manet euidens.

V. Hæc ſolutio, ſi nihil falſum ſupponeret, erat optima: quotieſcumque enim ratio oppoſitionis vnius formæ cum altera poteſt ab illa ſeparari, non repugnabit, vt formæ ipſæ ſimul ſint. Falſum tamen ſupponit: inprimis enim id, quod dicitur habitum Theologiæ in via eſſe ineuidentem, in patria euidentem, non cohæret: nam licet euidentia, & ineuidentia propriè, ac formaliter dicantur de actibus, habitus autem denominentur in ordine ad actus, tamen cùm habitus appellamus euidentes, & ineuidentes, ſignificamus modum aliquem intrinſecum, vel differentiam ipſorum: quæ manente actu, & nullo modò intrinſecè mutato variari nequit; at ſola tranſlatio de vita corruptibili ad æternam non inducit vllam mutationem intrinſecam in habitum: atque adeò ſi is in via quoad propriam entitatem erat ineuidens, in patria quoque manet ineuidens: vel ſi ibi euidens eſt, euidens quoque erat in via. Congruentius reſpondebitur ſecundùm eam opinionem, habitum Theologiæ in ſe, nec eſſe euidentem, neque ineuidentem, ſed abſtrahere ab vtroque; quia ſuapte natura concurrere poteſt ad actus modò ineuidentes, modò euidentes iuxta varietatem ſtatuum ſubiecti. Sed neque hæc ſolutio ſatisfacit, namque ineuidentia non minus eſt de ratione Theologiæ, quàm fidei: quandoquidem à principijs redundat ad concluſiones ratio euidentiæ, vel ineuidentiæ: principia vero Theologiæ debere eſſe credita ſub reuelatione obſcura, oſtendam inferius contra Caiet. tract. de ſubiecto, cap. vltimo. Quapropter, quemadmodum fidei non eſt locus in beatitudine ob intrinſecam rationem ineuidentiæ, ita neque Theologiæ erit. Deinde ſi ineuidentia eſt accidens ſeparabile à propria ratione Theologiæ, fieri poterit, vt idem actus Theologicus ſit viciſſim euidens, & ineuidens: atque adeò, vt idem numero actus Theologicus ineuidens extra beatitudinem, continuetur in ſtatu beatitudinis cum euidentia. Conſequentia bona eſt: nam ab actibus ſumitur ratio habituum, etſi repugnat actum ineuidentem fieri euidentem, repugnabit etiam habitui, inclinare ad actum euidentem.

VI. Huic argumento bifariam reſpondet Bannes, primo negando conſequentiam allata inſtantia; nam fortaſsis, inquit, idem numero aſſenſus fidei informis, non poteſt fieri formatus: quia variatur ſecundum illam circumſtantiam viuentis, aut mortui; certum verò eſt eundem habitum fidei nunc informem eſſe, nunc formatum. Verùm neque inſtantia eſt vera, neque eſt vllum firmum fundamentum, cur negetur conſequentia: inſtantia non eſt vera, quoniam circumſtantia, quoad rationem viui, vel mortui in fide, licet plurimùm faciat ad rationem meriti, tamen ad rationem propriam, & formalem fidei eſt extrinſeca: neque eſt vlla repugnantia, cur peccator eliciens actũ fidei informis, & continuans eum per aliquam moram, poſſit in eodem perſiſtere in momentis iuſtificationis, & vltrà; ita vt idemmet actus antea informis, poſtea acceſſu gratiæ, & charitatis ſit formatus. Conſequentia verò ſine fundamento negatur: nam cur repugnabit vt actus ſit ineuidens, & euidens ſucceſsiuè, cùm habitus ſucceſsiuè talis ſit, vt admittit Bannes: & ſimul habeat vim concurrendi ſucceſsiuè nunc ad actus ineuidentes, poſtea ad euidentes? ſecundo reſpondet admittendo non repugnare, vt ijdem numero actus, qui ſunt ineuidentes, incipiant eſſe euidentes, ſi Deus habenti diſcurſum Theologicum repentè infunderet lumen gloriæ circa principia eius diſcurſus: ſed hoc numquam accidere, quia regulariter loquendo interrumpitur actualis aſſenſus concluſionum, quando viator tranſit ex hac vita in alteram. Verùm ſi diſcurſus Theologicus viæ, ſecundùm ſuam naturam, non repugnat cum ſtatu beatifico, fieri non rarò poterit, vt animæ, quæ ex purgatorio tranſeunt ad beatitudinem, perſiſtant aliquo tempore in aſſenſu Theologico, quem habere cœperant in purgatorio. Verùm id repugnat; namque ineuidentia actus Theologici, vel eſt modus entitatiuus illi intrinſecus, vel priuatio euidentiæ, quæ eſt forma poſitiua: neutra variari poteſt ſine corruptione ſubiecti. In primis enim ſi ſit priuatio, vt abſit, opus eſt, adueniat noua forma poſitiua: hæc autem aduenire debet cùm aliqua reali mutatione actus: non ſecundum intentionem, aut extenſionem ſuam; non eſt autem alia mutatio accidentaria

taria actus vitalis: ergo necessariò erit mutatio corruptiua ipsius. Non sat esse intentionem probatur primo, quoniam fieri potest virtute diuina, vt actus Theologicus in patria non sit magis intensus quàm in via, & nihilominùs in via sit ineuidens, in patria euidens. Deinde, quoniam intensio supponit in subiecto eandem rationem formalem, quæ intenditur, quod enim non præexistit, non intenditur; atque adeò cum euidentia sit forma positiua, & non præfuerit in actu assensus Theologici viatoris, non potest aduenire per solam intensionem. Non item per extensionem: hæc enim tantummodò habet ordinem, vel ad subiectum, vel ad obiectum: intellectus est subiectum indiuisibile, & respectu eius non dabitur extensio actuum: obiectum fingamus esse idem, vt de facto loquimur, de assensu vnius conclusionis Theologiæ; quare mutatio illa non consistit in extensione: & consequenter non erit mutatio accidentaria, sed corruptiua actus. Eodem ferè modo probari idem potest, si ineuidentia sit forma positiua, & modus intrinsecus actui: hic enim non corrumpitur per intensionem, quia pura intensio non excludit formam positiuam à subiecto; nec per extensionem, quia ad eadem obiecta potest esse actus euidens, atque ineuidens: ergo ineuidentia non aliter tollitur, quàm per corruptionẽ actus, cui inest. Atque adeò nequit in eundem numero actum cadere etiam successiuè. Et confirmatur inductione facta per assensus naturales, qui ijdem numero manentes, numquam transeunt de ineuidentia ad euidentiam, aut viceuersa, vt discurrenti conspicuum fiet.

VII. Ad auctoritatem D. Hieronym. respondetur non fideliter recitari, non enim D. Hieronymus ait: *Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseueret in cœlis*, vt Bannes refert, sed, *discamus in terris, quorum scientia nobiscum penseueret in cœlis*: queis verbis respicit obiecta ipsa, nõ scientiam; nam, si de eadem scientia loqueretur, quoad perseuerantiam in cœlo, non erat cur hoc potiùs assereret de scientia rerum diuinarum, ad quam Paulinum hortabatur; quàm rerum temporalium: hæc enim non habet repugnantiam cum visione beata, & consequenter manere etiam cum illa posset. Ait igitur, potiùs rerum diuinarum, quàm humanarum scientiæ studeamus; quoniam harum, vtpote inutilium, scientia non necessariò erit in cœlo, illarum verò maximè: non explicat autem vtrum eadem, an diuersa manere debeat; imò fortè ex hoc loco sumi potest argumentum ad probandum de sententia D. Hieronym. scientias in hoc mundo acquisitas non necessariò manere in cœlesti patria. Porrò dictum D. Thom. ibidem adductum sententiæ oppositæ minimè fauet: ex eo enim, quod principia Theologiæ sint nota lumine scientiæ superioris, non sequitur vt sint, aut esse possint eodem lumine nota ab eo, qui scit Theologicè. Scientia verò subalternata idcircò reperitur in eodem subiecto cum subalternante, quoniam vtraque exigit euidentiam earundem propositionum, subalternans quidem tamquam conclusionum, subalternata verò tamquam principiorum: at Theologia postulat ineuidentiam fidei in principijs, quæ beatus euidenter agnoscit, & quoniam cognitio ineuidens per fidem, & euidens eiusdem obiecti simul haberi nequit, repugnat, vt in patria maneat Theologia viatorum. Ad argumenta neganda est assumptio, ac dicendum interuenire eam ipsam repugnantiam, quæ in argumento adducitur, nimirum, penes euidentiam, & ineuidentiam. Ad huius impugnationem nego ineuidentiam habere se per accidens ad nostram Theologiam: neque probatio, qua vtitur, concludit: nam Theologia, vt infra dicam, non est simpliciter, & in rigore scientia, sed quoad certitudinem; atque adeò non conueniunt illi omnes scientiæ propriæ conditiones; quarum vna est euidentia. Ad confirmationem respondetur diuersam esse rationem in donis, atque in scientia acquisita actibus Theologicis: nam hæc disponit hominem ad actus proprio studio, ac discursu eliciendos, qui proinde iuxta diuersitatem motiuorum formalium specie variantur; at dona, vt docet idem Sanctus Doctor. art. 1. & 2. eiusdem quæstionis, disponunt hominem, vt reddatur facilè mobilis ab inspiratione diuina: quæ ratio eadem manet in via, atque in patria, licet sit diuersitas penes euidentiam, & ineuidentiam, quæ ad hoc, vt animus sit promptè mobilis, à Deo per accidens se habet: non sic autem, vt ex suo discursu assensum præbeat veritati.

VIII. Circa alteram conditionem subiecti, quæ continetur termino illo, *fidelis*, est opinionũ diuersitas, respectu earum conclusionum, quarum principia non negant: nam earum, quarum principia negant, potiùs habent oppositum errorem,

quàm scientiam. Manere in hæretico fidem acquisitam, cuius nomine etiã includunt Theologiam, docent Scotus, in 3. d. 23. q. vn. §. *de primo*. Ocham in 3. quæst. 8. art. 3. ad primam difficultatem, & in fine ad 3. dubium, Gabriel. d. 23. quæst. 2. art. 2. conclusione 5. & Maior. quæst. 4. prologi citata. Contraria tamen sententia omnino asserenda est, suppositā doctrina communi superius explicata, quod principia Theologiæ credantur fide infusa: quam cùm hæreticus non habeat, veræ, ac propriæ Theologiæ incapax erit, quamuis ob species memoratiuas principiorum, & conclusionum in animo remanentes, & habitus acquisitos ex principijs fidei humanæ creditis, vt interdum fieri solet, etiam à Catholicis non semper recordantibus reuelationis, retinebunt aliquam facilitatem, & vsum discurrendi de ijsdem obiectis Theologicis per actus, quoad substantiam modo aliquo similes Theologicis, quoad rationem verò formalem, & speciem diuersis. Itaque, vt vno verbo dicam, quodnam sit subiectum proximè capax Theologiæ, est intellectus non habens dispositionem vllam fidei diuinæ oppositam, cuius fundamentum est, quoniam intellectus capax habitus principiorum, est etiam capax habitus, & actuum circa conclusiones; habitus principiorū Theologiæ nostræ est fides, vt supra dictum est: ergo intellectus non habens vllam dispositionem fidei repugnantem, erit proximè capax Theologiæ viatorum. Hæc verò capacitas est remota, nam proximè requirit habitum fidei: ideoque subiectum proximè capax Theologiæ, est mens fide diuina illustrata.

(·.·)

Scot. *Ocham.* *Gabriel.* *Maior.* In Hæretico non manet Theologiæ cognitio, quam habuit antequam esset hæreticus.

TRACTATVS TERTIVS DE OBIECTO THEOLOGIAE.

INter causas habitus mẽtalis, prẽcipuum locum obtinet obiectũ, quod respectu habitus habet omnes ferè causandi modos; habet enim rationem finis, efficientis, ac formæ; nam quamuis dicatur materia, non tamen est materia, *ex qua*, sed, *circa quam*, vt docet. S. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 2. ad 2. dicitur tamen materia, propter aliqualem similitudinem ad factionem artificiosam terminatam ad materiam externam: cùm enim intellectus dicatur hanc, vel illam rem agnoscere, intellectio actiuè significata, concipitur per modum transeuntis ab intellectu ad obiectum: re autem vera non transit; sed manet in intellectu. Et ita obiectum respectu habitus, vel actus, non habet veram causalitatem materiæ, vt ait Scot. quæst. 3. prologi. §. *Ad argumentum primæ quæstionis*, & Bassol. quæst. item 3. art. 1. in fine. Est tamen finis, vt notat. S. Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 3. ad 2. & quæst. 73. art. 3. ad 1. quatenus intentio operantis per habitum fertur in obiectum. Habet autem rationem formæ, in quantùm dat speciem, vt ait idem. S. Doctor. 1. 2. quæst. 18. art. 2. ad 2. rationem verò efficientis, quoniam, vt ex August. lib. 9. de Trinitate, cap. vltimo frequenter vsurpant Theologi, *ex obiecto, & potentia paritur notitia*. Et ita causalitatem eius respectu actuum, & habituum efficientem agnoscunt Scotus, & Bassol. vbi suprà. Cum itaque tot modis causet, ad exactam notitiam causarum Theologiæ, oportet de eius obiecto dicere. In primis autem præmittam terminorum expositionem, ac diuisionem obiecti scientifici, deinde ad institutum applicabo.

S. Thom.

Obiectum scientiæ habet omnes ferè causandi modos. *Scot.* *Bassol.* *S. Thom.*

Obiectum est materiale, ac formale: materiale triplex, primum, secundarium, adæquatum: primum per se continet veritates in scientia demonstrabiles.

CAPVT I.

DIcturus de subiecto Theologiæ, necessarium duxi priùs exponere notionem, ac proprietates ipsius iuxta communio- I.

Obiectum & subiectum scientiæ an sint idem.

muniorem sententiam Doctorum, vt indè constet, quid de subiecto Theologiæ statuendum sit. Inprimis autem obseruandum est à Doctoribus Theologis interdum confundi, & pro eodem vsurpari hæc duo nomina, obiectum, ac subiectum; verùm, si propriè agendum sit, obiectum magis latè patet, quàm subiectum: quidquid enim subiecti rationem habet, obiecti quoque habet, quatenus terminat actum potentiæ. Sed non quidquid obiectum est, subiectum quoque dici potest: siquidem vt notat Durand. q. 5. prologi, num. 6. Ocham. quæst. 2. annexa 3. principali, quæ est in ordine 9. lit. T. Toletan. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. art. 1. Capreol. quæst. 4. art. 1. conclusione 2. & Sylvest. 1. p. conflati, quæst. 1. art. 16. §. 3. tota cõclusio, de qua habetur actus scientificus, obiectum illius est, non tamen subiectum: hoc enim propriè dicitur id, quod subijcitur proprietati, quæ de illo demonstratur: vndè etiam proprietas est obiectũ, nó verò subiectum actus, & habitus scientifici. Hinc oritur, vt potentiæ dicantur propriè versari circa obiecta, nõ verò circa subiectum: habitus verò tam circa subiectum, quàm circa obiectum; quia nimirum habitus semper est principium iudicij, quod semper cadit super subiectum, & prædicatum; potentiæ verò vel id non habent, vt sensitiuæ; vel non semper, vt intellectus.

Durand. *Ocham.* *Toletan.* *Capreol.* *Sylvest.*

II.

Sed hoc discrimine omisso, quod reperitur etiam in subiectis, & obiectis singulorum assensuum, dicendum est de obiecto, quod per se respicit habitus totalis, & à quo sortitur speciem. Secatur autem obiectum scientificum auctore D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. in formale, ac materiale, non quasi sint duæ res diuersæ in genere obiecti: sed quasi in duas rationes conflantes integram rationem obiecti specificantis: quæ distinctio nata est ex indeterminatione obiecti materialis, quod idem omninò secundum rem propter diuersam rationem formalem intelligibilitatis, aptum est terminare notitias specie diuersas: atque adeò consideratum, secundum solam entitatem suam, præcisa quauis alia ratione formali, non est aptum distinguere actus, vel habitus, qui versantur circa ipsum: quod in ipsomet Deo cernere licet; cuius si natura consideretur, abstrahendo ab hoc, vel illo genere luminis, sub quo est agnoscibilis, non distinguet vllum habitum, vel actum: sed erit indifferens, vt ab hoc, vel illo percipiatur. In hoc verò, cap. agam de obiecto materiali; in sequenti de formali.

S. Thom. Obiecti diuisio.

III.

In primis suppono nomine subiecti, vel obiecti materialis, non intelligi conceptum simplicem, qui subijcitur in propositione mentali, vt voluit Marsil. quæst. 2. prologi, art. 5. notab. 2. & alij Nominales: sed rem ipsam pro qua in propositione supponit simplex conceptus mentis, quæ est sententia communis doctorum, exceptis quibusdam Nominalibus; quam confirmat Toletan. quæst. 6. prologi, art. 2. conclusione 2. & 3. & argumenta oppposita soluit, art. 4. ad argumenta contra tertiam conclusionem. Est igitur propriè loquendo subiectum id, quod terminat, vt quod actum eius habitus, cuius est obiectum. Diuiditur autem trifariam: nam aliud est adæquatum: aliud primum, ac præcipuum, quod aliqui vocant subiectũ attributionis: aliud denique secundarium, ac minus principale. Adæquatum vocat Bonauent. quæst. 1. prologi, vniuersale. Petrus de Tarantasia apud Marsil. quæst. 2. art. 5. notab. 4. & Dionysium quæst. 4. prologi subiectum executionis. Ocham quæst. 2. annexa 3. principali, quæ est in ordine 9. ad 3. dubium, subiectum primum primitiuæ prædicationis: Gregor. quæst. 4. art. 1. §. *Nunc dicendum*, primum primitiuæ communicatis, vel prædicationis. S. Thom. 5. met. lect. 7. initio, & Sylvest. 1. p. conflati, quæst. 1. art. 16. *commune*. Est verò illud, quod ambitu suo continet omnia, quæ pertinent ad considerationem habitus, & eius actus terminant, vt quod, siue ratione sui, siue propter attributionem ad aliud. Huius nõ autẽ est altera conditio requisita, quàm vt subsset rationi formali distinctiuæ habitus, & nihil excludat eorum, quæ eidẽ rationi subsunt. Defectu primæ conditionis, nõ est obiectum adæquatum geometriæ quantitas, vt continuam, & discretam amplectitur, quoniam numerus non potest induere rationẽ formalem obiecti geometrici: defectu posterioris non est adæquatum eiusdẽ geometriæ obiectum corpus, quoniam excludit lineas, & superficies, quæ sub ratione formali eiusdem continentur. Aliud genus subiecti adæquati inuexit Bonauent. vbi supra, quod vocat integrale, quod contineat tam quam partes integrales omnia, quæ in scientia tractantur, & vocatur ab Ocham vbi proximè, subiectum primum primitiuæ totalitatis.

Marsil. *Toletan.* Subiectum propriè loquendo quid sit. *S. Bonauent.* *Petrus de Tarantas.* *Ocham.* *Gregor.* *S. Thom.* *Sylvest.* *S. Bonauent.* *Ocham.*

IV.

Obiectum secundarium est, quod subire potest rationem formalem obiectiuam habitus, non tamen ipsius agnitio per se intenditur, sed ratione alterius,

ad quod habet attributionem, qua sublata neutiquam ad eiusmodi habitum reduceretur: quod vocant materiam, vt distinctam à subiecto, Ægydius 1. p. prologi, quæst. 3. Henricus in summa, art. 19. quæst. 2. Richard. quæst. 6. prologi ad 5. Bassol. quæst. 3. art. 1. §. *Quarto ponam*, & fusè nimis distinctionem obiecti secundarij à primario declarant ex discrimine assignato à Commentatore lib. 4. Metaphys. inter subiectum, & materiam: nam subiectum est aliquid actu, & secundum quid in potentia: quemadmodum corpus naturale est actu per formam substantialem; potentia verò ad accidentales; materia verò vtpote de se carens omni forma, est simpliciter in potentia. Hoc inquiunt modo subiectum scientiæ, de quo supponi debet, quod sit, & quid sit, est actu cognitum in se, in potentia tamen ad terminandam nouam cognitionem, quatenus substat proprietatibus. Materia verò in scientia propriè dicitur, quod nullo modo est cognitum ante scientiam, sed est terminus inuestigationis scientiæ de ipso, non quoad quid est, sed inquantùm habet attributionem ad subiectum primum, ac principale scientiæ: materiam verò appellant id, quod alij secundarium vocant. Itaque in hoc consistit apud ipsos discrimen inter subiectum primum, ac secundarium, siue materiam: quod primum formaliter se ipso continet rationem eam, secundùm quam omnia considerantur in scientia, ratione cuius ipsum est præcognitum, & virtute continet cætera discursu scientifico cognoscenda: secundum verò nequaquam continet in se rationem eiusmodi, sed solùm est in potentia, vt considerari possit sub ea: exempli causa gemmæ, liquores odoriferi, herbæ, & similia nequaquam includunt sanitatem, quæ est forma, & ratio propria subiecti medicinæ: sunt tamen in potentia, vt in ordine ad ipsam considerentur, & ita pertinent ad materiam artis medicæ.

Ægyd. Henric. Richard. Bassol.

Obiectum secundarium quod sit.

V.

Obiectum primarium, quod Alensis, 1. p. quæst. 1. m. 3. appellat *materiam de qua secundùm essentiam*, Albertus in 1. d. 1. art. 2. *subiectum speciale*, & tractatu 1. summ. quæst. 3. m. 1. *subiectum principaliter intentum*. Bonauent. quæst. 1. *radicale*, exempla tamen, quæ affert, scilicet literæ respectu grammaticæ, & puncti respectu geometriæ, vt notat Aureolus, quæst. vltima, art. 3. non sunt accommodata. Ægydius 1. p. prologi, q. 3. Henric. in summ. art. 19. quæst. 2. & Syluester, quæst. 1. conflati, art. 16. principale. Petrus de Tarantasia, vbi proximè, subiectũ intentionis. Ocham vbi proximè 1. primitiua perfectionis, Bassolis, quæst. 3. art. 1. §. *De primo*. Et Toletan. quæst. 5. art. 2. primum, Gregorius citat. Gabriel. q. 9. art. 1. in fine, primum primitiuæ attributionis. Et tandem absolutè subiectum appellant Ægydius & Henricus, quæst. 1. & 2. cit. & alij. Est vero illud, quod præcipuè ratione sui, & non alterius venit in considerationem habitus. Huius prima, & præcipua proprietas, quam assignat Arist. lib. 6. Ethic. cap. 6. & lib. 1. Poster. cap. 6. & lib. 7. met. t. 53. & 54. est vt sit necessarium: nam de contingentibus non est scientia, vt ibidem probat Philosophus. Hoc non requiri indicat Scotus, quæst. 3. prologi in 4. laterali. §. *sed aliud*: quoniam notitia intuitiua euidens obiecti contingentis, est verè scientia; Verùm licet demus secundum modum aliquem habere scientiæ rationem, non tamen ad sensum Philosophi, nec ad eum, de quo modo loquimur, quando agimus de subiecto alicuius habitus totalis intellectiui: nullus enim datur, qui sit per se primo de obiecto contingenti. Ad hoc vlterius requirit Philosophus, vt sit vniuersale, lib. 6. Ethic. cap. 6. & 3. met. t. 12. & lib. 7. cit. Cuius ratio est, quoniam apud Aristot. singularia non sunt necessaria; item non habent propriam essentiam, definitionem, aut passiones, sed hæc omnia habent ex natura generica, vel specifica, quam includunt; subiectum autè debet habere partes, proprietates, ac passiones: & ob hanc causam singularia excluduntur à ratione subiecti.

Alens. Albert.

Bonauent. Aureol.

Ægyd. Henric. Sylvest.

Tarantas. Ocham. Bassol. Toletan. Gregor. Gabriel.

Ægyd. Henric.

Aristot.

Scot.

Aristot.

VI.

Præter hæc, in quibus omnes ferè cum Aristot. conueniunt, adduntur à nonnullis aliæ conditiones primi subiecti: præcipua est, quam assignat Scot. in quæst. 3. prologi. §. *De secundo*, vbi asserit de ratione primi subiecti scientiæ esse, vt contineat in se primo virtualiter omnes veritates pertinentes ad eum habitum, cuius est obiectum. Quam doctrinam sequitur Aquilan. q. 2. art. 1. & declarat Lychet. in hunc modum: *præmittit in primis veritates alicuius scientiæ, alias esse per se, siue ex terminis notas, alias ex alijs, hoc est, virtute primarum, quæ sunt ex terminis notæ: & primas ait contineri in primo subiecto non præcisè virtualiter: sed quia subiectum continet formaliter, & essentialiter definitionem, ideò enunciatio, qua definitio affirmatur de definito, est per se nota, vt cùm dicitur homo est animal rationale: quia verò definitio est causa immediata, & adæquata passionis, ideò etiã propositio enuncians passionem de de-*

Scot.

Aquilan. Lychet.

de definitione est per se nota, & immediata, vt hæc, animal rationale est risibile. Et ita subiectum, vt comparatur ad definitionem, continet primam illam propositionem formaliter, atque essentialiter: vt vero ad passionem continet secundam virtualiter, quia ratio formalis subiecti est causa immediata illius: propositiones secundi generis, nempè demonstrabiles, quæ immediatè continentur in præmissis per se notis, à quibus deducuntur, eo ipso continentur virtualiter in subiecto, in quo continentur ipsorum causæ immediatæ. Deinde obseruat veritates, de quibus loquitur Scotus, non sumi pro notitijs ipsis, aut propositionibus, sed pro habitudine prædicati ad subiectum. Ex quibus explicat id, quod ait Scotus, nempè subiectum debere continere veritates omnes eiusdem scientiæ, quia scilicet includit assentialiter causam præcisam, & adæquatam passionis demonstrabilis. Contra hanc Scoti doctrinam arguit Aureolus, quæst. vlt. prologi, art. 1. & fusissimè Ocham, quæst. 2. annexa 3. principali, quæ est ordine 9. Toletan. quæst. 5. art. 2. conclusione 1. Gregor. quæst. 4. prologi, art. 1. Gabriel. quæst. 9. art. 1. Nicolaus Bonettus, lib. 1. metaph. cap. 4. Primò, quoniam pleræque scientiæ habent pro obiecto primo naturam generi-cam, quæ non continet virtute veritates omnes demonstrabiles in ea scientia: verbi gratia arithmeticæ subiectum primum, est numerus: in ratione autem communi, numeri non continentur adæquatè passiones omnes, aut veritates, quæ in arithmetica demonstrantur de varijs speciebus numeri: contrà verò inferiora eiusdem primi subiecti continent veritates omnes de illo demonstrabiles, quidquid enim continetur in natura vniuersali, includitur in eius particulari. Deinde, quoniam subiectum non est causa efficiens passionum, aut veritatum de ipso demonstrabilium: vt enim demus aliquas passiones distingui realiter à subiecto, pleræque tamen non distinguuntur, vbi verò non est distinctio realis, nequit esse ratio causæ efficientis, aut effectus.

Aureol. *Ocham.* *Toletan.* *Gregor.* *Gabriel.* *Bonettus.*

VII. Primum argumentum soluendum iuxta diuersas sententias de vnitate scientiarum, circa species contentas sub eodem genere, & participantes eundem abstractionis modum. Nam qui dixerit de omnibus haberi eandem specie scientiam, respondebit cum Sylueſt. quæst. cit. art. 16. §. 3. & Caietan. 1. p. quæst. 1. art. 7. §. *Ad hanc obiectionem*, dicendo primum subiectum debere continere omnes veritates non perfectè, & adæquatè, & absque concursu aliorum principiorum: sed vt causam primam in suo genere, quemadmodum sol continet effectus horum inferiorum, & in suo genere est causa prima, atque completa; & tamen ad plurimos indiget concursu agentium inferiorum. Ita primum subiectum non continet adæquatè per se solùm omnes passiones demonstrabiles in scientia; verbi gratia, numerus non continet perfectè passiones numeri cubi, vel quadrati: continet tamen radicaliter, quoniam ipsa ratio numeri illis speciebus inclusa, cum ipsarum differentijs est adæquata ratio passionum pertinentium ad eandem scientiam sub eadem abstractione. Itaque subiectum primum secundùm se solùm continet radicaliter, vt inclusum autem in participantibus continet adæquatè omnes veritates scibiles in eadem scientia. Qui autem singulis speciebus speciales proprietates habentibus existimat respondere scientias specie distinctas, vt sentit Scotus, & eius sectatores, facilè respondebit cum Lycheto, Scotum solùm loqui de passionibus, per se, & conuertibilibus cum subiecto: has enim planum est virtualiter in ipso contineri, & consequenter habitudinem ipsarum ad illud. Cùm verò subiectum est vniuersale, id non continet per se passiones inferiorum: sed inferiora subiecta, de quibus pro varietate ipsarum, sunt etiam diuersæ scientiæ secundum speciem respondentes obiectis continentibus virtualiter omnes veritates earundem scientiarum: vt expressè docet idem Scotus, quæst. cit. §. *Contra illud*, ad 2. ait enim, sicut à subiectis particularibus habentibus vnitatem specificam, potest abstrahi subiectum vnum commune communitate generica, ita ab ijsdem scientijs specificis abstrahi posse scientiam vnam communem communitate generica. Quæ doctrina, vt sit vera, non ita intelligi potest, quasi de illo subiecto generico non habeatur scientia etiam specifica: nam de subiecto illo communi generico haberi potest scientia vna specifica, qua proprietates ipsius ex definitione demonstrentur: huic autem nõ respondebit vllum subiectum specificum; nam scientia de corpore mobili in communi, quæ non descendat ad vllam eius speciem, sed solùm consideret passiones eius in communi, verè erit scientia specifica, vt notat Caietan. 1. p. q. 1. art. 7. §. *Ad hanc obiectionem*: & per se patet, nam habebit ve-

Sylueſt. *Caietan.* *Lychet.* *Scot.* *Caietan.*

bit vera indiuidua in hoc, vel illo philo-
ſopho contemplantibus eas proprietates:
& nihilominus non erit de vlla ſpecie in
particulari corporis mobilis, & ſine dubio
Scot. hæc eſt ſententia Scoti: nam Scotus ipſe. q.
3. §. *Ad 1. argumentum 2. quæſtionis*, aſſerit me-
taphyſicam habere pro obiecto ens in com-
muni, quia præter ſcientias ſpeciales opor-
tet eſſe aliquam communem in qua pro-
bentur in communi omnia, quæ ſunt com-
munia illis ſpecialibus. Ad alteram partem
eiuſdem argumenti reſpondetur id, quod
per ſe primò, & adæquatè continet paſſio-
nes, & veritates in ſcientia demonſtrabiles,
continere ratione ſui, & quatenus ipſum:
at ſpecies, etſi eſſentialiter includant ge-
nus, & eius definitionem, vtpote eſſentia-
lem ſibi, nõ tamen ſunt ratione ſui, & qua-
tenus ipſæ, cauſæ paſſionum, ſed ratione
generis incluſi: atque adeò, qui paſsionem
generis per ſpeciem demonſtraret, nõ red-
deret cauſam propriam, & adæquatam, vt
Ariſtot. ait Philoſophus, lib. 1. Poſt. t. 39. vbi oſten-
dit eum, qui cognoſcit iſocelen habere tres
angulos duobus rectis æquales, non quia
triangulus, ſed quia iſoceles eſt, minus co-
gnoſcere, quàm ſi cognouiſſet, quia trian-
gulus eſt. Et ita vera eſt quoad hanc par-
tem ſententia Scoti de continentia virtuali
per ſe prima, & adæquata.

VIII. Secundum argumentum multum ne-
Lychet. gotij faceſsit Lycheto, vbi ſuprà. Et in pri-
mis negat Scotum aſſeruiſſe ſubiectum eſ-
ſe cauſam effectiuam paſsionum: & qui-
Scotus. dem Scotus, q. cit. prologi, id non aſſerit,
affirmat tamen in 2. d. 25. quæſt. vnica. §.
Contra concluſionem, ad finem, mens tamen
eius eſt ſubiectum non habere præcisè ra-
tionem cauſæ materialis reſpectu paſsio-
nis; neque idcirco continere, aut vendica-
re illam neceſſariò, quia ſubiectat: vt enim
Ariſtot. ait Philoſophus 9. metaphyſ. textu 17. cau-
ſalitas materiæ ſiue potentiæ paſsiuæ eſt
contradictionis: atque adeò exui cauſæ
præcisè materialis in ordine ad formam,
nõ colligitur neceſſaria connexio formæ,
ſiue proprietatis cum ſubiecto: quapropter
cùm ſubiectum dicitur continere virtu-
te paſsionem, intelligi debet ſecundùm
alium modum, ſiue rationem cauſalitatis:
hic autem modus, quando paſsio diſtin-
guitur à ſubiecto, reducitur ad cauſam ef-
ficientem, quia ſcilicet formæ, quę neceſſa-
riò cohærent ſubiecto per modum naturæ
pullulant ab eo: quam progreſsionem
Philoſophi, ac Theologi emanationem
Scot. appellant. Non eſt autem mens Scoti, vt
ſemper ſubiectum habeat veram ratio-
nem cauſæ reſpectu paſsionis, vt patet ex
doctrina eiuſdem citata, quæſt. 3. prolo-
gi. §. *Ad primum argumentum 1. quæſt.* nam
reſpondens 3. argumento, quo obiectum
fuerat Deum non eſſe ſubiectum Theolo-
giæ, quoniam non habet paſsiones, quæ in-
ſunt ſubiecto, & ſunt extra ipſius eſſen-
tiam, reſpondet illud intelligendum eſſe
quando paſsio re ipſa cauſatur à ſubiecto,
quod in diuinis non reperitur, cùm tamen
ſciantur per eſſentiæ diuinæ rationem, ac ſi
ab ea re ipſa diſtinguerentur. Itaque nil
aliud vult Scotus, quàm ſubiectum eſſe
veram, ac propriam rationem paſsionis, ſi-
ue per veram cauſalitatem, vt accidit in
realiter diſtinctis: ſiue noſtro modo in-
telligendi, vt in ijs, quæ ſola ratione diſtin-
guuntur, ita tamen concipiuntur, vt, ſi
primum negetur, alterius ratio non ſub-
ſiſtat, & ſi id affirmetur, hoc ipſo ratio al-
terius conuenire cenſeatur; quomodo ſe
habet ratio actus puri ad immutabilita-
tem, & æternitatem Dei.

Alio quoque modo dictum Scoti in- IX.
telligit Lychet. vbi ſuprà, nimirum de *Lychet.*
cauſalitate quoad notitiam ipſarum veri-
tatum: in quo ſenſu eam ſententiam ſe-
quitur Baſſolis, quæſt. 3. prologi, art. 1. §. *Baſſol.*
De primo. Contra quem explicandi modum
eſt duplex obiectio: prima quod princi-
pia communiſsima ſunt, & cognoſcuntur
vera abſque cauſalitate ſubiecti ſcientiæ
totalis, vt ſe habent dignitates, quæ ſuppo-
nuntur in principio ſcientiarum: ex his
autem pendet, ac regulatur omnis veritas
ſcientiarum, ergo non à ſubiecto. Secun-
da, quoniam cognitio principiorum ha-
betur ex notitia ſimplici terminorum, at-
que adeò ad aſſenſum immediatum primi
principij, ex æquo requiritur notitia ſim-
plex medij, paſsionis, ac ſubiecti: paſsio
quippe ſemel ſumitur in præmiſsis, me-
dium autem bis: ergo notitia veritatum
demonſtrabilium non magis pendet à ſub-
iecto, quàm à paſsione, vel medio. His, &
ſimilibus obiectionibus reſponderi po-
teſt, ex doctrina quorundam Pariſien-
ſium, quos ſequitur Lychet. vbi ſupra. §. *Lychet.*
Sed antequam. dicunt enim ſubiectum eſ-
ſe cauſam notitiæ ſimplicis ipſius paſsio-
nis, imò & notitiæ definitiuæ: quia conti-
net eſſentialiter definitionem, nempè ob-
iectiuam, quæ reſpondet mẽtali, & eſt cau-
ſa ipſius, & præterea paſsionem: & ita Sco- *Scot.*
tus vt refert Gregor. vbi ſuprà, volens ex- *Gregor.*
plicare quid ſit continere virtualiter paſ-
ſionem manu propria addidit in margine,
idem eſt ſpeciem. A. continere primò vir-
tualiter notitiam. B. & ipſum. A. vt habi-
tualiter cognitum continere. B. quod eſt

ſpeciem

speciem ipsius. A. in memoria posse gignere notitiam. B. in intelligentia: ex quibus verbis cõstat de mente Scoti speciem subiecti esse sufficientem gignendæ notitiæ simplici passionis; quæ doctrina licet alijs displiceat, mihi non displicet. Nam quemadmodum possumus à posteriore, ex speciebus sensatis elicere non sensatas, & à speciebus effectuum, species causarum, ita à priore possumus ex notitia, & specie causæ elicere simplicem notitiam, & speciem effectus. Et ideò cùm notitia omnis simplex reduci queat ad subiectum, ad ipsum quoque reducuntur notitiæ veritatum complexarum, quę pendent ex simplicibus. Verùm quamuis hoc sit possibile, frequenter tamen aliter se res habet, & passionum, vtpote effectuum, notitiam simplicem prius habemus, quàm substantiæ, atque essentiæ subiecti.

X. Crediderim tamen ad hanc conditionem non opus esse, vt notitia simplex passionis gigneretur ex notitia subiecti, sed sufficere, vt ordine prioris suapte natura posit ita gigni. Deinde verò, vt subiectum potiùs, quàm passio dicatur causa, & ratio notitiæ complexæ conclusionum demonstrabilium, prouenit ex eo, quòd cùm ipsum sit causa passionis, etiam est causa, cur ea sibi insit: & quia licet videre nexum inter duo, non possimus absque visione vtriusque, ratio tamen videndi nexum propriè non est vterque terminus, sed ille præcipuè, qui est causa ipsius: causa verò nexus inter subiectum, ac passionem non est passio, sed subiectum: & ideò hoc, non illa propriè dicitur causa notitiæ veritatis complexæ, qua scitur passio inesse subiecto, vel definitioni. Ad primum argumentum respondetur, licèt principia communissima sint vera ex terminis, ea tamen non posse gignere scientiam demonstratiuam passionis, nisi applicentur subiecto: in hac autem applicatione semper in minore propositione subsumendum subiectum: atque etiam tunc ad eius simplicem notitiam resoluendam scientiam per assensum immediatum assumptionis: in plerisque autem demonstrationibus primum principium est definitio subiecti. Ad secundum respondetur ex dictis, licet principia reducantur in proprios terminos, tamen quia notitia simplex subiecti propriè continet causam nexus passionis cum ipso, idcirco subiecto potiùs, quàm passioni tribui, quod sit causa notitiæ veritatum complexarum: maximè quia passio erit solùm causa eius, in qua ipsa tribuitur subiecto: hoc autem est causa omnium.

XI. Hæc dixerim ad explicandam, ac tuendam sententiam Scoti, circa rationem obiecti primi, quam plerique oppugnant. Verùm ea si intelligatur, vt Scotus intelligit, de subiecto scientiæ euidentis, quæ habetur ex notitia principiorum immediatorum, & per ea resoluitur in simplicem notitiam subiecti, verissima est. Etenim, cùm, vt docet Aristotel. lib. II. met. cap. 6. omnis quæstio de subiecto resoluatur, per ipsum quid est, à subiecto tamquã à prima causa pendet, omnis notitia scientifica à priore procedens: itaque ad scientiam euidentẽ vtrumque est necessarium, nempè, vt & ipsum subiectum sit causa, vel ratio omnium passionum de ipso demonstrandarum, & notitia ipsius sit ratio, & causa veritatũ complexarum, quas scientia attingit. Verùm si modus scientiæ non sit euidens, atque adeò non probet passiones ex vi notitiæ euidentis subiecti, sed ex alio motiuo extrinseco, hæc secunda conditio minimè requiritur, vt idem Scotus fatetur eadem. q. 3. prologi. §. *Ad primam quæstionem de Theologia nostra*, & patet ratione, quoniam tunc veritates complexæ non agnoscuntur ex eo, quòd eiusmodi subiectum in se cognoscatur, non enim principia resoluuntur in notitiã simplicem terminorum, sed in motiuum extrinsecum, propter quod creduntur: cùm verò Theologicus assensus non sit euidens, vt infrà ex instituto probandum est, non requitur ad subiectũ Theologiæ, vt per simplicem notitiã sui, sit nobis causa, & ratio cognoscendi veritates Theologicas. Et ita restat sola prima conditio, vt sit ratio passionum demonstrandarum. Hic modus explicandi rationem primi subiecti re ipsa conuenit cum communi ratione, quã cæteri Theologi tradunt; quæ, quia facilior, & communior, præferenda est. Continet autem duas conditiones: altera est, vt cognitio primi, ac prẽcipui obiecti propter se ipsam intendatur, & non ad alterius obiecti manifestationem: altera, vt cætera omnia, quæ pertinent ad habitum, habeant habitudinem ad primarium subiectum, & percipiantur ad maiorem ipsius agnitionem. Prior conditio elicitur ex fine habitus cognoscitiui, qui semper est notitia proprij subiecti; atque adeò id, cuius notitia per se, primò, ac præcipuè intenditur, debet esse primum, ac præcipuum obiectum. Secunda, constat ex eodem principio; nam, si habitus versatur circa alia cognoscenda, & hæc nullo modo referuntur ad aliquod tertium, hoc non censeri debet primum,

Aristot. *Scot.*

præcipuum,

præcipuum, & principaliter intentum: quandoquidem illa, quæ absque habitudine, aut relatione ad aliud per se terminant habitudinem notitiæ actualis, siue habitualis, non secundariò, ac minus principaliter, sed æquè primò, atque aliud pertinent ad subiectum habitus.

Ratio formalis obiectiua est triplex, nimirum, quæ, propter quam, sub qua: ex quarum coitione coalescit vnica forma obiecti in genere scibilis.

Caput II.

I. Explicata diuisione obiecti materialis, & propria ratione primarij, explicanda est deinceps ratio formalis eiusdem. Nam vt ait D. Thom. q. 2. de verit. art. 13. ad 6. habitus per se respicit formalem rationem obiecti potiùs, quàm ipsum obiectum materiale; atque adeò, si ratio formalis tollatur, species habitus non manet. Porrò ratio formalis obiecti dici potest forma, quæ subiectum indeterminatum ad diuersa genera scibilitatis ad vnam contrahit, ac determinat; ita, vt sub ea non, nisi secundùm vnum modum specificum sit agnoscibile. Exempli causa, corpus animalis potest esse obiectum philosophiæ, ac medicinæ; verùm si determinetur per varias rationes, & dicatur mobile, aut sanabile, iam contrahitur ad vnam speciem scibilitatis. Quatenus enim sanabile, non est subiectum philosophiæ naturalis, sed medicinæ: quatenus verò mobile præcisè abstrahendo à sanitate est subiectum philosophiæ, non medicinæ: & ita differentiæ illæ, mobile, ac sanabile, sunt rationes formales obiectiuæ, quæ additæ corpori, trahunt illud ad specificum modum scibilitatis. Tradita autem definitio competit rationi formali completæ, quæ ex triplici ratione partiali coalescit: dicuntur autem ratio formalis, *Quæ, propter quam, sub qua:* prima dicitur ratio formalis cognita, siue terminatiua; secunda motiua, siue ratio cognoscendi.

S. Thom. Quid sit ratio formalis obiecti.

II. Porrò ratio formalis, *quæ*, nõ est aliud, quàm forma ipsa, siue ratio obiecti primarij constituens illud formaliter in eo esse, quod præcipuè scientia contemplatur: ita Aureolus. q. vltima prologi, art. 4. prima propositione. Capreolus. q. 3. art. 1. conclusione 3. & art. 2. ad argumenta contra eandem conclusionem, q. 4. art. 1. conclusione 3. Sylvest. q. 1. *Constat*, art. 12. Caiet. 1. p. q. 1. art. 3. §. *Ad euidentiam.* Lychetus. q. 3. prologi. §. *Ex his dictis*, & Canus lib. 12. de locis, cap. 3. Bonettus, lib. 1. metaph. c. 5. & Soncinas, qu. 3. prolog. conclusione 4. qua ratione sanitas est ratio formalis, quæ: nam est forma intrinseca primarij obiecti; qua sublata, quamuis manere sub alia ratione possit, non tamen manet id, quod est primarium obiectum medicinæ, nam præcisa sanitate à corpore animalis, manebit quidem corpus sub ratione entis; vel mobilis, & pertinere poterit ad obiectum metaphysicæ, vel philosophiæ naturalis, non tamen manet sub ratione formali medicinæ. Dixi esse formam obiecti primarij, quæ constituit ipsum formaliter in eo esse, quod scientia per se considerat: quoniam non est opus, vt constituat illud absolutè in suo esse substantiali, sed modò constituet in substantiali, modò in accidentali: in essentiali constituit natura subiectum philosophiæ; est enim forma intrinseca entis naturalis, quod est primarium obiectum illius: in accidentali constituit differentiam visualis lineam, cui accidit, vt sit visualis, & ex vtraque coalescit proprium obiectũ perspectiuæ, nempè linea visualis. Itaque ratio formalis, *quæ*, siue in ratione rei accidat alteri, siue non, ipsi tamen primario subiecto, quatenus subiectum est, nequaquam accidit, sed est intrinseca ratione illius.

Aureol. *Capreol.* *Sylvest.* *Caietan.* *Lychet.* *Canus.* *Bonettus.* *Soncinas.*

III. Ea verò non semper complet rationem formalem specificantem, ac distinguentem habitum: quoniam hæc ipsa ratio formalis *quæ* diuersimodè consideratur ob diuersa motiua, quibus intellectus inducitur ad assensum: vt patet in Theologia nostra, & beatorum: vtraque enim respicit eandem rationem formalem, *quæ*, nempè eandem rationem Deitatis: & nihilominus propter motiua, siue media diuersa habent obiectum formale ratione diuersum. Idcircò præter rationem formalem *quæ*, considerari debet ratio formalis qua, seu propter quam intellectus determinatur ad assensum. Et ob hanc causam hæc ipsa ratio formalis, *quæ*, interdum reducitur ad obiectum materiale, vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. vbi postquam statuit rationem formalem obiecti fidei esse primam veritatem reuelantem, cui fides innititur, tamquam medio, subdit: *Si verò consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia:* ex quibus constat ex tententia D. Thom. Deum pertinere ad obiectum materiale: & consequenter Deitatem, qua Deus constitui

S. Thom.

tui concipitur à nobis, pertinere ad obiectum materiale, nec esse rationem formalem: quod dictum licet Caiet. longo commentario exponat, volens vt D. Thom. nõ neget Deitatem esse rationem formalem, nihilominus apertè continet id, quod dixi: facilè tamen explicatur de ratione formali motiua, de qua D. Thom. loquitur eo loco: nam Deitas, vt est ratio obiectiua, quâ fides ac Theologia contemplatur, non est ratio motiua, aut medium propter quod fidelis assentitur veritati reuelatæ: & ita habetur ex sententia D. Thom. rationem formalem, *quæ*, obiecti primi, ac præcipui comparatam rationi formali motiuæ habere se quasi materialiter. Vt enim infrà dicam ex Caiet. obiectum potest considerari in genere rei, & in genere scibilis: & ratio formalis, *quæ*, constituit illud in genere rei, siue materiæ subiectæ: ratio formalis, *propter quam*, vel, *sub qua*, reponit in genere scibilis; & fieri potest, vt ratio aliqua conueniat denominatiuè subiecto, vt quædam res est, & nihilominùs sit intrinseca eidem, quatenus scibile est: & quoniam id, quod additur alteri, vt compleat id in aliquo genere, habet rationem formæ; id verò, cui additur, rationem materiæ, fit, vt ratio formalis, *quæ*, per comparationem ad rationẽ formalem, *propter quam*, vel, *sub qua*, dicatur pertinere ad obiectum materiale. Verùm quia comparata ad obiecta materialia, quæ terminant vt quod actus, & habitudinem totalis habitus, est forma constituens primum subiectum in ratione obiectiua, quam præcipuè habitus respicit, idcirco etiam appellatur ratio formalis obiecti, & hoc attendit D. Thom. cùm 1. p. q. 1. art. 7. postquam statuit Deum esse subiectum Theologiæ, subdit: *Quidam verò attendentes ad ea, quæ in ista scientia tractantur, & non ad rationem, secundùm quam considerantur, assignauerunt aliter subiectum huius scientiæ.* Ex quibus liquet ipsum voluisse assignare subiectum secundum propriam rationem. Itaque ratio, *quæ*, etiam dicitur formalis, quoniam, licet sola non sufficiat ad vnitatem habitus, vel scientiæ, si tamen diuersa sit in primarijs obiectis, sufficit ad distinctionem.

Caietan.

S. Thom.

IV. Ratio formalis, *quæ*, siue, *propter quam*, vt vocat Capreol. citatus, siue per quam, vt loquitur S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 1. & Capreol. in 3. d. 25. q. vnica, art. 3. ad 1. Aureoli contra primã conclusionem, est motiuum determinans intellectum ad certam speciem assensus. Etenim intellectus non fert vllum iudicium de veritate complexa absque ratione vera, vel apparente; & ita iuxta diuersitatem rationis sequitur diuersitas assensuum. Porrò ratio propter quam mouetur intellectus, aut consideratur materialiter, aut formaliter, vt rectè notat Sylvester, q. 1. citat. art. 10. circa solutionem ad secundum materialiter considerata, est res ipsa, vel veritas obiectiua: quam intellectus intelligit priusquam determinetur ad assensum: verbi gratia, quando mens iudicat hominem esse discursiuum, quia est animal rationale, ratio materialis obiectiua est definitio illa, siue res significata per illam propositionem, *homo est animal rationale*, formaliter cõsideratur; quando sumitur quatenus subsstat alij, atque alij cognitioni, vel lumini: verbi gratia, si illa eadem propositio consideretur nunc iudicata euidenter, ex terminis, nunc probabiliter ex ratione topica, vel fide humana, constituit aliud, atque aliud motiuum formaliter diuersum. Et quidem motiuum materiale in scientijs naturalibus sumitur ex ratione formali, *quæ*, vt cõstat ex doctrina Scoti superiore capite relata: ad quam etiam alludit Caiet. 1. p. q. 1. art. 3. §. *Ad euidentiam*, vbi sic habet: *Ratio formalis obiecti, vt res, seu quæ est ratio rei obiectæ, quæ primò terminat actum illius habitus, & ex qua fluunt passiones illius subiecti, & quæ est medium in prima demonstratione.* Si enim veritas omnis in scientia demonstrabilis pendet à ratione formali, *quæ*, primi, ac præcipui subiecti, ab ea sumi debent, saltem radicaliter, motiua materialia, & rationes assentiendi. Ab eadem quoque pendet idem motiuum formaliter sumptum, sed non ab illa sola, sed coniuncta cum lumine proportionato, ac sufficiente ad penetrandum motiuum obiectiuum: & ideò Theologi distinguunt habitus à vario lumine, sub quo mens tendit in obiectum: namque lumen diuersum gignit diuersam notitiam motiui materialis, quod sub diuersa notitia applicatum gignit actus, & habitus diuersæ rationis. Nam si principia, quibus continetur medium, siue motiuum assentiendi, cognoscantur ex terminis, assensus conclusionis, est scientificus: si verò solùm probabiliter credantur vera, assensus conclusionis erit opinatiuus: aliter enim mouent ac determinant intellectum principia euidenter cognita, aliter solùm probabiliter credita. Quare, cùm assensus conclusionis non terminetur absolutè ad illam, sed cum habitudine ad principia, ex quibus dependenter agnoscitur, ad quæ etiam per modum resolutionis, & reflexionis idem assensus terminatur, consequens est, vt pro varietate notitiæ, sub qua motiuum principij

Capreol. S. Thom. Capreolus.

Sylueſt.

Caietan.

contentum applicatur intellectui ad assensum conclusionis, ipse quoque assensus varietur. Et confirmatur. Quoniam obiectū. vtpote re ipsa absens, & solùm præsens intentionaliter per speciem sui, vel etiam notitiam antecedentem, ex qua posterior gignitur, per hæc instrumenta, tamquam semen, fœcundat intellectum ad partum scientiæ, & cuiusuis agnitionis, quæ cogitatione, ac discursu parturitur, vt loquitur Augustin. Augustin. lib. 9. de Trinit. cap. vlt. partus autem causæ indeterminatæ ad gignendas res specie diuersas à semine, habet principium suæ distinctionis, & specificationis: ideoque completum motiuum, siue ratio formalis obiectiua, à qua sumitur distinctio habituum, est veritas obiectiua medij sub diuerso lumine apprehensa, seu iudicata, & congruè proposita intellectui.

V. Tertia ratio formalis dicta, *sub quæ*, à S. Thom. D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. Caiet. Cano, vbi Canus. suprà, & alijs, vsurpatur ad declarandam totam rationem formalem distinctam à natura subiecti, siue ratione formali, *quæ*: Capreol. tamen à Capreolo q. 4. prologi, art. 2. ad argumenta Aureoli contra 5. & 6. conclusionem, & in 3. loco citato, & aliquibus recentioribus distinguitur à motiuo, siue ratione formali, *propter quam*, iuxta quam acceptionem nunc loquor. Est autem conditio aliqua requisita ex parte obiecti, sine qua nec potentiam mouere, nec eius actum terminare potest. Sunt autem plures eiusmodi conditiones ex parte obiecti. Hoc modo iuxta doctrinam D. Thom. & communem, fides exigit ex parte obiecti, vt sit non visum: opinio, vt sit non certum, scilicet ipsi, qui fidei, aut opinionis actum debet elicere: ideoque si quis habeat euidentiam naturalem, aut visionem obiecti alioquin reuelati, vel ratione topica, quam ipse habet in promptu, opinabilis, nequaquam circa illud poterit elicere actum fidei, vel opinionis. Non quia desit, obiectum materiale, aut ratio formalis, *quæ*, vt patet: non item propterea quod desit motiuum: supponimus enim obiectum illud esse reuelatum, & videnti illud constare de reuelatione, hoc autem est motiuum credendi: habere item rationē probabilem, quæ suapte natura esset alioquin apta gignere assensum opinatiuum, nisi adesset notitia eiusdem obiecti euidens, ac certa, cum qua opinio cohærere nequit; & ita haberet credendi, vel opinandi motiuum; & nihilominus ob defectū conditionis requisitæ ex parte obiecti ad eos actus, neutrum posset elicere. Nec mirum videri debet in actionibus intentionalibus interuenire id, quod accidit in realibus: has enim per se notū est impediri ob aliquem defectū conditionis requisitæ ex parte passi, vel agentis, quamuis alioquin, & agens sit præditum agendi vi, & patiens aptū recipiendæ formæ, nisi deesset cōditio, qualis in agentibus alteratiuis est approximatio. Ad hunc tertium modum rationis formalis, reducuntur pleraque à philosophis requisita ad obiecta formalia scientiarum: quæ tamen nec pertinent ad formam, siue rationem cognitam, neque ad motiuum: cuiusmodi sunt in obiectis naturalium scientiarum variæ abstractiones à materia: non enim hæ abstractiones sunt ratio ipsa formalis, quæ attingitur, aut motiuum, quo intellectus assentitur; sed conditiones necessariæ ex parte obiecti, vt terminare possit actum huius, vel illius scientiæ.

Fides exigit, vt sit non visum, opinio, vt sit nō certum.

VI. Ex his tribus rationib⁹ coalescit integra, ac perfecta ratio specifica obiecti cognoscibilis: quod, vt ait Caiet. 1. p. q. 1. ar. 3. quamuis in genere rei sit genus, potest esse species in genere obiecti scibilis, à quo habitus sumunt speciem, ac distinctionem. Hæc tamen sententia non placet aliquibus recentioribus negantibus scibile, vel cognoscibile posse pertinere ad rationem obiecti specificantē habitus, vel actus cognoscendi. Id verò probant primò. Quoniam eatenus obiectum dat speciem actibus, & potentijs, siue habitibus, quatenus hæc ad illud referuntur: non referuntur autem ad illud sumptum sub ratione scibilis, aut cognoscibilis: ergo scibilitas, siue cognoscibilitas per accidens se habet ad actus, & habitus, respectu quorum obiecta dicuntur cognoscibilia. Minor est Arist. 5. metaph. Aristot. cap. 15. afferentis scientiam non referri ad scibile, vt scibile est; nec visum ad visibile, vt visibile est, sed ad res ipsas, quę sciuntur, aut videntur: alioqui daretur circulus, & inanis repetitio in definitionibus: nam si scibile non dicitur, nisi per ordinem ad scientiam, id dicetur scibile, cuius est scientia: & rursus, si scientiam quis explicet, dicet scientiam esse eius, cuius est scientia. Secundò omne id, quod se habet ex parte obiecti specificantis, debet esse priùs, quàm actus, siue habitus, cui confert specificationem: quæ enim posteriora sunt, iam supponunt rem constitutam in suo esse, & proinde nequeunt speciem illi dare: scibilitas autē est posterior habitu, & actu, quo scitur obiectum; ergo non potest se habere ex parte obiecti specificantis. Assumptio patet, quoniam prius est scientiam terminari ad rem scitam, vt obiectū, quàm rem denominari scibilem: scibile enim dicitur

Caietan.

id, cuius

id, cuius scientia esse potest, quia est relatiuum de genere eorum, quæ auctore Arist. vbi suprà, dicuntur ad aliud, ex eo, quòd alia dicuntur ad ipsa: & proinde non re, sed solo nomine sunt relatiua.

VII. Caietan. Oppositũ latè defendit Caiet. 1. p. q. 1. ar. 3. §. *Ad euidentiam*, vbi duplicem distinguit rationem formalem obiecti, alteram, *quæ*, alteram, *sub qua*: prior est, quæ attingitur ab habitu, siue actu, secundùm quam obiectum cõstituitur in genere rei: posterior verò est talis modus abstrahendi, siue definiendi, secundùm quem constituitur obiectum in genere scibilis, aut cognoscibilis: nam obiectũ scientiæ pertinens ad duo genera, nempè ad genus rei, & genus scibilis, & posterius est velut passio prioris, vt patet ex secundo de Anima, vbi visibile ponitur passio coloris. Has autem duas rationes inter se distingui constat, quoniã multiplicata vna, nõ multiplicatur alia: etenim colores oẽs in genere rei distinguuntur specie, in genere visibilis nequaquam: contrà verò, Deus in genere rei est vna simplicissima essentia, in genere verò cognoscibilis pertinet ad diuersa genera: nã quatenus est scibilis per lumen naturale, est obiectum metaphysicæ: quatenus verò per lumẽ supernaturale reuelationis ineuidentis, est obiectũ fidei: denique quatenus per lumen gloriæ, est obiectũ scientiæ beatæ: quare, cùm ex obiecto in genere rei nõ sumatur species cognitionis, quippe cùm res eadem terminare possit cognitiones specie distinctas, necessariò sumi debet ex obiecto in genere scibilis.

VIII. S. Thom. Capreol. Hæc opinio nõ primùm à Caietano inuenta, neque doctrinæ D. Thomæ contraria est, quo nomine illam recentiores insimulant. Etenim D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 1. asserit ea, quæ specie differunt, quatenus cõueniunt in vna ratione cognoscibilis, pertinere ad vnũ habitum cognoscentem: nimirum, quando est eadẽ vtriusque cognoscẽdi ratio, vt ibidẽ explicat. Et lib. 1. Poster. Lect. 15. & 17. constituit eadẽ illa duo genera nempè prædicamentale, siue entitatiuum, & genus scibilis: eodemque modo loquitur opusculo 70. q. 5. art. 1. vbi docet scientias distinguendas per differentias scibilis, vt scibile est, & 1. p. q. 1. art. 1. ad 2. ait diuersam rationẽ cognoscibilis inducere scientiarum diuersitatem: & 1. Poster. Lect. 41. fusiùs docet materialem diuersitatẽ obiecti nõ diuersificare habitũ scientificum, sed formalem rationem scibilis; quę sumitur à principijs: & ita hanc ipsam opinionem tamquã sententiam D. Thom. sequitur Capreol. q. 4. prologi, art. 1. conclusione 3. & 6. & art. 2. ad argumenta contra 5. & 6. conclusionem, Ferrar. lib. 2. contra gentes, c. 4. Sylueſt. q. 1. cit. art. 10. ad 2. art. 12. & 16. & Canus vbi supra. Quæ vt rectè percipiatur obseruandum est, scibile sumi posse prout solùm significat denominationem quandã extrinsecam à potentia, siue habitu, cuius actus terminat: qua ratione nõ est prius potentia, vel habitus: nã quemadmodum non est prius obiectũ cognosci, vel intelligi, quàm sit actualis cognitio, vel intellectio, quæ est forma, à qua illud extrinsecè denominatur cognitum: ita nõ est prior aptitudo passiua obiecti, vt terminet actũ cognoscendi, & ab eo denominetur cognitum, quam sit potentia completa ad cognoscendum. Et quidem scibile ita acceptum, non est ratio formalis specificans actus, vel habitus, vt per se patet; quoniam nõ est prius ijsdem. Et quoniam recentiores iuxta hanc acceptionem intellexerunt sententiam Caietani, ab eius, imò D. Thomæ, & veram sententia discesserunt. Verùm ea scibilis acceptio nõ est, quam Doctores vsurpant, quãdo asserunt à ratione formali scibilis desumendam naturam, & speciem habituum intellectualium, sed alia longè diuersa, quæ antecedit actus, & habitus. *Ferrar.* *Sylueſt.* *Canus.*

IX. Vt verò id cõmodiùs explicetur animaduertendũ est obiectũ habere duas habitudines ad actus, vel habitus, qui circa ipsum versantur, nimirum principij, ac termini: termini, prout actus vltimò ad obiectum terminatur: principij, quia ab ipso, tamquã à primo motore incipit omnis actio cognoscendi. Vt enim rectè docet Scotus, q. 3. prologi. §. *Contra istud*, & Bassolis. q. etiã 3. art. 1. §. *Secundo* ad finem; Aquilanus q. 2. art. 1. in fine, obiectum comparatur ad potentiam tamquã motiuum, siue actiuum ad passum, ad actũ verò cognoscendi tamquã causa ad effectum: prima acceptio sumpta est à ratione termini, & ideò nihil mirum, si scibile, ita sumptũ non sit ratio specificatiua obiecti: posterior verò, de qua nunc est sermo, sumitur ab obiecto, quatenus est principium, siue causa actus. Etenim potentiæ oẽs cognoscentes creatæ sunt passiuæ, & prodire nequeunt in actum secundum, quin prius ex pura potentia in genere cognoscibili reducantur ad actũ primum: hęc autẽ reductio fit ab obiecto per sui speciem; & interuentu eius per consequentes notitias simplices, vel complexas per se requisitas ad vlteriorẽ notitiam. Nam quemadmodum potẽtia nudè sumpta, est solùm in potentia, & nõ in actu ad simplicem apprehensionem obiecti, ita etiam ante simplicem apprehensionẽ terminorum, quali *Scot.* *Bassol.* *Aquilan.*

opus est ad assensum euidentem principiorum, nõ est constituta in actu primo completo, vt prodeat in actũ secundum assensus principiorũ, neque ante horũ assensum euidentẽ est in actu completo ad assensum scientificum conclusionis. Et quemadmodum obiectũ mediante specie gignit primã apprehẽsionem, ita huius interuentu simul cum intellectu est causa assensus principiorum, & per hos assensus geniti discursu demonstratiuo: ergo, sicut primæ apprehensionis specificatio sumitur ab obiecto per speciem sui determinante potentiam de se indifferentẽ ad notitiam huius speciei, ita ab eodẽ sub rationibus motiuis desumenda est specificatio actuum sequẽtium. Quæ

S. Thom. est sententia D. Thom. in 3. d. 24. q. 1. ar. 1. quæstiuncula 1. Ait enim: *Quia vnumquodq; agit secundũ quod est actu, & per suam formam; obiectũ autem est actiuum in virtutibus passiuis.* hoc est, potentijs vitalibus, quas appellat virtutes passiuas, *Ideò ratio obiecti, ad quã habet proportionem potentia passiua, est illud, quod est formale in obiecto.* Ex quibus verbis colligitur rationem, siue formam, qua obiectũ cõstituitur in genere scibilis, esse illam, secundùm quàm est aptum agere in potentiam mouendo, ac determinando illam ad hanc, vel illam cognitionis speciem. Quod magis declarat in 3. d. 33. q. 1. ar. 1. quæstiuncula 1. his verbis. *In speculatiuis diuersitas materiæ, secundum quod est determinabilis per diuersa media, & principia, ex quibus est facilitas considerationis, facit diuersas scientias.* Ex qui-

Capreol. bus Capreolus, vbi suprà ante quartã conclusionẽ, concludit de sententia D. Thom. rationẽ scibilis, ex qua scientiæ specificantur, sumi ex medio, siue principio. Idẽ do-

Bonauent. cet Bonauent. in 3. d. 23. art. 1. q. 3. ad 1. & vltimum, asserens actus, & habitus diuersificari penes obiecta, nõ vt solùm sumuntur materialiter, sed prout habent rationẽ mo-

Scot. tiui, & Scot. in 1. d. 3. q. 3. §. *Ad rationes*, vbi, *Rationem*, inquit, *obiecti dico esse illã formam, secundum quã obiectũ est motiuum potentiæ*, & in simili materia de habitu charitatis idem docet in 3. d. 27. q. vnica, ar. 2. Fundamentũ huius sententiæ est, quoniã scibilitas actiua subiecti, nõ est forma ipsa, aut entitas essentialis ipsius nudè sumpta, sed sub diuersa ratione agendi, aut mouendi cõsiderata: sub ea verò habet vim completã determinandi intellectũ ad vnã potiùs speciem notitiæ, quàm ad alteram: ea verò sublata nõ habet: ergo à determinata ratione scibilitatis obiectiuæ superaddita naturæ subiecti, sumitur species, ac distinctio actuum, atque habituum intellectualium. Et quamuis hæc nomina, *scibile*, & *scibilitas*, significare videantur solã aptitudinẽ obiectiuam ad terminandũ actus scientiæ, tamen quoniam hæc aptitudo radicaliter fundatur in vi actiua obiecti ad mouendã potentiam, idcirco vtrique respectui significando accommodata sunt: nec nouum est inter philosophos, ac Theologos vsurpare similia vocabula ad significandã vim effectiuam; nã species emissas ab obiecto ad potentias sentiendi appellare solent sensibiles; intelligibiles autem eas, quæ virtute intellectus agẽtis à phantasmatis abstrahuntur. Ita verò nõ appellantur ab aptitudine passiua, vt sentiantur, vel intelligantur, nã sensibiles iuxta verioré sententiam nõ agnoscuntur à sensibus externis, intelligibiles autẽ licet ab intellectu percipiantur, nõ per se primo dicuntur intelligibiles in ordine ad se, verùm in ordine ad obiectum, quod reddunt actu intelligibile: sic itaque appellantur ex vi actiua, quam conferunt potentijs ad obiectorũ cognitionem: & hac eadem ratione obiecta dicuntur scibilia, ex vi, quã habent, vt moueant, ac determinent potentias ad sui ipsorum cognitionem.

X.

Ad secundum argumentum neganda est assumptio; quã auctoritas Aristotelis minimè probat, imò ex eo loco colligitur oppositum: nã in principio capitis Arist. scibile numerauit inter relatiua tertij generis: postea verò in fine captis, ait ea quę pertinent ad duo priora genera, dici relatiua eo, quod ipsa sint ad aliud, non verò ex eo, quòd aliud sit ad ipsa: deinde verò addit, *Mensurabile autem, & scibile, & intelligibile eo, quòd aliud ad aliud dicitur.* Ex quibus verbis constat scibile ideò inter relatiua numerari, quia scientia est ad ipsum: & hoc modo intellexit philosophũ D. Thomas, q. 7. de potentia, art. 10. ad 5. nã in argumento simpliciter opponit scientiã referri ad scibile realiter de sententia Philosophi 5. metaph. atque adeò Deum ratione scientiæ habere relationẽ realem ad creaturas. Si verò hoc falsum crederet, absolutè negaret, quod nõ facit, sed assignat discrimen inter scientiam Dei & nostram: quia scientia Dei est causa, & mensura rerum: res autem sunt causa, & mensuræ scientiæ nostræ: & ideò scientia Dei nõ refertur realiter ad res, nostra verò maximè: idemq; docuerat in corp. ar. Neq; verum est, quod in argumento obijcitur, scientiam nõ referri ad scibile: nã Arist. ait scibile esse ex eo genere relatorũ, quæ talia dicuntur ex eo, quòd aliud dicatur ad ipsa: nihil autem est, quod dicatur ad scibile sub ratione scibilis, quàm scientia. Neque ex hoc sequitur inanis repetitio, nã scibile dicitur, cuius est scientia, in qua explicatione

Aristot. *S. Thom.*

scientia dicitur ad scibile; si verò deinde quæratur, quid sit scientia, iam explicari nō debet per scibile; tunc enim cōmittitur nugatio. Et hic est planus sensus Arist. Sed hæc relinquamus philosophis exactiùs declaranda. Addo verò ad solutionem argumenti, tametsi scientia referatur ad ipsum obiectum materiale, tamen, cùm id ita sumptum, sit aptum terminare varias habitudines, opus esse exquirere propriam rationē dependentiæ, ac terminationis scientiæ ad illud: hæc autem est scibilitas actiua, qua id constituitur in certa, ac determinata specie rationis formalis obiectiuæ. Secundi argumēti assumptio quoque neganda est: ad probationē negandū est antecedens, nam quomodocumque scibile sumatur, falsum est scientiā prius ad ipsum actu terminari, quàm id sit scibile: & in primis, si sumatur prout solùm dicit aptitudinē passiuam, vt intelligatur; etenim, vt ait D. Thom. 1. p. q. 13. art. 7. ad 6. *Sciri est simul natura cum scientia: at verò scibile prius natura est, quàm sciri:* omnis enim aptitudo est prior actu, ad quē dicit nō repugnantiam: atque adeò erit etiam prius natura, quā sit scientia, & ad ipsum terminetur. Si verò sumatur in secūda acceptione, qua inuoluit actiuam causalitatē scientiæ, res est perspicua, cùm omnis causa sit prior effectu. Ad confirmationem sumptā ex Arist. respondeo in primis auctorē huius argumenti secum pugnare: nam superius dixerat scientiam nō esse relatiuum ad scibile, modò verò ex ipsius Arist. dictis colligit oppositum. Deinde respondeo, etsi scibile nō esset relatiuum reale, de quo Philosophi diuersa sentiunt, sed solùm secundum dici, & modus explicandi scientiam ad ipsum sumatur ex determinatione extrinseca, iuxta priorem acceptionē, nō proinde sequi carere ipsum vi actiua determinādi intellectum, & specificandi habitus ipsius: quę importatur secunda acceptione, & in qua consistit ratio formalis subiecti in genere scibilis.

S. Thom.

Subiectum attributionis Theologiæ, non est actus meritorius, aut res vila creata.

Caput III.

I. EXpositis terminis, ad rem veniamus. Incipiam verò ab obiecto materiali primario, excludendo prius opiniones falsas, vt deinde veram statuam. In primis excludenda est sententia cuiusdā Roddentonis, quam refert, & impugnat Toletan. q. 7. prologi, art. 3. contra tertiam conclusionem, asserentis habitum Theologicum nullum habere subiectum, sed terminum tantum, cui inhæret, quia non est habitus cognitiuus. Quod fundamentū inane est: nam si per habitum cognitiuum intelligit iudicatiuum, qui sit causa assensus, falsum assumit, vt tractatu 1. cap. 8. ostendi: si verò intelligit euidentem, verum dicit, sed nihil concludit; ad rationem enim subiecti non requiritur euidentia: sed solum vt aliquid de ipso affirmetur, vel negetur. Reiecta hac sententia duæ aliæ se offerunt, quæ statuunt præcipuum subiectum Theologiæ rem creatam: altera est Hugonis Victorini in prologo lib. 1. de sacramentis cap. 2. asserentis esse opera restaurationis; altera Durandi volentis, vt sit actus meritorius: quæ ferè in idem recidunt; nam, quamuis opera restaurationis latiùs pateant, quàm actus meritorius, hic tamen, & illa sunt res creatæ, & effectus Dei, non Deus. Et ita conueniunt quatenus creaturam constituunt subiectum Theologiæ, & ijsdem ferè rationib⁹ probari possunt: & ideò omissa sententia Hugonis, de opinione Durandi dicam, ex cuius confutatione poterit Hugonis sententia confutari.

Roddent.

Hug. Victor.

Durand.

II. Porrò Durandus q. 5. prologi iuxta varietatem habituum Theologicorum assignat obiecta: tres autē habitus agnoscit, primum fidei, secundum declaratiuum sacræ Scripturæ, tertium deductiuum conclusionum ex reuelatis. Et primi, atque postremi subiectum ait esse opus meritorium, seu actus salutares ordinabiles ad beatitudinē, secundi verò Deum. Priorem partē suadet à nu. 9. vsque ad vndecimum. Primò illud est subiectum cuiusuis doctrinæ, cuius cognitio est finis proximus eiusdem: sacræ verò doctrinæ finis proximus est actus meritorius: ergo & subiectum. Maiorem propositionem explicat: quoniam, licet scientia practica habeat alium finē simpliciter à cognitione obiecti, non tamen habet alium proximū: speculatiuæ autē idē est finis simpliciter, ac proximus. Sic explicatam probat: quoniam in omni doctrina cognitio subiecti secundum se, & secundum ea, quæ ei attribuuntur, quęritur tanquam finis proximus. Assumptionem suadet ex sententia Pauli 2. ad Timoth. 3. *Omnis doctrina diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus:* ex quo patet institutionem de bono opere, quod est actus meritorius vitæ æternæ, esse finem saltem proximum sacræ doctrinæ: nihil enim dicitur vtile, nisi in ordine ad finem. Secundò, id est, subiectū doctrinæ, quod primò, ac præcipuè in ea consi-

Actus meritorius quomodo Theologiæ subiectum.

2. ad Tim. 3.

deratur; & ad quod cætera omnia, quę in ea traduntur, attributionē habent: hoc autem maximè cōuenit actui meritorio reſpectu Theologiæ: ergo is eſt ſubiectum. Aſſumptionem oſtendit: quoniā omnia, quæ proponuntur nobis credēda in tota ſacra Scriptura à principio Geneſ. vſq; ad finē Apocalypſis, ſi excipiantur ea, quæ tradūtur de Deo in ſe, vel de Deo incarnato, cętera, inquam, omnia clarā habent attributionē ad opus meritorium: nā vel ſunt præcepta benè operandi, quæ decalogo continentur, quantùm ad ius naturale, & alijs Scripturæ locis, quantùm ad ius poſitiuum; vel ſunt exempla bonorū operum, quæ cōtinentur libris hiſtorialibus: vel monita ſalutaria, quæ continentur libris ſapientialibus: vel præmia, ac pœnæ, quæ benè, aut malè operantibus proponuntur in prophetis: & idē per ſingula videre eſt in nouo teſtamento: hæc autē omnia habent claram attributionē ad opus meritorium. Quæ verò, inquit, traduntur de Deo, eandem habent attributionem, quoniam nō proponuntur nobis præcipuè propter cognitionem, quam habemus per fidem: hæc enim eſt ineuidens, & imperfecta, cui ex parte noſtra non repugnat, vt ſit nō verorum. Traduntur verò propter actū meritorium: tū quia fidei actus cum debitis circumſtantijs eſt meritorius: tum quia proponuntur, vt regula benè agendi. Et hoc quantùm ad articulos de Deo incarnato, colligitur ex illo

Ioan. 20. Ioan. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei viui, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius,* & ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus:* accedit quod ipſa incarnatio, vita, paſſio, & reſurrectio Chriſti fuerunt exemplā, & incitamenta operis meritorij. Quamuis autem articuli circa Trinitatem perſonarum non ita expreſsè videantur attributionem ad opus meritorium, tamen ſuo modo habent; tum quia ipſum credere eſt actus meritorius, tum quia notitia Trinitatis eſt neceſſaria ad fidem incarnationis, quæ maximè reſpicit opus meritorium.

III. Huic doctrinæ obiecit Durand. nu. 12. Theologiam in hac ſignificatione non diſtingui à fide, huius autem ſubiectum non eſſe actum meritorium, ſed Deum: nam articuli reuelati, qui principaliter ad credendum proponuntur in Symbolo, nō ſunt de actu meritorio, ſed de Deo. Reſpondet autem fidē accipi poſſe vel in toto ſuo ambitu, quo amplectitur omnia prorſus reuelata: vel preſſius, prout ea ſolum myſteria reſpicit, quæ habent ſecundū ſe maiorem dignitatem, & difficultatem: vt ſunt quæ continentur in Symbolo, & dicitur fides articulorum. Et priore, inquit, modo ſumpta eſt idē, quod Theologia in prima acceptione: & habet idem, quod illa ſubiectum, nempè actum meritorium: poſteriore verò modo, habet pro ſubiecto Deum, de quo ſunt omnes ferè articuli. Verùm ipſi quoque articuli habent attributionem ad opus meritorium, vt patet ex ſecundo argumento, & Symbolo Nicen. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Sicut igitur ſcientia nautica, quamuis cōſideret aſtrorū motus, non habet illa pro ſubiecto, ſed nauigationem: quoniam ea ipſa ſyderum cōtemplatio ad nauigandum dirigitur: ita, quamuis fides, ſiue Theologia conſideret myſteria difficiliora articulis contenta, non hæc erit ſubiectū illius, ſed actus meritorius, quoniam ad hunc ipſa diuinarū perſonarum, & verbi incarnati notitia dirigitur.

IV. Vel Deus quatenus eſt habitus.

Poſteriorem partem ſuæ ſententiæ, nempè Deum eſſe ſubiectum Theologiæ, quatenus eſt habitus, quo defenduntur ac declarantur ea, quæ fides docet, & Scriptura continet, probat. n. 13. quoniam ſubiectum ſcientiæ eſt ſubiectū in concluſione principaliter ſcita: hoc autē in Theologia ſic accepta eſt Deus: ergo is eſt ſubiectū Theologiæ in hac ſecūda acceptione. Aſſumptionē probat: quoniam ſoli articuli de Deo, & incarnatione verbi indigent declaratione, ac definitione: atqui veritates ijs cōtentę, ſunt principales concluſiones illatæ in Theologia: quibus poſitis, cæteræ, quę ad opus meritorium pertinent, facilè deducuntur, & agnoſcuntur: & ideò Scriptura, quoad hæc nō indiget defenſione, ſed ſolùm quoad priora, quæ ſunt veluti principia horū. Quod attinet ad Theologiam deductiuam num. 21. idem cenſet, quod de fide; quoniam idem eſt ſubiectum principiorum, & concluſionis: nam ſemper in concluſione ſubijcitur minor extremitas, quę etiā ſubijcitur in aſſumptione: in omni autē Syllogiſmo deductiuo, ex principijs reuelatis articulus fidei ſubit locum aſſumptionis, & conſequenter idem eſt ſubiectum, de quo oſtenditur maior extremitas concluſionis Theologiæ, & quod continetur in principio fidei. Quoniam verò fidei habitū conſiderauerat latè, ac preſsè: & ſaltem hoc ſecundo modo eius ſubiectum Deum eſſe dixerat, vt à Theologia deductiua hunc etiam modū excludat, affirmat nullius ſcientiæ eſſe proprium, vt deducat concluſionē ſpeculatiuā ex articulis: quia talis deductio

nihil

nihil, vel parum perficeret intellectum: atque ita Deum non esse per se subiectum Theologiæ deductiuæ: sed actum meritorium, cuius cognitio practica p se queritur in Theologia, & ex reuelatis deducitur.

V. Fidei & Theologiæ idem est subiectum.

Hæc doctrina Durandi, quatenus asserit idé esse subiectum fidei, & Theologiæ, vera est, & communiter recepta. Ita docent Alens. 1. p. q. 1. m. 3. S. Thom. 1. p. q. 1. art. 7. cum Caietano, Henricus in Summa, art. 19. q. 1. in fine corporis & ad 2. Richardus, q. 6. prologi, Scotus, q. 3. §. *Ex dictis patet*, Bassolis, q. 3. a. 2. §. *Contra fides*. Bachon. q. 3. art. 2. §. 1. Argent. q. 1. ad 2. argumentũ ex 1. loco positis, & Capreol. q. 4. art. 1. conclusione 5. Fundamentum est quoniam idem est subiectum primum scientiæ, & principiorum ipsius: at habitus fidei est habitus principiorum Theologiæ: ergo si Deus est fidei subiectũ, erit quoque Theologiæ. Quoad alia, opinio Durandi est singularis, neque firmo nititur fundamento. Etenim, vt ipsemet cõcedit, in quauis scientia primi subiecti cognitio præcipuè intenditur: at tâ in fide, quàm in Theologia non intéditur prẽcipuè notitia actus meritorij: ergo is nõ est vtriusque subiectum. Assumptio ostenditur: namque eius cognitio per fidé prẽcipuè intenditur, quod Christianis omnib' credendũ proponitur: at veritates Symbolo cõtentæ exhibentur omnib' credendæ: hæ verò sunt speculatiuæ de Deo vno, & Trino, & Verbo incarnato, nõ autẽ practicæ, de actu meritorio, vt idemmet Durand. admittit: ergo cognitio Dei, non verò actus meritorij per se, primo & prẽcipuè per fidem, & Theologiam intenditur. Secundò ad præcipuum subiectũ debẽt habere attributionẽ cætera omnia, quę pertinent ad considerationẽ habitus, vt dictũ est superius, c. 1. & ipse Durand. admittit: cętera verò, quæ traduntur in sacris literis, vel in Theologia docentur, nõ habent attributionem ad actũ meritorium: ergo hic nequit esse primũ, prẽcipuumq́ue subiectum. Assumptio patet, quoniam ex eo, quod cognitio aliqua speculatiua possit esse actus meritorius, vel occasio eius exercendi, nõ habetur sufficiens attributio ad ipsum tamquam ad subiectum; cognitio verò eorum, quæ in Scriptura, ac Theologia speculatiuè traduntur, nõ aliter habere potest habitudinem ad actum meritorium, quàm altero ex his duobus modis: ergo non datur attributio cæterorũ ad actum meritorium sufficiens, vt hic sit primum fidei, Theologiæq́ue subiectũ. Maior propositio ostenditur, quandoquidẽ contemplatio naturalis attributorum diuinorum relucentium ex operibus Dei naturalibus, si adsint aliæ circumstantiæ requisitæ, potest esse actus meritorius in se, & occasio alterius actus meritorij, nimirũ amoris Dei: nec tamen propterea Deus, quatenus eiusmodi notitiam terminat, habet attributionẽ ad actũ meritorium. Ea verò, quæ in sacris literis speculatiuè traduntur, non aliter habere sufficientem attributionem ad actũ meritorium, patet in primis ex ipsa probatione Durandi, qui solas has duas causas assignat: deinde verò, quoniam omnis attributio ad praxim, tamquam subiectum scientiæ, debet subesse notitiæ practicæ, ne dicamus obiectum speculabile, qua tale est, pertinere ad scientiam practicam: at notitia Trinitatis, & cæterarum veritatum speculabilium diuinitus reuelatarum non est practica, neque per se ad opus dirigitur, vt ostendam Tractatu 5. c. 9. ergo eius subiectum sub ea consideratione habere nequit attributionem ad opus meritorium. Et ita ex oppositio fundamento eius, quod Durand. statuit, ipsius sententia repellitur. Non enim, vt ipse sentit, Theologia est solùm practica: sed simpliciter speculatiua, vt dicam loco indicato.

Alens.
S. Thom.
Caietan.
Henric.
Richard.
Scotus.
Bassol.
Bachon.
Argentin.
Capreol.

VI. Iam verò distinctio, qua vtitur inter Theologiam declaratiuã, siue defensiuam & deductiuam, est aliena à communi sententia, & ratione: doctores enim communiter admittunt Theologiam deductiuam versari tam circa diuina, quàm circa temporalia: neque parua est vtilitas, quæ ex ea sumitur agnitis plurimis veritatibus virtualiter contentis in ijs, quæ sunt formaliter reuelatæ: quas tamen ignorant ij, qui carent habitu Theologiæ deductiuæ: nec video cur, si in alijs scientijs acquisitio scientiæ nouæ conclusionis contentæ virtute in principijs, est egregius fructus studij, nõ sit etiam suauissimus fructus agnitio plurimarum veritatum de rebus diuinis, quæ nõ sciuntur explicitè, nisi studio, & opere Theologiæ deductiuæ: atq; adeò, si Theologia defensiua est habitus, cuius primum, ac præcipuum subiectum est Deus, cur non idẽ quoque erit subiectum Theologiæ deductiuæ. Ratio vero eius supponit falsum, nempè defensiuam versari solùm circa diuinitatis articulos: nam si recenseantur hæreses ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad nostra tempora exortæ, non pauciores, imò plures inueniuntur circa res creatas, quàm circa Deum, personasq́ue diuinas: quibus refellendis, & veritate Catholica explicanda, atque tuenda enituit industria Theologorum. Itaque vtraque Theologia defensiua nimirum, ac deductiua per eosdẽ

articulos, per eadē genera discurrit; & consequenter habere debet idē subiectum primum, ac præcipuum: declaratiuæ autē subiectum, vt ipsemet concedit, non est actus meritorius, ergo neque deductiuæ. Denique discursus probatiuus, vel defensiuus articulorū fidei non alias conclusiones habet, quàm reuelatas: ergo si illæ in se referuntur ad praxim, & habent attributionē ad actum meritorium, eandem habebunt etiam, quādo explicantur, ac defenduntur: probatio enim, vel defensio non extrahit illas à ratione, ac fine, quo reuelatæ sunt: vel si quatenus terminant respectū habitus defensiui, nō habent eam habitudinem, vt vult Durādus neque secundū se habebunt.

VII. Primum argumentum quidam soluunt dicendo, nō esse de ratione subiecti primi, vt eius cognitio sit finis habitus. Sed hoc negari nō potest: nam quod primo intenditur in scientia, est scire: & hoc distinguitur practica ab speculatiua, quòd hæc contenta sit cōtemplatione, vt vltimo fine, illa ad vlteriorem dirigatur: & D. Bonauent. Scotus, & alij, quos retuli tractatu 2. c. 1. cōcedunt, finē coincidere cū notitia proprij obiecti: atque adeò proprius, ac præcipuus finis scientiæ erit agnitio primi ac prēcipui subiecti. Itaque cōcessa maiore propositione negāda est assumptio. Ad confirmationē eius sumptā ab auctoritate Apostoli respondeo docere, ac arguere posse esse actus doctrinæ speculatiuæ docētis, vt superius ex D. Thoma interpretāte eundē locū dixi: duo verò reliqua verba *Corrigere*, ac *Erudire*, referri ad practicam: cùm verò Theologia sit minùs principaliter practica, nil mirū si ex hac parte referatur ad actū meritorium: ex hoc tamen nō efficitur actū meritorium esse prēcipuū Theologiæ subiectū, sed vt plurimùm habere locū inter secundaria, ac minus præcipua: quod sat est, vt Scriptura dicatur, *vtilis ad erudiendū, vt perfectus sit homo Dei*. Argumenti secundi assumptio negāda est, omnia verò illa, quę in eius cōfirmationē adducuntur, solùm probant ad actū meritorium reduci quędā per se, quædam occasionaliter, & per accidens, nō verò omnia per se, & ex intētione ipsius habitus fidei: hæc enim, cū sit virtus Theologica, præcipuè circa Deū versatur. Id verò, quod dicitur, scilicet ea, quæ de Deo in sacris literis traduntur, non esse præcipuè reuelata eo fine, vt credantur, sed propter actū meritoriū, dupliciter exponi potest: primùm ita, vt sensus sit, reuelata esse præcipuè propter opus meritoriū ab eorū notitia mēsurandū, & hoc est falsum: nā fides Trinitatis, ac reliquorū mysteriorū speculabiliū nō per se regulat actus meritorios: hoc autē op° erat vt esset attributio ad actū meritorium. Si verò sensus sit, ideò reuelata esse, vt homo credēdo mereretur, verū est: nā Deus omnia reuelauit, ac fecit, vt credētes vitā habeamus in nomine eius: sed hoc nō est ordinari fidem ad opus meritorium, quatenus notitia est, sed quatenus actus quidā humanus est: quemadmodū si pater filium doceat metaphysicam, vt is discens exerceat actū virtutis studiositatis, eoque mereatur apud Deum, cōtemplatio speculatiua filij pertinet ad actum meritorium, vt actus humanus studiosus: quod non tollit quo minùs, quatenus notitia est, terminetur ad obiectū speculabile, & sub ea ratione scibilitatis nō habeat attributionem ad actū meritorium, ita prorsus Deus quidem reuelauit obiecta speculabilia pertinentia ad Deitatem, voluitque vt homo credendo mereretur, tamquam per actum studiosum, nō tamen proinde reuelata habēt attributionē ad actū meritorium, tamquam ad subiectū præcipuum eiusdē habitus: imò propter se ipsa cognoscūtur; adeò enim excellens res est tā sublimia mysteria etiā ineuidēter agnoscere, vt hæc cognitio solùm propter se ipsam expeti possit, vt re vera expetitur: nā Deus posset absque notitia S. Trinitatis, per fidē iustificare, & glorificare hominem; & tamen voluit eam nobis eommunicare etiam propter ipsam notitiam in se.

VIII. Ad duas rationes, quibus ostēditur hæc referri ad actū meritorium, patet solutio ex dictis. Ad primā quidem, quoniam, vt iam dixi, ex eo, quod notitia sit actus meritorius, non habet attributionem ad illud, vt ad subiectum eiusdē habitus. Ad secundum verò, quoniam fides S. Trinitatis non est per se regula agendorum: quamuis autē fides regulas agendi prēscribat, id habet secundum minùs præcipuam partem sui, & ideò nō sequitur, vt prēcipuum subiectum sit actus meritorius. Auctoritates verò, quas ad hoc institutum adducit, solùm ostendunt finē extrinsecum fidei intentum à Deo agente, esse salutem nostram, nō verò finem proprium ipsius fidei, ac Theologiæ, quatenus sunt notitiæ quædā obiecti: vt fusius exponam in tractatu de ratione practica, vel speculatiua Theologiæ: quæ verò hoc modo referuntur, nō habent attributionem, qualem exigit subiectū scientiæ practicæ. Ratio verò attributionis articulorū S. Trinitatis ad opus meritorium nō est apta, vt ex dictis constat: quia nō sat est notitiā ipsam esse opus meritoriū: neq; esse necessariā ad percipiendū mysterium

incarna-

incarnationis, quod ipsum non est opus meritorium: neque ad illud attributionem habet per se, sed solùm ex intentione Dei operantis.

IX. Denique solutio obiectionis tradita à Durãdo nõ satisfacit: nã si fides, vel Theologia eorum, quæ habent maiorem excellentiam, speculatiua est absque attributione ad actum meritorium, & habet Deum p subiecto, sanè, cùm horũ notitia sit magis expetibilis, & non minus necessaria singulis, quàm omnis notitia fidei practica, vt ipse cõcedit, dicendum omninò est præcipuum obiectũ fidei, ac Theologiæ nõ esse actũ meritorium: quandoquidẽ nõ est subiectum prẽcipuarum conclusionum; quod ipse requirit ad rationẽ præcipui subiecti: exemplũ verò, quo vtitur, non tollit difficultatem. Nauta enim nõ considerat astra, & faciem cœli, qua nauta, sed qua astrologus, ac philosophus naturalis, quib. scientijs nautica ex parte subalternatur: &, quamuis postea ea cognitione vtatur, tamquam assumptione ad colligendam conclusionem practicã ex principio alio nautico practico, illa tamẽ secundũ se est verè speculatiua, & nullius praxis immediatè regulatiua.

Præcipuum subiectum Theologiæ est Deus.

Caput IV.

I. EXpendendum nunc est, vtrũ Deus sit primum subiectũ Theologiæ. Pars negans suadetur in primis ex Philosopho lib. 1. Poster. c. 23. asserente scientiam omnem esse vnius generis subiecti partes, ac passiones considerantem: Deus autẽ partium, & passionũ expers est: quare subire nequit rationem subiecti. Secundò omnis habitus discursiuus de aliquo subiecto procedit, aut per causam, aut per effectũ ad demonstrandũ aliquid de illo: Theologia neutro modo procedere potest: non per causam, quia diuina carent omninò causa: & si quis dicat sat esse, vt procedat ratione aliqua à priore, quales sunt in diuinis, non expedit nodũ: namque vt hoc modo procederet, opus erat habere cognitionẽ definitiuam Dei, in quam reduci debet notitia omnis à priore; hanc autẽ in via nõ habemus, vt per se patet: imò si haberemus, euidẽter agnosceremus omnia, quæ per fidem, ac Theologiam obscurè cognoscimus: atque adeò euacuaretur fides, & Theologiæ via ab illa dependens. Non procedere autẽ ab effectu constat, quoniam mysteria, quæ pertinent ad Trinitatem personarũ, & ad consilium, & decreta libera voluntatis diuinæ nobis per fidem reuelata, ex nullo effectu creato possunt innotescere: ergo, cùm Theologia circa illa versatur, nõ potest discurrere ex effectis. Tertiò primum subiectũ continere debet virtute veritates oẽs pertinentes ad habitum, cuius est subiectum, non quocumque modo, sed ita, vt ad ipsum, & eius definitionem, tamquã ad primã rationem cognoscendi resoluantur omnes: Deus autem nõ cõtinet hoc modo veritates omnes in Theologia agnoscibiles: ergo nõ est subiectum Theologiæ. Maior propositio habetur ex doctrina tradita: explicatio verò modò addita est etiam ad mentem ipsorum, & ratione constat: nam, si, vt res aliqua sit subiectũ cuiusuis habitus, sat est, vt sit quomodocumque causa veritatũ pertinentium ad illud, Deus esset primum subiectũ omniũ scientiarũ: oẽs enim veritates ad quamuis scientiam, vel habitũ spectãtes sunt à Deo tamquam à vera, & prima causa ipsarum. Assumptio verò ostẽditur: namque vt veritates aliquæ resoluantur vltimo in aliquid, tamquã in primum subiectum, necessariò resolui debent in vnum principium complexum, cõstans eodẽ subiecto: assensus enim discursiuus nõ resoluitur immediatè in terminos simplices, sed remotè per assensum principij complexi: nõ datur autẽ vnũ principium reuelatũ constans termino, *Deus*, loco subiecti, in quod oẽs conclusiones Theologiæ resoluantur: ergo neque in Deum resoluuntur. Minor propositio huius Syllogismi probatur: nã discursus Theologicus pro diuersitate materiæ resoluitur vltimo in propositiones immediatè reuelatas: hæ autẽ sunt diuersæ, quas omnes nõ opus est constare termino, *Deus*, neque Theologi est principia ipsa reuelata vlterius resoluere. Et cõfirmatur, quoniam soli assensus euidentes resoluuntur vltimò in terminos simplices: ineuidẽtes enim nõ oriuntur ex simplici apprehẽsione terminorum: assensus autẽ Theologici sunt ineuidentes, vt cõstabit inferius: nõ ergo possunt vltimò resolui in Deum simplici apprehensione cognitũ. Denique ex sententia Arist. lib. 3. metaph. textu 12. de singulari nõ est scientia: Deus autẽ singulare quid est: nõ ergo potest esse obiectum scientiæ. *Aristot.*

II. Dico primùm. Deus est primarium subiectum Theologiæ. Ita Alens. 1. p. q. 1. m. 3. docens materiam Theologiæ, secundum rationem essentiæ, quæ principaliùs cognoscitur, & ad cuius notitiam aliorum cognitio ordinatur, esse diuinam substantiam. Albert. in 1. d. 1. art. 2. & tract. 1. Summæ, quæst. 3. m. 1. S. Thom. 1. p. q. 1. art. 7. & q. vnica prologi, art. 4. ad 1. & in 2. script. q. 1. art. 2. Bonauent. q. 1. Ægyd. 1. p. prologi, *Alens.* *Albert.* *S. Thom.* *Bonauent.* *AEgyd.*

Aristot. Deus an Theologiæ possit esse subiectum.

Tarantas. Scot. Heruæus. Argentinat. Capreol. Gerſon. Carthuſian. Henric. Richard. Aureol. Ocham. Baſſol. Aquilan. Bachon. Toletan. Gregor. Conrad. Caietan. Canus. Hiſpalenſ. Soncinas.

prologi.q.3.in 2.d.1.p.1.q.1.art.1.2. & 3. & Quodlib.3. q.2.Petrus de Tarantaſia apud Carthuſianum, q.4. prologi. Scot.q.3.à §. *Ex dictis patet.* Heruæus, q.7. & Quodlib. 9.q.5.art.2.& art.3.ad 1.Argent.q.1.Capr. q.4. concluſione 5. Ioannes Gerſon, 4. p. tractatu de concordia metaphyſicæ alphabeto 20. Litera Z. Dionyſ. Carthuſianus lib. 1. fidei orthodoxæ, art. 2. §. 2. Henricus, Richardus, Aureolus, Ocham, Baſſolis, Aquilan. Bachon, Toletan. Gregor. Conrad. Caietan. Can. Hiſpalenſis, & Soncinas citandi, c.5. & 6. Sumitur verò ab ipſa nominis etymologia: eſt enim Theologia, vt ſupra dixi, ſermo, ſiue ratio de Deo: quo argumento vtitur D. Thom. 1.p.q.1.art.7. Scot. q.3. prologi in principio, Richard. q. 6. & cæteri communiter: nec ſatisfacit ſolutio Durandi, q.5. prologi, nu.27. qui reſpondet non ſemper denominationem habitus ſumi à formali ratione ſubiecti: ſed quandoque ſumi à digniore. *Et quia in opere noſtræ ſalutis dignius eſt illud, quod eſt ibi ex parte Dei, quàm quod eſt ex parte noſtra, ideò Theologia, quæ eſt ſcientia noſtræ ſalutis, denominatur à Deo.* Verùm nondum diſputo de ratione formali, ſed de præcipuo ſubiecto: quod in Theologia Deum eſſe colligo, ex nominis etymologia: nõ enim ſumunt ſcientiæ denominationẽ à quocumque digniore, ſi ad ſubiectum habeat ſe extrinſecè, vt Deus reſpectu operis meritorij in ſententia Durandi. Si verò dignior eſt Deus in ratione ſubiecti, profectò de ipſo præcipuè diſputare Theologia debet, peruerſus enim ordo eſſet ex pluribus ſubiectis ad eundẽ habitum pertinentibus, ex inſtituto, ac præcipuè cõſiderari ea, quę imperfectiora ſunt, illud verò, quod excellentius eſt, minùs præcipuè, ac ſecundariò, & cũ attributione ad alia. Accedit, quod ſenſus ſapientium facultatẽ hãc Theologiam nuncupantiũ, fuit aſsignare inchoatã quamdã eius definitionem: hoc autem fit nomine ipſo indicando præcipuum, ac primum ipſius ſubiectum.

III. Secundò Deus, vt agnoſcibilis notitia diſcurſiua ex principijs reuelatis, eſt ſubiectũ per ſe agnoſcibile abſq; attributione ad aliud, & eſt radix, ſiue principiũ cognitionis reliquorũ p attributionẽ ad ipſum: ergo erit ſubiectũ primũ Theologiæ, cuius eſt cõcluſiones ex principijs reuelatis eruere. Conſequentia patet, quoniã ex cõmuni omniũ ſententia, ea eſt ratio primi ſubiecti, vt eius ſcientia per ſe intẽdatur, cęterorum verò in ordine ad ipſum. Antecedens quoad priorẽ partẽ oſtenditur, quoniam Deus ſecundũ ſe, eſt ſubiectũ ſpeculabile, & independens à quouis alio ſubiecto, quo ad veritatẽ obiectiuam: ergo poteſt terminare notitiam ſpeculatiuã circa ipſum præcipuè intentam abſque attributione ad aliud ſubiectũ: alioquin neque eſſe primũ ſubiectum, Theologiæ Dei, ac beatorũ; quod eſt falſum, vt idemmet Durand. admittit, q.5. prologi, n.25. Verùm reſpondebitur, etſi Deus ſecundũ ſe ſit ſubiectũ ſpeculabile, & eius cognitio per ſe primò intẽdi queat, tamen, prout ex reuelatione intelligibilis eſt, non, niſi in ordine ad creaturã intelligi. Sed reſponſio eſt voluntaria: vel enim eo modo ſolùm intelligitur, quia repugnat aliter intelligi: vel quia de facto veritates diuinæ nõ per ſe primò, aut propter ſe reuelãtur, & indagãtur, ſed ſolùm per attributionẽ ad creaturam, vt videtur ſentire Durand. vbi ſuprà. Primum nõ eſt dicendũ: nã quemadmodũ beati habent ſcientiam de Deo, tamquam de primo obiecto, ſic Deus reuelare potuit eaſdẽ veritates, quas illi agnoſcunt, ita vt nõ eſſet vlla differentia quoad ſubiectum, *Quod*, ſed quoad rationẽ formalem, & modum cognoſcendi: quia quod illi ſub lumine gloriæ, & repræſentatione immediata ipſius eſſentiæ, euidẽter agnoſcerent, viatores ſub lumine fidei, & reuelatione obſcura ineuidẽter crederent: hoc autẽ poſito, & fides, & Theologia vtens principijs reuelatis præcipuè intẽderent agnitionem Dei abſq; attributione ad aliud. Secundum quoque non eſt dandum: namque ea fides, quam haberemus de myſterijs diuinis, ſi Deus reuelando cõmunicaret nobis notitiam diuinorũ propter ſe, nõ eſſet alterius ſpeciei ab ea, quã nunc habemus: neque magis, aut minus ſuapte natura ordinaretur ad rem creatam, quàm modò: ergo, ſi tunc intenderetur per ſe primò propter ipſum Deum agnoſcendum, modò etiam quantum ad ipſam attinet, eundem haberet ordinẽ proprium, atque intrinſecum, quamuis ex decreto Dei extrinſeco referatur ad opera meritoria. Hæc enim exterior directio, vt capite præcedenti dixi, non mutat propriam, atque intrinſecam habitudinem habitus ad ſubiectum.

Durand.

IV. Tertio fides, ac ſcientia noſtra eſt imago quædã, ac ſimilitudo ſcientiæ Dei, ac beatorum: hęc autẽ eſt de Deo tamquã de proprio, ac primario obiecto: ergo & Theologia viatorum. Antecedens oſtenditur, quoniam, vt ait D. Thom. 1.p.q.1.art.3. ad 2. Henricus in Summ. art.19.q.2.ad 2. Baſſol. quæſt. 3. prologi, art. 2. §. *Contra fides*, & Canus lib.12. de locis, cap.2. Theologia viatorum eſt quędã veluti impreſsio ſcientiæ diuinæ, ſignante Deo mentes ſigillo reuelationis, & luminis ſupernaturalis:

S. Thom. Henric. Baſſol. Canus.

item,

1. ad Cor. 13. item, quod nos obscurè, beati clarè vident, vt constat ex illo Pauli 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* quæ contrapositio non esset apta, si vtraque visio non sit eiusdem obiecti, item ex illo eiusdem Apostoli: *Nunc cognosco ex parte, tunc autẽ cognoscam sicut & cognitus sum:* loquitur autem de cognitione Dei, qu im in via per fidem habemus imperfectam: itaque Theologia nostra, & beatorum cõueniunt in obiecto cognito, differunt autem penes lumen, ac modum videndi. Hoc argumentum conatur dissoluere Durandus, vbi suprà, negando maiorem propositionem, ac dicendo Theologiam beatorum, & nostrã differre etiam penes obiectum, *quoniam scientia,* inquit, *beatorũ est præmium, & vltima felicitas: ideoq; eius obiectum est Deus sub ea ratione, qua potest explere capacitatem naturalem intellectus, quod nulla creatura, aut ratio attributalis potest efficere:* at Theologia, quã de Deo in via habemus, dirigit nos ad actum meritorium: ideoque non est principaliter de ipso Deo: quam solutionem indicat. n. 15. citato. Quæ responsio, quatenus supponit aliquid diuinum latere viatores, quod videant beati, verissima est. Si verò neget id ipsum, quod illi clarè vident, nos per fidẽ agnoscere, falsissima est: nec ea videtur mẽs Durandi, sed solùm, quòd visio beata de eodem obiecto, cuius est fides, non dirigitur ad actum, sicut fides. Verùm neque ita assignatur discrimen sufficiens: neque enim visio Dei est minus apta dirigendo actui amoris, religionis, ac cæterorum, quos beati exercent in patria, quam fides dirigendis actibus meritorijs: quare, si ex illo minimè sequitur Deum nõ esse subiectũ primum, ac per se visionis beatæ, neque etiam sequetur nõ esse primum obiectum fidei. Ex eo enim, quòd in patria non sit actus meritorius, nõ tollitur quo minus sit actus dirigibilis à notitia beata, saltem occasionaliter, quemadmodũ actus meritorius in via dirigi potest, à notitia speculatiua S. Trinitatis: atque adeò, sicut visio Dei; quia suapte natura nõ est præcipuè propter vllã operationem, sed ipsa habet rationẽ vltimi finis formalis, est Dei sicut primi, ac præcipui obiecti: ita fides, quamuis ex parte, qua est practica, respiciat secundariò opus; quatenus tamen est cognitio summæ, ac primæ veritatis per se expetibilis, per se primò, ac præcipuè respicit Deum absque ordine ad creaturas. Deniq; in sacris literis, & Theologia per se primò traduntur ea, quę pertinent ad naturam Dei, hypostases, attributa, operationes, vt vel mediocriter in sacris studijs versatus dignoscere potest: primũ verò subiectũ illud est, cuius per se natura, ac proprietates inuestigantur, ac sciuntur.

V.

Dico secundùm. Cætera, quæ veniunt in considerationẽ Theologicam, pertinent ad subiectũ secundarium per attributionẽ ad Deum. Asseritur ab ijsdem auctoribus. Probatur autẽ ex illo Ioan. c. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei.* Ex quibus cõstat cætera in Euangelio scripta fuisse in ordine ad fidem, ac notitiam filij Dei, quæ est vna persona S. Trinitatis: atq; adeò creata omnia, verbi gratia, miracula, conciones Christi, & his similia, quæ in libro Euangeliorum referuntur, nõ aliter ad fidem pertinere, quàm per attributionẽ ad Deum; cuius notitiam in nobis promouere possunt. Deinde, quidquid sacris literis traditur, habet attributionẽ ad Deũ tamquam ad causam finalem, exemplarem, & efficientem, & cõducit ad ipsius perfectiones manifestandas: nõ enim scriptor sacer res purè humanas, ac naturales propter se ipsas enarrat, sed quoniã ex ijs elucent perfectiones diuinę propter admirabiles, multiplicesque effectus ipsarum, vel quoniam erant vmbræ, ac figuræ operũ supranaturalium, qui peculiari modo referuntur in Deum. At, inquiet aliquis, etiam omnia, quæcumque alijs doctrinis, & historijs traduntur, habere attributionẽ ad Deum: nec tamen propterea eorum considerationem pertinere ad Theologiam: quare nõ sat esse attributionẽ, vt creaturæ pertineant ad obiectũ secundarium. Respondeo disparem esse rationem: nam hic non quęrimus, quænã pertineant ad subiectũ Theologiæ: sed supposito pertinere, inquirimus, pertineantne ad primarium, vel secundarium. Porrò certũ est fidẽ esse de rebꝰ diuinis, & creatis, & Theologiam circa easdẽ discurrere: hoc verò posito dicimus Deum esse subiectum primarium, creaturas secundarium: quoniam hæ non, nisi per attributionem ad Deum, veniunt in considerationem Theologicam. Cur autem res aliæ creatæ, quæ non nituntur reuelatione diuina, non pertineant ad Theologiæ subiectum constabit; cùm sermo erit de ratione formali obiecti Theologici.

Ioan. 20.

Deus est subiectũ primarium Theologiæ creaturæ secundarium.

VI.

Id verò hic est notandum, nullã omninò attributionẽ creaturæ ad Deum sat esse, vt reducatur ad subiectũ Theologiæ, nisi adsit attributio ad primã veritatẽ reuelãtem: hac enim posita iã notitia Dei, vel creaturæ habita ex motiuo reuelationis, est alterius ordinis ab ea, q̃ ex principijs naturalibꝰ habetur: & cõsequẽter creatura obiecta menti sub lumine reuelationis diuinæ, est apta

nata

nata gignere notitiam eius Theologicam: vt enim rectè notauit Scotus, q. 3. prologi, §. *Aliter tamen*, eademmet historia relata à Moyse, si à prophano auctore referretur, haberet diuersum subiectum, quia quatenus à Moyse describitur, subiectum eius est Deus, quatenus verò à prophano scriptore esset, regni administratio, bella, & similia: & quamuis Scotus sentire videatur Deum per se propriè esse subiectum omnium, quatenus in ijs continetur, quomodo Deus mundum condiderit, humanum genus gubernauerit, miracula ediderit, & similia: non tamen hoc est necessarium: nam, licet huc tandem spectent eiusmodi historiæ, id, quod formaliter narratur, interdum est res purè humana, vel naturalis, pertinens tamen per attributionem ad Deum: ad cuius maiorem notitiam perscribitur. Rationes huius attributionis numerat, & explicat Richard. q. 6. prologi, reducit autem ad quinque capita iuxta diuersitatē operum diuinorum. Est enim opus creationis, administrationis, restaurationis, sanctificationis, ac retributionis, ad quæ reuocantur omnia creata quæ sacris literis continentur, vt ibidem deducit. Ad alia quinque capita reuocat omnia Aureolus q. vltima prologi, art. 4. propositione 2. singula vero horum inseruiunt agnoscendæ naturæ, perfectionibusque diuinis, vt colligitur ex dicto Ecclesiastici 43. *Consummatio sermonum ipse est*: quasi scopus omnis doctrinæ diuinitus reuelatæ sit ipse Deus, cuius agnitio per se primò, & præcipuè intenditur: qua comparata sit acquisitus finis sermonum diuinorum.

Scot. *Richard.* *Aureol.* *Eccles. 43.*

VII. Ad auctoritatem Philosophi respondeo in primis cum Alensi. 1. p. q. 1. m. 1. ad vltimum ipsum loqui de scientijs naturalibus, quarum subiecta habent partes saltem subiectiuas: quod non est necessariò requirendum in scientia alterius generis, cui alioquin non desunt passiones, quæ ostendantur de subiecto. Henricus in summa, art. 19. q. 1. ad 4. Scotus, q. 3. prologi. §. *Ad primum argumentum primæ quæstionis*, Aureol. q. vltima. art. 5. ad 1. argumentum ex 5. obiectis, & Bassol. q. 3. §. vltimo nituntur aliquo modo tueri in Deo Philosophi dictum, dicunt enim personas diuinas habere se modo aliquo ad instar partium subiectarum: nam, licet Deus sit singulare subiectum non multiplicabile in plura, ratione tamen eiusdem singularis Deitatis reperitur in singulis personis. Hoc tamen nihil refert ad rationem partium subiectarum, quæ suapte natura exigunt diuersitatem in natura. Cùm verò in Deo sit id, ratione cuius in subiecto naturalium scientiarum requiruntur partes, non propterea excludi debet à ratione subiecti, quia partibus caret: nam partes ideò requirit Philosophus in subiecto, quoniam scientia totalis non vna, vel altera demonstratione, sed plurium aggregatione perficitur: & ideò opus est, vt subiectum constet partibus, de quib⁹ variæ passiones demonstrentur. Deus autem propter eminentiam entitatis, ac perfectionis, & propter virtualem distinctionem suorum attributorum continet innumeras veritates complexas de ipso demonstrabiles, quarum aggregatio est sufficiens ad constitutionem scientiæ totalis. Quod attinet ad passiones, respondetur cum S. Thoma in 2. scripto. q. 1. art. 2. ad 2. & Henrico citato, quamuis Deus non habeat propriè passiones, habere tamen aliquid loco passionum, scilicet attributa, quæ secundum nostrum modum intelligendi consequuntur substantia Dei.

Henr. *Scotus.* *Aureol.* *Bassol.*

In Deo singulæ personæ partes dici non possunt.

S. Thom. *Henric.*

VIII. Secundum argumentum tangit difficultatem inferiùs explicandam: nimirum vtrum in Theologia sint discursus, *quia, & propter quid*: nunc tamen breuiter respondeo formaliter nec esse, *quia, nec propter quid*: nam demonstratio, *propter quid*, procedit ex notioribus natura: demonstratio, *quia*, ex notioribus nobis secundum sensum, vel experientiam: at discursus Theologicus semper procedit ex notis lumine reuelationis diuinæ: atque adeò nō habet eam differentiam, quæ per se requiritur ad discursum, *quia, vel propter quid*: materialiter verò vtroque modo discurrit Theologia: nam modò ex effectu reuelato discurrit ad causam nō reuelatam, modò ex causa reuelata procedit ad effectum non reuelatum. Hoc posito respondeo maiorem propositionem non esse veram, si demonstratio, *propter quid, aut quia*, formaliter accipiatur: nam qui ex fide humana discurrit, nec habet propriè, ac formaliter discursum quia, nec propter quid. Si verò sumantur materialiter cōcedenda est, negandaverò assumptio, vt constat ex dictis. Probatio verò, quia confirmatur, solùm procedit de demonstratione quia, & propter quid formali: ad has enim requiruntur ea, quæ in argumento recensentur; namque ad materialem sat est, vt ex causa, vel aliqua ratione priore cognoscatur effectus, vel ex effectu cognoscatur causa: siue causa in priore cognoscatur ex terminis, siue non: siue etiam in posteriore cognoscatur effectus per experientiam, siue non. Ad ea tamen, quæ videntur ostēdere,

Theologus quomodo discurrit quia & propter quid vtatur.

neque

neque eiusmodi discursus materiales per causam, & effectum in Theologia reperiri, respondeo, esto perfectionum diuinarum non sit vlla causa, esse tamen alias rationes aliarum nostro modo intelligendi priores: ideoque satis esse ad discursum, *propter quid*, vt fusius loco citato exponam. Deinde quamuis Trinitas personarum ex effectis creatis nō possit ostendi, Theologum tamen posse circa illā discurrere, modò à priore, si procedat à principijs ad principiata: modo à posteriore, si ab his ad illa discurrat. Denique, quamuis ex effectibus naturalibus non possint ostendi consilia, ac decreta Dei supranaturalia, tamen quemadmodum ex effectibus, quos videmus, cognoscere possumus ex parte prouidentiam Dei voluntariam in ordine naturæ, ita ex effectibus supranaturalibus reuelatis venire possumus in notitiam actuum liberorum Dei: nā quod habemus ex fide dicente Christo. Ioan. cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* posset Theologus agnoscere per discursum, posita reuelatione incarnationis verbi propter nostram salutem, colligendo æternum Dei amorem erga nos ex tam singulari beneficio. *Ioan. 3.*

IX. Ad tertium respondendum est, requiri quidem ad primum subiectum, vt contineat veritates omnes spectantes ad habitum, vel adæquatè, vel saltem radicaliter, ac remotè modo superius explicato: non tamen requiri, vt omnes resoluantur ad eius notitiam simplicem, nisi quando habitus euidens est, vt Scotus aduertit. At verò habitus fidei est ineuidēs, sicut & Theologicus, neque nititur absolutè visione intellectus, sed extrinseco testimonio: & consequenter nō est opus, vt notitia Theologica resoluatur in simplicem apprehensionem subiecti. Respondetur etiam suo modo resolui in Deum, quatenus & ipse est prima causa omnium rerū creatarum, quę secundariò pertinent ad Theologiam, & in ratione motiui vltima tandem resolutio fit in ipsum, saltem quatenus sapiens, ac verax est. Vltimum argumentum non magis probat Deum non posse esse subiectum fidei, vel Theologiæ, quàm pleraque alia reuelata, quæ vt plurimum singularia sunt. Respondeo autem cum Richardo, quæst. 6. prologi ad 4. & Gregor. q. 4. art. 2. in fine, Philosophum intelligendum de ijs singularibus, quæ corruptibilia sunt, neque habent proprias passiones sibi, & nō alijs connaturales: Deus autē est ens maximè necessarium, & perfectum, solus ipse vendicans perfectiones omnes simpliciter, quæ de ipso discursiuè aliæ ex alijs ostendi possunt, vt rectè notat Bassol. q. 5. prologi, art. 2. condit. 1. Et idcirco ex eo, quod sit ens singulare, non desinit esse aptum subiectum habitus Theologici. *Richard. Gregor.* *Bassol.*

Ratio formalis, *quæ*, subiecti Theologici non est respectiua.

Caput V.

I. Dictum est de primario subiecto, *quod*, nempè Deo: restat dicendū sub qua ratione terminatiua veniat in considerationem Theologicam. Deus autem considerari potest sub ratione adæquata, continente perfectiones omnes, ac rationes formales ipsius absolutas, & relatiuas, quæ est Deitas: vel sub aliqua ratione particulari inadæquata, quæ duplex esse potest: vel absoluta, vt ratio sapientiæ, vel respectiua, quæ etiam duplex est: vel ad intrà vnius personæ ad alteram, vel ad extra totius S. Trinitatis ad creaturas. Fu[illegible]em inprimis quorundam sententia[illegible]id Bassol. q. 3. prologi, art. 2. §. *Expradi*[illegible]sentientium verbum diuinum esse præcipuum Theologiæ subiectum: atque adeò iuxta horum sententiam ratio, sub qua Deus consideratur à Theologo, erit respectiua ad intra, suaderi autem potest ex Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est filius Dei.* Quibus verbis indicatur totam narrationem Euangelicam esse[illegible]filio Dei, secundum specialem ration[illegible]lij. Accedit illa sententia Apocalypsis v[illegible]o. *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis*, nempè Scripturæ reuelatæ. Secundò ratione. Quoniam eadē est ratio terminatiua, *quæ*, fidei, & Theologiæ nostræ, ac scientiæ diuinæ, & beatorum: huius autem ratio terminatiua, *quæ*, est verbum diuinum: ergo & nostræ. Assumptio ostēditur, quidquid enim Deus intelligit, in Verbo diuino intelligit; neque ad vllam rem notitia eius terminatur aliter, quàm si sit expressa, & repræsentata secundùm esse intellectum in Verbo diuino: & beati dicuntur videre Verbum, & res in Verbo: ergo sub eadem ratione fides, ac Theologia nostra cōsiderat obiecta Theologica. Et confirmatur, quoniam ratio motiua sumitur à ratione terminatiua, *quæ*: sed ratio motiua fidei, quę est Verbum Dei externum, sumitur à Verbo Dei interno, & æterno; idcirco enim externum est infallibile, quia conformatur interno: vndè in c. 1. Ecclesiastici habetur. *Fons sapientiæ verbū Dei in excelsis*; ergo ratio filiationis

Verbum diuinū secundum quosdā præcipuè Theologiæ subiectum. *Bassol.* *Ioan. 20.* *Apocal. vlt.* *Eccleſiaſt. 1.*

Verbi æterni est, quæ per se attenditur in subiecto Theologiæ.

II. Hæc sententia quatenus solam filiationem æternã statuit præcipuam rationem, quæ terminat habitum, ac notitiam Theologicam, singularis est. Namque, vt rectè notat Scotus, q. 3. prologi. §. *Ex prædictis*, fides, ac Theologia non minus versatur circa Patrem, & Spiritum, quàm circa filium: &, quamuis notio diuinarum personarum non statim ab initio ita explicitè hominibus reuelata fuerit, omnium tamen perspicua traditio, & contestatio habetur in sacris literis: & quidẽ ab initio in veteri testamento Patris persona multis modis reuelata fuit, atque adeò eius notitia communior erat apud Iudæos, vt conijci potest ex illis verbis Christi. Ioan. 8. *Pater meus, quem vos dicitis, quia Deus vester est*, nam si non fuisset specialis aliqua notio Patris magis, quàm Filij, ac Spiritus sancti, non magis illum, quam duas alias personas Iudæi dicerent suum esse Deum. In Euangelio autem omnium trium personarum distinctio, ac notio perspicuè tradita est, nam cum æterno Patre Christus loquens Ioan. 17. *Pater*, inquit, *manifestaui nomen tuum hominibus*, se ipsum verò sæpè contestatus est Patrem habere Deum, imò & Pater ipse testimonium perhibuit, *Alius*, inquit, nempè Pater *testimonium perhibet de me*. Ioan. 5. Iam verò de Spiritu sancto sæpè mentionem intulit Christus, saltem poſtremo tempore vitæ, ac prædicationis suæ. Dicere tamen possumus Euangelio præcipuè intendi notitiam personæ filij, in actib⁹ verò Apostolorũ ex instituto traditur notitia Spiritus sancti. Verùm quamuis peculiaribus libris huius, vel illius personæ notio præcipuè intendatur, tota tamẽ doctrina reuelata nõ vnius, vel alterius, sed omniũ trium personarũ in vnitate essentiæ cognitio docetur. Secundò, cætera reuelata, quæ in Scriptura, vel Theologia considerantur, nõ habent attributionẽ ad propriã rationẽ filij, qua distinguitur ab alijs personis: ergo hęc nõ est prę-cipua ratio formalis, *quæ*, subiecti Theologici. Consequentia patet ex suppositione facta c. 1. nempè, de ratione præcipui subiecti, quod constituitur intrinsecè ratione formali, *quæ*, esse, vt ad ipsam habeant attributionẽ cætera, quæ sub eundẽ habitum cadunt. Antecedens verò ostenditur, quoniam attributio omnis creaturæ ad Deum fundatur in aliqua ratione causalitatis: Verbum autẽ Dei nõ habet ex propria ratione filiationis rationem causalitatis ad creaturam, sed ea est personis omnibus cõmunis: ergo filiatio æterna non est ratio, *quæ*, subiecti Theologici. Et quod de filiatione dictũ est, intelligi etiam debet de Paternitate, ac spiratione actiua, vel passiua: nulla enim ratio Dei ad intra, per se sola est adæquata ratio formalis, *quæ*, terminatiua subiecti Theologici.

III. Testimonium D. Ioannis in confirmationem contrariæ sententiæ adductum, nõ intelligitur de omnibus omninò, quæ in Euangelio scripta sunt: sed solùm de signis quæque miraculis, vt cõstat ex ipso Euangelij textu, sic enim habet. *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt*, nempè signa, *vt credatis, quia Iesus Christus est filius Dei*: signa verò præcipuè scripta sunt ad manifestandam Christi diuinitatem: conciones autem eius multa de Patre, ac Spiritu sancto continebant. Respondeti quoque poterit, etsi in Euangelio peculiari ratione tradatur notio verbi diuini, nõ proinde sequi filiationem esse rationem, *quæ*, terminatiuam totius doctrinæ reuelatæ. Ad aliud eiusdẽ Ioan. testimonium ex Apocalypsi respondetur, frequenter ea, quæ sunt omnib⁹ personis communia, tribui vni nõ ad alias excludẽdas, sed ad illius Deitatẽ ostendendã: sic dicitur. Iob 26. *Spiritus eius ornauit cœlos*. Iob 26. & Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, nec tamen à fabrica, & ornatu cœlorum, aut ab immensitate, & præsentia ad omnem locum excluditur persona Patris, ac Filij, ita cùm Filius ait, *Ego sum alpha, & omega*, non excludit alias personas diuinas, sed suam Deitatem testatur. Argumenti verò assumptio est neganda. Cuius confirmationi, vt respondeatur, obseruãdum ex dictis rationem obiectiuam, *quæ*, debere esse saltem nostro intelligendi modo priorem, secundũ esse intelligibile scientia, qua percipitur: & ita id, quod se habet ex parte esse intellecti, siue conceptus, qua tale, non posse vllo modo dici rationem formalem terminatiuam, *quæ*, nã esse intellectum, siue verbum à notitia procedens, non est illa prius. Hoc posito, respondeo cum distinctione antecedẽtis: nam si sensus sit, Deum quidquid intelligit, intelligere per se primò, in verbo diuino, tamquam in ratione intelligibili, *quæ*, negandum est: se enim, & essentiam, imò & creaturas non intelligit in Verbo tamquã in ratione terminatiua, *quæ*, hæc enim per se primò est essentia diuina continens formaliter perfectiones omnes diuinas, creaturas autẽ virtualiter, Verbum verò ratione præcisè filiationis non continet eas: & ita Verbum sub propria ratione, non est instar speciei intelligibilis rerũ omnium nostro modo intelligendi

gendi præcedens intellectionem diuinam: si verò sensus assumptionis sit, nó aliter Patrem intelligere res, quàm expressas in Verbo, tamquam in conceptu dicto per intellectionem, vera est admodum, in materia de Trinitate explicandum: sed in hoc sensu non probat institutum: quoniam, vt notaui, ratio conceptus est posterior intellectione, neque est forma obiecti, quod intelligitur: alioquin omnium scientiarum ratio obiectiua, *quæ*, esset conceptus, quo subiecta intelliguntur, non verò forma ipsorum, quod est apertè falsum.

IV. Id verò, quod obijcitur circa scientiam beatorum, explicandũ est lib. 3. nunc dico Verbo tribui aliqua per appropriationem, quæ sunt cõmunia Sanctissimæ Trinitati; & quia Verbum procedit per modum intellectus, ea, quæ ad intellectum pertinent, illi tribuuntur: & hoc modo beati dicuntur videre res in Verbo, cùm tamẽ propria ratio videndi sit essentia cognita. Ad cõfirmationem respondetur, veritatẽ primam, quæ interuentu reuelationis est prima ratio motiua assensus, esse propriam Deitatis personis omnibus communem, & per appropriationem accommodatã filio ob rationem assignatam. In forma neganda est assumptio, si propriè accipiatur Verbum prout conuenit soli filio: non enim ab eo solùm sumitur Verbum externum Dei, & eius infallibilitas, sed propriè ab intellectione essentiali Dei; quæ est veritas prima in cognoscendo, in quam tandem resoluitur veritas reuelationis, vt in materia de fide traditur. Tamen quia Verbum procedit per modum sapientiæ, idcirco progressio, siue cõmunicatio omnis cognitionis nó solùm supranaturalis, sed etiã naturalis Verbo appropriatur, ad quem sensum exponitur locus ille Scripturæ.

V. Excluſa ratione relatiua ad intrà, restat vt explicem, cõsistat ne ratio formalis, *quæ*, subiecti Theologiæ in ratione respectiua ad creaturas communi omnibus personis. *Durand.* Durandus, q. 5. prologi à num. 16. vsque ad 20. existimat Theologiæ articulorum non esse Deum subiectum sub ratione absoluta, sed respectiua ad creaturas, nempè sub ratione saluatoris: ad quam sententiam aliqui trahunt etiam Hugonem de Sancto Vict. cùm dixit, *opera restaurationis esse subiectum, hoc est Deum, sub ratione restauratoris.* *Hug. Vict.* Deum esse Theologiæ subiectũ sub ratione restaurationis quidicant. Addùcit autem Durand. tria argumenta: primò probat non esse Deum subiectum sub ratione absoluta, duobus alijs esse sub ratione saluatoris. Primum est. Idem, & sub eadem ratione est subiectum fidei, ac Theologiæ quoad substantiam: Deus sub ratione absoluta non potest esse fidei subiectũ: ergo neque Theologiæ. Assumptionem ostendit, quoniam fides secundum specialem materiam articulorum nó est de aliquo scibili demonstrabili in statu viæ: de Deo autem secundum rationem absolutam possunt in via plura demonstrari: exempli gratia esse vnum, esse substantiam intellectualem, & similia: quare Deus sub ratione absoluta non est subiectum Theologiæ. Secundum illa est ratio subiecti habitus, quæ in illo principaliter attenditur, & consideratur, & quæ continet alias fundamentaliter, & per illas explicatur: ratio Saluatoris est huiusmodi, hæc enim principaliter in fide intenditur; numquam enim etiam in statu innocentiæ, vel post lapsum fuit fides, quin explicitè fuerit de saluatore, non sic autem de alijs: deinde continet alias fundamentaliter, quod patet in ijs, quæ pertinent ad mysteria incarnationis, mortis, resurrectionis, & similium: quibus exponitur quomodo Deus salutẽ nostram operatus est: ipse quoque S. Trinitatis articulus continetur implicitè in ratione Saluatoris propter determinationẽ personæ redemptoris. Tertium est, Deus sub ea ratione est subiectum fidei, ac Theologiæ articulorum, sub qua maximè habet habitudinem ad opus meritorium, hanc verò habet sub ratione Saluatoris: sub hac igitur est fidei, & Theologiæ subiectum. In hanc etiam opinionem recidunt tres opiniones asserentes Deum esse subiectũ huius scientiæ, vel secundum quod est *α, & ω, principium, & finis:* pro qua aliqui referunt Albertum, *Albert.* vel sub ratione glorificatoris: quæ tribuitur Ægydio, *Ægyd.* & Gregorio: vel sub ratione veri summè diligibilis: pro qua refertur Argentinas: *Gregor.* qui tamen non locuti sunt in sensu Durandi, vt ostendam, c. 7. *Argentin.* Hæ sententiæ secundum sensum verborum acceptæ, quatenus scilicet significant Deum sub rationibus respectiuis ad creaturas esse subiectum Theologiæ, ijsdem ferè rationibus ostendi, & eodem modo impugnari possunt, & à multis specialiter impugnantur. Ego verò, quoniam de omnibus his est eadem ferè ratio, nihil de singulis particulariter dicam, sed quod de ratione Saluatoris dictum erit, de cæteris similiter intelligo.

VI. Deus sub nulla ratione ad creaturas est subiectũ Theologiæ.

Dico itaque, Deus sub nulla ratione ad creaturas est subiectum Theologiæ. Hæc est communis Doctorum. Ita expressè docent Henric. in sum. art. 19. q. 1. ad 1. & q. 2. in cor. Scot. quæst. 3. prologi. §. *Contra istas.* Heruæus, q. 7. Aureol. q. vlt. art. 3. Ocham. q. 9. litera BB. Bassol. q. 4. art. 1. §. *Secundo probo.* *Henric.* *Scot.* *Heruæus.* *Aureol.* *Ocham.* *Bassol.*

Aquilan. Bachon. Toletan. Capreol. Gabriel. Maior. Sylueſt.

probo. Aquilan. q. 2. art. 3. Bachon. q. 3. art. 2. §. 1. Toletan. q. 7. art. 2. concluſione 2. Capreol. q. 4. art. 2. ad argumenta Gregorij contra 5. concluſionem, Gabriel q. 9. art. 2. poſt 3. concluſionem, Maior. qu. 7. dub. vlt. & Sylueſt. q. 1. Conflati. art. 16. Eam nonnulli recentiores confirmant hac ratione. Glorificator, Saluator, aut quoduis aliud eiuſmodi attributū additū Deo, habet rationem prædicati, ſiue paſſionis: hoc enim complexum: *Deus Saluator*, ſupponit enunciationem, qua Saluator tribuitur Deo, vt prędicatum: at verò ſubiectum ſcientiæ debet eſſe incomplexum, de quo aliquid enuncietur. Quæ ratio, vt proponitur, non habet vim, non enim ſubiectū ſcientiæ ita debet eſſe incomplexum, vt excludat complexionem ex ſubiecto, & forma attributali, vel accidentali: nam linea viſualis eſt ſubiectum perſpectiuæ, & & eſt complexum ex ſubiecto, & accidente; atque adeò, ſi aliundè non concluditur oppoſitum, ex hoc capite non repugnat Deum ſub ratione attributali Saluatoris eſſe ſubiectum Theologiæ. Aliter proponitur hoc argumentū ab antiquis Theologis in hunc modum. Paſsio, ſiue proprietas, quæ per ſe oſtenditur de ſubiecto non eſt ratio terminatiua, *quæ*, eius ſcientiæ, quæ illam de ſubiecto demonſtrat: at ratio glorificatoris, aut cuiuſuis alterius reſpectus ad creaturas, per ſe oſtēditur de Deo in Theologia, vt patet: ergo nequit eſſe ratio, ſub qua conſideretur. Maior propoſitio oſtenditur, quandoquidē Syllogiſmus, quo talis paſsio demonſtratur, ſi verè pertinet ad eam ſcientiam, debet eſſe de ſubiecto illius ſub propria ratione formali; & procedere ex proprijs eius principijs; at quando paſsio demonſtratur iam ſupponit ſubiectū conſtitutum ſaltē prius natura per diſtinctā rationē formalem, *quæ*, quare repugnat, vt ſit paſsio demonſtrabilis, & ratio formalis, *quæ*. Et ita videmus in perſpectiua nō probari lineam eſſe viſualem, ſed ſupponi.

VII. Huic argumento aſſignari poteſt triplex ſolutio, 1. negando maiorem, & reddendo inſtantiam: namque corpus mobile eſt ſubiectum philoſophiæ, & nihilominus mobile eſt prædicatum, quod in eadem ſcientia de corpore demonſtratur. Secunda, dicendo non eſſe abſurdum, ſi, quod eſt prima ratio terminatiua ſubiecti modo aliquo à poſteriore, vel etiam à priore in aliquo genere cauſæ demonſtretur. Quo modo *Ariſtot.* Ariſtot. lib. 2. de anima, c. 2. vnam definitionem animæ per alteram demonſtrauit: & tamen definitio, ſiue quidditas animæ eſt ratio formalis, quæ attenditur in ſpeciali illo tractatu librorum de anima. Tertia denique negando rationem Saluatoris, aut glorificatoris probari per ſe in Theologia, tamquam proprietatē ſubiecti ipſius: ſed cum nō ſit alia ſcientia, ad quam ſpectet probare ſubiectū Theologiæ, ipſa id probat: quomodo reſpondere debent etiam ij, qui rationem formalem ſubiecti dicunt eſſe Deitatem: quandoquidē Theologi etiam probant Deum eſſe.

VIII. *Albert.* Nulla harū ſolutionū ſatisfacit. Non prima, quoniam, vt docet Albertus, & recentiores Philoſophi initio Phyſicorum, mobile, quod dicitur eſſe ratio formalis, *quæ*, ſubiecti philoſophiæ naturalis, nō ſumitur pro proprietate, ſiue aptitudine ad motū, quæ radicatur in natura ſubiecti: ſed pro intrinſeca differentia, ſiue natura entis mobilis, hoc eſt, corporis de prædicamento ſubſtantiæ, ex quo habet ortum mobilitas, quæ eſt proprietas: ſi quis autē velit corpus mobile, quatenus ipſam mobilitatē includit, eſſe ſubiectū philoſophiæ naturalis, reſpondebit mobilitatē nō oſtēdi per ſe in ea ſcientia, ſed ſupponi. Secunda quoque ſolutio non eſt idonea; nam, licet interdum, quādo res habet varias definitiones, poſsit altera per alteram demonſtrari, tamē ſubiectū ſumitur ſub propria ratione eius definitionis, quæ ſumitur vt medium ad demonſtrandā alterā: at in diſcurſu Theologico, quo ratio Saluatoris prædicatur, aut oſtenditur de Deo, neceſſariò ſumi debet Deus ſub alia ratione, quæ noſtro intelligendi modo ſit prior, quàm ratio Saluatoris: atque adeò hęc nō poteſt eſſe ratio; ſub qua Deus eſt ſubiectū Theologiæ: accedit quod ex ratione Saluatoris probari nequeunt quā plurima per ſe ad Theologiam ſpectantia. Denique nec tertia ſatisfacit: nā in Theologia non probatur Deum eſſe, quaſi exiſtentia ſit paſsio, & proprietas ipſius: ſed cōtra peruicaces probatur ipſum eſſe ſubiecti: quod non ſupponit aliud ſubiectum; & non probandum, ſed ſupponendum erat. At ratio Saluatoris eſt proprietas concepta per modum attributi aduenientis Deo tamquam ſubiecto, & ideò diſcurſus, qui oſtenditur, ſpectare per ſe debet ad aliquam ſcientiam, vel habitum: non ad alium, quàm Theologicum: ergo Theologiæ ſubiectum non includit per ſe rationem Saluatoris.

IX. *Scot. Aureol. Baſſol. Aquilan.* Secundò Scotus, Aureolus, Baſſolus, & Aquilan. vtuntur hoc argumento. Theologia eſt habitus realis: ergo nō eſt de Deo ſub ratione reſpectus ad extra. Prius pronunciatum recipitur ab omnibus. Conſequentia probatur. Quoniam de ſubiecto

sub habitudine rationis non potest esse scientia; omnis enim respectus Dei ad creaturas, vtpote ex tempore adueniens, est rationis: quare fieri nequit, vt sub ea ratione sit Theologiæ subiectum. Quidam negant maiorem propositionē huius Syllogismi dicentes, non opus esse ad scientiam realem, vt sit de subiecto sub ratione reali: quod quidem verum est, si loquamur de ratione concomitante, non terminatiua, vt infrà dicam: non tamen, si loquamur de ratione, *quæ*, terminatiua, vt in præsentiarum sermo est, & loquitur Durandus: nam, licet de subiecto rationis possit esse aliquis habitus de vna, vel altera conclusione, scientia tamen totalis, qua demonstrentur veræ & multiplices passiones, nulla est: nam metaphysica, & physica sunt de subiecto reali, vt perspicuum est; idem quoque patet de philosophia morali, & de quauis scientia, & arte practica, quæ opus respicit. Mathematicæ verò omnes sunt de quantitate, quæ ens reale est: non est autem vlla præterea scientia, quæ his nō subalternetur; subalternatæ verò conueniunt ex parte in subiecto cum subalternantibus, & addunt proprietatem aliquam realem, vt musica supra numerum addit sonum, qui est ens reale: & ita in hac sententia non solùm consentiunt Scotus, & Bassol. sed etiam Toletan. quæst. 7. prologi, art. 2. & alij. Aliter responderi posset cum Bassolo dicendo Theologiam non considerare Deum sub ratione Saluatoris, quasi relatio ipsa rationis formaliter sit, quæ est intrinseca subiecto, ac terminatiua habitus, & actuum ipsius: sed fundamentaliter quoad absolutam perfectionē Dei, quam sequitur, quæ est realis. Hanc responsionem impugnant aliqui, dicentes illud fundamentum respectus non esse aliud, quàm essentiam diuinam; atque adeò, si ita intelligatur opinio non differre à communi. Quæ obiectio nō infringit responsionem: nam ad diuersitatem obiectiuam sat est distinctio virtualis: at eadem met essentia diuina, quatenus principium sanctificationis, & glorificationis distinguitur à semetipsa, quatenus primum ens, & substantia est: quare ex hoc principio non euincitur rationem Saluatoris, aut alteram eiusmodi non pertinere per se primò ad subiectum Theologiæ.

Scot. Bassol. Toletan.

X. Tertiò probatur, & meo quidem iudicio rectè à Toletan. & alijs vbi suprà in hunc ferè modum. Theologia est nobilissima scientia ex parte obiecti, non erit autem, si sit de Deo sub ratione respectiua ad creaturas: ergo est sub ratione absoluta. Maior propositio est cōmuniter recepta: assumptio ostēditur, quandoquidem conceptus Dei sub ratione respectiua ad creaturas non est perfectissimus eorum, qui haberi in via possunt de Deo: quare scientia habita de Deo sub ratione perfectioris cōceptus, esset nobilior Theologia nostra. Itaque cōcludo, cum perfectissima cognitio de aliquo subiecto cæteris paribus sit ea, quę habetur de illo sub ratione obiectiua perfectissima omnium, quæ haberi possint, subiectum Theologiæ, quæ est omnium, quas viatores habent, scientiarum excellentissima, debere esse Deum sub perfectissimo conceptu, quem viatores habere possint: hic autem non est præcisè de Deo sub ratione relatiua ad creaturas, sed sub aliqua ratione absoluta Dei in se.

XI. Respondetur argumentis Durandi.

Ad primum Durandi neganda est assumptio. Ad probationem dicendum fidem articulorum esse etiam de subiecto de quo possint aliqua demonstrari naturaliter. Nam esse Deum vnum, bonum, & sapientē naturaliter ostendi potest. Quamuis autem vt docet S. Thom. in 3. d. 24. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. fides per se ea non respiciat, tamen ad supplendum defectum discursus humani, ea quoque reuelata sunt, quæ aliàs naturali vi intellectus agnosci queunt. Secundi quoque assumptio neganda est: & ad probationem dicendum, tametsi concederetur etiam in statu innocentiæ fuisse explicatam fidem Saluatoris, non minus fuisse de Deo vno, quam Paul. ad Hebr. 11. statuit fundamentum iustificationis illis verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit*; atque adeò ex hac parte non probatur sub ratione potiùs Saluatoris, quàm Deitatis esse Deum subiectum Theologiæ. Deinde verò quod additur, nempè rationem Saluatoris continere cæteras veritates Theologicas virtualiter, negandum est: nam bonitas, sapientia, omnipotentia, & similes continent potiùs radicaliter rationem Saluatoris, quàm hæc illas; si enim illæ negentur, non posset consistere opus salutis nostræ; denique personæ ipsæ, quamuis ex operibus saluationis elúceant, non tamen idcirco earum cognitio traditur, vt magis pateat ratio Saluatoris: imò verò ex notitia huius rationis, & cæterorum respectuum Dei ad creaturas, qui nobis ex reuelatione innotuerunt, magis attollitur, ac manuducitur intellectus ad notitiam Dei sub ratione propria, & absoluta ipsius. Tertij argumenti prima propositio neganda est; supponit enim falsum fundamentum Durand. superiore capite

Ad Hebr. 11.

S. Thom.

impugnatum, nempè actum meritorium ſit præcipuum totius Theologiæ ſubiectum.

Ratio formalis, *quæ*, ſubiecti Theologiæ, tam de contingentibus, quàm de neceſſarijs, eſt Deitas.

Caput VI.

I. EXcluſis rationibus reſpectiuis ad creaturas, deinceps agendum de abſolutis. Conueniunt autem doctores communiter nullam perfectionem attributalem per ſe ſumptã eſſe rationem, *quæ*, ſubiecti Theologiæ, ſed ipſammet Deitatem, quæ noſtro modo intelligendi eſt forma Dei, & fundamentum attributorum, quæ à nobis intelliguntur aduenire Deo, conſtituto per Deitatem, tamquam per propriam formam. Ita expreſsè docent D. Thom. 1. p. q. 1. art. 7. & q. vnica prologi, art. 4. in fine corporis. Henric. in ſum. art. 19. q. 1. ad 1. & q. 2. in cap. & quodlib. 12. q. 1. ad finem. Richard. q. 6. prologi. Heruæus, q. 7. Scot. q. 3. §. *Contra iſtas*. Aureol. q. vlt. a. 4. 2. propoſitione. Ocham. q 9. litera BB. Baſſol. q. 4. art. 1. §. *Sed contra*, & art. 2. §. 1. Aquilan. vbi proximè, Bachonus, q. 3. a. 2 §. 1. Toletan. q. 7. ar. 2. concluſione 1. & 3. Gregor. q. 4. art. 2. concluſione 1. & in ſolutionibus argumentorum. Capreol. q. 4. a. 1. concluſione 5. & ar. 2. ad argumenta contra 5. & 6. concluſionem. Conradus 1. 2. q. 3. art. 6. §. *Nota pro fundamento*, Gabriel, & Maior vbi proximè Sylueſt. q. 1. Conflati. art. 12. §. 1. & art. 16. Ferrarienſis lib. 2. contra gentes, c. 4. Caietan. 1. p. q. 1. art. 7. Hiſpalenſis, q. 4. prologi, art. 1. concluſione 2. & art. 3. notab. 2. Canus lib. 12. de locis, c. 2. Eiuſdem ſententiæ ſunt Ægydius, Argentinas, & Gregorius, vt cap. ſequẽti dicam. Oſtenditur autem hæc ſententia. Quoniam in Deitatem concurrunt conditiones neceſſariæ ad rationẽ formalem, *quæ*, ſubiecti primi, ac præcipui. Nam ipſa eſt forma Deitatis, & noſtro intelligendi modo fundamentum, & radix perfectionũ reliquarum ab ea virtualiter diſtinctarum: cætera omnia habent aliquẽ modũ attributionis ad ipſam: ipſa verò eſt prima ratio formalis diuina nõ conueniens alteri per modum proprietatis: & de Deo, quatenus per eam conſtituitur, dicuntur cætera omnia prædicata, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua directa, & natura i prædicatione, & Theologico diſcurſu probantur. Deinde Theologia vel agit de Deo ſub ratione reſpectus ad extra, vel ſub ratione attributali, vel ſub ratione communi, & vniuerſali, vel ſub propria ratione Deitatis, quæ intelligitur à nobis tamquam forma conſtitutiua ipſius Dei: non agit vllo ex tribus primis modis; ergo ſub ratione Deitatis. Aſſumptio, quoad primũ patet ex capite præcedente. Quoad ſecundum oſtenditur: quoniam Deus eſt ſubiectum Theologiæ ſub perfectiſſima ratione: nam cùm ſit nobiliſsima ſcientia, debet eſſe circa nobiliſsimum genus, vt patet ex Philoſopho 6. Metaph. textu 2. & lib. 1. de anima textu 1. cognitio autem eſſentiæ eſt perfectiſsima, vt ait idem Ariſtot. lib. 7. Metaph. text. 4. ergo Theologia potiùs conſiderat Deum ſub ratione eſſentiæ, quàm proprietatis attributalis. Præterea rationes omnes attributales reduci poſſunt in rationẽ Deitatis tamquã in fundamentum, ac primam rationẽ earum: adeò, vt ſi per impoſsibile diſtinguerentur realiter ab eſſentia, hæc, vt ait Scotus, eſſet verè cauſa, ac principium illarum: ipſa verò ratio eſſentiæ nõ eſt reducibilis in priorem: ergo Deus nõ eſt ſubiectum Theologiæ ſub vlla ratione attributali. Probatur deinde eadem aſſumptio quoad tertiam partem, quoniam ratio illa communis non eſt perfectiſsima, neque continet virtualiter omnes propoſitiones de Deo reuelatas, ac demonſtrabiles: igitur ſub ratione propria Deitatis eſt ſubiectum Theologiæ.

S. Thom. *Henric.* *Richard.* *Heruæus.* *Scot.* *Aureol.* *Ocham.* *Baſſol.* *Aquilan.* *Bachon.* *Toletan.* *Gregor.* *Capreol.* *Conrad.* *Gabriel.* *Maior.* *Sylueſt.* *Ferrarienſ.* *Caietan.* *Hiſpalenſ.* *Canus.* *Ægyd.* *Argentin.* Ratio formalis quæ ſubiecti Theologiæ eſt Deitas.

II. In hac opinione, vt dixi, conueniunt Theologi communiter. Duo tamẽ reſtant dubia ex Scoto, alterum ſumitur ex modo intelligendi noſtro; alterum ex diuerſitate veritatum, circa quas Theologia verſatur, aliæ namque ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes. Quod attinet ad primum, Scotus, q. 3. prologi. §. *Ad primam quæſtionem de Theologia*. quem ſequuntur interpretes ibidem, & Aquilan. quæſt. 2. art. 3. concluſione 3. exiſtimare videtur Deum eſſe ſubiectum Theologiæ viatorum, ſub ratione infinitatis, quoniam ſubiectum eſt ſub perfectiſsima ratione cognoſcibili de lege à viatoribus, hi verò non habent proprium conceptum Dei, ſed agnoſcunt illum per conceptus communes copulatos, & appropriatos: horum autem perfectiſsimus eſt conceptus infinitatis, in quem reſolui poſſunt veritates omnes cognoſcibiles à Theologo. Itaque mens Scoti non eſt, infinitatem ipſam eſſe formam noſtro modo conſtitutiuam Dei, nec primam rationem eius eſſentialem, nec ſecundùm ſe eſſe ſimpliciter ſubiectum Theologiæ: ſed ſolùm vult, quemadmodum rerum eſſentias, quas non penetramus, deſignare ſole-

Scot. *Aquilan.*

mus

mus per perfectissimas proprietates nobis notas, ita, cùm essentiam diuinam in se non attingamus, eam designamus quasi proprietatem eius præcipuam nobis notam, in quam resoluimus ea, quæ de Deo scimus.

III. *Aureol.* Scotum impugnat Aureolus, quæst. vlt. prologi, art. 3. versus finem, probans conceptum entis infiniti non esse perfectissimum, quem viatores habent de Deo, cùm habeant conceptum eius proprium, licet obscurum. Verùm hæc quæstio nó est huius loci, illud mihi certum est, infinitatem non esse primam rationem, quam viatores concipiunt, tamquam formã intrinsecam Dei. Siquidem concipimus ipsam, vt etiam Scotus admittit, tamquam modum essentiæ diuinæ, & omnium perfectionum diuinarum: id verò, quod concipitur vt modus, necessariò supponit rem, siue essentiam, cuius est modus: atque adeò, quamuis Scoto demus nos non habere conceptum Dei quidditatiuum, & agnoscere illum per cõceptus communes appropriatos, de quo alibi disputandum est, non proinde sequitur infinitatem esse rationem, qua primò, ac per se designamus Deum, & à rebus creatis seiungimus. Nã cùm dicimus, Deus est infinitus, non intelligimus à parte subiecti infinitatem, sed quasi proprietatem tribuimus Deo constituto in suo esse per formã substantialem Deitatis: & ita licet omnes aliæ veritates cognoscibiles à Theologo resoluerentur in infinitatem, tamen quia ipsa quoque resoluitur in Deitatem, supponit aliam rationem priorem, imò de facto Theologi reddunt à priore rationem ipsius infinitatis, vt ostendam lib. 4. tractatu de infinitate Dei.

Infinitas nõ est propria Dei forma, quam viatores concipiunt.

IV. Quod attinet ad secundam Deitatem, nõ esse primam rationem, *quæ*, subiecti eius partes Theologiæ, quæ tractat de contingẽtibus, quatenus Deitas, sed quatenus voluntas, est suadetur primo. Quoniam illa nõ est propria ratio formalis, *quæ*, subiecti alicuius habitus, qua immutata poterat esse varietas penes veritates complexas pertinentes ad eundem habitum: essentia diuina ita se habet ad veritates contingentes Theologicas: ergo non est prima, ac formalis ratio subiecti respectu ipsarũ. Consequentia patet; itemque assumptio; namque Deitas in se ipsa est forma necessaria, & immutabilis, ex libero verò decreto Dei potuit esse varietas penes veritates Theologicas contingentes. Maior verò propositio ostenditur, quoniam tunc ex vi notitiæ euidentis talis formæ, non cognoscuntur veritates illæ contingentes: etenim veritas, quæ non habet necessariam connexionem cum aliquo principio, non cognoscitur ex vi illius; cùm verò ratio formalis eiusmodi est, vt ipsa necessariò, ac immutabiliter permanente, potuerit esse diuersitas penes veritates aliquas, non est harum cum illa necessaria connexio: atque adeò ex vi cognitionis illius non cognoscentur veritates. Deinde veritates contingentes non immediatè coniunguntur Deo per formam Deitatis, quatenus substantia est, sed quatenus voluntas est: neque agnoscuntur per Deitatem sub præcisa ratione Deitatis, sed sub ratione voluntatis, nostro enim modo immediata ratio volendi est voluntas, & consequenter immediata ratio cognoscendi effectus contingentes, qui à voluntate pendent.

V. *Aristot. Aquilan.* Scotus in 1. q. 3. prologi. §. *Nunc autem,* cũ Scotistis interpretibus ibidem, & Aquilano q. 2. art. 3. cõclusione 2. nõnihil discriminis statuit inter primum subiectũ veritatũ necessariarum, & cõtingentium. Nam necessariæ, quia habent habitudinẽ necessariam ad subiectũ continentur in ipso virtualiter, & eo cognito cognoscuntur: contingentes autẽ nõ continentur virtualiter: quod intelligi debet certò, ac determinatè: nam contineri cum indifferentia quadam, & libertate ad oppositum nõ est negãdum, siquidem actus liberi voluntatis contingenter de ipsa dicuntur, & tamen cõtinentur virtute in ipsa, tamquã effectus in causa, indifferente tamen, & indeterminata: & propterea cognito hoc subiecto, non necessariò cognoscuntur. Itaque tamquam firmum statuit nullum subiectum continere virtualiter veritates complexas contingentes circa ipsum, quoniam ad contingentes ex æquo se habet, atque ad oppositas. *In ipsis tamen contingentibus,* inquit, *est ordo, quoniam aliqua est prima veritas contingens, & ita subiectum primum veritatum contingentium potest esse illud, de quo primò, & immediatè dicitur prædicatum primæ veritatis contingentis: quæ est quasi primum principium in ordine contingentis:* dicitur verò primum subiectum primæ veritatis contingentis, quod visum vt tale natum est, primo videri coniungi cum eius prædicato: *Quia,* inquit, *primum notum in contingentibus non est nisi per intuitionem extremorum:* Ex hoc autem infert, primum subiectum Theologiæ contingentis, esse diuinam essentiam, eodem modo sumptam, quo dictum est ipsam esse subiectum Theologiæ necessariæ. Hic autem discursus, vt constet, necessariò supponit essentiam diuinã esse primum, & immediatum subiectum alicuius veritatis contingentis: quæ sit

prima, & quasi principium cæterarum. Quòd Scotus non probat, sed supponit: videtur autē intelligere actus liberos Dei circa vltimum finem: nam primum prędicatum liberum, siue contingens, vt ipse appellat, dictum de substantia intellectuali operante per intellectum, ac voluntatem, esse debet circa finem: qui in agibilibus est principium, ex quo cæteræ actiones liberæ promanant: & ita intentio gloriæ diuinæ, & prædestinatio electorum, seruato ordine, erunt prima prædicata non necessaria de Deo dicta: ex quibus deinde deducentur aliæ circa media necessaria ad hos fines, & executionem ipsorum.

VI. Verùm suppositio, meo quidem iudicio, falsa est. Vt enim prædicatum aliquod primò, atque immediatè dicatur inesse, & conuenire alicui, non satis est, vt inter vtrumque non intersit medium reale: Sed requiritur vt non interueniat ratio recipiendi distincta virtute. Et ita etiam ij, qui probabiliter censent inter prædicata essentialia metaphysica non esse differentiam ex natura rei, sed solùm virtualem formalem, dicunt prædicata superiora non conuenire immediatè inferioribus per se ipsa, sed per intermedia. Verbi gratia, homo non vendicat vegetandi vim immediatè per se ipsum, sed per viuens, cui coniungitur interuentu animalis. Quare, tametsi essentia diuina sit sua voluntas absque vlla differentia ex natura rei, tamen alia ratio formalis est voluntas, alia essentia: primus autem actus liber conuenit essentiæ diuinæ, qua voluntas est, non qua præcisè essentia: si enim per intellectum separemus rationem voluntatis ab essentia, non remanebit in hac vlla ratio volendi: ergo essentia diuina non est primum, & immediatum subiectum primæ veritatis contingentis. Et confirmatur ex ipso Scoto, prima veritas contingens non aliter videtur, quàm per intuitionē extremorum, sed, si per impossibile fingamus videri voluntatem diuinam, & actum eius, non visa essentia, adhuc agnoscetur veritas illa prima contingens: contra verò, si eodem modo fingamus videri actum, & essentiam, non visa voluntate, nullo modo cognoscemus vllam veritatē complexam de essentia: quandoquidem cùm actus ille volendi nostro modo intelligendi non copuletur immediatè essentiæ, sed interuentu voluntatis, repugnat vt videamus actum esse iunctū essentiæ non perspecta coniunctione eius cum voluntate. Deinde si loquamur de veritatibus ad extra, nimirum quæ inuoluunt aliquid creatum ex parte prædicat, omnes dicuntur de Deo, ratione alterius rationis formalis distinctæ virtute à Deitate, cuius interuentu dicuntur de Deitate ipsa: nam si sint veritates pertinentes ad omnes tres personas, dicuntur ratione omnipotentiæ, sapientiæ, & aliorum attributorum; si verò specialiter Verbum ratione humanitatis assumptæ, Verbi gratia, Deus est incarnatus, natus, crucifixus, & similes, nō coniunguntur immediatè essentiæ, sed ratione Verbi: atque adeò his omnibus prædicatis, non essentia, sed personalitas Verbi, aut aliæ rationes formales immediatiùs copulantur.

Bassolis, q. 3. prologi, art. 2. §. *Contra, Deus,* & duobus sequentibus, & §. *De Theologia nostra,* & quæst. 4. §. *De Theologia verò contingentium,* impugnat opinionem Scoti, & subdit aliam sententiam Scoto contrariam: asserit autem rationem formalem subiectiuam Theologiæ de veritatib⁹ contingentibus, non esse essentiam diuinam secundum præcisum conceptum essentiæ, sed sub ratione voluntatis, quatenus accipitur, vt stans sub determinatione ipsius voluntatis, qua ratione continet omnes veritates eiusmodi. Verùm quia voluntas sumi potest nostro intelligendi modo, vt potentia elicitiua actus, & vt actus elicitus, ait ipsam rationem actus liberi eliciti à voluntate non cadere infra rationem subiecti primi, hoc est, non pertinere intrinsecè ad ipsam rationem formalem subiectiuam: sed tamquam conditionem, sine qua voluntas non habebit vicem primæ rationis formalis subiectiuæ. Primum ostendit, quoniam actus ipse liber voluntatis diuinæ, est prædicatum primæ veritatis contingentis complexæ; atque adeò debet ex parte subiecti supponere primò rationem formalem integram: & idcirco ipse ad eam non pertinet. Secundùm suadet, quoniam, vt voluntas sit subiectum veritatum contingentium, requiritur is actus in primis, vt ipsum habeat determinatè, & per ipsum determinatè, ac scibiliter, hoc est, certò contineat alia contingentia extrinseca, vt sic per primam complexionem immediatè contingentem, quæ non potest cognosci determinatè virtute alicuius alterius obiecti, vel primi subiecti incomplexi, sed per intuitum extremorum, Deus sub ratione voluntatis contineat cæteras omnes veritates Theologicas contingentes, & possit esse ratio cognoscendi illas. Nōnulli recentiores impugnant hanc sententiam Bassol. quoniam subiectum primum habitus, siue scientiæ, debet esse simplex, at Deus volens VII. *Bassol.*

non est subiectum simplex: ergo voluntas non est ratio formalis propria Dei, quatenus est primum subiectũ Theologiæ. Verùm hæc ratio non est vllius momenti, nam, vt iam superius dixi, de ratione subiecti primi non est omnimoda simplicitas, sed solùm ea requiritur, quæ opponitur coniunctioni enunciatiuæ. Perspicuè tamen ex dictis ipsius Bassolis, & ratione refellitur eius propositio: nã ratio primi subiecti, vt idé cum omnibus admittit, debet esse prior omninò, & independens à passionibus; quas virtute cõtinere debet, & esse medium proximũ copulans primã cum subiecto, & cæteras per primã: quod verò cõtinet aliquid virtute, necessariò est prius illo, saltem ratione; & id quod interiectum est quasi medium inter duo extrema est proximius vtrique ipsorum, quàm ipsa inter se: at actualis ipsa volitio est prædicatũ Theologicum, quod prædicatur de primo subiecto Theologiæ, ergo nullo modo requiritur tamquã ratio, vel conditio ipsius: ratio enim atque conditio est prior eo, ad quod prærequiritur tamquam conditio.

VIII. Itaque, vt veram sententiam proponam, suppono non opus esse, vt ratio formalis primi subiecti ipsum immediatè copulet, cùm omni passione, vel prædicato de ipso enunciabili, & cognoscibili in ea scientia; cuius est subiectum: sed sat esse, vt id proximè cõiungat primæ passioni, & ea mediante cum reliquis. Prior pars suppositionis patet, nam in quauis scientia plura ordine quodã demonstrante de eodẽ subiecto, ratio formalis subiecti non est proxima ratio demonstrandi tertiam, vel quartã passionẽ de ipso, sed indiget interuentu primæ, ac secundæ: & tamen cùm omnes demonstrationes ad eandẽ scientiam pertineant, idem erit primum subiectum omnium, & eadem ratio formalis ipsius. Posterior facilè constat, etenim ratio formalis subiecti est forma intrinsecè ipsum constituens, atque adeò magis intima, atque immediata ipsi, quàm quęuis alia forma, & ita per se, & non interuentu alterius illi coniungitur. Præterea est causa, siue ratio immediata primæ passionis, & consequenter, instar vinculi cuiusdam connectentis primã passionem subiecto: quam rem benè declarat *Aureol.* Aureol. q. vlt. prologi, art. 4. 1. propositione. Aduertendũ prẽterea est, non quidquid est ratio immediata cuiusuis passionis, esse rationem formalem subiectiuam: quod perspicuum erit consideranti connexionem multarum passionum, ordine quodam ex eadem radice subiecti pullulantium, nam tertia est proxima causa, sique ratio quartæ, & hæc quintæ, & sic in cæteris; & nihilominus nec tertia, nec quarta, neque vlla ex sequentibus passionibus est per se ratio propria formalis subiecti. Ex hac suppositione facilè est diluere propositam quæstionem.

IX. Dico itaque propria ratio formalis subiecti Theologici quoad veritates contingentes est essentia diuina sub ratione essentiæ, non sub ratione voluntatis. Hæc est de mente Scoti vbi supra, & expressè traditur ab Aureolo, q. 4. prologi, a. 4. 2. propositione, & dici potest de communi sententia Theologorum, qui initio capitis relati sunt: omnes enim, absq; vlla restrictione ad veritates necessarias, absolutè dicunt Deitatem esse rationẽ formalem subiecti Theologiæ: atq; adeò intelligunt respectu omnium veritatum cognoscibilium in Theologia. Probatur, quoniam Deitas nostro intelligendi modo est forma intima Deo, per quã reducuntur in ipsum omnia prædicata siue necessaria, siue contingentia, ita vt non nisi ipsius interuentu copulari possint: voluntas autem nõ est huiusmodi: ergo Deitas, non voluntas est ratio formalis Dei, quatenus est subiectum Theologiæ. Consequentia constat ex suppositione: prior pars antecedentis probatur, quoniam prima veritas Theologica contingens, cõuenit Deo radicaliter ratione Deitatis, & per hanc ipsi coniungitur: exempli gratia, veritas huius complexi: *Deus intendit manifestationẽ gloriæ suæ*: reducenda est ad Deitatem, ita, vt actus ille intentionis nostro intelligendi modo coniungatur Deo, quia coniungitur Deitati. Etenim quotiescumque forma inest, seu conuenit subiecto interuentu rationis non intrinsecæ, nõ aliter coniungitur subiectũ formæ illi, quàm per coniunctionem cum ratione, quæ est immediatũ principium, siue radix talis formæ: atque adeò id ipsum, quod est medium, vt cõiungatur radici, siue principio eiusdẽ formæ, est medium, vt coniungatur formæ: sed actus primus Dei liber circa finẽ rerum omnium, conuenit Deo ratione voluntatis, & voluntas, vtpote perfectio attributalis, non concipitur vt forma, Deum intrinsecè constituens; nec aliter coniungitur Deo, quàm ratione essentiæ, in qua radicatur: ergo de primo ad vltimum actus liber non aliter coniungitur Deo, quàm per essentiam. Id verò planius explico, vt intellectus percipiat hanc veritatem contingentem, *Deus intendit finem gloriæ suæ.* opus est, vt intuitiuè cognoscat actum intentionis cõiungi Deo; atque ita, si per impossibile videret solùm

Scot. *Aureol.* Ratio formalis subiecti Theologici, est essentia quoad contingentes veritates.

hunc

hunc habentem potentiam volendi velle, ignota forma intrinseca ipsius, nesciret Deum velle: porro ex simplici visione volitionis hoc non videtur, quia hæc immediatè elicitur à voluntate: oportet itaque, vt videat voluntatē, cui actus immediatè copulatur, connexam esse Deo: hoc autem non videtur, nisi per connexionem voluntatis cum Deitate ipsa: & consequenter, vt videatur hæc complexio contingens, cerni debet connexio actus cum voluntate, & huius cum Deo per essentiam; atque adeò essentia est immediata ratio copulādi Deo prædicata etiam contingentia. Quod videre est in exemplo veritatis complexæ ex subiecto increato, & prædicato creato. Verbi gratia, *Deus est mortuus*: nā mors immediatè conuenit huic homini ratione naturæ humanæ: hic autē homo est Verbum, propter coniunctionem illius cum natura humana; Verbum autem est Deus, propter formam Deitatis, quam habet: itaque licet videretur mors coniungi cum illo homine secundum formam hominis, nisi videretur esse Verbum, & Deus, nequaquā ex visione formæ, & rationis immediatæ, per quam conuenit, cognosci posset Deum esse mortuum. Et ita constat fundamentum radicale cōiunctionis Dei, quatenus est subiectū Theologicum, cum quouis prædicato contingente esse ipsammet essentiam.

X. Ex eodem fundamento ostenditur secunda pars assertionis; quoniam, licèt passiones ipsæ, siue prædicata contingentia, dicta de Deo, immediatius copulentur voluntati, quàm essentiæ, per voluntatem tamen non immediatè conueniunt Deo, sed per essentiam: ad rationē verò formalem subiecti primi, vt constat ex dictis, nec sufficit, nec requiritur, vt immediatè per se coniungatur omnibus passionibus, ac prædicatis: sed requiritur, vt sit immediata subiecto, & vt ipsi per eam cętera copulentur: quod nō conuenit voluntati, vt patet: ipsa enim non, nisi per essentiam Deo coniungitur, & cōsequenter per illam quoque copulat Deo prędicata omnia, quæ sibi immediatè conueniunt. Secundò non omnis veritas Theologica contingens reduci potest in Deum, tamquam in primum subiectum interuentu voluntatis, quasi rationis proximæ, & immediatæ, cui primò conueniat prædicatum; ergo ipsa non est ratio formalis subiectiua veritatū contingentium: consequentia patet ex suppositione communiter admissa, etiam ab ipsō Bassol. nimirum quod ratio formalis subiectiua est, cui primò coniungitur prędicatum, & mediante ipsa subiecto. Antecedens facilè ostenditur, nam prædicata omnia, quę dicuntur de Deo ratione humanitatis assumptæ, nō conueniunt Deo interuentu voluntatis quasi rationis subiectiuæ, sed ratione ipsiusmet Deitatis. Etenim quamuis incarnatio actiua conueniat Deo ratione voluntatis liberè decernētis vnionem hypostaticam, & ad ipsam efficiendā applicantis omnipotentiam, tamen ipsa sustentatio hypostatica, atque terminatio naturæ assumptæ immediatè conuenit ratione hypostasis Verbi æterni: & ratione huius propter identitatem cum diuinitate tribuitur Deo: ita, vt, si hæc, *Deus est homo*, resolui debeat, dicendum sit, *Verbum est homo, Verbum est Deus, ergo Deus est homo*: nam humanitas per Verbi personalitatem copulatur Deitati, & huius interuentu, Deo: in qua resolutione non deuenitur ad hanc, *habens voluntatem est homo*.

XI. Ex hac vltima ratione sumitur doctrina ad solutionem argumentorum. Namque ad rationē formalem subiectiuam nō est satis, vt sit vtrumque causa veritatis, sed requiritur, vt sit ratio subiectiua, ac receptiua prædicati; ita vt hoc dicatur per se de subiecto constituto per eiusmodi rationem: quo modo dicitur, *Deus est iustus, sapiens, omnipotens*, vel Deus creat, conseruat, & gubernat vniuersum. Ex quo fit, vt quāuis interpositio terræ sit causa ecclypsis lunaris, non sit tamen ratio subiectiua, cui immediatè coniungatur ecclypsis, & per illam lunæ. Similiter quamuis ea, quæ Deo conueniunt, ex tempore ratione assumptæ humanitatis, pendeant efficienter à voluntate diuina, ipsa tamen non est proxima ratio subiectiua eorū prædicatorum, sed personalitas Verbi; nō enim voluntas, sed hypostasis Verbi est ratio terminandi dependētiam naturæ assumptæ. Itaque omnium prædicatorum realium, Deo non necessariò conuenientium prima ratio Deo coniungens est essentia, proxima verò respectu effectuum cōmunium toti S. Trinitati est voluntas diuina; respectu humanitatis assumptæ, & conuenientium per communicationē idiomatū est hypostasis Verbi. Ad primū argumentū respondetur maiorem propositionē solùm esse verā, respectu veritatū necessariarum, non contingentium: namque etiam voluntate ipsa diuina, in se quoad entitatem immutabili existente, poterat esse varietas penes actus liberos, & consequenter penes veritates cōtingentes: atque adeò si argumentum vim habet, probat etiam neque voluntatē esse rationem formalem, *quæ*: etsi verò Bassolis concedat, & velit voluntatem simul cum actu,

esse

esse rationem formalem, non tamen congruenter, vt iam supra ostendi. Ad confirmationem maioris respondeo, nō requiri. vt veritates omnes pertinētes ad habitum, vel scientiam, cognoscantur per solam rationem formalem subiecti, absque interuentu aliarū interiacentium, inter prædicatū veritatis agnoscendæ, & primā rationem; & ideò mirum non esse, si per solam Deitatem nō coniunctam immediatè alijs rationibus prædicati contingentis, id non cognoscatur: sed quemadmodū coniuncta cum alijs rationibus intermedijs necessarijs est ratio cognoscendi veritates necessarias. Verbi gratia, prout est radix intellectus nō immisti potentialitati, est ratio cur Deus sit necessariò intelligens. Ita coniuncta cum rationib° intermedijs veritatum contingentium, est ratio cognoscendi veritates contingentes, Verbi gratia, coniuncta cum voluntate, quæ elicit actū liberum est ratio cognoscendi hanc, *Deus liberè vult*, coniuncta cum eadem voluntate, & cum actu est ratio cognoscendi hanc, *Deus creat mundum*, & sic in cæteris. Argumentum verò solùm probat nō posse per se solam esse rationem cognoscendi has veritates, quod est veriſſimū, nec requiritur ad propriam rationem formalem subiecti.

XII. Vt satisfiat secundo argumento, obseruandum est tripliciter subiectū interuentu alicuius rationis coniungi prædicato, nempè, vel ita, vt ratio sit immediata soli subiecto, vel soli prædicato, vel vtrique: immediata est soli subiecto definitio subiecti, quando prædicatum est quarta vel quinta proprietas: immediata soli prædicato tertia passio respectu enunciationis, qua quarta dicitur de subiecto: immediata vtrique definitio, quando veritatis complexæ prædicatum est prima passio de subiecto. Ex his tribus solus primus modus immediationis est necessarius ad rationem formalem, *quæ*: nam in plerisque scientijs naturalibus propria subiecti natura est ratio formalis, *quæ*, & tamen non est immediata passionibus remotis, sed subiecto, ac primæ, quod requiritur, vt per primam cum cæteris copuletur. Hoc posito neganda est consequentia secundi argumenti, qua supponitur opus esse, vt ipsa ratio formalis subiecti sit immediata, & proxima omnibus, quæ dicuntur de subiecto. Responderi etiam potest negando antecedens: nā quamuis ratio formalis subiectiua per se immediatè non copuletur omnibus prædicatis, tamen quatenus coniuncta cæteris rationibus, & ipsa est proxima, atque immediata subiecto, dicitur per se ipsam immediatè copulare subiecto, hoc est nō per aliam rationem interpositam inter ipsam, & subiectum: & hoc modo Deitas immediatè copulat omnia prædicata Deo, non autem voluntas, vt in superioribus dixi. Quod verò tangitur in posteriore parte eiusdem antecedentis de ratione cognoscendi, iam superius explicatum est, nam, quamuis immediata ratio cognoscendi existentiam actus liberi sit coniunctio ipsius cum voluntate, tamē immediata ratio cognoscendi hanc complexionē contingentem, *Deus liberè vult*, est coniunctio voluntatis cum Deitate, quæ est forma Dei.

Finitas virtualis intelligibilitatis obiectiuæ est ratio formalis, sub qua, ex parte obiecti primarij.

Caput VII.

I. Post rationem formalem obiectiuam subiecti primarij sequitur ratio, *sub quā*, quæ est instar conditionis concomitantis. Toletan. quæst. 6. prologi, art. 2. conclusione 1. & 2. & quæst. 7. art. 2. conclusione 4. & quæst. 8. art. 2. conclusione 3. & 4. & Argentinas q. 1. ad 1. principale, existimant habitum Theologicum intellectus creati esse de Deo sub ratione finita, tamquā de obiecto primo. Probat Toletan. 1. Deus agnosci potest ab intellectu creato sub ratione finita: ergo & habitus Theologicus versari circa illum sub eadē ratione. Consequentia patet, quia tota repugnantia est penes actum; ideoque si is non repugnabit, nec repugnabit habitum sub eadem ratione in Deum ferri. Antecedens ostenditur. Nam, si repugnaret, maximè, quia nulla entitas formaliter finita est Deus: hoc autem non obstat, quoniam nulla entitas diuina, saltem absoluta potest esse neutra, hoc est, nec finita, nec infinita: & tamen Deus potest cognosci sub ratione neutra, & communi ad finitum, & infinitum: Verbi gratia, sub ratione entis, vel substantiæ: ergo quamuis in Deo nulla entitas sit finita, agnosci potest sub ratione finita. Confirmat, quoniam Deus potest agere ad extra, non sub ratione infinita, quia effectus esset infinitus: nō sub ratione neutra, quoniam finitum, & infinitum sunt contradictoriè, vel priuatè opposita, & cōsequenter immediata, quorum alterum necesse est inesse subiecto singulari: ergo sub ratione finita; quare sicut potentia infinita agere potest sub ratione finita, ita entitas infinita terminare potest notitiam

Toletan.

Argentin.

tiam sub ratione finita. Secunda, Deus est subiectum habitus Theologici sub ratione Deitatis cognoscibilis ab intellecto creato: ab hoc autem est cognoscibilis finitè, non infinitè: ergo Deus est subiectum Theologiæ sub ratione finita. Hanc opinionem esse contra communem fatetur idemmet Toletan. q. 7.a.4. versus finem, & contra suam proponit nonnulla argumenta, quorum hæc est vis. Primò nulla scientia considerat subiectum sub aliqua ratione eidem intrinsecùs repugnante, & opposita formaliter propriæ rationi formali ipsius: finitudo vero repugnat deitati: ergo Theologia non considerat Deum sub ratione finita. Secundò, ratio formalis subiecti præcedit actum potentiæ: non enim habet se ex parte potentiæ, sed subiecti; finitas autem non se habet ex parte Dei, sed potentiæ creatæ, vel actus: ergo non est ratio subiecti. Vltimò ratio formalis subiecti Theologiæ satiat appetitum creaturę rationalis, eum verò nihil finitum satiat: ergo finitudo nequit esse ratio subiecti.

II. Pro solutione obserua idem Toletan. dupliciter rem esse finitam: nempe formaliter in genere rei, & virtualiter in esse obiecti cogniti: quod ad agnitionem sui mouere potest intellectum finitum, iuxta capacitatem ipsius terminatam, non minus quàm si esset illi proportionata formaliter, & finita in ratione agendi. Ait itaque se loqui hoc secundo modo, nõ priore: quoniam Deus est infinitus in essendo, mouet autem ad agnitionem sui modo finito. Et hoc posito ad primum respondet finitum virtualiter in agendo non repugnare infinito in essendo: Deum verò esse infinitum in essendo, subiectum verò Theologiæ sub ratione finita, virtualiter in mouendo. Quia verò obijci poterat etiam in mouendo esse virtualiter infinitum: quoniam est obiectum adæquatum scientiæ diuinæ infinitæ, respondet id, quod est infinitum virtualiter in mouendo, continere etiam virtualiter finitam rationem mouendi iuxta capacitatem intellectus; quemadmodum, qui habet vim mouendi centum, habet etiam vim mouendi viginti, si solùm ad hæc mouenda applicetur. Ad secũdum respondet, distinguendo maiorem, & negando requiri, vt ratio illa præcedat formaliter, concedendo opus esse, vt saltem præcedat virtualiter, quomodo præcedit finitas ex parte Dei, quatenus est obiectum mouens: quandoquidem habet vim mouendi finito modo secundum beneplacitum suum. Ad vltimum respondet rationem, quæ satiat voluntatem, atque intellemum creaturæ, non esse finitam formaliter in essendo: quod sat est vt appetitus expleatur, esse tamen finitam virtualiter in mouendo: quod requiritur, vt ratio, sub qua Deus terminat scientiã Theologicam.

In toto hoc discursu Toletan. cùm ait Deum esse subiectum Theologiæ sub ratione finita, non se satis explicat, de qua ratione loquatur: vtrumne de terminatiua, *quæ*, an verò de concomitante, *sub qua*. Et quamuis superius dictũ sit de ratione, *quæ*, tamen, quia argumenta etiam ad illam accommodari possunt, & ipse, dum ait suam opinionem esse contra communem, idem indicat: nam quod finitas sit ratio, *sub qua*, concomitans, non est contra communem, vt paulò pòst constabit, sed solùm quod sit ratio teterminatiua, *quæ*. Idcirco in vtroque sensu quæstioni satisfaciam. III.

Dico primum, finitas non est ratio formalis, *quæ*, terminatiua subiecti Theologiæ. Hanc ex instituto probat Bassol. q. 4. prologi, art. 1. §. vltimo, & est communis omnium, qui dicunt deitatẽ esse rationem formalem. Et facilè ostenditur ex notione rationis formalis terminatiuæ superius traditæ. Consistit verò præcipuè in hoc, vt sit forma subiecti, quæ per se attingatur, & sit prima, atque immediata ratio saltem nostro intelligẽdi modo interiacens inter subiectum, & passiones, quæ de ipso ostenduntur in eadẽ scientia: at finitudini nihil horũ conuenit: nõ enim est forma Dei, vt patet: neque per se attingitur: non est enim vllus assensus Theologicus, neque vllus discursus circa Deum finitum. Denique forma, quæ nullo modo cõuenit subiecto, nõ potest esse ratio, cur aliæ eidem conueniant, & multò minùs prima ratio; finitudo autẽ repugnat Deo, quare fieri nequit, vt ratione ipsius conueniant alia attributa, quẽadmodũ repugnat homini, vt ratione irrationalitatis, quæ est forma illi imposibilis, cõueniant humanæ proprietates. Secundò ens imposibile nequit esse formalis ratio terminatiua scientię verissimæ & nobilissimæ: conflatũ verò ex Deo, ac finitudine est ens imposibile: ergo fieri nequit, vt Deus sub finitudine sit primũ subiectũ Theologiæ. Nec verò ad diluenda argumenta in hoc sensu proposita valet distinctio finitudinis in formalem, ac virtualem, qua vtitur Toletanus: in primis quia forma constituens subiectũ sub ratione obiectiua scientiæ, debet esse formalis, non virtualis: deinde quoniam finitudo hæc virtualis describitur à Tolet. in ordine ad motionẽ intellectus: atq; adeò est forma respectiua ad IV. *Bassol.*

creatu-

ad creaturas. Vt autē ipſe cum cōmuni opinione concedit, nulla forma reſpectiua ad creaturas eſſe poteſt ratio formalis ſubiecti Theologici: ergo neq; finitudo virtualis.

V. Hanc ipſam concluſionem rectè confirmant argumenta, quæ ſibimet obijcit Toletanus, & aptè ſoluit in ſenſu ſecundæ aſſertionis infra ſtatuendæ, nō verò in ſenſu huius. quandoquidē finitas, ſi ſumatur virtualiter, vt ipſe exponit, nequit eſſe forma conſtituens Deum, quoniam eſt reſpectus ad extra, quo nihil abſolutū conſtituitur: ſi ſumatur formaliter, eſt forma repugnans Deitati, vt primo argumento opponitur: atque adeò nequit conſtituere Deum ſub certa ratione ſcibilis. Similiter ſolutio ſecundi nō eſt adæquata: nam ratio formalis terminatiua eſt, quod præcipuè, ac primò intelligitur in ſubiecto ſcientiæ, & quod habet vim efficientē determinatiuam potentiæ, & habitus; atque adeò præexiſtere debet formaliter, quod enim formaliter nō exiſtit mouere nequit per ſe, nec terminare intellectionem: nam quamuis non repugnet intelligi id, quod eſt virtualiter, repugnat tamen intelligi per ſe primò, & nō interuentu alterius, quod eſt formaliter, in quo ipſum eſt virtualiter. In Deo verò formaliter eſt Deitas, & infinitas ipſius, in quib⁹ eſt virtualis illa finitas inducta à Toletano: ergo hæc nō poteſt intelligi per ſe primò, ſed ratione Deitatis, & infinitudinis formalis. Eodem modo impugnatur reſponſio tertij. Nā id, quod agnoſcitur directè, & vt forma propria, atque intrinſeca ſubiecti ſatiat, vel nō ſatiat appetitū potentiæ: nihil autē cognitū vt finitū ſatiat appetitum: & ita finitas nullo modo poteſt eſſe ratio formalis terminatiua cognita ex parte ſubiecti Theologiæ noſtræ, ac beatorū.

VI. Dico ſecundò finitas eſt ratio formalis concomitans ex parte ſubiecti Theologiæ omnis creatæ ſecundum actum, non verò ſecundum habitum. Hæc quoad priorem partē traditur expreſsè ab Henrico quodlib. 12. q. 1. ad finem. Toletano, & Argentinate citatis. Eiuſdē ſententiæ ſunt doctores, qui aſſerunt Deum nō eſſe ſubiectum Theologiæ, vt Deus eſt, ſiue ſub ratione Deitatis abſolutè: quia hæc ratio dicit immenſitatem, quæ eſt per ſe, & primo intellectu Deitatis, nec capi poteſt notitia creata: hi verò ſunt, Scotus in reportatis, q. 2. prologi, Argentinas, q. 1. Gregor. q. 4. art. 2. concluſione 2. & 3. & Tolet. q. 6. a. 2. concluſione 4. Hoc etiam ſolùm intendit Ægydius 1. p. prologi, q. 3. in 2. d. 1. p. 1. q. 1. art. 1. ad 1. art. 2. §. *Prima ergo via*, & art. 3. & quodlib. 3. q. 2. quatenus docet Deum ſub ratione glorificatoris eſſe ſubiectum Theologiæ; ſolùm enim intendit excludere à ſubiecto Theologiæ creatæ rationem comprehenſibilitatis, & præfigere terminum notitiæ creatæ de Deo. Et quoniam potentiæ, vt ait Philoſophus lib. 1. de cœlo, t. 116. definiri debent per maximum; & habitus, maximè ſupranaturales, quoad hoc habent quandam rationem potentiæ, maximum verò, quod de Deo Theologia cognoſcit, eſt id, quod attingit viſio beata, idcirco dixit Deum ſub ratione glorificatoris eſſe ſubiectū Theologiæ, hoc eſt ſub ea menſura, qua ſe oſtendit beatis. Atque ita Greg. q. 4. art. 2. ad 4. duplicem diſtinguit contractionem ſubiecti, vel per additionem rationis minus communis, & ita dicit, nō intelligi doctrinā Ægydij, & ſuam, quando dicit Deum ſub ratione glorificatoris eſſe ſubiectum Theologiæ: vel per reſtrictionem cōſiderationis, & excluſionis vniuerſalis comprehēſionis: & ita vult intelligi, quatenus nimirū Deitas obijcitur intellectui creato ſub determinato conſiderationis modo, ac termino ſcibilitatis obiectiuæ. In eundem ſenſum Ægydium intellexerunt Argentin. q. cit. §. *Aduertendum tamen*, & Toletan. q. 6. art. 1. & q. 7. art. 4. ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem, quin verò ipſemet Ægyd. quodlib. 3. q. 2. ſuam mentē explicat, dum probat Deum ſub ratione glorificatoris eſſe ſubiectum ſcientiæ creatæ, non verò quatenus Deum, id eſt, non quatenus pelagus eſſentiæ infinitū, quia ſequeretur ſcientiam creatā eſſe infinitam, & §. vltimo docet rationem glorificatoris, non excludere rationē omnium aliorū attributorum, ſed illa omnia reſtringere ad terminum conuenientem beatitudini, eundem ſenſum fuſius explicauit ſpeciali quæſt. quam edidit de ſubiecto Theologiæ. Eandem ſententiam, vt conformem D. Thomæ, approbat Capreol. quæſt. 4. prologi, art. 2. ad argumenta Gregorij contra 5. concluſionem, & Hiſpalenſ. q. 4. art. 3. notab. 3. & art. 4. ad argumenta Gregorij contra 2. concluſionem.

Ariſtot. *Argentin.* *Toletan.* *Capreol.* *Hiſpalenſ.*

Henric. *Toletan.* *Argentin.* *Scotus.* *Argentin.* *Gregor.* *Toletan.* *Ægyd.*

Suadetur autem, quoniam ea eſt per ſe conditio concomitans ex parte ſubiecti, ſine qua id non poteſt terminare habitudinem habitus, & actus Theologici: at Deus non aliter terminare poteſt actus Theologiæ creatæ, quàm ſub ratione finitudinis virtualis: ergo hæc eſt ratio formalis concomitans. Quia tamen Toletanus breuiter, & obſcurè declarauit, quid ſit hæc finitas virtualis, obſeruandū eſt, in primis non eſſe terminationem aliquam perfectionis VII.

Quid sit finitas virtualis in Deo.

diuinæ in se, sed ipsammet cognoscibilitatem Dei indeterminatam, quatenus est apta mouere finito modo mentes creatas ad agnitionem sui. Nam quemadmodum omnipotentia diuina, quamuis infinita, non operatur modo infinito, sed finito, numquã attingens summum, quod potest: & ita tota quidẽ cõcurrit ad effectum, non tamen totaliter, sed modo finito, & præscripto ab arte, & voluntate diuina: ita etiam intelligibilitas Dei, quæ nostro intelligẽdi modo præsupponitur omni actui intelligendi, etiam diuino, respectu huius adæquatè, & completè se obijcit, ita, vt nõ minus sit in actuali scientia Dei, quàm in intelligibilitate obiectiua suæ essentiæ: at verò respectu intellectus creati, vtpote inadæquati, & improportionati solùm obijcitur secundum mensuram, & proportionem actiuitatis, quam habet ex infusione luminis gloriæ, quod semper est finitum: vel iuxta reuelationem, & lumen fidei, quæ similiter finita sunt: itaque Deitas, vt intelligibilis ab intellectu creato sub termino, & mensura, est ratio terminatiua subiecti Theologiæ: ipsa verò mensura, siue finitudo est ratio, sine qua non siue concomitans. Et hoc solùm probant rationes Toletani, vt ex ipsarũ solutione constabit.

VIII. Dictum verò est in secunda parte assertionis, finitatem secundum actum, non secundum habitum esse rationem subiecti concomitantem: quoniam loquendo de habitu fidei, ac Theologiæ, secundum propriam naturam, non est vllus terminus intelligibilitatis obiectiuæ certus, ac determinatus, vltra quẽ progredi nequeat. Probatur, quia fides, ac Theologia nostra extendi potest ad omnia, quæ cadere possunt sub reuelationẽ Dei. Theologia verò beatorum ad omnia, quæ lumine gloriæ possunt innotescere: obiectorũ verò, & rationum formalium à Deo reuelabilium, non est vllus terminus certus citra infinitum: lumen gloriæ per ordinem ad absolutam Dei potentiam non habet terminũ magnitudinis intrinsecum, sed solùm extrinsecum, ad quem nõ potest accedere, hoc est, infinitatem: & eodem modo essentia diuina respectu eius nõ habet terminũ certum intelligibilitatis obiectiuæ, atque ita non potest tãtùm intelligi à creatura, quin possit plus, ac plus in infinitũ: ergo subiectum Theologiæ secundum habitum non habet certum, ac finitum terminum intelligibilitatis, sed est intelligibile in infinitum syncathegorematicè. Neque ego puto auctores superius citatos voluisse hoc negare: solùm enim videntur locuti de finitudine secundum actum, quoniam omnis Theologia creata in particulari habet terminum: nam cum obiectum necessariò intelligi debeat modo finito, vel infinito, & nullus actus Theologicus possit esse infinitus, semper subiectum, quoad actualem terminationem actuum Theologicorum, obijci debet finito modo. Accedit quod de lege ordinaria terminus maximus Theologiæ omnis creatæ, est visio Christi: hanc autem terminat Deitas sub determinata, & finita ratione, non verò comprehensiua: ergo quoad actũ Deus est subiectum Theologiæ, creata sub ratione finita cõcomitante.

IX. Restat vt diluantur argumenta vtriusque opinionis, quatenus aduersantur doctrinæ traditæ. Ad primum cõcedenda est consequentia iuxta sensum secundæ assertionis. Eo enim modo Deus non solùm cognosci potest, verùm etiã actu cognoscitur sub ratione finita cõcomitante, neganda verò in sensu primæ; & ad probationem dicendum aliud esse cognoscere obiectum sub ratione neutra per abstractionem ab vtraque forma opposita, quarum altera necessariò debet inesse: aliud verò cognoscere sub opposita forma, quæ necessariò inest: primum est commune in omni notitia abstrahente, nã qui cognoscit hominem solùm, quatenus animal, cognoscit per abstractionẽ à rationali, & irrationali, & qui hominẽ iustũ cognoscit quatenus viuens, abstrahit à iusto, vel iniusto, abstrahẽtium verò nõ est mẽdacium, vt ait Philosophus 2. Physicorum t. 18. Quando verò obiectũ cognoscitur sub ratione terminatiua opposita eius, quã habet, necessariò interuenit falsitas formalis, vel virtualis, vt si homo cognoscatur sub ratione irrationalitatis: at in cognitione Theologica, nulla intercedit falsitas, & ideò subiectum eius nõ debet sumi sub ratione terminatiua opposita ei, quã necessariò includit, hoc est, sub finitate oppositа infinitati, quæ est attributũ Dei. Nam si finitas esse debeat ratio terminatiua, cognosci debet in se, & vt coniuncta subiecto, cuius ratio esse dicitur: si verò sit tãtùm cõcomitans, tunc nõ debet attingi, sed solùm est modus, sub quo diuinitas, vt obiectũ intelligibile, mouet intellectum. Secundum solùm probat secundã assertionem: nimirũ quod quemadmodũ omnipotentia diuina est apta producere effectum limitatum, ita essentia, quatenus obiectũ intelligibile est, determinat intellectum creatũ ad notitiam sui finitam: sed sicut ex eo, quod potẽtia finito modo agit, non sequitur principium agendi esse finitum, ita ex eo, quòd essentia mouet ad notitiam

Aristot.

ritiam sui limitatam, nō colligitur ex parte essentiæ esse finitudinem, quæ sit obiectum terminans notitiam; sat enim est, vt sit conditio, sub qua natura diuina obijciatur intelligibiliter intellectui creato.

X. Argumenta contrariæ sententiæ iam superiùs soluta sunt, referendo sententiam Toletani: sed breuiter ad primum respondetur, finitudinem virtualem, hoc est, potentiam ex parte Dei, quatenus est obiectū intelligibile ad mouendū intellectum, vt finito modo attingat Deitatem, nequaquā repugnare cum infinitate Dei formali: quemadmodum neque cum omnipotentia pugnat finitudo virtualis, hoc est, potentia ad productionem huius, vel illius effectus infiniti. Ad secundum respondetur finitudinem virtualem, quatenus est conditio subiecti Theologiæ, præcedere ex parte ipsius subiecti, nā prius est Deum posse finito modo mouere, ac determinare intellectum ad notitiam finitam citra comprehensionem, quàm intellectum ferri in illud. Ad tertium dicendū, maiorem, si intelligatur de ratione formali, quæ attingitur, esse veram: hæc enim est, quæ satiat, vel non satiat appetitum potentiæ: falsam verò, si intelligatur de ratione formali concomitante, quoniam illa non attingitur, & ideò eius non est satiare: & ita de priore rectè concludit argumentum, non de posteriore.

XI. Ex dictis toto hoc capite colligitur responsio ad ea, quorum occasione hæc dicta sunt, nimirum rationē formalem, *quæ*, subiecti Theologiæ diuinæ, beatæ, & reuelatæ per fidē, secundùm esse quoad entitatem, & veritatē in essendo non differre, est enim eademmet vnica, atque indiuidua ratio formalis essentiæ diuinæ, prout est forma Dei substantialis: differre autē penes rationes concomitantes, quoniam, vt est ratio terminatiua subiecti Theologiæ diuinæ, sumitur sub intelligibilitate infinita, cui adæquatur actus scientiæ diuinæ: vt verò est ratio terminatiua Theologiæ, sumitur sub finitudine, hoc est, citra comprehensionē sub proportionata scibilitate in ordine ad virtutē finitā intellectus creati etiam eleuati: & quoad hoc, adhuc est multò maior limitatio Theologiæ viatorū, quorum agnitionē Apostolus comparatā beatæ vocat, *ex parte*: hæc verò limitatio essentialiter est penes modum, ac medium cognoscendi, de qua dicam, cùm sermo incidet de ratione formali motiua: accidentaliter verò penes plures, vel pauciores veritates, nā status beatificus exigit, & habet agnitionē plurium veritatum, ac rationū formalium diuinarum, quàm status viatorum; hanc inter hos duos status differentiam indicauit Scotus, & Argentinas, vbi suprà.

1. Cor. 13.

Veritas omnis creata pertinere potest ad subiectum Secundarium Theologiæ.

Caput VIII.

EXplicato subiecto primario, & eius ratione formali, *quæ*, dicendum est de secundario. Id verò duob' modis accipi potest: primum quidem pro quouis subiecto, de quo demonstratur aliquid in scientia habente distinctionem, saltem virtualem à primo subiecto: qua ratione species ipsæ, ac partes subiecti vniuersalis, quod primò scientia respicit, dicuntur pertinere ad subiectum secundarium. Altero modo dicitur subiectū res extranea primo subiecto, habens tamen attributionem ad ipsum: quomodo se habent in medicina herbæ, & alia medicamenta, quæ nō pertinent ad rationem formalem corporis sani, illam integrando, aut participando; sed habent attributionem ad ipsum tamquā ad causam finalem. Et quidē si priore modo loquamur omnia illa, quæ virtute saltē distinguuntur à Deo, quatenus intelligitur cōstitutus formaliter per essentiam diuinam, de quibus aliquid ex reuelatis oltēditur, pertinent ad secundarium subiectum, vt pertinent ipsæ quoque personæ diuinæ, vt docet Ocham, q. 9. prologi, lit. BB. & Gabriel lit. H. Verùm prior hic modus nō est adeò frequenter vsurpatus, nec ita idoneus: quidquid enim modo aliquo formaliter participat rationem formalem, *quæ*, primi subiecti, ad ipsum, nō ad secundarium pertinet: personæ autē diuinæ formaliter includunt Deitatē, quæ est ratio formalis primi subiecti, ideoque propriè loquendo non pertinent ad secundarium, vt ex instituto ostendam lib. 3. in materia visionis beatæ. Quare veritates omnes reuelatæ, vel per reuelationē deductæ, de Deo secundum se, de tribus personis, ac de verbo incarnato pertinent ad subiectū primarium, quia in omnibus subijcitur Deus, vel immediatè per se, vel in persona diuina. Ex cæteris verò rebus, quæ Deum formaliter non includunt, nulla pertinet ad primarium. An verò, & quomodo pertineat ad secundarium, deinceps agendum est. I. II.

Nihil autem creatum pertinere ad subiectū secundarium, suadetur primò; quoniam res creatæ pertinent ad proprias, ac peculiares scientias: quare non spectant ad subiectū Theologiæ. Consequentia patet, quoniam

Ocham. Gabriel.

Nihil esse creatū quod ad subiectum Theologiæ pertineat, quomodo probetur.

quoniam Theologia est sapientia, ac scientia maximè nobilis, & vniuersalis, cui creatæ omnes subordinantur: quemadmodum ergo metaphysica, quia inter naturales est maximè excellens, atque vniuersalis, non descendit ad considerandas subiecta particularium scientiarum, ita Theologia ob eandem causam debet à creatarum rerum consideratione abstinere. Et confirmatur, quoniam fides, ac Theologia collatæ sunt hominibus, ad supplendum defectum luminis naturalis improportionati perscrutandis rebus diuinis: ideoque extendi non debent ad naturalia: quibus agnoscendis sat est naturale lumen intellectus. Secundò si res aliqua creata ad Theologiam pertinet, eadē ratione omnes pertinebunt; non enim res vlla creata de se est magis improportionata, vt sit obiectū veritatis Theologiæ, quàm alia: non solùm autem omnes creatæ, sed etiam creabiles, atque adeò nō minùs se extendet habitus scientiæ Theologicæ, quàm ipsa scientia diuina: quod absurdum est. Sequela maioris ostenditur, quandoquidem res omnis creata habet attributionem ad Deum: omnis potest inseruire ad eius agnitionem habendam; omnis potest cadere sub reuelationem: quæ sunt conditiones requisitæ, vt aliquid pertineat ad Theologiam. Tertiò denique omnia, quæ de rebus creatis à Theologo sciri possunt, sunt singularia, & contingentia: quorum consideratio per se ad scientiam minimè pertinet, atque adeò neque ad Theologiam: antecedens quoad priorem partem probatur, nam scientia non extenditur ad vllas alias veritates, quàm ad eas, quæ ex proprijs eius principijs deducuntur: at veritates reuelatæ, quæ sunt principia Theologiæ, versantur circa singularia, & contingentia per modū historiæ, igitur etiam conclusiones Theologiæ de subiectis creatis, non, nisi circa subiecta singularia, & contingentia versantur.

III. Res creatæ quomodo ad secundarium Theologiæ subiectum pertineant.

Dico primùm. Res creatæ pertinent ad subiectū secundarium Theologiæ. Ita sentiunt cōmuniter Doctores neque est opus singulos referre. Fundamentum est, quoniam nō necessariò requiritur, vt id, quod ad subiectū secundarium pertinet, formaliter includat rationem primarij: sed vt ad ipsum habeat attributionem in ordine ad eandem rationem formalem, ac finē scientiæ: res autē creatæ, quamuis nō includant formaliter Deitatem, habent tamen attributionē ad ipsam, & inseruire possunt augendæ illius cognitioni, aut promouendæ pietati erga Deum, qui sunt duo fines Theologiæ: possunt ergo ad eandem pertinere. Deinde Theologia ad ea omnia se extendit, quę ex principijs reuelatis colligi possunt: ex ijs autē eruuntur conclusiones veræ nō solùm de Deo, sed etiam de creaturis: quare de his quoque tamquā de subiecto secundariò Theologia disputat. Nec verò ad hoc est opus multis rationibus; sufficit enim si per singulas Theologiæ partes discurramus; pleræque agunt de actibus humanis, de virtutibus, ac vitijs, de iustificatione, ac sacramentis, quæ omnia sunt res creatæ. Neque prædicata, quæ in singulis Theologiæ partib⁹ de creaturis ostenduntur, possunt cōmodè referri in Deum, tamquam in subiectū prædicationis, cui forma insit, sed solùm tamquā in subiectum attributionis, in ordine ad quod Theologia de ipsis quoque creaturis aliquid ostendit.

IV.

Dico secundùm. Non omnes res creatæ pertinent ad subiectum Theologiæ. Probatur ex Scoto q. 3. prologi principali, versus finem, quoniam non plus extenditur, quàm fides, fides autem, vt constat ex Apostolo ad Hebræos 11. *Est argumentum non apparentium,* atque adeò obiecta scientiarum naturalium, quatenus substant euidenti scientiæ, nequeunt ad Theologiam pertinere. Præterea, quæ nō habent vtilitatē per se ad verā pietatem, & ideò à Deo reuelata non sunt, ab eodem subiecto excluduntur. Quod fusè prosequitur Ægydius in 2. d. 1. p. 1. q. 1. art. 3. & Henr. in sum. art. 19. q. 2. & probat ex D. Ambrosij, & Augustini sententia. Nā Ambr. in Hexameron de rebus naturalibus, & eorū notitia loquens: *Quæ,* inquit, *quia altiora sunt à nostro studio, & à diuinæ lectionis serie, his, qui foris sunt, relinquamus: quid mihi, quærere quæ sit mensura circuitus terræ? libenter fateor me nescire, quod scire nihil proderit: Certè Moyses eruditus in omni scientia AEgyptiorum, sed spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam, & vsurpatoriæ philosophiæ doctrinā veritatis ratione post habuit, & ea descripsit, quæ nostræ fidei accommoda iudicauit.* Quibus verbis satis indicat non pertinere ad Theologum eorū scientiam consectari. Porrò D. Aug. lib. 14. de Trinitate c. 1. definiens materiam Theologiæ in tota sua latitudine, *Disputemi,* inquit, *non vtiq; quidquid sciri in rebus humanis, vbi plurimùm superuacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis huic scientiæ tribuens, sed illud tantummodo, quo fides saluberrima, quæ ad verā beatitudinem ducit, nutritur, defenditur, ac roboratur.* & lib. 5. de Genesi dicens quæri solitum, quæ figura cœli, secundum sacras literas credenda sit; deinde paulisper digressus ad reprehendendā inanem illorū curiositatem, qui superuacaneis quæstionibus occupantur, respondet: *Quia*

Scot. Ad Hebr. 11. AEgyd. Henric. Ambros. Augustin.

de fide

de fide agitur Scripturæ, breuiter dicendum est de figura cœli hoc sensisse auctores nostros, quod veritas habet: sed spiritum Dei, qui per eos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura. Et ob eam causam Apostoli; quos Magn. Dionysius Theologorum apices appellat, harum rerũ notionẽ nequaquam tradebant; quia aliena erat ab instituto, ac subiecto veræ Theologiæ. Cùm verò aliqua ad secundarium Theologiæ subiectũ pertineant, alia verò non, oportet notam apponere, qua discerni possint; ex differentia quidẽ Henrici, vbi suprà, subiectum secundarium Theologiæ ita potest describi: est quod habet aliquam attributionem ad Deum, secundum rationem, qua consideratur, vt subiectum Theologiæ: qua descriptione duæ continentur partes, altera exigit attributionem ad Deum, altera modum eius explicat. Et quoad primam nulla est dissentio, omnes enim illã exigunt, ita D. Thom. 1. p. q. 1. art. 3. ad 1. & cęteri communiter. Porrò attributio est duplex, materialis, & formalis: materialis, quatenus res vna secundum propriam entitatem habet attributionẽ ad alteram entitatiuè consideratam. Et hac ratione nõ est vlla creatura, quæ nõ referatur in Deum tamquam ad causam finalem, efficientem, & exemplarem. Verùm hæc attributio supponitur quidem ad rationẽ subiecti secundarij, sed sola non sufficit: nam cùm omnes creaturæ habeant attributionem ad Deum, nõ omnes tamen pertinent ad scientiam metaphysicam, cuius principale obiectum est Deus, quia nõ omnes referuntur ad ipsum secundùm rationem, qua consideratur à metaphysico; requiritur itaque altera attributio formalis. Hæc autem respicit subiectum sub eadẽ ratione, qua est subiectum eius scientiæ: hoc est, sub eadẽ abstractione propter idem motiuum, & sub ijs omnibus rationibus formalibus obiectiuis, ex quibus resultat particularis modus sciendi illius habitus. Et ob hanc causam quantitas, quamuis in se ipsa habeat attributionem ad corpus substantiale, tamen sub abstractione à materia sensibili, non pertinet ad philosophiam naturalem, quæ nõ considerat subiectum suum primarium sub ea abstractione.

VI. His positis dico tertiùm. Ad secundarium subiectũ Theologiæ pertinent omnes, ac solæ creaturæ, de quibus ex principijs reuelatis veritas aliqua cõplexa ostendi potest. Hæc traditur à Bonauentura, q. 1. prologi ad 2. & Henrico vbi suprà, Scoto, q. 3. prologi. §. *Sed dubium*, cum Scotistis ibidem, Bassol. q. 4. art. 3. §. *De Theologia verò*, Bachon. q. 3. art. 4. in art. 2. & 3. innexis, & est omnium asserentium diuinam reuelationem esse rationẽ formalem obiecti Theologiæ, quos referam, c. 10. & principia Theologiæ esse articulos fidei, quos citaui tract. 2. c. 4. Fundamentum est: Quia ea sola pertinent ad obiectum secundarium alicuius scientiæ, quæ habent attributionem ad primarium sub ea ratione, qua est subiectum primarium: ad Deum autem, prout est subiectum Theologiæ, attributionem habent omnes, ac solæ creaturæ, de quibus concludi aliquid potest ex reuelatis: ergo illæ omnes, ac solæ pertinent ad obiectum secundarium Theologiæ. Assumptio declaratur: nam, vt rectè deducit Henr. vbi supra, Deus tribus modis agnoscitur à creatura rationali: nimirum cognitione naturali acquisita ex creaturis, cognitione beata per infusionem luminis gloriæ, cognitione media in ænigmate per fidem, vel ex fide habita. Primò modo cognoscitur per scientias naturales, à quouis viatore fideli, vel infideli: secundò à solis beatis: tertiò à fidelibus in via: & sub hoc modo est subiectum Theologiæ: atque adeò omnes, ac solæ res creatæ, quæ habent attributionẽ ad Deum tertio modo consideratum pertinent ad secundarium subiectũ Theologiæ viatorum. Porrò attributio materialis ad tres modos reuocatur: nã creaturæ omnes habent attributionem ad Deum, vel tamquã ab eo existentes per creationem, vel per eum subsistentes per gubernationem, vel ad ipsum ordinatæ per electorum glorificationem: formalis autem consistit in eo, vt omnes sint scibiles per inspirationẽ diuinam, quæ est ratio motiua assensus Theologici. Porrò de his loqui possumus, vel secundum actum, vel secundùm habitum ac potentiam: si de potentia loquamur, nulla omninò res est, quæ ad subiectum Theologiæ secundarium non pertineat: omnes enim reuelari à Deo possunt, atque adeò esse subiectum prædicationis in aliqua conclusione deducta ex reuelatis per discursum Theologicum, vt rectè notat Hispalensis, q. 3. prologi, art. 4. ad 3. contra 4. conclusionem. Et in hoc sensu S. Thom. 1. p. q. 1. art. 3. in c. & ad 2. dicit omnia diuinitus reuelabilia communicare in ratione formali huius scientiæ: si verò sermo sit de ijs, quæ actu pertinent, sunt ea sola, quæ à Deo in hoc rerum ordine reuelata sunt.

Bonauent. Henric. Scotus. Bachon. Hispalens. S. Thom.

VII. Hæc dixerim absolutè loquendo. Nam discursus procedens ex reuelatis non, nisi ad Theologiam pertinet: atque adeò omnia illa, de quibus aliquid probari potest ex

principio reuelato, ad ſecundarium ſaltem Theologiæ ſubiectũ pertinent, cuiuſcumque generis, ac rationis illa ſint. Cæterùm quamuis omnia à Deo reuelata ad fidẽ pertineant; tamen à D. Thoma in 3.d.24.q. *S. Thom.* 1.ar.2.quæſtiuncula 2. *Henric.* Henrico in ſum.art. 19.q.2.ad 2. argumentum ex ſecundo loco poſitis, Scoto, q.3. prologi. §. *Ex dictis patet,* *Scot.* & alijs doctoribus quẽdam per ſe dicuntur ad fidem pertinere: nimirum ea, quæ ſunt ordinis ſupranaturalis, ac diuini: neque poſſunt naturali ductu rationis inueſtigari: alia verò quodammodo per accidens in ſubſidium eorum, qui nequeunt breuiter, & ſine errore diuina etiam naturaliter agnoſcibilia perdiſcere: ita etiam ad Theologiæ ſubiectum ſecundarium per ſe pertinent eæ creaturæ, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis: quodammodo verò per accidens cæteræ omnes, de quibus aliquid per reuelationem cognoſci poteſt, quod rectè *Alenſ.* docet Alenſ. 1. p. q. 1. membro 3. ad 1. & 2. Fundamentum eſt, quoniam finis Theologiæ eſt notitia Dei non quomodocumque, ſed præcipuè quatenus eſt auctor gratiæ, ac rerum ordinis ſupernaturalis: nã cognitio eius, quatenus eſt principium ac finis naturæ ad ſcientias naturalis pertinet: ergo illæ creaturæ per ſe propriè ſpectant ad ſecundarium Theologiæ ſubiectum, quæ habent attributionem ad Deum, & conducere poſſunt ad acquirendam notitiam ſupernaturalem ipſius: hæ verò ſunt res ordinis ſupernaturalis, atque diuini. Huius generis eſt vnio hypoſtatica, iuſtificatio, ſacramenta, glorificatio, & ſimilia, quorum cognitio ad nullam ſcientiam naturalem ſpectat: & ideò per ſe ſubijciuntur contemplationi Theologiæ, ſecundariò tamen. Reliqua verò, quæ intra naturæ terminos cõtinentur, & per ſe ſciri poſſunt inuentione, aut ſtudio naturali, ex accidente cadent in conſiderationem Theologiæ, ſicut & in fidem. Verùm quoad hæc, vſus eſt Spiritus diuinus delectu, non omnia abſque diſcrimine reuelans, & conſequenter Theologico diſcurſui ſubijciens: ſed ea ſolùm, in quib' eſt aliqua ratio congruentiæ, & vtilitatis ad vtrumque Theologiæ finem: & ob hanc cauſam nõ omnia, quæ ad naturales ſcientias pertinent, ſunt reuelata, quia ad notitiam ſupernaturalem Dei, vel pietatem per ſe non conducunt: neque continent fundamenta ad fidei veritatem; hæc enim tametſi naturalia, ob neceſsitatem reuelata ſunt. Ex dictis colligitur Theologiam ſuo modo eſſe vniuerſaliſsimam, & communiſsimam omnium ſcientiarum, non quidem ratione obiecti primarij, quod eſt maximè ſingulare, ſed ſecundarij, quod latiſsimè patet. Ita docent Ægydius in 1. p. prologi, q. 2. §. *His viſis,* *Ægyd.* Henr. in ſum. art. 7. q. 3. Richard. q. 5. pro- *Henric.* logi ad 4. Aureol. q. vlt. art. 4. propoſitione 4. & Argentin. q. 2. art. 2. ad 1. An vero *Aureol.* Theologia ſit dicenda ſimpliciter ſcien- *Argentin.* tia vniuerſalis & communis, non conuenit inter doctores: affirmant Henr. Richard. & Aureol. negant Albert. tract. 1. ſum. q. 3. *Albert.* m. 4. & Ægydius citat. quia non agit per ſe primo de ente, quod eſt vniuerſale reſpectu omnium; à primario autem obiecto debet aſſumi ratio ſcientiæ. Hæc quæſtio eſt de nomine, placet tamen ratio Alberti, & Ægydij.

VIII. Primi argumenti fundamentum eſt falſum: namque res creatæ ordinis ſupernaturalis ad nullam aliam ſcientiam pertinent: deinde licet conſideratio earum, quæ ſunt ordinis naturalis, ſit propria ſcientiarum naturalium, non proinde excludentur à ſubiecto Theologiæ, ſi induant propriam rationem formalem eius: nec verò inuſitatum eſt rem eandem ſub diuerſis rationibus ad diuerſos habitus reduci. Ad probationem conſequentiæ reſpondetur duobus modis, ſcientiam eſſe ſuperiorem, atque communem ratione proprij ſubiecti, nempè communitate vniuerſalitatis, vel cauſalitatis: & eam, quæ priore modo communis eſt, non deſcendere ad particularia, quia non cadunt ſub communi illa abſtractione: qua de cauſa metaphyſica, quæ eſt de ente in communi ſub abſtractione ab omni materia, non agit de ſpeciebus particularibus, quæ non ſubſtant eiuſmodi abſtractioni, quales ſunt omnes ſpecies corporis. Ex quo patet non propterea ab earum conſideratione abſtinere, quia particulares ſunt: nam ſi hæc eſſet ratio, non ageret etiam de ſubſtantijs ſeparatis, quæ ſub communi illo ſubiecto continentur; ſed quia carent propria ratione formali, ſub qua metaphyſica contemplatur ſua obiecta. Porrò ſcientia de ſubiecto vniuerſali in cauſando deſcendere poteſt ad effectus talis cauſæ, ſi ſubſtent propriæ rationi formali ipſius, vt verè ſubſtant creaturæ, de quibus oſtendi poſſunt aliquæ veritates ex principijs reuelatis, & hoc eſt, quod D. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 3. ad 2. *S. Thom.* docet ea, quæ in diuerſis ſcientijs tractantur, poſſe ſacram doctrinam conſiderare ſub vna ratione, quatenus nimirum ſunt diuinitus reuelabilia: quemadmodum etiam non abhorret à prima philoſophia, inferiores ſpecies contemplari ſecundùm

cundùm rationem communem entis. Ad confirmationem patet solùm ex dictis: nam etiam ex creaturis aliquæ sunt ordinis supernaturalis, ad quarum notitiam acquirendam non est satis lumen naturæ; reliquæ vero reuelatæ sunt in subsidium naturæ, vt facilius Deus cognosci queat; ex hac parte etiam ad Theologiam pertinent. At secundum patet solutio ex dictis: non enim est absurdum res omnes creatas, & creabiles singulatim sumptas posse ad fidem, & Theologiam pertinere, si mediatè, vel immediatè reuelentur; quamuis per se solùm pertineant, quæ sunt ordinis diuini: ex accidente, quæ sunt ordinis naturalis modo explicato. Ex hoc autem non sequitur æquè patere fidem, ac scientiam Dei; nam hæc actu adæquato percipit omne scibile: at fides & Theologia nequaquam, vt cap. 7. explicatum est.

IX. *Alens.* Materiam tertij argumenti fusè tractat Alensis, 1. p. quæst. 1. m. 1. ad 1. & 2. Vbi conatur ostendere omnia, de quibus sacra Scriptura loquitur, vel Theologia disputat, habere rationem aliquam vniuersalitatis, assignat autem quatuor eius modos: alia namque sunt vniuersalia in prædicando, alia in significando, alia in exemplando, alia denique in causando. Vniuersale in prædicando notum est: in significando sunt voces, ac signa hieroglyphica, quæ ad vniuersalem significationem instituta fuerunt: in exemplando, vt Idea, siue typus domus fabricandæ, ad cuius exemplar plures ædificari possunt: in causando, vt Deus. Et quidem Deum, qui est primum subiectum, habere posteriores duos modos vniuersalitatis, conspicuum est: essentia quippe diuina est primum exemplar, & causa prima finalis, atque efficiens rerum omnium. Ex creatis vero quædam sunt vniuersalia in prædicando, maximè quæ ad mores spectant: vt videre est in quibusdam sententijs vniuersalibus: *Initium sapientiæ timor Domini.* Psalm. 110. *Finis præcepti charitas.* 1. ad Timoth. 1. quædam in exemplando, vt sunt historiæ sanctorum virorum, quæ referuntur ad commune exemplum, vt patet ex illo Iacobi, cap. vlt. suæ canonicæ: *Exemplum accipite fratres exitus mali, laboris & patientiæ, prophetas:* denique sacramenta sunt vniuersalia in significando simul, & causando: Quæ solutio idonea est; sed supponit ad rationem subiecti non esse necessariam vniuersalitatem in prædicando: quæ suppositio vera est, quando subiectum primum eius est naturæ, vt secundùm propriam rationem singularem habeat proprietates de ipso solo demonstrabiles, vt habet Deus: non verò quando ijs caret, vt se res habet in creaturis. Hoc posito, respondeo simpliciter non requiri, vt secundaria subiecta Theologiæ habeant in se ipsis vniuersalitatem: sed sat est, vt habeant habitudinem ad Deum, & substent reuelationi. Nam, quia non per se, sed per habitudinem ad illum considerantur, satis est, vt ex ipsis haberi possit aliqua notitia Dei: quamuis alioquin nullam haberent vniuersalitatem ex quatuor illis numeratis, communiter tamen habent.

Psal. 110. *1. ad Tim. 1.* *Iacob. c. vlt.*

Subiectum Theologiæ adæquatum est ens diuinum, sub ratione analogiæ per attributionem.

Caput IX.

I. Adæquatum subiectum ex primo, & secundario coalescit. Verum in eo ipso considerari possunt ea, ex quibus quasi materialiter coalescit, & ratio communis, sub qua confluunt in vnum. Nam quidquid vnum est, sub aliqua ratione vnitatis tale est: porrò ratio subiecti, vt ex superioribus constat, est multiplex, *quæ, propter quam, & sub qua:* duæ posteriores sunt eædem in omnibus, quæ veniunt in considerationem Theologicam, vt infra dicam: nunc agendum de propria ratione formali subiecti adæquati, vtrum nimirum sit, & quænam sit: itaque duo disquirenda sunt in primis, quæ sit latitudo subiecti adæquati quoad materialia: deinde quæ sit ratio formalis vnica, sub qua res diuersorum generum habeant vnitatem subiecti adæquati.

II. *Bonauent.* Quod attinet ad primum; subiecti adæquati, vt ait D. Bonauent. quæst. 1. prologi, duo sunt genera: alterum per modum inclusionis partium in toto, quod est proprium totius integralis: alterum per modum extensionis, siue inclusionis in partibus, qui est modus totius vniuersalis. Priore modo censet idem Bonauent. Christum esse subiectum adæquatum Theologiæ: posteriore res, & signa. Fundamentum aliud non proponit, quàm quia Christus comprehendit diuinam, humanamque naturam, siue creatam, & increatam, caput, & membra: quoniam

verò neque hoc modo Christus includit omnia pertinentia ad Theologiam, vt per se patet, adiungit accipere se totum integrale largo modo id, quod multa complectitur non solùm per compositionem, sed etiam per vnionem, & ordinem: hoc hoc autē modo Christus complectitur omnia, quæ ad Theologiam spectant: nā Deitatem formaliter includit: duas alias personas inuoluit propter vnitatē in eadē nātura: prædestinatos, vt caput: reprobos, vt iudex: creaturas cæteras, vt causa & finis omnium. Hanc sententiam docuit etiam Albertus tract. 1. sum. q. 3. m. 1. & nonnulli alij Scholastici, quā desumpserunt ex Linconiensi in Hexameron, & Glossa Cassiodori in principio Psalterij.

Albert.

Linconiens.

Cassiodor.

III. Quod attinet ad subiectū adæquatum per modum totius vniuersalis. Magister in 1. d. 1. initio docet in Theologia esse res, & signa, cuius sententiam approbant Alensis 1. p. q. 1. m. 3. ad 1. & 2. cōtra sententiam Magistri, Albertus in 1. d. 1. art. 2. Bonauent. q. 1. prologi, & Henr. in sum. ar. 19. q. 1. ad 10. & q. 2. in c. Probatur, quoniam hæc est latissima denominatio comprehendens omnia prorsus reuelata, vel in Theologia cognita: neque facilè assignabitur aliquid aliud, quod ita commode suo ambitu contineat subiectum eius primarium & secundarium: atque adeò possit adequatū appellari: quapropter res, & signa sunt subiectū adæquatū adæquatione vniuersalitatis.

Magist.

Alens.

Albert.

Bonauent.

Henric.

IV. Dico primum. Christus Dominus sub nulla consideratione est adæquatum subiectum Theologiæ. Hæc est communis inter alios doctores, qui cōmuniter reijciunt, & ex instituto impugnant D. Bonauent. sententiam, nempè Scot. qu. 3. prologi. §. *Expræditis*, & sequenti, cum interpretibus Aureol. q. vlt. art. 3. Bassol. q. 3. art. 2. §. *Ex hoc etiam*, & alij. Fundamentum est, quoniam subiectum adæquatum continere debet omnia per modum inclusionis, nō verò solùm per modū attributionis: Christus Dominus nō continet omnia per modum inclusionis, imò neque propriè loquendo per modum attributionis: ergo nō est subiectum adæquatum. Maior propositio est euidens ex differentia subiecti primarij, & adæquati: non enim sunt prorsus idem, sed adæquatum includit aliquid vltra primarium: si verò ad rationē adæquati satis esset continere omnia per modum attributionis, omne primarium esset adæquatum: atque adeò Deus esset subiectum adequatum Theologiæ. Requiritur itaque ad adæquatum, vt includat omnia, quæ veniunt in considerationem scientiæ, hoc enim indicat ipsa notio verbi: Christum verò non continere omnia per modū inclusionis, vt dicitur in assumptione, ipse D. Bonauent. aduertit, atque recurrit ad attributionem. Et facilè probatur: nam ea, quę spectant ad reliquas duas personas diuinas, in Christo minimè includuntur: itemque ea, quæ spectant ad pleraque opera ad extra, quamuis enim habeant aliquā habitudinē ad ipsum, nō tamen includuntur formaliter in ipso; neque quatenus est compositū ineffabile, vt per se patet: neque quatenus est corpus mysticum, & caput Ecclesiæ militantis, atque triumphantis. Hac enim ratione non includit reprobos, de quibus etiam Theologia disputat, neque res cæteras, sensus ac rationis expertes, quæ etiā veniunt in considerationem Theologiæ. Posterior pars eiusdem assumptionis patet, quoniam duæ aliæ personæ ad Christum attributionem nō habent, sed per se ipsas ratione Deitatis, quam includunt, & ratione propriæ hypostasis ad Theologicam contemplationem pertinent: quod enim absq; attributione ad aliud includit formā, quæ est propria ratio formalis subiectiua scientiæ absq; attributione ad illud, pertinet ad scientiam, vt euidens est. Pater autē, & Spiritus sanctus absque attributione ad Christū sunt compotes Deitatis, quæ est ratio formalis propria subiecti Theologiæ: vterq; enim est Deus essent aliter absque dependentia, aut attributione ad vnionē hypostaticam, qua resultauit compositū ineffabile, qui dicitur Christus: ergo per se pertinent ad Theologiam absque attributione ad Christum. Neque satis est Christū Dominū includere Deitatē per attributionē ad quā cętera pertinent ad subiectum Theologiæ: vt enim benè arguit Aureol. vbi supra, hac ratione quęuis species, aut indiuiduum subiecti primarij diceretur subiectū adequatum. Verbi gratia, homo, aut equus subiectū philosophiæ naturalis, quoniam vterque cōtinet naturā, quæ est ratio formalis subiecti philosophici: quod tamē est absurdū, vt patet. Ad rationem enim adæquati subiecti opus est, vt quatenus ipsum, & non ratione alterius superioris, vel inferioris includat, vel contineat omnia: Christus autem, vt probatum est, neque quatenus compositum est ineffabile, neque quatenus caput corporis mystici cōtinet, vel includit omnia, de quibus agit Theologia: quare non est adequatum subiectum illius. Ex quibus patet solutio ad motiuum D. Bonauent. ad rationem quippe subiecti adæquati nō sufficit continere omnia per modum attributionis, vt ipse supponit.

Scot.

Aureol.

Bassol.

Dico

V. Dico secundum. Quamuis hoc disiunctũ, *res, vel signa,* contineat inclusiuè per modũ vniuersalis omnia, quæ cadere possunt in considerationẽ Theologiæ, nõ tamen aptè dicitur subiectũ adæquatum: accommodatiùs diceretur Deus, & creatura: Prima assertionis pars supponitur à D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 7. & quæst. vnica prologi, art. 4. Scot. q. 3. §. *Ad primum argumentũ 1. q.* Ocham, q. 9. lit. BB. Gabriel lit. H. & cæteris, qui nõ eo reijciunt opinionẽ Magistri, quòd aliquid pertinens ad subiectũ Theologiæ non contineatur illo disiuncto, & ita fatentur quidquid in Theologia tractatur esse res, vel signa. Et ex ipsis terminis patet: nã hoc disiunctũ complectitur omnia rerũ genera, & cum ipso cõmunissimo ente recurrit. Secunda indicatur ab ijsdẽ, quatenus nõ ex propria sententia id affirmant, sed potius benignè interpretando sententiam Magistri concesserunt aliqua ratione dici posse subiectũ Theologiæ. Ostenditur vero primo, quoniã subiectũ adquætũ includere debet ea solùm, quæ pertinent ad scientiam, vel habitum: & indicare rationem formalem, *quæ:* neutrum conuenit disiuncto illi: quare nõ est propriè subiectũ adæquatum Theologiæ. Assumptio patet, quoniam multæ res, ac signa sunt, quæ non pertinent ad Theologiam, & ideò disiunctum illud potest ex æquo accommodari subiectis omnium scientiarum, imò D. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana, c. 2. ex quo Magister sumpsit occasionem suæ opinionis, omnem scientiam dixit esse de rebus, vel signis. Maior propositio quoad priorem partem per se patet, quoad posteriorem probatur ex ijs, quæ adducit Aureol. vbi supra. Nam verum prædicatur de omni subiecto metaphysico, sensibile de subiecto philosophiæ naturalis, diuisibile in infinitum de omni subiecto geometriæ, par, vel impar de omni numero, atque adeò de omni subiecto arithmeticæ: neque tamen propterea vllum ex his dicitur subiectum adæquatum scientiæ, de cuius subiectis dicitur vniuersaliter, quia non indicat ipsam rationem formalem, *quæ:* vndè patet fundamentum sententiæ asserentis res, & signa esse subiectum adæquatum, eò quod disiunctum hoc per modum vniuersalis omnia contineat, nullius esse momenti. Denique tertia pars ostenditur. Nam subiectum adæquatum continet primarium, & secundarium: & in primario includitur propria ratio formalis subiectiua omnium pertinentium ad scientiam: Deus autem, vt constat ex superioribus, est primarium subiectum Theologiæ, creaturæ secundarium: Deus importat propriam rationem formalem, creaturæ attributionem ad illam: ergo aptius dicitur subiectum adæquatum Theologiæ Deus, & creaturæ, quàm res, & signa, aut quoduis aliud. Quia tamen subiectum adæquatum sumi debet per modum vnius, restat dicendum an sit aliquid vno nomine significabile importans vnam rationem formalem adæquatam.

VI. Dico tertium propriè, & formaliter loquendo, subiectum adæquatum Theologiæ est ens diuinum: est sententia D. Thom. in prologo, quæst. vnica, art. 4. Petri de Tarantasia apud Carthus. quæst. 4. Capreol. quæst. 4. conclusione 5. Syluestri, quæst. 1. Conflati, art. 16. vbi rectè notat S. Thomam non locutum fuisse loco cit. ex aliorum sententia, vel illã postea mutasse, vt Iauellus, 1. p. quæst. 1. art. 7. & alij Thomistæ arbitrantur. Sumo autem ens diuinum non in propria significatione, qua solùm dicitur de illis, quæ formaliter participant formam Deitatis: hoc enim modo est subiectum primarium, non adæquatum, vt notat Bassol. quæst. 3. prologi, art. 2. §. *Dico igitur,* sed accipio in significatione analogica per attributionem ad vnam formã Deitatis, quemadmodum sumitur sanum, quãdo extenditur ad omnia, de quibus agitur in medicina: quæ ita appellantur, vel à formali participatione sanitatis, vel per extrinsecam de nominationem ad ipsam, propter attributionem, quam habent. Ita diuinũ dicitur quidquid respicit diuinitatem, vt formã vel intrinsecam, vt personæ diuinæ, vel extrinsecam per attributionem ad ipsam. Assertio hoc modo explicata ostenditur, quoniam ens diuinum continet omnia subiecta materialia, quæ venire possunt in speculationem Theologicam, & rationem formalem, *quæ:* ergo est subiectum adæquatũ illius. Consequentia patet ex propria notione subiecti adæquati. Antecedens patet, quoniam ens diuinum sumptum modo explicato continet in primis Deum tamquã primarium, ac proprium significatum, deinde vero omnia, quæ habent attributionẽ ad ipsum, nempè creaturas: nihil autem aliud pertinet ad subiectum Theologiæ. Nam Deus est primarium, creaturæ secundarium, vt constat ex dictis: continet etiam propriam rationem formalem, hoc est, Deitatem. Ea enim est ratio, sub qua omnia etiam subiecta secundaria cõsiderantur in Theologia, vt docet D. Thom. 1. p. quæst. 1. art. 7. & patet ex similitudine colorati, qua vtitur: quod ita est obiectum visus, vt

huius

S. Thom. Scot. Ocham. Gabriel. Augustin. Tarentas. Capreol. Syluest. Iauellus. Bassol. S. Thom.

huius actum nihil terminet, nisi sub ratione colorati: non enim homo, vel lapis aliter videntur, quam sub ratione coloris. Postea vero subiungit: *Omnia autē tractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinē ad Deum.* Ex quibus constat Deitatem esse rationem formalem, *quæ*, subiecti adæquati, nā quatenus constituit formaliter, & intrinsecè est ratio primi subiecti; quatenus verò extrinsecè, ac denominatiuè secundarij. At vero quatenus abstrahit ab vtroque modo denominandi, constituit proprium subiectum adæquatum Theologiæ, quod appellatur ens diuinum per analogiam.

VII. *Henric. Ægyd. Aureol. Basſol.*

Hanc sententiam impugnat Henric. in sum. art. 19. quæst. 1. ad 11. & quæst. 2. in c. Ægydius 1. p. prologi, quæst. 3. Aureol. q. vlt. art. 3. & Basſol. quæst. 3. art. 2. §. *Contra istam.* 1. arguit Henric. quoniam quotiescumque assignatur aliquod subiectum tamquam commune in aliqua scientia, cætera considerantur, non secundum rationes proprias singulorum, vel alterius determinati, sed secundum rationem communem subiecti; in Theologia vero non considerantur omnia secundum rationem communem entis diuini analogicam, sed secundum propriam rationem Deitatis, vt constat ex dictis; nam, etsi ratio communis entis diuini quodammodo conueniat omnibus, forma tamen ipsa, à qua sumitur, est propria vnius ex illis, nempè Dei: reliquis vero per se non conuenit, sed per solam attributionē ad Deum: atque adeò ratio, secundùm quam omnia considerantur, est Deitas, vt forma propria Dei. Maiorem propositionem ostendit exemplo metaphysicæ, cuius subiectum est ens simpliciter commune per prædicationem: & idcirco non considerat substantiam sub ratione substantiæ, nec quantitatem, aut qualitatem secundùm proprias rationes, sed solùm secundum rationem entis: nam si de substantia secundùm propriam rationem per se ageret, de reliquis vero per attributionem ad ipsam, illa profectò esset subiectum metaphysicæ, non vero ens. Secundò argumentatur Basſol. Subiectum commune per prædicationem debet formaliter dici de omnibus sub eo contentis, vt videre est in ente, quod dicitur de subiectis omnib⁹ particularibus ad metaphysicam pertinentibus; ens autem diuinum solùm formaliter de Deo dicitur: atque adeo non est subiectum vniuersale in prædicando. Tertiò ens diuinum hoc modo sumptum non vendicat, aut continet vllas veritates Theologicas, aut passiones in ea demonstrabiles: si enim contineret, traduceret omnes eas ad creaturas, de quibus etiam prædicatur. Quartò ens diuinum, hoc modo sumptum non differt ab entes nam, sicut Deus est primum ens per essentiam: cætera vero per attributionem ad ipsum: ita ipse est Deus per essentiam, cætera dicuntur diuina per attributionem ad ipsum: itaque ens diuinum hoc modo reciprocatur cum ente: absurdum vero est dicere ens esse adæquatum subiectū Theologiæ. Et confirmatur, quoniam ens diuinum latius patet, quam Theologiæ subiectum, nam ab hoc plurimæ res excluduntur, vt patet ex initio capitis: ens autem diuinum omnes amplectitur, siquidem creaturæ omnes habent attributionem ad Deum, & consequenter appellari possunt analogicè ens diuinum. Denique vt arguit Aureol. nulla denominatio est subiectum in scientia reali: ens autem diuinum est denominatio extrinseca à Deitate: quare nequit esse ratio subiecti Theologiæ.

VIII.

Hi auctores, quantum ex ipsorum argumentis colligitur, non impugnant assertionem propositam, non enim meminerunt subiecti adæquati excepto Basſoli: & ipsorū argumenta potius impugnant modum subiecti primi specificantis: quam adæquati ambitu suo complectentis omnia, quæ cadere possunt in speculationem scientiæ. Obseruandum verò est specificationem, ac distinctionem vltimam habituum nō desumi ab adæquato subiecto, sicut nec semper potentiæ ab ipso specificantur. Nam mens humana, Angelica, atque diuina conueniunt in eodem obiecto adæquato, nempè, vero: & nihilominus plusquam specie differunt ratione primarij, & connaturalis, quod in singulis est diuersum. Cùm itaque ens diuinum statuitur statuitur adæquatum subiectū Theologiæ, non eò fit, vt ab ipso secundum rationem analogicam, & totam eius latitudinem sumatur vnitas, ac distinctio habitus Theologici: hæc enim sumitur à præcipuo, ac primo analogato, qui est Deus: sed vt innotesca[illegible] ambitus materiæ Theologicæ, & ratio sub qua omnes eius partes subijci possunt Theologico discursui, ac speculationi. Porrò interdum accidit, vt idem sit subiectum primum, & adæquatum; nempè cum ratio formalis subiectiua per se primo conuenit alicui subiecto communi, quod formaliter dicitur de omni eo, quod venire potest in considerationem scientiæ tamquam subiectum, de quo aliquid demonstretur: vt se

res habet in ſubiecto philoſophiæ naturalis, quod eſt corpus naturale prædicabile de quouis ſubiecto demonſtrationis phyſicæ; nam, licet Philoſophus multa diſputet de motu, ac tempore, de his tamen, & alijs eiuſdē generis non agit tanquā de ſubiectis, ſed tamquā de paſſionibus corporis naturalis. Hoc vero diſcrimen eſt inter adæquatum, ſimul & primum, & adæquatum nō primum; quod illud prædicatur formaliter de omnibus particularibus ſubiectis eiuſdē ſcientiæ, vt conſtat in ente, quod eſt ſubiectum metaphyſicæ, & ente naturali, quod eſt ſubiectū philoſophiæ: hoc vero, id eſt, adæquatū non primum, ſolùm dicitur formaliter de primo: denominatiuè, atque extrinſecè de ſecundariò, vt videre licet in ſano, quod iure optimo dici poteſt ſubiectum adæquatum ſcientiæ medicæ; & formaliter ſolùm dicitur de corpore ſano, quod eſt prę cipuum ſubiectum: per extrinſecam denominationē de cæteris, quæ habent attributionē ad corpus ſanum. Ratio huius eſt, quoniam ratio cōmunis vniuoca, vel analogica ſecundùm proportionem, habere poteſt formalem denominationē ad omnia ſua analogata: & prout ab illis abſtrahit, vendicare paſsiones aliquas, & attributa de primo ſubiecto per eam conſtituto demonſtrabiles: at vero ratio analogica per attributionem neutrum habet, vt patet in ſano: quod ſolùm de corpore propriè, & formaliter prædicatur, & abſtrahendo ab analogatis non habet vllam paſsionem.

IX. His poſitis ad primum reſpondeo propoſitionem eſſe veram, quādo ſubiectum illud commune eſt ſimul primum, & adæquatum; falſam vero, quando eſt adæquatum non primum, quale eſt ens diuinum reſpectu Theologiæ. Exemplum vero, quo confirmatur eadē propoſitio, non eſt ad rem: nam ens ita eſt ſubiectū metaphyſicæ adæquatum, vt ſit etiam primum, ſub cuius ratione formali cætera conſiderantur, vt idemmet Henr. contendit. Eadem ratione ſoluitur ſecundum; nam ens, quod eſt ſubiectum metaphyſicæ, eſt analogum, nō ſolùm per attributionem, ſed etiam per proportionem: & ideò dicitur de omnibus analogatis: at ens diuinum per ſolam attributionem: eiuſmodi vero analoga, nō multiplicant formam per omnia analogata, ſed à forma primarij analogati cætera extrinſecùs denominant: & ideò Deitas vna, ac ſimpliciſsima forma Dei appellat ipſum Deum formaliter, creaturas tantum extrinſecè, ac denominatiuè. Tertiò nihil efficitur: namque de ratione ſubiecti adæquati nō eſt, vt ſub ratione communi præciſa contineat veritates aliquas, & proprietates; id enim ſolùm conuenit adæquato, & primo: adæquatum vero non primum ſat eſt, vt eas contineat ratione primi, per attributionem, ad quod reliqua ſubeunt rationē ſubiecti ſcibilis in hac, vel illa ſcientia. At vero ens diuinum eſt adæquatum, non primum; ideoque ratione primi, quod includit, continet veritates, ac paſsiones, quas non opus eſt formaliter omnes deriuari ad creaturas: quemadmodum nec forma ipſa, ſiue ratio ſubiectiua formaliter ipſis ineſt, ſed tantum extrinſecùs afficit, ac denominat. Ad quartum reſpondeo, ens in ſua latitudine, & ens diuinum analogicè ſumptum æquè latè patere, ſeu eſſe idem materialiter, vt probat argumentum: non formaliter, quoniam ens ſolam dicit rationem eſſendi: in ſubiectis autem potius attenditur ratio formalis, quàm materialis: & quia ens non indicat vllo modo rationem formalem ſubiectiuam Theologiæ, ens vero diuinū maximè; idcirco hoc, non illud dicitur adæquatum ſubiectum. Confirmatio eiuſdem argumenti ſupponit ſolam rationem materialem, *quæ*, ſat eſſe ad complementum formale ſubiecti nō conſiderata ratione motiua, & alijs concomitantibus, quod eſt falſum: hoc ſolùm modo verum eſt ex ratione formali, *quæ*, haberi ſufficiens fundamentum, vt accedente ratione formali motiua compleatur ratio ſubiecti ſcibilis. Ex quo ſequitur res omnes ſecundùm potentiam pertinere ad ſubiectum adæquatum Theologiæ, quatenus omnes ſciri poſſunt ex reuelatione: & hoc modo negandum eſt minus latè patere ſubiectū adæquatum Theologiæ, quam ens: tamen ſecundùm actum non omnes ad illud pertinent, quoniam non de omnibus eſt facta reuelatio, & hoc modo ſubiectum Theologiæ minus latè patet, quam ens. Vltimum probat quidem ens diuinum non eſſe primum ſubiectum, quod eſt verum: non tamen probat nō eſſe adæquatum non primum: namque hoc, cum non ſecundum ſe totum conferat ſpecificationem habitui, ſed ſolùm ratione primi, quod includit, ſat eſt, vt ratione huius contineat formam realem: licet ratione ſecundarij contineat ſolam denominationem extrinſecam attributionis ad primum ſub propria eius forma reali.

Sub-

Subiectum Theologiæ nostræ non habet aut vendicat abstractionem ab omni omnino potentialitate.

Caput X.

I. SI loquamur de subiecto primario Theologiæ, qui est Deus secundum se, nemo nescit ipsum abstrahere omninò à materia sensibili, & intelligibili, imò & ab omnipotentialitate, quæ comparata actui puro habet modũ materiæ: eaque de causa Patres non semel asserunt omnia, si cum Deo comparentur, esse corporea, hoc est potentiæ passiuæ immista. Verum controuersia est vtrum, quemadmodum ad scientias naturales ex parte obiecti requiritur determinata quędam abstractio à materia, sine qua nihil pertinet ad hanc, vel illam scientiam, ita ex parte obiecti Theologici requiratur abstractio nõ solùm à materia, sed etiam à potentialitate, vt sine illa nihil venire queat in speculationem Theologicam.

II. *Bannes.* Partem affirmantem secutus est Domin. Ban. 1. p. q. 1. art. 3. conclusione 3. vt ita distinguat Theologiam à Metaphys. eandem tenent quidã recentiores, qui censent solam diuersitatem luminis penes naturale, ac supernaturale non sufficere ad distinguendos habitus scientiæ: nam si sufficeret, inquiunt, satis foret lumen supernaturale reuelationis diuinæ ad distinguendam Theologiam à Metaphys. etsi ageret de rebus eodem modo abstractis quo agit metaphysica. Non sufficere vero diuersitatem luminis penes naturale, ac supernaturale ostendunt: quoniam omne lumen, quod rebus obscuris, & nondum distinctè cognitis adhibetur, aliquid quasi contectum, ac velatum reuelat, & ita naturali lumine adhibito rebus sensibilibus singularibus, deteguntur in eis primo quasi gradu plures naturæ vniuersales sensibiles, quarum abstractione constituitur philosophia naturalis: adhibito rursus eodem lumine rebus materia sensibili constantibus, deteguntur quasi in secundo gradu earum quantitates puræ, quę in suo conceptu nullam materiam sensibilem includunt, quamuis ipsa extensio rationé habeat materiæ, quæ intelligibilis dicitur; & ita constituitur abstractio à materia sensibili, non tamen intelligibili, quę est propria obiecti mathematicæ. Denique adhibito naturali lumine rebus omnibus, detegitur quædam abstractio ab omni materia tam sensibili, quam intelligibili, nam in omnibus reperitur ratio communis entis, & præterea quædam rerum genera, vtpote immaterialia, nullam omninò materiam includunt nec sensibilem, nec intelligibilem. At vero lumen supernaturale adhibetur ad aliquid detegendum, ac reuelandum, ergo necesse est, vt ab eo fiat quarta abstractio maior, ac perfectior ijs, quæ naturali lumine fiunt: hæc vero est abstractio ab omni non solùm materia, sed etiam potentialitate, quæ consistit in ratione actus puri & per se conuenit Deo secundum seipsum spectato, ratione cuius cætera diuini ordinis cognoscuntur. Potest vero eadem sententia corroborari, quoniam, si quid impediret in via hunc modum abstractionis, maximè imperfectus modus cognoscendi noster, nam dum sumus in corpore, intelligimus per conuersionem ad phantasmata, & in ipso quoque Deo cognoscendo non prorsus abstrahimus à materia, ex ijs enim, quæ videmus, Deum cognoscimus, ita vt rerum creatarum species inseruiant cognoscendo Deo: hoc vero non impedit, quoniam obiectum metaphysicæ dicitur abstrahere à materia intelligibili, & nihilominus ad cognitionem substantiarum separatarum, & reliquorum obiectorum metaphysicorum vtimur ministerio phantasmatum & speciebus rerum corporearum, quæ non abstrahunt à materia: sicut ergo in his sat est vt obiectum ipsum secundum se abstrahat à materia sensibili, & intelligibili: ita quoque ad rationem quartæ abstractionis sat erit, vt Deus ipse abstrahat ab omni materia, & potentia passiua, quamuis nos in eius cognitione non prorsus ab illis abstrahamus.

III. Abstractio, vt sit propria ratio formalis obiecti alicuius scientiæ, debet extendi ad omnia, quæ pertinent ad obiectum adæquatum ipsius, ne demus obiectum materiale destitutum ratione formali obiectiua scientiæ terminare eius actum: hoc enim ipso non erit per se, sed per accidens ratio obiectiua, nam, quæ per se talis est, non potest non inesse obiecto terminanti actum scientiæ: ratio est, quoniam sicut nihil potest esse sub certo genere rerum, cui non conueniat ratio essentialis propria eius generis, ita nequit esse sub certo genere, ac specie scibilis si careat propria ratione scibilitatis illius speciei: at vero propria ratio specifica scibilitatis obiectiuæ cõstituitur per diuersas abstractiones: ideoque quidquid continetur sub obiecto

scibili

scibilis alicuius scientiæ sumi debet sub propria abstractione illius. Id verò perspicuum fiet discurrenti per singulas species scientiarum naturalium, nihil enim venit in considerationem alicuius ipsarum, quin subsit propriæ illius abstractioni, nam Mathematicus solùm demonstrat passiones quantitatis secundùm se consideratæ absque contractione ad materiam sensibilem, Philosophus non agit de singularibus, nec Metaphysic. de rebus materia constantibus. Ex quo rectè colligitur abstractionem propriam obiecti principalis non esse rationem formalem sub qua, quandoquidem ratio sub qua extendi debet ad omnia obiecta terminantia per se actum scientiæ, vel habitus, hæc verò possunt esse obiecta secundaria inclusa in adæquato minimè participantia abstractionem obiecti principalis.

IV. Obseruandum quoque est lumen intellectuale dupliciter detegere, ac reuelare obiectum, aut quo ad eius entitatem simpliciter apprehendendam, aut quo ad veritatem cognoscendam; quod in scientijs naturalibus apparet: nam in primis ope intellectus agentis abstrahentis vniuersalia à singularibus quodammodo detegitur natura communis à differentijs indiuiduantibus, & in sua præcisione proponitur, ac reuelatur intellectui, deindè verò eiusdem luminis vi, & penetratione terminorum detegitur veritas primorum principiorum, tandem verò accessu medij demonstratiui detegitur veritas scibilis, in quam fertur actus scientificus. Hæc verò detectio, siue reuelatio veritatis, vel est causalis in motiuo assensus, vel est formalis in ipso assensu percipiente obiectum: & quidem formalis manifestatio nullo modo pertinet ad rationem formalem sub qua eiusdem actus: quandoquidem ratio obiectiua, sub qua, est prior actu tendente in obiectum sub illa constitutum, at verò manifestatio formalis veritatis obiectiuæ coincidit cum obiecto cognito, nam cognitione ipsa redditur formaliter manifestum. Causalis potest pertinere ad rationem obiectiuam: id tamen est notandum, per eiusmodi reuelationem causalem non necessariò detegi, aut abstrahi obiectum à conditionibus materialibus, vt constat in assensu illius principij, natura est principium motus, & quietis; ex quo Philosophus colligit conclusiones Physicas, nam ex vi penetrationis terminorum detegitur veritas illius principij, non tamen abstrahitur natura, aut motus, & quies à materia singulari, sed abstracta supponuntur per præcedentem apprehensionem terminorum: itaque lumen detegens in actu signato abstractionem subiecti à materia, non semper interuenit in demonstrationibus, nam Metaphysicus demonstrat Angelos esse materiæ expertes vna, vel altera demonstratione, cuius veritatis perceptio non requiritur actualiter in alijs, requiritur tamen abstractio in actu exercito, quando mens concipit obiectum præcisum à conditionibus materialibus, iuxta modum cuiusuis scientiæ. Ex quo patet abstractionem per se primo requisitam ad obiecta diuersarum scientiarum consistere in apprehentione terminorum, quæ præcedunt iudicium non solùm conclusionum, sed etiam primorum principiorum, quæ sunt propria eiusdem scientiæ, hæc enim eandem cum illa abstractionem vendicant: differunt tamen propter motiua: nam horum motiuum sunt termini ita abstracti, ac penetrati lumine naturali, motiuum verò conclusionum est medium illustratum lumine intellectus sub hac vel illa abstractione, aut obumbratione, vt loquitur Caietan. 1. par. quæst. 1. ar. 3. §. *Ad euidentiam.* *Caietanus.*

V. His præmissis dico primum: sola diuersitas luminis illustratis medium Theologicum à lumine naturali est sufficiens ad constituendum discrimen eius essentiale à scientijs naturalibus: hęc est de mente Caietani vbi proximè, tradens enim rationem scibilitatis propriæ scientiarum naturalium semper recurrit ad diuersam abstractionem vel obumbrationem obiecti; cùm ad scibile Theologicum deuenit, non meminit abstractionis, sed solius luminis diuini, dicens scibile Theologicum constitui per medium fulgens lumine diuino: item de mente Diui Thomæ, qui lib. 1. post cap. 1. ad finem lect. 14. ad diuersitatem scientiarum ait sat esse diuersitatem principiorum, idem significat 1. part. quæst. 1. art. 1. ad 2. vbi expressè ait de ijsdem rebus, de quibus Physicæ disciplinæ tractant, secundùm quod cognoscibilia sunt lumine naturalis rationis aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis. Itaque sola diuersitas luminis secundùm sententiam Diui Thomæ sat est ad constituendam diuersam scientiam de ijsdem rebus, ex quo concludit his verbis: *Vnde Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundùm genus ab illa Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur,* ex sola luminis diuersitate arguit distinctionem *S. Thom.*

ctionem genericam, inter sacram Theologiam, & Metaphysicam: idem post Diuum Thomam tradiderunt Henric. Anglicus apud Aureolum q. 4. prolog. ar. 3. Gregor. q. 3. art. 3. Capreol. qu. 3. Conclusione 4. & ad argumenta contra eandem conclusionem Hispalens. ibidem Sylvest. 1. p. q. 1. ar. 12. suadetur verò quoniam obiectum intelligibile, per fidem, & per scientiam Theologicam conueniunt in eadem abstractione obiecti, & solùm differunt penes applicationem luminis, quia ad fidem tota ratio motiua est lumen diuinum, ad Theologiam verò etiam lumen naturale per discursum rationis: sed non est minor differentia, quoad lumen inter Theologiam, & scientias naturales, quam inter ipsam, & fidem: ergò si sub eadem abstractione obiecti propter diuersitatem luminis distinguitur à fide, distinguetur etiam à Metaphysica, licet conueniat cum ea in abstractione obiecti. Assumptio est euidens, quoniam sicut Theologia differt à fide, quoniam nititur discursu, ac lumine naturali, quo fides non indiget; ita differt à Metaphysica, quoniam necessariò requirit principia nota lumine supranaturali, quæ Metaphysica non requirit. Maior verò admitti debet ab oppositæ sententiæ Autoribus, qui lumini diuino tribuunt quartam illam abstractionem, quam volunt conuenire Theologiæ, quatenùs est quædam quasi vicaria scientiæ beatorum, hoc verò multo aptius quadrat in fidem, quæ immediatius nititur lumine diuino. Verùm quia aliter sentio de huiusmodi abstractione, alio medio ostendo maiorem. Abstractio obiectiua, vt paulò antè dixi, per se primo consistit in simplici apprehensione terminorum, ex quibus coalescit demonstratio scientifica: hæc verò indifferenter se habet ad principia, & conclusiones: quare cum fides versetur circa principia Theologica, ipsa verò Theologia circa conclusiones, eadem erit abstractio subiecti vtriusque, quod etiam experientia compertum est, non enim aliter apprehendimus Deum, aut quoduis aliud obiectum, cùm est subiectum propositionis reuelatæ, ac cum est subiectum Theologicæ, hoc est deductæ ex reuelatis, similem enim conceptum habemus Dei, cùm mente concipimus hanc propositionem; Deus est homo, & cum formamus illam; Deus est risibilis.

Henricus Anglicus Gregorius Capreol. Hispalens. Sylvest.

VI. Dico secundùm. Abstractio ab omni materia, & potentia passiua non est per se requisita ad scibilitatem obiecti Theologici: ostenditur ex dictis, primo quoniam abstractio per se requisita ad obiecti scibilitatem necessariò debet conuenire subiecto cuiusuis conclusionis demonstrabilis à scientia: non ita verò se habet abstractio à potentialitate: nam Theologia versatur circa materiale obiectum adæquatum, hoc autem vt patet ex dictis cap. 8. & 9. non est solus DEVS, sed etiam res creatæ, de quibus ostendi aliquid potest ex principijs reuelatis: rebus autem creatis, vt per se patet, non conuenit abstractio à potentia passiua: quare hæc non est per se requisita ad scibilitatem obiecti Theologici. Maior propositio constat, quoniam abstractio requisita ad scibilitatem obiecti pertinet non ad rationem formalem, *quæ*, sed ad rationem, propter quam, vel sub qua: inter quas hoc differt, quod prima satis est, vt conueniat solùm obiecto primario, per attributionem ad quod scientiæ tractant de secundario; duæ verò postremæ debent inesse necessariò subiecto adæquato complectenti primarium, ac secundarium; si enim secundarium spectetur secundum se exutum his duabus rationibus formalibus, nullo modo pertinet ad scientiam. Secundò hæc abstractio propria subiecto Theologiæ, aut habetur a nobis lumine naturæ, vt admittunt oppositæ sententiæ assertores dum ex eo colligunt quartam illam abstractionem, quoniam datur lumen fidei diuersum à naturali ad detegendum, ac reuelandum aliquid. præterea quia si fieret lumine naturali, responderet illi particularis aliqua scientia naturalis, atque adeò danda esset alia scientia naturalis de DEO præter Metaphysicam, quod est contra communem sententiam Philosophorum. Consequentia patet, quoniam scientiæ distinguuntur per abstractiones: ergò si vi luminis naturalis datur quartum genus abstractionis, dandum quoque erit quartum genus scientiæ naturalis distinctum à tribus vulgatis. Non fieri autem lumine fidei ostendo, quoniam huiusmodi abstractio aut consistit in notitia apprehensiua obiecti abstrahentis à potentia passiua, aut in iudicio, quo asserimus, DEVM esse actum purum, aut quemuis alium fidei articulum: si consistit in apprehensione, non gignitur à fide, quoniam fides per se primo respicit veritatem obiecti

reuela-

reuelati, non simplices rerum quidditates, ideoque quoad apprehensiones, non est discrimen inter fideles, & infideles, vt iam dixi, si consistit in iudicio, aut id est vnicum, aut multiplex pro varietate veritatum reuelatarum: non est multiplex, nam plurimæ sunt veritates fidei in quib. nihil datur de ratione actus puri, aut abstractione à potentia passiua, vt per se patet: Si verò sit vnicum quale est illud, DEVS est actus purus, simplex & cæt. opus erat vt hoc vnicum principium ingrederetur, saltem virtute, omnes discursus Theologicos, quod minimè necessarium est, quandoquidem singulæ propositiones reuelatæ sunt prima principia immediata in Theologia, quæ non resoluuntur in alia, sed in solam DEI reuelationem: Vndè etsi per errorem quis negaret Deum esse actum purum, & nihilominùs crederet hanc propositionem: Verbum caro factum est, adhuc ex hac posset elicere plures conclusiones Theologicas discursu verè Theologico; id verò fieri non posset, si veritas illa, DEVS est actus purus, reuelata lumine fidei esset propria abstractio Theologica, sine hac enim nullum obiectum materiale potest terminare actum scientiæ, vel habitus exigentis abstractionem ex parte obiecti formalis.

VII. Denique Metaphysica considerat etiam Deum, vt actum purum, ad quod non indiget diuina reuelatione, nec tamen proindè constituitur alia Metaphysica distincta genere ab ea, quæ agit de ente ac substantijs separatis. Ad hoc argumentum respondent, DEVM duobus modis spectare posse, altero vt cognoscitur in se ipso, altero vt suis effectis: & priore quidem modo nulla scientia naturali creaturæ posse attingi: posse tamen supernaturali per lumen diuinitus communicatum: posteriore verò cognosci quidem ab homine vel Angelo naturaliter, non ita tamen, vt eo cognitionis genere attingatur DEVS vt in se est, quoniam nullus effectus DEI, imò neque omnes, qui esse simul possunt, eius potentiam exprimere valent, & consequenter neque essentiam: & ideò, cùm à Philosopho à posteriori, & per effecta cognoscatur, & non sicuti est in se, quamuis aliquo modo vt actus purus consideretur, tamen non percipitur, vt omninò abstractus à potentialitate, quoniam non perfectè percipimus diuinas perfectiones, quoad omnem suam latitudinem, semper enim nos latent infinita obiecta, ad quæ extendi possunt, quo fit vt in ipsis, quatenùs nostræ cognitioni subsunt, semper adsit aliqua potentialitas ad maiorem perfectionem. At verò quia visio beata considerat Deum in se ipso, & non vt relucet in creaturis, abstrahit ab omni potentialitate: eius autem vicaria, & quasi obses in hac vita est supernaturalis scientia viatorum, quę lumine fidei cognoscit Deum, non quatenùs ex creaturis innotescit, neque prout vt in se est, sed lumine solius testimonij diuini.

VIII. Hæc est summa responsionis, quæ quoad id, quod ait Metaphysicam; quia cognoscit Deum ex creaturis, nec exhaurit eius perfectionem, non abstrahere ab omni potentialitate, quia modo illi cognoscendi inuoluitur potentialitas obiecti, non in se, sed vt sic cogniti, verum continet. Cæterùm non affert discrimen, quoad hoc inter ipsam, & fidem, Theologiamque nostram, vt interim taceam de visione beata, qua licet videatur Deus in se ipso sicuti est, tamen quia non exhaurit pelagus perfectionum diuinarum, & non attingit distinctè multas rationes formales obiectiuas ipsarum, adhuc ex modo intelligendi admittit potentialitatem in obiecto, vt sic cognito, quam sola cognitio diuina excludit, (vt dicam in materia de incomprehensibilitate DEI.) Verùm vt visionem omittam, fides ac Theologia Deum etiam attingunt modo imperfecto, nec exhauriunt cognoscendo perfectiones diuinas, & ideò docuit Magnus Dionys. cap. 1. de mystica Theologia, nos coniungi in hac vita Deo tanquam ignoto, idque significatum per ingressum Moysis in caliginem, atque adeò licet per fidem, ac Theologiam cognoscamus multa de Deo, quæ naturali lumine indagari, aut percipi nequeunt, tamen hæc ipsa imperfecto modo, & cum potentialitate cognoscimus, ita vt potentialitas, quæ reperitur in abstractione Metaphysicæ, quoad modum cognoscendi Deum, perseueret etiam in fide, ac Theologia; nam in his quamuis veritates non credamus ex perceptione creaturarum, adhuc tamen apprehendimus Deum, & perfectiones ipsius ex creaturis, quarum similitudine vtimur ad diuina percipienda. Ex eo verò, quod veritatibus complexis assentiamur ex testimonio diuino, aut ratione naturali, quamuis mutetur motiuum, non tamen abstractio, nam opinio, ac scientia in materia Metaphysicali non differunt penes abstractionem, in qua conueniunt, sed penes me-

Mag. Dionys.

dium. Et ita si eadem propositio demonstretur à posteriore lumine naturali, & credatur ex lumine fidei, aut ratione Theologica, non erit diuersitas penes abstractionem, sed penes medium: quapropter si in modo apprehendendi similiter se habet Metaphysica, ac Theologia, non differunt penes abstractionem. Ratio verò cur sub eadem abstractione subiecti sit Theologia scientia diuersa genere à Metaphysica, est diuersitas luminis supranaturalis, idcircò enim scientiæ naturales de eodem subiecto, sub eadē abstractione sunt eædem, quoniam nituntur lumine naturę, quod sub eadem abstractione non inuenit diuersum assentiendi motiuum, tandem enim resoluitur ad simplices terminos, qui sub eadem abstractione eodē modo determinant intellectum: at sub lumine reuelationis diuinæ ratio assentiendi vltima non sunt termini penetrati, nec proxima principia euidenter agnita, sed vltima ratio est diuina reuelatio, proxima verò est assensus principiorum reuelatorum, quæ supernaturaliter credimus: atq; adeò propter hanc rationem, ac differentiam motiui, etiam si esset eadē abstractio à materia, Theologia est scientia diuersa genere à Metaphysica.

IX. Ad fundamentum oppositæ sententiæ, respondeo non esse opus, vt diuersum lumen semper detegat aliquid noui in obiecto, sed potest nonunquam idem reuelare, alioquin si argumentum vim habet, erit sexta abstractio respondens visioni, nam quinta respondet fidei. Respondeo præterea, etsi nouum lumē noui aliquid aperiat quoad veritatem obiectiuam, vt præstat fides, non tamen opus esse, vt exuat obiectū inuolucris, sub quibus apprehenditur, & hoc modo, quia mentis nostræ acies hebes est, diuina proponuntur nobis non nuda, atq; aperta pro vt in se sunt, sed sub sacrorum velaminum inuolucris, vt ait Mag. Dionys. cap. 1. de cælesti hierarchia, & ita ex modo concipiendi lumen fidei adhuc relinquit aliquam potentialitatem. Ad secundum argumentum respondetur modum cognoscendi nostrum posse dupliciter considerari, vel quoad speculationem phantasmatum; & quoad hoc nulla est diuersitas in vlla cognitione naturali, quoniam vt ait Philosophus. 3. de Anim. t. 9. oportet intelligentē speculari phantasmata, & ita ex hoc modo nec impeditur, nec variatur abstractio, alius modus est intrinsecus ipsi notitiæ, quæ nimirum attingit obiectu sub hac, vel illa materialitate, aut abstractione ab illa: & quò ad hunc differt Metaphysica ab alijs scientijs, nam considerat ens, ac substantiam cum abstractione à materia, ita vt ratio formalis obiectiua, quæ respondet conceptui formali, non includat vllam materiam. At ratio formalis obiectiua perfectionum diuinarum, quāuis in se nō habeat vllam potentialitatem, tamen vt obijcitur nostris conceptibus cōfusis, ac limitatis habet illam adiunctam, quoniam non concipitur sub omni perfectione, & actualitate quam habet.

Mag. Dionys.

Aristoteles.

Ratio formalis motiua, seu propter quam Theologiæ est diuina reuelatio.

Caput XI.

EXplicato subiecto materiali primo, secundario, & ad æquato, itemq; ratione formali subiectiua: restant duo explicāda, nimirum ratio formalis motiua, & ratio siue conditio, sub qua, concomitans. Cū enim plures scientiæ conueniant in his ferè omnibus, quæ adhuc dicta sunt de subiecto Theologię; nimirū diuina, beata, Theologia, reuelata, ac naturalis, omnes respiciunt Deum, vt primarium obiectum, creaturas, vt secundarium, ens diuinum, vt adæquatum, Deitatem, vt rationem formalem subiectiuam intrinsecè, ac formaliter constituentem primum subiectum, extrinsecè verò denominantem secundarium, cum inquam tot habitus, & actus specie, imò genere diuersi conueniant in subiecto materiali, ac ratione formali, quæ oportet recurrere ad aliam rationem, à qua sumatur vnitas, vel distinctio eorundem: ex ijs enim, in quibus plura conueniunt, sumi nequit ratio distinctionis: cum vnitate autē rationis formalis obiecti, vt res, stare potest diuersitas specifica rationum formalium obiecti vt obiectum: & modo agendum est de ea, à qua, vt notat Caietanus I. part. quæstion. 1. artic. 1. pendet adæquatio, & specificatio obiecti in genere scibilis. I. Caietan.

Diuus Thom. quæstion. vnica prologi. artic. 2. & 4. & 1. part. quæstion. 1. artic. 1. ad 2. & artic. 3. censet rationem formalem sub qua, siue motiuam esse diuinam reuelationem: Sic enim discurrit: vnitas potentiæ, & habitus considerandæ est secundùm obiectum, non quidem materialiter, sed secundùm rationem formalem obiecti: quia igitur Sacra scriptura considerat aliqua secundùm quod sunt diuinitùs reuelata, omnia quæcunque sunt diuinitùs reuelabilia, communicant in vna ratione formali obiecti huius scientiæ. Quo II. S. Thom.

loco,

loco, ne sibi contrarius esse videatur, intelligi debet de ratione formali motiua: namque ar. 7. docet quæcúq; tractãtur in Theologia, tractari sub ratione Dei, quę est ratio subiectiua: & ideò reuelationem intelligere debet esse rationẽ formalem motiuam, non subiectiuam. Quam doctrinam, vt explicet Caieta. art. 3. citato. §. *Ad euidentiam.* Caietanus. constituit duas quasi series subiectorum. Prima est secundùm diuisionem ipsorum quatenus res sunt, altera secundùm diuisionem eorũdem, quatenus sunt obiecta scibilia ratione abstractionis, & luminis, sub quo mouent potentias ad actus sibi correspondentes: & ita diuidit scibile in scibile per lumen metaphysicale, id est, medium illustratum per abstractionẽ ab omni materia, & per lumen mathematicum, id est, medium illustratum immaterialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili, & per lumen physicum obumbratum, id est, per medium obumbratum materia sensibili, illustratum autem ex separatione indiuidualium conditionum, & per medium diuinum, vel per lumen diuinum, id est, medium diuino lumine fulgens: quod scibile theologicum constituit. Itaque sententia Diui Thomæ duo continet, alterum est reuelationem esse rationem formalem motiuam theologiæ: alterum conferre illi speciem, & vnitatem. De hoc agendum inferius, cum dicam de Theologiæ vnitate, de priore cap. præsenti.

III. Hanc sententiam impugnat Ægid. 1. part. prologi. quæst. 3. Bassol. quæst. 3. artic. 2. §. *Ex hoc etiam.* Ocham. quæst. 3. lit. C. Aureol. quæst. vltim. artic. 3. Palatius. q. 4. & 9. & alij. Sed Ægid. & Bassol. non impugnant sensum D. Thom. de obiecto formali Theologiæ, sed materiali primario. Arguit Aureol. quoniam reuelabile est respectus rationis: atque adeò nequit esse ratio formalis scientiæ realis. Deindè quia eiusdem scientiæ non sunt multæ rationes formales: Theologia verò habet pro ratione formali Deitatem: denique quoniam multa sunt reuelata, de quibus Theologia non considerat, nempè ea, quæ particularibus personis reuelantur, nec continentur in sacris literis. Arguit Ocham, quia quælibet conclusio Geometrica pertineret ad Theologiam, cùm quælibet talis sit diuinitùs reuelabilis. Probat Palatius, quoniam ratio formalis debet esse intrinseca subiecto materiali, reuelatio autem diuina, non in obiecto cognito, sed in cognoscente inest, vndè est modus, quo

Ægid. Bassol. Ocham. Aureol. Palati.

tendimus in diuina. Tandem potest addi hoc argumentum, vel ratione reuelationis intelligitur diuina manifestatio, siue testificatio de veritate obiecti, vel lumen supernaturale, sub quo Theologia fertur in proprium obiectum: neutrum horum potest esse ratio formalis Theologiæ, ergò nec reuelatio. Maior propositio patet. Assumptio ostenditur in primis quoad lumen, nam hoc habet se ex parte potentiæ adiuuans, atque eleuans ipsam ad actum eliciendum: ratio verò formalis motiua habet se ex parte obiecti: ergò lumen non est ratio formalis. Præterea ad ãctum assensus Theologici eliciendum, suppositis assensibus præmissarum, & euidentia consequentiæ, non requiritur vllum lumen supernaturale, sed satis est lumen ipsum rationis: quo posito discursu, & cæteris requisitis ex parte principiorum intellectus necessariò determinatur ad assensum. Deindè ostenditur quoad testificationem, quoniam hæc solùm est ratio assentiendi illis, quæ per eam manifestantur: quæ verò Theologico discursu inquiruntur, non sunt ex reuelatione manifestata, frustra enim esset talis discursus, quo res palam reuelata inuestigaretur: ergò reuelatio, vt testificatio, non est ratio formalis motiua. Et confirmatur, quoniam alioquin nec assensus Theologicus ab assensu fidei, nec Theologia à fide distingueretur.

IV. Dico primùm, reuelatio diuina est primum motiuum, in quod Theologia vltimo resolui tur. Hanc tradit expresse Albertus in sum. tractat. 1. quæst. 5. in 2. docens Theologiam inniti inspirationi factæ per Spiritum veritatis. S. Thom. suprà cit. Ægid. in 2. distinct. 1. 1. part. quæst. 1. artic. 2. §. *Sed in Theologia.* Conrad. 1. 2. q. 3. art. 6. §. *Nota pro fundamento.* Iauellus & Caietan. 1. part. quæst. 1. artic. 3. Sylvest. q. 1. Conflati. art. 10. ad 2. art. 12. §. 1. & art. 16. & ex instituto probat Capreol. quæstio. 4. conclusione. 6. & defendit art. 2. ad argumenta contra 5. & 6. conclusionem. Hispalens. quæs. 2. art. 4. ad argumenta contra 4. conclusionem, q. 4. ar. 1. conclusione. 3. ar. 3. notab. 2. & art. 4. ad argumenta contra 3. conclusionem. Soncin. q. 3. conclusione. 6. & q. 4. conclusione 5. Eiusdem sententiæ est Bachonus q. 3. prologi. art. 4. principali, & artic. 2. & 3. annexis, fusè ostendit rationem formalem vltimo complentem obiectum Theologię esse cognoscibilitatem ex diuina scriptura: omnes item, qui docent rationem credibilis esse obiectum forma-

Albert. S. Thom. Ægid. Conrad. Iauellus. Caietan. Sylvest. Capreol. Hispalens. Soncinis. Bachonus.

le Theologię, quos referam capite sequenti, & qui affirmant principia Theologię esse articulos fidei, quos retuli tract. 2. cap. 4. cum enim fides vltimo resoluatur in reuelationem diuinam, etiam Theologia, quæ habet idem motiuum, in eam resoluetur. In eo tamen deficit Henric. in sum. art. 19. quæst. 2. quod hanc cognoscibilitatem per fidem dicit esse solum modum cognoscendi ex parte cognoscentis; etenim, vt in principio huius tractatus dixi, prius est ex parte obiecti modus cognoscibilitatis actiuæ, qua potentia indeterminata ad plures modos, ac species cognitionis determinatur ad vnam, quam modus cognoscibilitatis passiuæ, qui significat solam aptitudinem quasi materialem, ac passiuam obiecti, vt terminet actum intelligendi denominatione sumpta ab ipso actu: si enim obiectum non potest aliter mouere intellectum ad agnitionem sui, quam sub hac, vel illa ratione scibilis, aut reuelabilis, profectò ratio eiusmodi prior est actu cognoscēdi, habens se ex parte obiecti determinantis, non solùm verò ex parte modi cognoscendi. Sensus itaque assertionis est, primam rationem motiuam assensus Theologici esse diuinam reuelationem: quo dicto duo continentur, alterum, quod reuelatio sit ratio motiua, alterum, quod prima.

V. Quoad primùm probatur in hunc modum. Omnis assensus vel nititur testimonio proprij intellectus, aut alterius testificatione: hæc autem testificatio vel est ab autore fallibili, vel infallibili; si ab autore fallibili, est testimonium humanum, vel angelicum secundùm naturam spectatum: si ab infallibili, est diuinum: quod est idem cum reuelatione: assensus autem Theologicus non nititur testimonio proprij intellectus, aut testificatione fallibili creaturæ: ergò nititur reuelatione diuina. Discursus est formalis, propositio euidens ex adæquata diuisione motiui, quo intellectus deduci potest ad assensum. Assumptio ostenditur quoad priorem partem. Primò, quoniam solùm testimonium intellectus creati non est sufficiens ad assensum præbendum veritatibus supernaturalibus, quales maiore ex parte sunt Theologicæ, & ideò superius dictum est Deum esse præcipuam causam efficientem Theologiæ, quæ vel ex hoc capite ita appellatur, quoniam est à Deo tanquam primo principio efficiente: deindè testimonium proprij intellectus vel est euidens, ac certum: & hoc à viatore non nisi de rebus naturalibus habetur ex lumine naturali; vel ineuidens, incertum, & formidine immistum: & ex hoc sola gignitur opinio suaptè natura incerta, & falsitati obnoxia: Theologicus assensus caret euidentia naturali, caret incertitudine, & indifferentia opinionis ad veritatem, ac falsitatem: ergò nullo modo nititur proprio testimonio. Quoad posteriorem partem facilè probatur eadem assumptio: nam testimonium fallibile creaturæ non potest esse ratio assensus certi, ac semper veri. Altera pars assertionis nimirum quod reuelatio sit prima ratio motiua Theologici assensus, probatur, quoniam prima ratio motiua assensus discursiui est ea, qua intellectus mouetur ad assensum principiorum: sed principia Theologiæ sunt articuli fidei reuelatione crediti: ergò prima ratio motiua assensus Theologici est diuina reuelatio.

VI. Dico secundùm, reuelatio diuina non est ratio motiua proxima, sed remota assensus Theologici: proxima verò sunt assensus fidei ratione, ac discursu coordinati. Hanc conclusionem rectè explicat Canus lib. 12. de locis. c. 2. in fine, & cap. 3. conclusione 3. ita etiam sensit D. Bonauent. q. 1. prologi in corp. vbi de subiecto Theologiæ loquens ita concludit. *Possumus & vnico vocabulo nominare, & sic est credibile, pro vt tamen credibile transit in rationem intelligibilis, & hoc per additionem rationis.* quasi dicat per accessum rationis discurrentis rationem credibilitatis per reuelationem, traduci quodammodo in rationem intelligibilitatis, hoc est, non puræ fidei, sed scientiæ genitæ ex credibilibus: ad idem videtur alludere in solutione ad vltimum, cùm ait Theologiæ subiectum suprà rationem veritatis primæ, & autoritatis diuinæ addere rationem probabilitatis: nomine autem probabilitatis non intelligit eam, quæ est propria opinionis, sed rationem probationis, qua in Theologia conclusiones ostenduntur: non enim proponuntur ex sola reuelatione credendæ, sed ex ratione fundata in reuelatione, vt colligitur ex verbis, quæ subdit. *Ponuntur rationes probantes fidem nostram*, itaque probabilitatem sumit à probatione, ita etiam expressè habet Caietan. 1. part. quæstion. 1. artic. 2. §. *Ad 4.* in eo distinguens Theologiam à fide, quia huic assentimur propter solam autoritatem, illi propter articulos. Eiusdem sententiæ sunt quotquot dicūt principia Theologiæ esse articulos fidei, quos retuli tractat. 2. cap. 4. eo enim ipso docent conclusionem Theologicam

Can. Bonauent. Caietan.

in ipsos

in ipsos articulos fidei immediatè resolui, remotè verò in autoritatem diuinam, quæ est motiuum articulorum : similiter qui docent Theologiam magis dicendam esse scientiam, quàm fidem ob maiorem similitudinem cum illa, quia nimirum non nititur immediatè autoritate, sed assensu ex illa præstito.

VII. Sed omissis autoritatibus, ratione ostenditur vtraque pars assertionis. Prima, quoniam motiuum proximum, & immediatum assensus cadentis supra principia non est proximum, sed remotum, respectu conclusionum : reuelatio est motiuu proximum principiorum, queis vtitur Theologia: ergò erit remotum respectu assensus præstiti cõclusioni. Assumptio patet: nam assensus fidei, qui præmittuntur in discursu theologico, immediatè nituntur diuina reuelatione: & ita D. Thom. q. 14. de Veri. *S. Thomas.* a. 8. ad 16. ait ipsum testimonium veritatis primæ se habere in fide, vt principium in scientijs demonstratiuis. Maior propositio probatur, quoniam motiuum assensus principij, non mouet ad assensum conclusionis, nisi interuentu assensus cadentis super ipsum principium, ita vt immediatum motiuu sint principia cognita, remotum verò ratio, propter quam assentimur principijs. Ex quo fundamento suadetur etiam secunda pars. Etenim nullus assensus reuoluitur in motiuum remotum, nisi per proximum, quod immediatè pendeat ex remoto: non est autem aliud motiuum pendens immediatè ex reuelatione diuina, quo nitatur iudicium theologicæ conclusionis, quàm assensus fidei dispositi aptè ad conclusionem inferendam : ergò proximum motiuum Theologiæ sunt assensus fidei, ratione ac discursu coordinati.

VIII. Primum & secundum argumentum *Capreol.* Aureoli, vt fusè explicat Capreol. 4. q. prologi. a. 2. ad argumenta eiusdem contra sextam conclusionem, non impugnant conclusionem in sensu, quo à D. Thoma asseritur : nam D. Thom. loquitur de ratione formali motiua, de qua nunc sermo est, Aureolus verò de ratione formali subiectiua, quæ est sola Deitas. Ad primum itaque respondetur, ipsum quidem reuelabile non esse rationem formalem motiuam, sed reuelationem: veruntamen nomine illo *reuelabile*, importari habitudinem ad reuelationem tanquam ad motiuum : est enim reuelabile aptum reuelari, & cognosci ex reuelatione, tanquã ex proprio motiuo: non est autem absurdum vti eo nomine ad significandam vim motiuã quam subiectum sumit ex reuelatione. Ad secundum respondetur antecedẽs esse verum de ratione formali subiectiua, qualis non est reuelatio: falsum verò si indistinctè intelligatur: nam eiusdem obiecti possunt esse plures rationes formales, altera subiectiua, altera motiua. Ad tertiũ respõdet Capreol. vbi suprà ex D. Tho. Theologiã non niti particularib. reuelationibus, sed ijs solũ, quæ sacris literis continentur, & ab Ecclesia communiter recipiuntur: at illæ, quarum in argumento meminit Aureol. non recipiuntur ab Ecclesia tanquam certæ: ideoque assumi nequeunt tanquam principia Theologiæ. Addiderim quemadmodum, vt in materia de fide doceri solet, eiusmodi reuelationes particulares respectu eorum, quibus certo constat esse à Deo, ad fidem pertinent, quamuis per accidens ab alijs id ignoretur, ita quoque eum, qui ex reuelatione sibi particulariter facta, conclusionem aliquam per discursum eliceret, habere posse circa illam assensum Theologicum: quamuis conclusio illa non diceretur respectu omnium Theologica, sicut neque præmissæ, ex quibus penderet, dicerẽtur de fide, quia deest respectu communitatis certa atque infallibilis propositio Ecclesiæ. Argumentum Ochami solum probat quælibet obiecta scientiarum naturalium posse pertinere ad Theologiam, si reuelentur : quod tamen non est absurdum, vt cap. præcedenti notaui. Ad rationem Palatij respondeo propositionem esse veram de ratione formali subiectiua, de qua non loquimur, falsam verò de motiua : vt patet cùm ex interpositione terræ ostenditur Ecclypsis lunæ futura, etenim interpositio terræ non est intrinseca lunæ, quæ est subiectum materiale, de quo demonstratur ecclipsis.

IX. Vltimum argumentum postulat, vt explicem, vtrum & quomodo se habeat lumen ex parte rationis motiuæ. Authores enim videntur affirmare, vt patet ex Caietano citato, qui explicans diuersitatem rationum formalium motiuarũ, semper introduxit lumen aliter, atque aliter modificatum: eiusdem meminit Henric. cit. art. 19. q. 2. & pleriq; alij, & quod caput est D. Thom. sæpè distinguens media cognoscẽdi, inter ea tradit medium, sub quo, id verò inquit esse lumen: quidquid autem habet rationem medij, modo aliquo spectat ad rationem motiuam. Accedit quod obiectum sub diuerso lumine aliter, atque aliter mouet potentiam: id verò quod conducit ad variationem actus per de-

Caietanus. *Henricus.* *S. Thomas.*

terminationem potentiæ, pertinet ad rationem motiuam. In contrarium militat hoc argumentum, nimirum quia omne id, quod habet se ex parte rationis motiuę, supponit potentiam in ratione potentiæ sufficientem ad operandum; nec se habet ex parte eius quasi adiuuans & corroborãs ad operãdum, sed ex parte obiecti mouentis ac determinantis ipsam: lumen autem siue supernaturale fidei, siue naturale intellectus habent se potius ex parte intellectus, quàm obiecti intelligendi, vt per se patet: quare non pertinent ad rationem motiuam obiecti.

X. Hac in re certum est in primis reuelationem ipsam appellari lumen, sicut etiam ipsæ operationes mentales, queis intellectus illustratur ad aliorum obiectorũ perceptionem, & hoc modo non est dubium, lumen pertinere ad rationem formalem motiuam, qua ratione S. Thom. 1. p. q. 1. art. 1. ad 2. Capreol. Hispalens. & Conrad. vbi supra, & alij appellant lumen reuelationis, hoc est, reuelationem ipsam, quæ lumen est: & hoc modo locutus est Caietan. cum motiua scientiarum naturalium vocauit lumina, vt patet ex verbis ipsi⁹: nam lumen metaphysicum, appellat medium illustratum per abstractionem ab omni materia: lumen verò mathematicum, medium illustratum immaterialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili: medium verò hoc, vel illo modo illustratũ, nihil aliud est, quàm principia quibus continetur motiuum cognita sub hac vel illa abstractione. Si verò lumen non accipiatur hoc modo, sed pro aliqua qualitate, vel habitu naturali aut supernaturali, distinctione opus est. Nam, si habeat ex parte obiecti, vt hoc sub eiusmodi lumine quodammodo colluſtratum proponatur aptè intellectui, vt mouere illum possit ad sui perceptionem, pertinebit ad rationem motiuam, si verò nihil conferat obiecto ad scibilitatem eius actiuam, sed solum iuuet potẽtiam, vt elicere possit actum circa obiectum, nullo modo pertinet ad rationem motiuam. Patet ex ratione superius tacta. exemplum sumi potest à visu corporeo, à quo metaphora luminis ad intellectũ deriuata est. Etenim duo lumina considerari possunt, alterum exterius in obiecto, vel medio; alterum in ipsa potentia, quod est à natura ingenitum, & nihil cõfert obiecto, vt moueat potentiam, sed cum ipsa ab obiecto per immissionem speciei determinata concurrit ad eliciendã visionem: & hoc quidem non habet rationem motiui, illud autem prius maximè.

S. Thomas. Capreolus Hispalens. Conradus. Caietanus.

Hanc doctrinam benè explicat Caietan. 1. p. q. 1. art. 3. §. penultimo considerãs duas rationes in lumine diuino. Secũdùm alteram se habet, vt infundens ad infusum, siue vt causa ad effectum: secundùm alteram, vt ratio seu modus cognoscendi obiecti: sub quo, seu qua attingatur res reuelata à cognoscente: & priore modo non dat vnitatem, sed posteriore. Et paulò post ad argumentum Aureoli ait: *Lumen diuinum habet se, vt intellectus agens, sed non eo solum modo, verum etiam vt ratio formalis obiecti, vt obiectum est:* supponens vtique lumen, quatenus se solum habet ex parte intellectus, non pertinere ad rationem formalem motiuam. Idem docet Sylvest. in Cõflato. q. 1. ar. 10. ad 2. asserens lumen infusum fidei facere diuersam cognoscibilitatem obiecti specificantem nostram Theologiam: ad hoc etiam alludit Scotus quodlibet. 7. antè 3. conclusionem: vbi lumen, in quo cognoscitur obiectum, hoc est, cuius vi effectrice intellectus eleuatur ad assensum, contraponit rationi formali obiecti, quæ est cognitio, sub qua illud est determinatiuum ac motiuum potentiæ ad assensum veritatis enunciabilis de ipso.

XI. *Caietanus.* *Sylvester.* *Scotus.*

Applicando autem hanc doctrinam ad præsens institutum dico, in assensu theologico interuenire posse duplex lumen à reuelatione distinctum, nempe naturale & supernaturale fidei: hoc est omninò necessarium per se, vel eius loco specialis concursus Dei, qui etiam lumen appellatur: est inquam, lumen fidei necessarium ex parte potentiæ ad assensum principiorum, quæ fide diuina creduntur, non autem mediatè ad assensum theologicum, qua theologicus est: tum quia ad actus specie distinctos non immediatè per se concurrit idem habitus in specie, actus autem theologicus distinguitur specie ab actu fidei, vt est cõmunis opinio, & infra ostendam: ergò nõ potest ad actum theologicum per se immediatè requiri idem habitus fidei, qui ad credendum est per se necessarius, tum verò quia positis assensibus præmissarum, & euidentia consequentiæ, intellectus absque supernaturali auxilio fidei immediato determinatur ad assensum conclusionis. Lumen autem naturale necessariò concurrit ad eum assensum, & habet se ex parte potentiæ, non verò ex parte obiecti. Ex dictis patet lumen fidei infusum, respectu assensus theologici, habere se ex parte rationis motiuæ: Ratio est, quoniam lumen fidei necessariò interuenit ad discursum & assensum theologicum, non immediatè ex parte potentiæ, vt ostensum est, ergò ex

XII.

parte

parte obiecti in ratione mouentis. Consequentia est manifesta: nam quidquid necessariò cõcurrit ad intellectionem, habet se vel ex parte potentiæ, vel ex parte obiecti. Quæres quomodo se habeat ex parte obiecti. Respõdeo obiectum complexum virtualiter contineri in præmissis, partes verò eius formaliter: & prout in ipsis continetur, habet vim mouendi intellectum. Cùm verò assensus præmissarũ sint partus luminis intellectualis, illæ prout substant eiusmodi assensib', sunt instar obiecti collustrati radijs ab intellectuali lumine deriuatis, & sub hac illustratione obijciunt intellectui conclusionem, vt verã & credendam, & sic lumẽ intellectuale, quo præmissæ iudicantur, ipso iudicandi actu quasi superfunditur conclusioni, & reddit illã credibilẽ propter præmissas. Ex hac doctrina facilè conciliantur appositę rationes dubitandi paulò antè propositę. Nam Autores, qui dicunt lumẽ habere rationem motiui, sunt hoc secundo modo explicandi: & hoc etiam modo, non priore ex diuersitate luminis variãtur actus specie. Ratio verò in oppositum solũ concludit lumen, ꝙ præcise se habet ex parte potentię, non posse habere rationem motiui, respectu eius actus, cum quo nõ repugnat, vt sit motiuum respectu alterius actus, cui præsupponitur ex parte obiecti.

XIII. His positis ad vltimũ argumentũ principale respondetur negatione assumptionis, nam, vt vidimus, & lumen fidei, & reuelatio se habent ex parte rationis motiuæ assensus theologici: Ad priorem verò probationem eius, quoad posteriorẽ partem, negandũ est, Lumen fidei habere se ex parte potẽtiæ, respectu assensus theologici: vt enim ex dictis patet, se habet ex parte obiecti propositi in præmissis sub lumine cognitionis fidei. Ad posteriorem eiusdem assumptionis confirmationem dicendum solum probare lumen fidei non concurrere immediatè ad assensum conclusionis, quod est verum, cum quo non repugnat, vt habeat cõcursum remotũ per assensus præmissarum, ad quos immediatè cõcurrit. Ad probationẽ alterius partis similiter respõdetur eo argumento solum concludi, testificationem diuinam non esse immediatum motiuum assensus theologici, quod admitto: cum quo stare potest, vt sit remotum ac mediatum. Nam quanuis propter testificationẽ immediatè non eliciatur alius actus, quàm fidei, propter veritatem tamen creditam ex testificatione moueri potest intellectus ad habendum alium actum, circa distinctam veritatẽ ex testificatis deductã. Nec ex hoc sequitur actum fidei ac Theologię esse eiusdem speciei; nam actus scientiæ remotè pẽdet ex motiuo assensus principiorum, & nihilominus ab eo specie distinguitur.

Motiuum formale Theologię debet esse reuelatio ineuidens.

Caput XII.

I. Altera ratio formalis cõcomitans est in euidentia, ea verò interuenire potest, tum ex parte motiui, tũ ex parte obiecti, & ita duæ ex ipsa difficultates redundant, altera est, vtrum lumen diuinæ reuelationis, quod est motiuũ remotum assensus theologici, necessariò sit ineuidens, an verò possit esse euidens: altera vtrum obiectum, siue subiectum, de quo ostenditur veritas Theologica, subesse debeat sub ratione ineuidẽtiæ, ita vt si quomodo habẽti notitiam euidentẽ illius, reuelentur aliquę veritates, ex quib. discursu theologico cõclusio aliqua de eodẽ colligatur, possit cadere supra illum assensus theologicus: hæc posterior spectat potius ad materiam de fide: prior, quæ respicit motiuum assensus theologici, hic expedienda est.

II. Caietanus. Caietan. 1. p. q. 1. art. 3. existimat de ratione Theologiæ nostræ non esse, vt procedat ex lumine reuelato ineuidẽte. Nam cùm dixisset quamcunq; rationem formalem subiecti in genere rei comitari per modum passionis, rationem formalem obiecti in genere scibilis, sibi obijcit id esse falsum, quoniam deitas est vna ratio formalis subiectiua Dei, quatenus ens est: & tamen habet plures rationes formales in genere obiecti scibilis. Respondet autem dictum suum intelligẽdum de scibilitate adęquata, & essentiam diuinam habere vnã adæquatam, non in specie, sed in genere, quam ait esse medium illustratum lumine diuino, quod cõstituit scibile theologicum, lumen autem diuinum diuidit in lumẽ diuinum euidens, & lumẽ diuinum reuelans, abstrahendo ab euidentia, & ineuidentia, & lumen diuinum ineuidens. Primum est ratio, sub qua Theologiæ beatorum, secundum nostræ, tertium fidei: & ita cum vnitate rationis formalis subiecti, vt res est, reperitur diuersitas rationis formalis eiusdem, quatenus obiectũ scibile est. Ex qua diuisione ac doctrina constat sentire eum lumẽ diuinę reuelationis, quod est motiuũ Theologię, non necessariò esse ineuidens, & non repugnare vt sit euidens, nam si abstrahit ab euidentia, & non euidentia, quomodocunq; penes eas sit variatio, semper manebit ratio propria motiua Theologię.

Dupli-

Dupliciter autem intelligi potest hoc dictum Caietani, primum quidem vt loquitur de euidentia, vel ineuidentia ipsius reuelationis in se, manente ineuidentia obiecti reuelati, deinde verò de euidentia, vel ineuidentia obiecti ipsius. Non videtur autem locutus iuxta priorem sensum, sed iuxta posteriorem: nam eam euidentiam concedit lumini, quod est motiuum Theologiæ, quam negat cohærere posse cum lumine reuelationis ad fidem necessariæ, ipse autem existimat euidentiam reuelationis, quam vocant in attestante, nequaquam tollere rationem formalem obiecti fidei: atque adeò, cùm ait lumen diuinum ineuidens esse rationem motiuam fidei, solam excludit ineuidentiam, quæ redundet in ipsum obiectum, & reddat illud euidenter agnoscibile in se, & consequenter hanc ipsam admittit non repugnare lumini reuelationis, quæ est motiuum Theologiæ nostræ. Hanc positionem nullo confirmat argumento.

III. Verùm si attentè perlegatur commentarius eius ad ar. 2. eiusdem quæst. primæ, potest fundamentum & mens eius erui, ibi enim distinguit Theologiam secundùm se, & quò ad nos: secundùm se est notitia siue scientia, quàm apta est parere Deitas secundùm se, sed hæc, inquit, est Theologia, quã Deus habet de se ipso: rursus Theologiam nostram in Theologiam beatorum, ac viatorum: & hãc ipsam accipi posse ait secundùm se, & quò ad nos: & secundùm se conuenit ipsi, vt oriatur ex principijs notis secundùm se lumine superioris scientiæ, quo ad nos autem viatores, quorum est credere principia, habet vt procedat ex fide. Ex quo concludit conclusiones theologicas procedere ex articulis fidei, vt principijs non in se euidentibus, sed in scientia Dei, ac beatorum: & consequẽter habitus principiorum Theologiæ per se esse scientiam diuinam, habitum verò per accidens fidem: deinde verò etiam non opponi scientiæ beatæ ex parte obiecti, sed solùm secundùm euidẽtiam & ineuidentiam negatiuè. Itaque breuiter colligendo sententiam ipsius, possumus eam ad duas propositiones reducere. Prima est discrimen inter Theologiam viatorum secundùm se, & quò ad nos est accidentarium. Secunda diuersitas principiorum, quò ad euidentiam vel ineuidentiam in obiecto Theologiæ, est per accidens. Eandem sententiam tuetur Canus lib. 12. de locis cap. 3. cõclusione 1. & 2. & quanuis expresè non dicat Theologiam esse vnicam specie infimam, tamen cùm agat de ratione formali eius, & dicat hanc non esse lumen fidei, aut reuelationis obscuræ, sed solùm lumen diuinitùs infusum, siue sit fidei, siue prophetiæ, siue gloriæ, videtur loqui de specie infima, alioquin non loqueretur formaliter. De priore assertione non est hic agẽdi locus, sed solùm de posteriore, ea verò probari potest ex principijs ipsius Caietani in hunc modum. Variatio principiorum solùm ex per accidens in per se, ac vice versa, non mutat rationem formalem motiuam ex parte obiecti: sed variatio principiorum Theologiæ ex ineuidentia in euidentiam, aut è contra est eiusmodi: ergò non mutat rationẽ formalem obiectiuam per se. Maior propositio est euidens, nam ea, quæ sunt per accidens, non mutant species rerum. Assumptio ostenditur, quandoquidem Theologia nostra est subalternata scientiæ diuinæ ac beatæ: at habitus principiorum scientię subalternatæ per se, est scientia ipsa superior, per accidens verò fides eorundem: atque adeò quando est variatio penes hunc modum assentiendi ijs vel ineuidenter ex fide, vel euidenter assensu beato, est variatio accidentaria, ex qua non redundat mutatio essentialis in rationem formalem motiuam per se. Probat Canus, quoniam Christus fuit perfectissimus Theologus, & Prophetæ ex ijs, quæ per lumen prophetiæ nouerant, discurrendo poterant acquirere habitũ Theologiæ: at lumẽ Christi erat clarissimum, lumen item prophetiæ suam distinctionem habet à lumine fidei: ergò ineuidentia non requiritur per se, ad rationem motiui theologici.

Canus.

IV. Dico primum. Motiuum Theologiæ viatorum, secundùm propriam ac specificam rationem, est ineuidens. Hæc assertio meo iudicio est communis, in primis D. Thom. q. vn. prolog. ar. 4. & in 2. scripto q. 1. art. 2. Henricus in summa art. 19. q. 2. in corpore. Bonau. q. 1. prolog. & Guidonis apud Bachonum q. 3. art. 1. qui credibile statuunt rationem obiecti, hoc sentiunt: nam si credibile est ratio per se obiecti, necessarium est, vt principia sint per se credita, non enim obiectum Theologiæ dicitur credibile, quasi conclusio ipsa sit per se immediatè credibilis: sed quoniam colligitur ex principijs fide creditis: quemadmodum reuelatio non est motiuum quasi immediatè terminetur ad conclusiones, sed remotè per principia: hanc eandem assertionem contra Caietan. probat Palat. q. 2. prolog. & supponit Bassol. q. 5. prolog. ar. 3. §. *Dico igitur*, vbi ait, non magis possibile esse, vt Theologia nostra fiat euidẽs, quàm vt ho-

S. Thom. Henricus. Bonauentura. Guido.

Palat. Bassol.

vt homo conuertatur in brutum. Ex quo sequitur rationem ineuidentiæ esse inseparabilem ab eius motiuo, nam si hoc sit euidens, etiam conclusio ex ipso dependens potest fieri euidens, tenent omnes ij, qui dicunt principia Theologiæ esse fide credita, quos retuli tract. 2. cap. 4. si enim ratio fidei per accidens se habet ad principia Theologica, non reddunt propria, ac per se principia illius, nisi materialiter. Mirum verò est Autores nunquam de hac re formaliter, ac per se locutos fuisse. Si verò respondeat aliquis cum Can. vbi supra, ideò sic locutos, quoniam agebant de Theologia viatorum, quę semper habet adiũctam ineuidentiam ex parte principiorum, non planè satisfacit. Nam si ea ratio non est per se, ac essentialiter requisita, sed per accidẽs tantùm ratione status, debuissent veram ac propriam rationem Theologię in se, secũdùm propriam speciem tradere.

V. Sed Autoribus omissis ad rationem veniamus. Omnis variatio formalis motiui remoti, inducẽs distinctionem specificam in notitiam ab ipso immediatè pendẽtem causat formale motiuum proximum alterius speciei: sed motiuum gignens fidem articulorũ, distinguitur specie ab eo, quod determinat ad euidẽtem notitiam eorundem, & notitia genita ab vtroq;, est diuersæ speciei: ergò per has notitias constituet motiuum proximum distinctum specie respectu eiusdem conclusionis. Consequentia est euidens. Propositionem ostendo, quoniam motiuum remotũ per se solum non dat obiecto speciem, aut vnitatem scibilis, nisi concurrat simul cum proximo, hoc autem continetur notitijs principiorum, à quibus pendet assensus conclusionis: si verò motiua remota in se specie distinguuntur, & gignũt notitias principiorum specie distinctas, iam principium, ac motiuum proximum, quod illis continetur, est specie distinctum. Assumptio verò facilè ostenditur ad hominem, & in se. Ad hominem quidem, quoniam Caietan. motiuum fidei contradiuidit ab omnibus alijs tanquam specie distinctum: in se verò probatur, quoniam lumẽ suapte natura ineuidens distinguitur specie ab euidente: alioquin non esset vlla ratio aut via probandi, fidẽ distingui à scientia viæ, vel patriæ: per se autẽ patet actum fidei distingui ab actu euidente: & consequenter motiuum ipsius distingui specie à motiuo cuiusuis notitiæ supernaturalis euidentis.

VI. Secundo, quando lumen reuelationis est euidens motiuum assensus theologici, vel immediatè absq; alio principio determinat intellectum ad assensum theologicum, vel interuẽtu alterius principij, neutro modo potest esse motiuum eiusdem speciei cum lumine reuelationis ineuidente: hoc oẽs fatentur mouere ad actus theologicos: ergò illud non potest esse motiuũ formale obiecti Theologiæ: patet consequentia, quoniam ad actus eiusdẽ speciei cõcurrere nequeunt per se motiua specie distincta. Assumptionem probo, quoad priorẽ partem nempe lumen diuinæ reuelationis euidens non posse esse proximum motiuũ assensus theologici, quoniam hic est per se discursiuus: ergò per se requirit aliud motiuum remotum, determinans prius intellectum ad assensum præmissarum, & ijs mediantibus ad assensum conclusionis: atq; adeò nõ potest niti solo lumine reuelatiõis immediatæ. Quoad posteriorem ostendo, quoniam seruata proportione ita se habet assensus discursiuus ad motiuum remotũ, sicut nõ discursiuus ad proximũ, & ita si variatio penes aliquam rationem cõstituit motiua proxima assensus non discursiui distincta specie in genere motiui, variatio quoq; in remotis penes similem rationem, cõstituet etiam inter illa distinctionẽ specificam: sed in proposita materia variatio penes euidẽtiam, ac non euidentiam in motiuis proximis, hoc est in reuelationib. obiecti immediatè reuelati, cõstituit distinctionem specificam; ergò eadem variatio constituet etiam in motiuis remotis. Maior propositio constat à paritate rationis, nõ enim est vlla diuersa ratio, tur obiectum immediatè reuelatũ necessario habeat scibilitatem obiectiuam, siue rationem formalẽ motiuam distinctam specie, prout modò subsstat reuelationi euidenti, modò ineuidenti, obiectum verò remotè reuelatũ in principio, ex quo per discursum colligitur: nõ fortiatur etiã distincta specie motiua, prout cognoscibile est remotè ex reuelatione modò euidente, modò ineuidẽte. Assumptio aũt communiter recipitur, & traditur ab ipso Caietano, vbi supra necessario exigente ad rationẽ formalẽ motiuã fidei lumen reuelationis ineuidentis, atq; adeò, si reueletur obiectũ euidenter, de mente ipsi⁹ dissoluitur obiectum, siue motiuum formale fidei.

VII. *Caietanus.* Hoc argumentum præuidisse videtur Caietan. licet id formaliter non proposuerit, conatur enim q. citata. ar. 2. §. *Quoad secundũ verò*, reddere disparem rationem in hunc modum. *Nec idem iudicium de scientia subalternata*, (qualem dixerat esse Theologiam) *& fide, quoniam lumen diuinum absolutè est per se ratio formalis huius notitiæ, in quantum scientifica est: lumen autem diuinum obumbratum*

tum est per se ratio assensus fidei, quæ per accidens est habitus horum principiorum. Verùm hæc responsio nititur fundamento liberè sine autoritate, aut ratione sumpto: nempe quod lumen diuinum absolutè abstrahendo ab euidente, ac non euidente, est per se ratio formalis scientiæ Theologiæ, & quod fides est per accidens habitus principiorum nostræ Theologiæ: Supponit enim id de quo est controuersia, nec reddit rationem cur, quemadmodum motiuum immediatum variatum penes euidentiam & ineuidentiam, sit diuersum specie, non sit autem similiter motiuum remotum: nam eodem modo dicet alius motiuũ fidei per se esse lumen diuinum absolutè, in nobis autem viatoribus per accidens esse lumen obumbratum, vel si hoc proximè applicatum est per se motiuum vnius speciei, etiam remotè applicatum debere esse vnius speciei: atque adeò diuisionem luminis diuini, quatenus motiuum est scientiæ Theologiæ in communi traditam à Caietano, non esse idoneam: & potiùs lumen reuelationis diuidendum ineuidens, atque ineuidens: & vtrumq; horum subdiuidendum, ita vt consideretur ratio applicationis: atque adeò vtrunque proximè applicatum in ratione motiui differre specie à seipso remotè applicato, ex qua diuisione resultant quatuor species motiui Theologici ex diuina reuelatione, nempe euidens proximè applicatum, & ineuidens proximè applicatum, & rursus euidens remotè applicatum, & ineuidens remotè applicatum: quæ duo vltima conferunt speciem duplici Theologiæ, nempe viatorum, quæ habetur ex principijs fidei ineuidentis, & ei, quæ ex principijs euidenter reuelatis elicitur, quam Caiet. appellat secundùm se, & vult esse in beatis. Ex duobus autẽ prioribus motiuis colligũtur duę alię species notitiæ habitæ per modum principij non ex discursu; altera est fides, quæ respondet reuelationi proximæ ineuidenti, altera euidens notitia obiecti immediatè reuelati, quæ non habetur in via. Qui modus philosophandi est multo congruentior eo, quem sequitur Caietanus, nam hîc seruatur proportio, ac ratio, & omnia sibi mutuo consonant.

VIII. Dico secundum, fides per se, & non per accidens est habitus principiorum Theologiæ nostræ. Hęc est de mente eorum, qui principia Theologiæ volunt esse credita fide diuina, quos retuli tract. 2. cap. 4. Breuiter ostenditur, quoniam habitus omnis discursiuus supponit habitum principiorum, à quo per se dependet, & sine cuius actu non potest proprium actum gignere: Theologia verò nostra ex concursu habitus fidei, non concurrente alio habitu principiorum ostẽdit proprias conclusiones, quare habitus fidei non habet se per accidens ad assensum theologicum; nam ex causa per accidẽs non sequitur effectus per se. At respondebitur, non appellari fidem habitum per accidens principiorum Theologiæ, quasi non habeat per se vim concurrendi ad eorum assensum, sed quia hoc non habet per se, primo quatenus habitus ineuidens est, sed solùm quatenus habitus diuinus est coniunctus lumini diuinę reuelationis, quomodo homo dicitur causa per accidens sensus, non quod reuera sensus hominis non emanant ab eius natura, sed quia non emanent ab eo primo, ac per se quatenus homo, sed quatenus animal est. Atque adeò Theologiæ secundùm se principium, & motiuum proprium esse lumen reuelationis prouenientis à Theologia diuina vel beatorum, quibus nostra subalternatur. Quæ responsio supponit opinionem infra refutandam de modo subalternationis, itemque de entitate habitus scientiæ subalternatæ, siue principia credat ex fide sumpta à subalternãte, siue euidenter agnoscat eadem demonstratione, qua demonstrari solent à subalternante. Verùm quod attinet ad præsens institutum, non videtur mihi Caietan. congruenter loqui: ipse enim eodem art. 2. §. *Circa hanc distinctionem* asserit in prima & essentiali conditione subalternatæ concurrere duo, nimirum ineuidentiam in se cum euidentia ex, & in alio; deinde verò mediationem principiorum proximorum, quæ est causa illius ineuidentię in se, & primum quidem esse formale, & consequenter omninò semper requisitum: secundum autem esse materiale. Nam si ineuidentia in se est de ratione essentiali subalternatæ, atque adeò Theologiæ, semper comitari illam debet: at posita reuelatione euidente tollitur ratio ineuidentiæ conclusionis in se: ergò destruitur eius obiectum formale. Assumptio constat, impossibile enim est, vt scientia vel conclusio sit ineuidens in se, & habeat euidentiam ex principijs; nam euidentia redundans ex principijs in conclusiones, cùm nascatur ex per se causis ipsarũ propria, atq; intrinseca illis est; ideoq; nequit cum ineuidentia consistere. At respõdebitur ineuidentiam in se sumi negatiuè, non priuatiuè: atque ita non repugnare vt scientia aliqua vel habitus ex se non vẽdicet euidentiam, & nihilominus habere illam possit ex causa. Sed hæc solutio non

satisfa-

satisfacit: nam hoc modo quæuis scientia discursiua non est euidens ex se, non enim habet illã ex terminis, sed ex principijs; & ita dicet aliquis eundé esse habitũ, quo q;s in sciẽtia subalternante assentitur conclusioni scientificæ ex euidente notitia principiorum, quam habet; & ex fide, qua credit magistro eadem principia proponenti, siquidem motiuum est sola veritas principij, siue euidẽter, siue ineuidenter agnoscatur. Quemadmodũ ergò in hoc casu propter diuersitatẽ notitiæ principiorũ penes euidentiam, vel ineuidẽtiam, eadem principia materialia constituunt diuersa motiua: ita etiam variatio reuelationis penes euidentiam vel ineuidentiam obiectiuam constituet motiuum formale diuersum.

IX. Assumptio argumenti Caiet. est falsa, itemq; maior ad eius confirmationem inducta, vt dicam tract. 6. cap. 6. Si de vera ac propria subalternatione sermo sit. Verùm quia parum id refert ad præsens institutum, ea prçmissa, neganda est assumptio, nam, vt etiam infra ostendam, in scientijs naturalibus sola fides principiorũ non est sufficiens motiuum, neque per se, neq; per accidens ad acquirendã scientiam subalternatam, & assensus genitus ex principijs solum creditis, ac suppositis ex superiore scientia ab eo, qui per illa conclusiones ostendit, distinguitur specie ab assensu genito, ex principijs ijsdem cognitis ab eadem demonstratione, propter quid accepta à superiore scientia. Et eodem prorsus modo se habet Theologia discurrẽs ex purè creditis, siue obscure reuelatis, ac ea, quæ procedit ex principijs lumine diuino euidẽter cognitis, differunt enim specie. Ex quo etiam patet respõsio ad rationem Cant, nam Christus fuit quidem Theologus, & quidem multo excellentior reliquis ómnib. non tamen eadem specie Theologia, qua nos: sed longè diuersa. Prophetæ autem si ex reuelatis sibi immediatè discurrerẽt, essent Theologi, nec eorum Theologia differret specie à nostra, nam communiter loquendo lumen propheticum est ineuidẽs, atque adeò quæuis alia diuersitas à lumine fidei, quæ non euacuat ineuidẽtiam est per accidens ad rationem motiui, lumẽ autem propheticum, quoad euidentiã obiecti reuelati, congruit cum lumine fidei. Quod si interdum sit euidens, vt potest euenire, siquidem de ratione prophetiæ, solum est vt ea, quæ procul sunt tempore, siue loco videat, vt ait D. Thom. 3. p. q. 7. art. 8. quãobrem Christus fuit verè propheta, tunc erit Theologia alterius rationis à nostra. *S. Thomas.*

X. Ex dictis toto hoc tractatu potest breuiter explicari natura subiecti Theologiæ, diffinitione sumpta magna ex parte à D. Thoma in hunc modum, *Subiectum Theologiæ est ens diuinum cognoscibile per reuelationem ineuidentem per discursum applicatã*, quæ est ferè eadem cum illa, quam ex eodem D. Thoma colligit Paludan°, & refert Capreolus q. 4. prolog. ar. 2. ad 3. argumẽtum Aureoli contra quintam & sextam cõclusionem. Ea verò continentur omnia, quæ per se requiruntur ad propriam speciem, & vnitatem obiecti theologici in ratione scibilis. Inprimis enim continetur subiectum primarium & adæquatum, nam analogum per attributionem simpliciter dictum, stat pro potiori significato, & ita *ens diuinum* positum in ea diffinitione prima, ac præcipuè accipitur pro Deo, qui est proprium, & principale significatum illius, simul verò etiam indicantur reliqua omnia, quæ per attributionẽ ad ipsum diuina denominantur extrinsecè. Præterea indicatur ratio formalis subiectiua, nempe diuinitas, sub qua Deus à Theologo consideratur. Et ita per hanc primam partem secernitur subiectum Theologiæ à subiecto cæterarum scientiarum, quæ Theologiæ nomine non censentur. Cùm verò additur *cognoscibile per diuinam reuelationem*, iam indicatur ratio formalis motiua, quę non est notitia habita ex facultate naturali proprij intellectus, sed testimonium primæ veritatis: quo distinguitur subiectum Theologiæ supernaturalis à subiecto naturalis, siue metaphysicæ: quoniam huius motiuum nõ sumitur à testificatione Dei, sed à lumine rationis, siue à principijs primis cognitis lumine ratiõis, sub abstractione ab omni prorsus materia. Deinde quoniã Theologia supernaturalis cõplectitur omnem scientiam Dei supernaturalem euidentem & ineuidentem, discursiuam, & nõ discursiuam, vt subiectum nostræ Theologię distinguatur à subiectis aliarum, adiungitur *per reuelationem ineuidentem*, & ita excluditur à definitione subiectum visionis beatę, & cuiusuis alterius euidentis notitię de diuinis rebus habitæ. Denique quoniam obiecto fidei hæc omnia conueniebant, est enim *ens diuinum cognoscibile per reuelationem ineuidentem*, subditur vltima particula *per discursum applicatam*, qua significatur subiectum Theologiæ non substerni immediatè reuelationi: atque ita non dici simpliciter credi, sed remotè interuentu discursus applicantis reuelationem per principia ex fide immediatè credita. *Paludanus. Capreolus.*

FINIS.

TRACTATVS QVARTVS DE NATVRA HABITVS THEOLOGICI.

EXplicatis Theologiæ cauſis, de ipſius natura agendum eſt; hæc verò vt cõſtat ex tractatu primo, eſt habitus deductiuus, ideoque deinceps indagandæ eſt propria eius differẽtia, à reliquis habitibus deductiuis. Diſtinguitur autem à pſeudographis & ſophiſticis; quoniam hi ſunt falſi, Theologia vera. Superſunt autem duo genera habituũ verorum: alter eſt incertus & ineuidens, qui opinionem, fidemque humanam comprehendit: alter certus & euidẽs, qui ſub ſe cõtinet habitũ primorũ principiorũ, ſcientiã & ſapiẽtiam, à quibus omnibus Theologia diſtinguitur. Cuius diſtinctionis agnoſcẽdæ gratia oportet agere de ipſius certitudine, euidentia, vel ineuidentia.

Habitus Theologicus eſt certus, non ſolùm ex diſpoſitione ſubiecti, ſed ex infallibilitate motiui.

CAPVT PRIMVM.

I. *Durand. Caietan.* CErtitudo, vt tradit Durand. in 3. d. 23. q. 7. num. 8. Caiet. 22. q. 4. art. 8. & alij, duplex eſt, obiectiua & formalis; obiectiua nititur ipſa rei neceſſitate, & cohærentia; formalis eſt actus, ſiue modus actus vitalis, quo potentia tendit in obiectum. *Altiſiodo. Alenſis. Richard. S. Bonauent. Gabriel.* Hæc rurſus eſt duplex, vt tradit Altiſiodorenſ. lib. 3. tract. 5. q. 2. Alenſ. 1. p. q. 1. m. 4. ar. 2. Richard. in 3. d. 23. ar. 7. q. 1. Bonauent. in 2. d. 4. ar. 2. q. 1. ad Secundum, & in 3. d. 26 ar. 1. q. 5. & ex ipſo Gabriel in 2. d. 4. q. vn. ar. 3. dub. 2. nimirum affectiua & intellectiua; affectiua pertinet ad voluntatem, & ſignificat determinatum affectum vel conatum, atq; tendentiam in obiectum: de hac loquebatur Paulus, cùm aiebat ad Romanos 8. *Ad Rom. 8.* *Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, &c. ſeparabit nos à charitate Dei.* hoc enim dicebat ex nimio charitatis affectu erga Deum; hoc etiam modo dicitur ſpes certa. Eodemque modo, vt ait D. Thomas in 3. d. 26. q. 2. ar. 4. & 22. q. 18. ar. 4. & Ricard. in 3. d. 26. ar. 4. q. 1. *S. Thomas. Richard.* dicitur eſſe certitudo in appetitu naturali, quatenus à Deo dirigente infallibiliter dirigitur in finem, imò & in cauſis, quando infallibiliter effectum producent, vt docet idem D. Thomas q. 6. de veritate, ar. 3. in corpore, & ex ipſo Ferrarienſ. lib. 3. contra gentes cap. 94. §. *Ad huius euidentiam.* Certitudo intellectus eſt firma eius adhæſio ad obiectum, & hæc dicitur propriè certitudo: adhæſio verò cæterarum potentiarum ad ſua obiecta dicitur impropriè, & per ſimilitudinem ad hanc, vt notat D. Thomas locis citatis ex 22. & lib. 3. ſent. Durand. in 3. d. 26. q. 3. n. 5. & Richard. vbi ſupra, & de hac, non de certitudine voluntatis eſt hic ſermo, Theologia enim eſt habitus intellectualis. *S. Thomas. Ferrarienſ.* *S. Thomas. Durand. Richard.*

II. ¶ Porrò certitudo intellectus aliquando ſumitur largè, prout dicit adhæſionem intellectus ad aliquod obiectum, ſine vlla, vel ſaltem cum parua formidine: & hoc modo ſumpſiſſe videtur ipſe D. Thom. in 3. d. 23. q. 2. ar. 2. quæſtiuncula 3. ad primum, cùm ait certitudinem fidei eſſe mediam inter certitudinem ſcientiæ & opinionis, & D. Bonauentura in 2. loco citato, & in 3. ad vltimum & Gabriel vbi ſupra, cùm certitudinem diuiſit in infallibilem & probabilẽ: interdum verò ſumitur preſsè, prout excludit omnem formidinem ſiue dubitationem, vt ait D. Thom. in 3. d. 26. q. 2. a. 4. ad 5. Eſt autẽ prout eodem ar. diffinitur, firmitas adhæſionis virtutis cognitiuæ ad ſuum cognoſcibile, vel determinatio intellectus ad vnum, vt inquit ibidem, & d. 23. quæſt. 2. ar. 2. quæſtiuncula 3. quæ definitio, vt notat Molina 1. parte. q. 1. ar. 5. videtur extendi ad quamuis certitudinem notitiæ, qua intellectus firmiter adhæret aſſertioni, ſiue ex diſpoſitione ſubiecti, ſiue ex natura & cauſa actus; ex vtraque enim naſcitur certitudo, vt ait idem D. Thomas 1. parte, q. 1. ar. 5. ad primum, & 22. q. 4. ar. 8. Vincentius in ſpeculo morali, lib. 1. parte 3. l. 17. dub. 8. AEgidius 2. parte prologi qu. 2. in corpore. Henricus in ſumma art. 7. quæſt. 2. Capreol. in 3. d. 25. q. vnica, ar. 3. ad primum contra certam concluſionem. Sotus lib. 3. de natura & gratia cap. 16. & ſuſius Andreas à Vega lib. 9. in Concilium Tridentinum cap. 2. Certitudo ex diſpoſitione ſubiecti, habet ſimpliciter fundamentum adæquatum ex parte cauſæ, quamuis, vt ait Ariſtoteles lib. 7. Ethic. c. 3. aliqui opinantes magis adhæreant ſuis opinionibus, quàm ſcientifici, certitudo verò quæ pendet omninò ex propria per ſe cauſa aſſenſus, non pendet ex diſpoſitione ſubiecti, ſed nititur motiuo aſſentiendi. *S. Thomas.* *Molina.* *S. Thom. Vincentius.* *AEgidius.* *Henricus.* *Capreol.* *Sotus.* *Vega.* *Ariſtoteles.*

Non

III. ¶ Non esse verò Theologiam certam ex natura & causa actus, sed ex dispositione subiecti, indicat Ioannes Viguer. q.3. prologi initio, quatenus docet habitui Theologico posse subesse falsum, quod fieri nequit, nisi habeat solam certitudinem ex parte subiecti, vt patet in erroribus hæreticorum. Eiusdem sententiæ videntur esse Doctores referendi tractat. 6. cap.3.n.5.qui significant Theologiam esse certiorem alijs scientijs, solum quoad adhæsionem. Ostenditur primò, quoniam certitudo omnis notitiæ creatæ nititur certitudine obiecti, tanquam propria mensura: obiectum verò Theologiæ non necessario habet certitudinem, saltem quoad aliquas conclusiones: ergò neque habitus aut actus ipsius. Maior ostenditur, quoniam certitudo intellectus est infallibilitas iudicij, quoad veritatem: hæc autem pendet ex obiecto; ab eodem enim pendet infallibilitas veritatis, à quo veritas ipsa: nam si obiectum sit perpetuo & immutabiliter verum, communicabit assensui, qui circa ipsum versatur, infallibilitatem in iudicando, si verò sit mutabile à veritate in falsitatem, vel indifferens ad vtranque, non poterit in iudicium transfundere immobilem ac permanentem veritatem, & consequenter neque certitudinem. Assumptio per se patet, quoniam obiectum plurimarum conclusionũ Theologicarum est futurum contingens; hoc autem non habet stabilem veritatem. Respondebitur, quamuis secundùm se consideratum non sit certum, esse tamen, prout subest rationi formali obiectiuæ, sub qua terminat assensum Theologicum; hæc tamen responsio nõ satisfacit, tum quia certitudo obiecti est prior certitudine notitiæ; atque adeò ipsum secundùm se debet esse certum, vt ab eo redundet certitudo in actum: tum quia ex eo quod subsit alicui rationi obiectiuæ, nõ redditur certum in veritate: nanque vt notat D. Bonauent. in 1.d.40.ar.1.q.2. certitudine rei etiam illa, quę terminant diuinam cognitionem, sunt incerta; quoniã certitudo rei contraponitur contingentiæ; quæ non tollitur per scientiam Dei; atque adeò neque per reuelationem, aut quanuis aliam rationem formalem, cui subsit obiectum materiale. Denique quia D. Thomas q.3. de veritate, art.3. distinguere volens certitudinem intellectus, à certitudine rei, siue effectus, ait duplicem esse certitudinem, nimirum cognitionis & ordinis causæ ad effectum: at in futuris contingentibus nulla est certitudo ordinis causæ ad effectum: nam si esset, absque dubio tolleretur indifferentia ad vtrunque, & ratio contingentię. Secundò, conclusio Theologica ex parte principij intelligibilis non habet certitudinem determinatam ad vnum: Ergò habet solam certitudinem adhæsionis ex parte subiecti, quæ nascitur ex motione voluntatis: non verò certitudinem formalem sumptam ex ratione formali obiecti. Antecedens traditur à D. Thoma quæst.14. de veritate.ar.1. vbi postquam dixit intellectum determinari ad assentiendum vni parti contradictionis, modò ab intelligibili, modò à voluntate, paulò inferius asserit ad credendum, determinari non ab intelligibili, sed à voluntate, idem docet in 3. d.23. quæst.2.art.2. §.3. & per se patet, quoniam actus credendi est liber, & à voluntate mouente, vt constat ex dicto Augustino tractat. 26. in Ioannem, super illa verba: *Nemo potest venire ad me: Cæterapotest homo nolens, credere non nisi volens.* Et ideò ad credendũ requiritur pia affectio volũtatis captiuãtis intellectũ in obsequium & assensum fidei, quæ minimè requireretur, si intellectus ab ipso intelligibili certo determinaretur, quemadmodum determinatur ab intelligibili naturaliter euidente. Tertiò, non est satis attingere ipsam causam, atque rationem certitudinis obiectiuæ, sed præterea opus est ipsam clarè ac distinctè penetrare: sed per actum fidei ac Theologiæ, non clarè & euidenter attingitur reuelatio diuina, quæ est motiuum assensus; ergò non gignitur notitia certa. Antecedens suadetur, nam fieri potest, vt syllogismus continens veram, & propriam causam immediatam cõclusionis cognoscatur ab aliquo assensu opinatiuo, quia solum assentitur præmissis, vt apparenter veris ex ratione probabili, quo casu hic non habebit certum assensum conclusionis, & tamen attingit veram causam, & rationem certitudinis obiectiuæ: nam obiecta præmissarum sunt causa veritatis obiectiuæ conclusionis.

Viguer. *Bonauentura.* *D. Thomas.* *D. Thomas.* *Augustin.*

IV. ¶ Quamuis certitudo scientiæ non sumatur ab obiecto materiali, vt notat Durand. in 3.d.23.q.7.n.8. Capreol. q.1. prologi.art.1. in probatione quartæ conclusionis, & in 3.d.25. q.vn.a.3. ad tertium. Duran. contra 3. conclusionem, Caiet.22. q.4.art.8. & manifestè constat, quoniam opinio suaptè natura incerta potest esse de conclusione necessaria; sicut è contrario scientia diuina de obiecto contingenti, secundùm se habet certitudinem infallibilem. Nihilominus certitudo notitiæ naturalis

Duran. *Capreolus.* *Caietanus.*

turalis pendet ex certitudine obiecti materialis, vt supponit Linconiens. 1. posteri. *Linconiens.* cap. 17. certitudinem scientiæ colligens è nobilitate obiecti magis visi, vi lucis diuinæ: ob quam causam scientiam de substantijs separatis, ait esse suapte natura certiorem rerum naturalium cognitione: idque confirmat ex Aristotele lib. 1. de anima, *Aristoteles.* t. 1. dicente scientiam de anima esse certiorem alijs partibus Philosophiæ, quæ sunt de corporibus mobilibus. Similiter AEgidius parte secunda, prologi q. 2. ex simplicitate & abstractione obiecti cogniti, colligit certiorem esse scientiam, ex Aristotele lib. 1. Metaph. cap. 2. *Aristoteles. AEgidius.* Ratio verò est, quia certitudo ex causa assensus debet pendere ex obiecto, prout est adæquata ratio motiua intellectus, includens simul obiectum materiale, & rationem formalem siue motiuam: quia verò in scientijs naturalibus ratio motiua diuersa est coniuncta diuersis obiectis materialibus, ideò simpliciter ex maiori illorũ certitudine colligitur maior scientiarũ certitudo. Expressè autem ex ratione motiua pendere scientiæ certitudinem, docent S. Thomas q. 14. de verit. ar. 1. & in 3. d. 23. quæst. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. AEgidius parte 2. prologi quæst. 2. Henricus in summa ar. 7. quæst. 2. Capreolus in 3. d. 25. quæst. vnica, ar. 1. conclusione 3. & ar. 3. ad argumenta contra tertiam conclusionem. Caietan. 22. quæst. 4. ar. 8. & supra citati, qui ex parte causæ, & subiecti assignant certitudinem: idcircò oportet explicare, in quo consistat certitudo obiecti tàm materialis, quàm formalis.

Aristot. *S. Thomas.* *AEgidius. Henricus. Capreolus.* *Caietanus.*

V. ¶ Certitudo itaque ex parte obiecti diffiniri potest firmitas, siue immobilitas in veritate obiectiua, ita vt illud obiectum sit certum, quod habet veritatem immutabilem. In obiecto verò materialiter sumpto non est alia certitudo veritatis obiectiuæ, quàm necessitas absoluta, vel ex suppositione actualis existentiæ. Prior necessitas multipliciter à Philosophis ac Theologis distinguitur; & iuxta gradus necessitatis rei in essendo distingui debent gradus certitudinis obiectiuæ: nam quod est necessarium à se ipso vt Deus, habet summum gradum certitudinis veritatis obiectiuæ: cætera magis vel minus accedunt ad illum gradum, quo magis vel minus accedunt ad gradum talis necessitatis. Posterior necessitas non habet vllum fundamentum in natura ipsa, aut in causarum naturalium connexione, sed in mera coniunctione obiecti, vel cum aliqua suppositione extrinseca, ex qua certo, atque infallibiliter sequitur: aut cum ipsa rei essentia extra causas, quæ tametsi contingens fuerit, & potuerit non esse, tamen postquàm semel actu est, impossibile est, vt vel tunc non sit, vel postea non fuerit. Porrò ratio formalis obiectiua constituere potest rationem aliquam certitudinis obiectiuæ, si inuehat aliquam suppositionem, sub qua obiectum alioquin contingens non possit non coniungi cum veritate; atque adeò quatenus cum tali ratione formali cõponitur, & sub ea reduplicatiuè sumitur, impossibile est, vt sit falsum: & consequenter ita cõsideratum habet veram ac propriam certitudinem obiectiuam. Exempli causa, Antichristum fore damnandum, est obiectum in se contingens, atq; incertùm, prout tamen subsistat præscientiæ diuinæ, est necessarium ex suppositione extrinseca, & certum, quæ doctrina sumitur ex D. Thoma q. 14. de veritate, art. 8. ad decimum quartum, vbi *Christi*, inquit, *passio, quamuis in se sit contingens, tamen secundùm quod diuinæ præscientiæ subsistat, prout de ea est fides & prophetia, habet immobilem veritatem.* & 22. q. 1. art. 3. ad secundum. *Deum*, inquit, *non incarnari secundùm se consideratum, fuit possibile etiam post tempus Abrahæ, sed secundum, quod cadit sub diuinam præscientiam, habet quandam necessitatem infallibilitatis.* Similia docet Bonauent. in 1. d. 40. ar. 2. q. 2. in corpore, & Albertus in 1. d. 40. ar. 12. ex quibus cõstat obiectũ secundùm se contingẽs & indifferens ad veritatem, aut falsitatem, prout induit rationem aliquam ex suppositione etiam extrinseca, subire necessitatem, & rationem certitudinis obiectiuæ. *S. Thomas.* *S. Bonauent.* *Albertus.*

¶ Ex dictis facilè constat ad veram certitudinem notitiæ requiri, vt per ipsam attingatur ratio obiectiua certitudinis. Etenim eædem sunt causæ essendi, & cognoscendi; ergò causa infallibilis veritatis obiectiuæ, cognosci debet ab intellectu, vt transfundatur in notitiam certitudo formalis veritatis intellectiuæ: vt sicut hæc pendet ex veritate obiectiua, ita ipsius certitudo pendeat ex notitia earum rerum, ex quibus pendet certitudo illius; non enim sat est causas necessarias probabiliter agnoscere, vt cognitio effectus sit certa. Ex quo patet id, quod aliqui recentiores aiunt certitudinem esse fugationem, hoc est infallibilitatem, quæ negat aptitudinem, vt assensus sit falsus, non esse intelligendum materialiter, nam hoc modo opinio de obiecto necessaria esset certa, cùm repugnet illi falsitas, sed intelligendum ex vi & natura assensus, ita vt ipsi, qua talis est, vt repugnet falsitas, quod contin- VI.

git,

VII.

git, quoties actus attingit obiectum sub ratione veritatis obiectiuæ necessariæ: quę si sit absoluta, requirit notitiam euidẽtem rationis vel causæ : si verò sit solum ex suppositione extrinseca, non est satis cognitio euidens subiecti, & passionis, aut naturalium causarum : sed opus est intellectum fieri certiorem illius suppositionis. Ratio est, quoniam veritas merè contingens, non habet necessitatem ex natura extremorum, aut connexione causarum naturalium: ergo neque ex harum penetratione potest sumi certitudo assensus de illa habiti: quantumuis enim alicui communicaretur à Deo notitia euidens Verbi Diuini, & humanæ naturæ, adhuc non posset habere vllam , nè dum certam notitiam incarnationis. Posita verò notitia certa suppositionis extrinsecæ , sub qua sumpta veritas alioquin contingens habet necessitatem, resultat etiam notitia certa eiusdem veritatis: vt si eidem homini manifestaret Deus decretum suum de incarnatione Verbi, iam certò illam cognosceret , quia considerat illam coniunctam cum ratione necessitatis. Ex eodem principio sequitur ad certitudinem notitiæ de obiecto necessario, vel simpliciter, vel ex suppositione intrinseca, satis esse notitiam euidentem causæ talis connexionis, quod

S. Thomas. fusè explicat D. Thomas quæst. 14. de veritate, ar. 1. cùm declarat modum, quo intellectus absolutè determinatur ab obiecto intelligibili , vt adhæreat vni parti: *Quandoquidem*, inquit, *determinatur mediatè , quandoque immediatè : immediatè quando ex ipsis intelligibilibus statim veritas propositionum intelligibilium infallibiliter apparet*, quomodo determinatur intellectus ad

Aristot. assensum principiorum , quæ statim cognoscuntur notis terminis, vt ait Philos. 1. Post. tex. 6. *mediatè verò quãdo cognitis definitionibus terminorum intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis , virtute primorum principiorum , & hæc est dispositio scientiæ.* Idem tradit in 3. d. 23. quæst. 2. ar. 2. quæstiuncula 3. in c. Et quamuis D. Thomas hoc loco non meminerit certitudinis, quæ habetur per notitiam euidentem experimentalem, quam intuitiuam vocant, tamen eadem est ferè ratio, quæ primorum principiorum, nam ex ipso contuitu experimentali obiecti redditur animus certus ad assensum, quandoquidem tota hæc certitudo nititur in necessitate suppositionis intrinsecæ, qua res alioquin contingens, actu coniungitur cum existentia. Omnis certitudinis modos prosequitur

Vega. Andreas à Vega, vbi suprà.

¶ Dico verò Theologia est habitus certus , non solum ex dispositione subiecti, sed etiam ex causa assensus. Hæc est Alensis 3. p. q. 68. m. 9. art. 1. & ex ipso Rayne-

Alensis. Rayner. rij in sum. verbo *fidei*, cap. 1. Scoti in d. 24. q. vnica. §. *Ad propositum* & sequ. Gregorij

Scotus. Gregor. q. 1. prologi. ar. 4. conclusione 3. ex secundo loco positis. Petr. de Alliaco, q. vnica prologi, art. 3. litera ll. 2. conclusione. Cani lib. 12. de locis Theologicis, cap. 2. post medium, & aliorum, quos referam tractatu 6. cap. 3. qui non solum asserunt Theologiam esse certam, sed scientijs naturalibus certiorem , nec solum recurrunt ad inclinationem ex parte subiecti, sed etiam ad lumen , & motiuum primæ veritatis. Probatur autem, quoniam habitus Theologicus per actum suum attingit rationem certitudinis obiectiuæ infallibilis, ergo est certa ex causis. Consequentia patet ex terminis explicatis. Antecedens ostenditur, quoniam causæ assensus discursiui, qualis est Theologicus , continentur euidentia consequentiæ, & principijs assumptis : quo ad euidentiam consequentiæ, æqua est ratio in Theologia , atque in alijs scientijs; ijsdem enim, quibus illæ, vtitur argumentandi formis : quod verò attinet ad principia, quando alterum erit naturale, & euidenter cognitum: eodem modo attingitur ratio certitudinis obiectiuæ , atque per assensus naturales, & euidentes; quando verò est naturaliter ineuidens , & fide creditum, attingitur veritas prima reuelans, quæ est radix summæ certitudinis, cum qua coniunctum obiectum materiale fidei, habet necessitatem suppositionis extrinsecæ sufficientem ad certitudinem infallibilitatis, vt notauit Gabriel in 3. d. Gabriel. 23. quæst. 2. ar. 1. ad primum argumentum. lit. e. qui enim elicit , actum fidei credit obiectum esse verum, quia reuelauit Deus, sub hac autem ratione implicat contradictionem illud esse falsum : ergo per actum credendi aliqua ratio certitudinis obiectiuæ. Dixi attingi aliquam rationem, quoniam ad certitudinem actus sat est, si percipiatur, vel vna ratio completa necessitatis obiectiuæ, quantumuis obiectum plures habeat: vt videre est in conclusione demonstrabili: per plura genera causarum: potest enim de illa haberi certa scientia per vnum solum genus causæ; ita etiam licet obiecta reuelata plures habeant causas , siue rationes necessitatis , quandoque immeditas , quandoque mediatas pro varietate rerum, non opus est omnes illas agnoscere, sed satis est vna reuelatio, quæ extenditur ad omnia , etiam

contingentia, quæ ex natura rei non habent causam necessariam, sub qua omne obiectum complexum habet immobilem veritatem, & certitudinem obiectiuam, & consequenter notitia sub ea tendens in obiectum, habet certitudinem & infallibilitatem veritatis formalis, quæ est propria actuum.

VIII. ¶ Obijcies cum certitudine, non cohæret dubium, vt patet ex dictis, at circa principia Theologiæ contingit dubitare; nonnunquam enim suboriuntur dubia de obiectis reuelatis: ergò etiam erit dubium de conclusionibus Theologicis: atque adeò non tribuit certitudinem. Respondetur certitudinem excludere dubitationem formatam, & hanc excludit fides, vt ait Diuus Thomas & Bonaventura, mox citandi, & per se patet ex illo c.1. de hæreticis: *Dubius in fide hæreticus est*. Eandem quoque excludit Theologia circa conclusiones euidenter deductas ex suis principijs. Primi verò motus dubitandi, licet excludantur à certitudine notitiæ euidentis, dum adest, non tamen à certitudine fidei: cuius rationem reddit Diuus Thomas quæst.14. citata, art.1. quoniam actu fidei intellectus non terminatur ad vnum, ita vt perducatur ad proprium terminum, qui est visio obiecti intelligibilis: & idcirco non perfectè conquiescit, quamdiu non peruenit ad visionem per speciem eius, quod credit, ob quam etiam causam dicitur ab Augustino lib. de prædestinat. Sanctor. c.2. credere est, cum assensione cogitare, quia fides habet firmissimum assensum, sed absque visione. Et quia Theologia pendet ex fide, admittit eosdem motus dubitationis: tamen quia nititur motiuo infallibili, habet in se sufficiens præsidium ad vincendum errorem, & dubitationem: atque adeò quamuis non perueniat ad perfectissimum gradum certitudinis, qui est in patria, habet tamen perfectum ex parte formitudinis: nam iuxta doctrinam Diui Bonaventuræ in 3.d.26.art.1. quæst.5. duplex est gradus certitudinis, alter, quo intellectus habet sufficientem firmitatem, ac motiuum, ad excludendam dubitationem & errorem, & hic conuenit viatoribus per fidem, ac Theologiam: alter, quo redditur impotens ad dubitandum, vel errandum, & hic reseruatur beatis in patria.

S. Thomas. *S. Bonauent.* *S. Thomas.* *Augustin.* *Bonauentura.*

IX. ¶ Pro resolutione argumentorum notandum est intellectum determinari, modò ab intelligibili solo, modò à sola voluntate, modò ab vtroque simul: ab intelligibili solo determinatur, quando est notitia euidens, ac penetratio certitudinis obiectiuæ; & hic modus sufficit ad veram & propriam certitudinem formalem assensus, non sufficit autem, si certitudo obiectiua attingitur notitia naturali non euidente: quoniam notitia naturalis non habet aliam mensuram certitudinis, quàm necessitatem obiecti penetratam lumine rationis: qui verò conclusionem demonstrabilem cognoscit obscurè ex medio, continent veram & proximam causam, intelligit quidem id, quod est materialiter causa, sed non intelligit vt causam, neque videt necessitatem antecedentis, aut consequentis: ideoque Diuus Thomas ad veram certitudinem exigit, vt sit notitia resoluta ad sua principia, & vsque ad terminos ipsorum. A sola voluntate determinatur, quando non existente sufficiente ratione motiua ex parte obiecti, intellectus ex affectu voluntatis determinatur, vt assentiatur vni potius parti, quàm alteri, vt contingit in opinionibus, & actibus fidei humanæ, quibus non addit motiuum, quod in se sit sufficiens mensura infallibilis, atque immobilis veritatis; hic verò modus nequaquam sufficit ad certitudinem formalem notitiæ, quæ consistit in adhæsione mentis ad veritatem, ob proprium motiuum intellectus. Sufficit tamen ad certitudinem adhæsionis, ex parte subiecti, vt notat Durand. in 3. distinct. vigesima tertia, quæst. septima, num. septimo. Capreolus distinct. vigesimaquinta, quæst. vnica, art. tertio, ad primum. Durandi contra tertiam conclusionem. Denique intellectus determinatur simul à voluntate & obiecto, quando licet hoc in se sit sufficiens regula veritatis formalis immobilis, tamen propter sui obscuritatem & inuidentiam non necessitat intellectum, & eget motione voluntatis, quæ ex appetitu alicuius boni mouetur, vt illum applicet, ac determinet ad assensum præstandum alteri parti contradictionis, qua applicatione posita intellectus determinatur à voluntate extrinsecè, tanquam à primo motore, non verò tanquam à regula veritatis, à motiuo verò proprio intellectuali, tanquam à propria mensura sui generis. Et quia propria ratio actuum vitalium per se, ac proximè desumitur à ratione formali proprij obiecti, non verò alterius potentiæ, fit vt certitudo actus intelligendi, quæ est infallibilis com-

Durand. Capreol.

prehen-

prehensio veritatis, non sumatur ex bono, quod est obiectum voluntatis, sed ex vero, quod est obiectum intellectus. Hoc modo se res habet in fide, nam reuelatio, quæ est proprium eius motiuum, propter ineuidentiam, non necessitat intellectum, qui idcirco indiget applicatione voluntatis: propter infallibilitatem verò firmat, & continet intellectum, & actui fidei confert infallibilitatem, & certitudinem formalem prouenientem non ex sola pia affectione voluntatis, sed potissimum ex
S. Thom. motiuo reuelatiõis, quod indicat D. Thomas, quoties ad certitudinẽ fidei recurrit, ad infallibilitatem veritatis primæ, hoc enim motiuum respicit intellectum non voluntatem: id verò docet art. 1. cit. ad 1. vbi idcirco, ait fidem præstare reliquis scientijs certitudine adhæsionis, *quia*, inquit, *prima, veritas, quæ causat fidei assensum, est fortior causa, quam lumen rationis, quod causat assensum intellectus, vel scientiæ*, & art. 2. eiusdem quæstionis in corpore assignat duo principia, fidei vnum, quod est bonum mouens voluntatem, & secundùm id, cui intellectus assentit voluntate faciente, & quoniam hoc est omninò certum, & vt tale proponitur intellectui, gignit actum per se, & intrinsecè certum, & non ex sola dispositione subiecti: similiter quæstiuncula illa 3. *In his*, inquit, *quæ per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans: est ipsa veritas prima, siue Deus, cui creditur, quæ habet maiorem firmitatem, quam lumen intellectus humani.*

X. Ex ijs soluuntur argumenta initio proposita, & primi quidem Maior propositio, si intelligatur de obiecto, prout conflatur ex materiali & formali, concedi debet, si de solo materiali neganda, vt patet ex dictis. Assumptio verò concedenda in hoc posteriore assensu, vt benè probat argumentum; nam saltem aliqua obiecta materialia fidei, ac Theologiæ non habent certitudinem obiectiuam in se, neganda tamen in priore, quoniam vt dictum est, eadem obiecta secundùm se, interea prout componuntur cum diuina præscientia, vel reuelatione, sunt certissima. Ad probationem verò assumptionis bona est solutio ibidem assignata; Ad cuius primam impugnationem dicendum est certitudinem obiectiuam fidei, quæ sumitur ex eius ratione formali, esse priorem certitudine ipsius actus fidei: quoniam illa consistit in coniunctione obiecti materialis cum formali, hoc est, cùm reuelatione diuina, quæ semper antecedit fidem. Ad secundam respondetur per reuelationem diuinam non reddi obiectum materiale in se ipso certum, quod solùm vult D. Bonauentura, reddi tamen quatenùs componitur cum ipsa reuelatione, quæ certitudo licet non fundetur in necessitate absoluta, nititur tamen necessitate suppositionis, quæ re ipsa est prior assensu fidei, & ex hac parte est certitudo rei contra diuisa à certitudine cognitionis; D. autem Thomas loco citato, non definit certitudinem obiectiuam, sed solùm explicat vnam eius partem: nempè eam quæ pendet ex ordine, & necessitate causarum; non enim negaret certitudinem obiectiuam mysterio Trinitatis, quæ tamen non pendet ex ordine causarum, qui non est in Deitate. Ad secundùm Respondetur, licet conclusio Theologica ex parte principij non habeat certitudinem euidenter determinatam, & necessitatem, habere tamen determinationem ineuidentem ex motiuo reuelationis, & ita non sumit totam certitudinem à uoluntate, nec oppositum voluit sanct. Thom. sed solùm propter in euidentiam motiui indigere etiam applicatione voluntatis. Ex quo etiam patet solutio ad rationem; nam licet motiuum reuelationis non necessariò determinet sed relinquat liberum intellectum, tamen cum quis à voluntate applicatus assentitur, innitur primæ veritati, quæ est radix infallibilitatis, & certitudinis formalis ipsius actus. Ad 3. negatur antecedens, quod licet in notitia naturali verum plerunq; sit, non tamen in vniuersum; nam ad assensum certũ quorũdam principiorum generalissimorum, vel dignitatum in scientijs particularibus sat est confusa, hoc est, non definitiua notitia terminorum, vt patet in illo. Omne totum est maius sua parte, ad cuius assensum sat est simplex conceptus prædicati, ac subiecti, neque enim Metaphysicus, qui sciret definitiones terminorum, ex quibus principia Mathematica construuntur euidenter, aut certius ijs assentiretur, quã assentiatur Mathematicus, ex sola apprehensione simplici non definitiua ipsorũ. Sed quidquid de hac re sit, certum est in supernaturalibus esse aliam longè rationem ac in naturalibus: nã certitudo de his oritur ex causis rei in essendo, aut ex cognitione ipsarum, quæ non aliter penetrat necessitatem obiectiuam, quam cognoscendo distinctè obiecta; at certitudo obiectiua eorum, quæ creduntur, oritur ex compositione obiecti cum diuina reuelatione, quæ

quia intelligi potest, non cognito distinctè obiecto, haberi quoque potest certitudo supernaturalis fidei, simul cum ineuidentia circa obiectum. Probatio Antecedentis solùm procedit circa obiecta naturalia, circa quæ licet sit, verum non est circa supernaturalia, ob rationē assignatam.

Theologia non habet euidentiam ex resolutione ad notitiam aliquam naturaliter euidentem.

Caput II.

I. *Anomæi.* Circa hanc materiam fuit imprimis error Anomœorum lib. 3. tract. 4. ex instituto refutandus: qui iactabant habere se de rebus diuinis notitiam comprehensiuā, atque adeò æqualem ipsi diuinę; hoc autem fieri non poterat absque euidentia: nā comprehensio non dicitur, quamdiu latet ratio aliqua cognoscibilitatis obiectiuæ, & ideò cū obiecta reuelata & per discursū Theologicum cognita, sint suaptè natura capacia notitiæ euidentis, comprehendi nequeunt absque notitia euidente: & ita hæretici illi eo ipso, quo dicebant habere se cōprehensionē Deitatis, indicabant Theologiā suā esse euidentem. Argumenta quibus hūc errorē suadebant, & eorū solutiones, ad lib. 3. reijcio. Non defuerunt etiā ex Theologis q ob diuersa motiua crederent Theologiā nostram esse, euidētem, aliqui enim existimarunt habere euidentiam naturalem ex resolutione ad principia naturalia: alij ex lumine supernaturali, alij ex vtroque. Sed claritatis gratia, singulas opiniones cū proprijs fundamentis seorsim expendam.

Heruæus. Argent. Qui naturalem euidētiam admittebant in duas classes diuisi sunt: alij enim apud Heruæū q. 1. prolog. & Argent. q. 2. ar. 1. dicebant principia Theologię esse euidētia, & probari posse ex per se notis ex loco intrinseco, applicando terminos, & concludendo passionē per se de subiecto. Probabāt verò, quoniā posteriora, ac minùs cōmunia, semper nata sunt probari per priora, & magis cōmunia: sed ea quę cōsiderantur in Theologia, nostro modo intelligēdi sunt posteriora his, quæ cōsiderātur in Metaphysica; Ens enim, in quantum ens, est priùs Deo & quouis alio ente determinato: ergò quę de Deo docentur in Theologia, demonstrari possunt per principia Metaphysica. Alij nō admittunt quidē eiusmodi demōstrationes exterminis & principijs intrinsecis, sed ex principio extrinseco; videlicet omnia quæ Deus reuelauit, vera sunt, sed Deus hæc reuelauit, ergò vera sunt. Maior inquiūt, est per se nota, vt patet; Minor ité ex miraculis quæ faciebant euidentiā: nam sicut effectus naturalis arguit euidenter causam naturalē, ita supernaturalis supernaturalem: ergò miracula patrata ad cōfirmationē veritatis reuelatę, euidēter ostēdebant Deū esse, q reuelabat: atq; adeò fides, & Theologia, quę fide nititur, resoluitur in duo principia per se nota. Itaq; duas conclusiones præcipuas statuit hæc sententia; altera est, principia Theologię resoluūtur in per se nota; altera Theologia est verè sententia, nam habitus discursiuus certus, & euidens est, ppria sciētia. Huius sentētiæ fuit Francis. de Marchia q. 3. prolog. ar. 1. quāuis à plerisq; impugnetur in sensu prioris sententię, hāc tamen secundā tenuit, vt referūt Ochamus, q. 3. principali, quæ est septima in ordine, Alphon. de Tolet. q. 2. ar. 3. contra primam & secundam cōclusionem & Greg. q. 1. ar. 4. initio. In hoc eodem sensu; eam opinionē sequitur Dionys. Carthus. q. 1. prolog. §. *Contra cuius*, & in 3. d. 24. q. 1. §. *contra hoc*. *Francis. de March.* *Dionys. Car.*

II. Probat Francisc. de March. apud Tolet. & Greg. multipliciter, sed tota vis rationū ad duo argumēta reduci potest. Primò. Nemo tenetur credere absque dubio, & hæsitatione id, quod non est per se notum, aut deductum ex aliquo per se noto: Quilibet autem proposito sufficienter obiecto fidei tenetur habere fidem; ergò articuli fidei, quib. credit, sunt ei per se noti, aut ex per se notis deducti. Maiorem propositionē probat, quoniam nullus tenetur adhærere firmius conclusioni, quam principijs ex quib. deducitur: propositioni reuelatæ nō assentimur ex terminis, sed propter aliquod aliud principium, aut ergò illi principio assentimur euidenter, aut ex opinione, aut ex fide: non ex fide, sic enim dabitur progressus in infinitum: non ex opinione, quoniam ex motiuo opinatiuo, non procedit assensus firmꝰ ac certus, ergò necessariò assentimur euidenter. Secundo. Nullus assensus quoad certitudinem, & firmitatem excedit notitiam, ex qua procedit tāquam ex principio & causa: assensus fidei procedit ex alia notitia, sola autem notitia euidens potest æquare certitudinem fidei; ergò ex hoc necessariò, pcedit. Probat etiā Carthusianus, ex magnitudine & multitudine miraculorū & signorū, quę Deus patrauit ad confirmandū se esse autorē nostræ fidei, quę faciunt magnā euidentiā testificationis diuinę, quod egregiè docuit Richar. de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *quotquot*, inquiens, *veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil cōstantius tenemus, quam quod fide apprehendimus, sunt nā-* *Richar. Vict.*

que

que patribus cælitus reuelata, & tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs diuinitus confirmata, vt videatur esse dementia in his, vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula, & alia quę non nisi diuinitus fieri possunt, fidem faciunt, nec dubitare sinũt, de mysterijs reuelatis. Vtimur itaque in eorum attestationem, seu etiam confirmationem signis pro argumentis, prodigijs pro experimentis.

III. *S. Thom. Henricus Durand. Gregorius Heruæus Argentin. Toletan. Maior. Basilius.*

Dico primùm. Principia Theologica non habent aut habere possunt resolutionem euidentem, in aliquid per se notum lumine naturæ. Hæc est certa apud Theologos, quàm expressè docẽt D. Thom. opusc. 59. cap. 1. Henric. quodlib. 8. q. 14. Durand. q. 1. prologi nu. 40. Gregor. vbi suprà conclusione 1. ex primo loco positis. Heruęus. & Argent. vbi suprà, Alphonsus de Tolet. q. 2. prologi art. 2. cõclusione 1. & ar. 4. ad argumenta contra primam conclusionem: Maior quæstion. 3. prologi conclus. 2. & est communis doctorum; idem docet Basilius in Psalmum 105. initio, & ferè omnes Patres referendi in materia de fide. Ostenditur primo, quoniam omnis assensus naturaliter resolubilis in principia euidenter nota, haberi potest ex lumine naturæ: atqui de rebus per se reuelatis, haberi nequit assensus certus ex solo lumine rationis: ergò neque resolutio. Maior per se patet, eadem quippè sunt principia resolutionis, & cognitionis, atque adeò mysteria, quorum notitia naturaliter, absque reuelatione resolui potest in principia naturaliter euidẽtia, absque illa etiam cognosci possunt. Assumptio ostẽditur, nam de mysterio diuinarum personarum ait Christus Dominus Matth. vndecimo. *Nemo nouit filium, nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* De futura beatitudine primæ ad Corinth. 2. *Quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.* De die autẽ iudicij idemmet Christus dixit Matth. 24. *De die autem illo nemo scit, neque filius hominis:* eadem verò ratio est de cæteris mysterijs, siue quæ pertinent ad intra, & ex creaturis agnosci nequeunt: siue, quæ pendẽt ex libera volũtate Dei, & deprehendi nequeunt vllo modo ex connexione causarum secundarum, siue sint facienda, siue etiam facta: nam hæc, vt ait Aug. non nisi per fidem agnoscuntur, sic enim scribit in epistola ad Cosenerum, *visibilium rerum præteritarum, quæ temporaliter transierunt, sola fides est, quoniam non adhuc sperantur videnda: sed transacta & facta creduntur,* quæ libr. 83. quæst. 48. ait semper credi, & nunquam intelligi: Secundò. Omnis resolutio euidens proprietatum alicuius substantiæ terminatur in definitionem ipsius, vt enim ait Aristoteles lib. 11. met. c. 6. per definitionem resoluitur omnis quæstio de re: resolutio verò effectuũ, terminatur in propriam ac primam causam ipsorum, sed homo ex naturalibus non habet notitiam quidditatiuam Deitatis, neq; determinationis voluntatis diuinæ: ergò ea quæ super naturaliter de Deo, vel de effectibus ipsius reuelata sunt, resoluere nequit in principia euidentur nota. *Aristot.*

IV.

Ad argumentum prioris sententiæ, Respondetur ex principijs Metaphysicis non posse euidenter fieri conclusiones verè, ac propriè Theologicas: quoniam principia Metaphysices, vel sunt communes illæ dignitates; impossibile est idẽ esse, ac nõ esse, de quolibet verùm est affirmare vel negare: vel propria principia constantia terminis Metaphysicis: priora illa quãuis sint regulatiua omniũ veritatum; nõ tamẽ modo ostẽsiuo ac directè: & ideò si principia proxima conclusionum non sint euidentia, nõ gignunt scientiã: vt discurrẽdo per omnes sciẽtias videre licet: propria verò principia Metaphysica constantia terminis transcendentib. ad Deum & creaturas, solũ possunt ostendere passiones cõmunes Deo cũ creaturis: quarum cognitio propriè spectat ad Metaphysicum non Theologum, nõ verò alias particulares vt rectè notat Mayron. q. 21. prologi ad 8. nõ enim ea, quæ cõueniunt homini, pręcisè quà homo est, demõstrant de ipso ex principijs animalis: ita quæ conueniunt Deo secundùm propriam rationẽ Deitatis, vt distinguitur à creatura, nõ possunt demonstrari de ipso secundùm rationẽ cõmunem entis, & principia communia omni enti; Veru quia Deus Optim. Max. non solùm pertinet ad considerationẽ Metaphysicæ secundùm rationem cõmunem entis, sed etiam secundùm se, non est negãdum ex proprijs principijs Metaphysicæ, demonstrari de ipso proprietates nõ communes creaturis. Harum tamen scientia nõ superat facultatẽ luminis naturalis, nec est de ijs, quæ per se primo reuelantur, & pertinent ad fidem, vel Theologiã; Nam cum principia ex quibus intellectus naturaliter ascendit ad cognitionem Dei, sint effectus naturales ipsius, nõ possunt ducere in agnitionẽ veritatum, omninò supernaturaliũ. *Mayron.*

V.

Dico secundum. Assensus Theologicus non resoluitur de lege ordinaria, in reuelationẽ diuinã euidenter cognitam, & quamuis resoluerẽtur nõ tamẽ esset verè & propriè scientia. Prima pars expressè traditur à Duran. q. 1. prologi: à nu. 44. Tolet. q. cita. ar. 4. dum impugnat opinionẽ contrariam, *Durand. Toletan.*

Gregor.

Matth. 11. *1. ad Cor. 2.* *Matth. 24.* *Augustinus*

Gregor. Viguer. Gregor. concluſ.1. citat. & in corollario ſecundæ, Ioanne Viguer. inſtitut. cap.10. §.1. Verſu 4. & alijs referendis in materia de fide. Probatur primò, quoniam aſſenſus habens principia naturaliter euidentia, in quę reſoluitur, & ſupponens eiuſmodi reſolutionem, eſt neceſſarius quoad ſpeciem, nec iam ampliùs pendet ex voluntate ſubiecti: ſed fides eſt voluntaria, vt enim *Auguſtinus.* ait Auguſt. vbi ſuprà: *cætera poteſt homo nolens, credere non niſi volens*: ergò non ſupponit reſolutionem euidentem in principia: *S. Thom.* hoc enim diſtinguit D. Thomas quæſt.14. de veritate art.1. certitudinem ac determinationem aſſenſus fidei & Theologici ab aſſenſu ſcientiæ naturalis, quod hic ex præuiſione medij determinatur ad vnum ab ipſomet intellectu: ille verò præterea requirit determinationem voluntatis. Secundò, quoniam ex reuelatione non poteſt elici aliud iudicium præuium aſſenſus fidei, quam hoc, *Deus reuelauit hanc veritatem*, hoc autem, vt omittam illos, quibus immediatè fit reuelatio, reſpectu quorum aliqui volunt eſſe euidentiam in atteſtante, de quo in materia de fide, vt inquâ hos omittam, & loquar de quouis Chriſtiano, vt præfati auctores loquuntur, iudicium hoc, *Deus reuelauit hanc veritatem*, non eſt euidens: in primis non ex terminis, quoniam nihil omninò voluntarium eſt notum ex terminis: non ex ipſa experientia, hæc enim non habetur ab ijs, quibus nihil eſt reuelatum immediatè, ſed credunt propter reuelationem alijs factam, & ſibi ſufficienter propoſitã, non ex alio principio, per ſe noto ex quo deducatur: Non enim omnes qui credunt euidenter cognoſcunt miracula, & alia ſigna, quæ Deus in confirmationem fidei operatus eſt, vt ipſa experientia conſtat: ergò aſſenſus Theologicus de lege ordinaria, non reſoluitur in reuelationem diuinam naturali lumine euidenter notam.

VI. *Gregorius Carthuſ.* Poſterior pars expreſsè traditur à Greg. ar. cit. concluſ.2. ex primo loco poſitis, & Dionyſio Carthuſiano in 3.d.24.quæſt.1. dum impugnat ſententiam Durandi oppoſitum aſſerentis d.31.q.4.num.10. facilè verò probatur; quoniam ſcientia propriè ſumpta vt conſtabit cap.7. gignitur ex diſtincta, atque euidente notitia principiorum in ſe ipſis, non autem ex medio extrinſeco, quo non oſtenditur per ſe euidenter connexio paſſionis cum ſubiecto. vt enim ait D. Thom. in euidentia naturali ſcientiæ ſemper intellectus nititur proprio teſtimonio, hoc eſt, intuitu claro principij, in quod concluſio reſoluitur: at verò quando adeſt ſola euidentia atteſtationis, adhuc opus eſt vt intellectus innitatur teſtimonio extrinſeco primæ veritatis quam in ſe minimè intuetur: atque adeò quamuis in materia de fide Theologi diſputent, an eiuſmodi euidentia cum fide cohærere poſſit, tamen certum eſt ex vi illius non gigni propriam euidentiam rei in ſe, quæ requiritur ad ſcientiam. Non eſt tamen negandum ex ea parte magis accedere ad ſcientiam ſyllogiſmum Theologicum, qui conſtaret propoſitionibus reuelatis euidentibus in atteſtante, quàm eum qui communiter habetur à Theologis conſtans, præmiſſis carentibus vtroque genere euidentiæ, ac proindè poſſet aliquo modo dici ſcientia, quia, vt notat Aureol. quæſt.1. prologi ar- *Aureol.* tic.1 dum agit contra opinionem Scoti, ſed hoc magis premere non eſt huius inſtituti, ſed ſpectat ad materiam de fide.

VII. Ad fundamentum poſterioris ſententiæ dicendum, ſi vim vllam habet, ſolùm concludere euidẽtiam in atteſtante reſpectu illorum, qui erant præſentes miraculis, & quibus euidens erat eſſe vera, ac propria miracula: nam quibus id euidens non fuiſſet, ſemper altera præmiſſa aſſumpta, ſub illo principio: *Omne reuelatum à Deo, eſt verum*: Nempè, *hoc eſt à Deo reuelatum* maneret ineuidens: ſed quidquid ſit de euidentia illorum, qui miraculis interfuerunt, cæteri Chriſtiani communiter qui miraculis non interfuerunt, ſed ſola auditione perceperunt, non habent euidentiam ipſorum, ſed ſolam fidem; & conſequenter propoſitio illa ſubſumenda ſub illo principio: *Omne reuelatum à Deo eſt verum*: nempè, *ea quæ in Sacra Scriptura continentur, ſunt à Deo reuelata*, non eſt illis euidens, atque adeò neque propoſitio credenda habet euidentiam, quod ſit vera. Ad primum argumentum Franciſci de Marchia, neganda eſt Maior propoſitio; quia enim fides eſt non apparentium, non opus eſt euidentia, vt credamus, neque fides eſt neceſſaria, vbi datur euidentia, imò vt ait D. Auguſtinus lib.13. de Trinitate. cap.1. propterea credere iubemur, quia id quod credere iubemur, videre non poſſumus. Ad probationem Maioris dicendum, neminem teneri firmius credere alicui propoſitioni quàm principijs, ex quibus deducitur, ſi præcisè credat ex vi talium principiorum: ſi verò eiuſmodi principia habeant ſe tantummodò inſtar cauſæ applicãtis verum ac proprium motiuum, *Auguſtinus.*

non

non requiri, vt ea magis, aut æquè firmo assensu credat, sed sat est motiuum in se esse certum, ac firmum. At verò principia discursus illius; omne reuelatum à Deo est verum, filium Dei esse hominem est reuelatum à Deo, ergò est verum: non sunt propriè ac per se causæ firmitatis, ac certitudinis assensus fidei: non enim ideò firmus est, quia ego iudico esse reuelatum à Deo, nam hoc etiam iudicat hæreticus, quando assentitur suis erroribus, & falsò & absque certitudine iudicat: sed propria causa, ac motiuum est ipsa reuelatio diuina applicata per eiusmodi discursum, vel quouis alio modo; ea verò cum sit immediatè à Deo, certior est actu fidei à nobis elicito. In forma verò respondeo disiunctionem illam non esse adæquatam, nam deest aliquis habitus, ex quo assentiamur illi præmissæ, *hoc est reuelatum à Deo*, scilicet, prudentia, quæ consideratis omnibus iudicat obiectum verè reuelatum; & vt verè credibile proponit voluntati, vt moueat intellectum ad assensum fidei; vel si quis Maiorem concedere malit dicat assumptioni illi, *hoc est reuelatum à Deo*, præberi assensum fidei, & ad obiectionem respondeat reuelationem diuinam per se primo absque alio discursu mouere intellectum, vt ipsam ex certa fide recipiat, quoniam est primum credendi principium, & ita tolli progressum in infinitum; quæ responsio multis placet, an vera sit in materia de fide, erit examinandum. Concedi etiam potest illud iudicium fieri ex probabili, ac prudente opinione, verùm cum ipsa per se non sit causa assensus, sed reuelatio per eam applicata, quotiescunq; verè applicabitur, erit assensus fidei certus ac firmus.

VIII. Ad secundum negandum est principium quod supponitur: nam constare aliquid intellectui nihil est aliud, quam iudicium certum de veritate ipsius, hoc autem non prærequiritur ad actum fidei: nam quemadmodum ad alios assensus certos, qui sunt simul euidentes, non opus est vt obiectum certò, & euidenter constet priusquam præstetur assensus, vt per se patet discurrendo: siquidem vt quis euidenter assentiatur primis principijs non requiritur, vt antè assensum veritas ipsorum certò & euidenter constet: neque item vt assentiatur conclusioni scientificæ opus est, vt ipsius veritas priùs constet: sed solùm requiritur, vt adsit sufficiens motiuum certitudinis, aut euidentiæ, quemadmodum antè assensum primorum principiorum est notitia terminorum, antè assensum scientificum assensus principiorum: ita etiam ad assensum fidei non prærequiritur, vt priùs intellectus iudicet de certitudine propositionis reuelatæ, sed sat est, vt adsit sufficiens motiuum credendi, nempè reuelatio diuina sufficienter, ac prudenter propositæ intellectui; ita vt ipsa quidem reuelatio sit proprium, ac per se motiuum, propositio verò, & applicatio ipsius, conditio sine qua non; ideò neganda est illa propositio eiusdem Autoris, *ideò credimus, quia constat, non verò ideò constat, quia credimus*, tum quia antè actum fidei veritas reuelata non constat nobis iudicio assertiuo, tum quia ipso actu credendi formaliter constat, ipso enim actu fidei redditur animus certus de obiecto reuelato. Hoc fundamento dissoluto ruit argumentatio, quæ illo fulciebatur: esto enim id, propter quod vnumquodque tale est, sit magis tale, & notitia pendens ab alia, tanquam ex propria causa, & motiuo non possit esse certior illa, à qua pendet, tamen assensus fidei non nititur tanquam proprio motiuo, vllo iudicio nostro præuio, sed sola reuelatione diuina, quæ est æquè, vel magis firma, quam assensus fidei, quamuis ex parte nostra requiratur notitia aliqua, vel assensus tanquam conditio sine qua non, vel tanquam applicans reuelationem ipsam.

Porrò prodigia & miracula patrata à IX.
Deo in cõfirmationem fidei, non gignunt euidentiam veritatis, aut testificationis diuinæ, vt vult Carthusian, sed solius credibilitatis, vt tenet communis opinio in materia de fide: & hoc solùm contendit Hugo, non enim asserit Christianos nihil clarius, aut euidentius, sed nihil certius, nihil constantius tenere quàm quæ fide apprehendunt: queis verbis potiùs declarat firmitatem, ac certitudinem, quam euidentiam assensus fidei. cum verò infrà ait genus esse dementiæ de rebus fidei dubitare, & miracula dubitare non sinere, non excludit ineuidentiam rei in se, sed dubitationem, quæ cum euidentia credibilitatis cohærere nequit, cui enim euidens est obiectum esse credibile, de eius veritate non dubitat. Verùm hæc exactius expendere non est huius loci, sed cum de fide disputabitur.

Theologia non est euidens ex resolutione in principia naturaliter euidentia, suppositafide.

Caput III.

I. Toletan. THeologiam esse habitum euidentem ex alio principio, defendit Toletan. q. 2. prologi, art. 2. concluſ. 4. fatetur enim assensum, qui præstatur conclusioni illatæ ex principijs fidei, non esse euidentem, atque adeò, neque scientificum: Et respectu huius assensus, vel conclusionis, Theologiam non esse scientiam. Contendit tamen eum discursum, qui fieri potest demonstrando passionem de subiecto aliquo, cuius existentia supponitur ex fide, verè, ac propriè esse scientificum, & assensum ex vi eius genitum esse euidentem, atque adeò scientiam. Et hoc modo ait fieri demonstrationes Theologicas: Nam Theologus supponens ex fide veritatem propositionis reuelatæ, atque adeò existentiam subiecti sub prædicato, ex natura huius, vel illius discurrit ad ostendendam aliquam passionem de altero ipsorum: Verbi gratia, ex fide habemus filium Dei esse hominem, & consequenter Christum esse vnam hypostasim existentem in duabus naturis. Hoc posito, Theologus procedere potest ad demõstrandas passiones hominis de Christo, ex definitione hominis, vel alijs causis, quibus illę demonstrantur de puro homine. Hanc autem sententiam fulcit vnico fundamento, quod exemplo declarat, & deindè ratione confirmat. Fundamentum est suppositio existẽtiæ alicuius rei, siue ex fide, siue quouis alio modo non impedit, quominùs de ea re fieri possint veræ demonstrationes, & acquiri vera scientia. Exemplum est, si ex fide, inquit, haberemus esse alicubi duo corpora, alterum perfectè sphęricum, alterum perfectè planum, quæ se mutuò tangerent, possemus habere notitiam verè ac propriè scientificam, quod non nisi in puncto se tangerent. Ratio est, quoniam fides solùm diceret ea corpora existere, ac se mutuò tangere: suppositaverò hac ipsorum existentia, ex reuelatione ac fide nequaquam deduceretur, non nisi in puncto se tangere; sed ad hoc institutum vtẽdum esset propositionibus geometricis nobis naturaliter per se notis: idẽ patet ex vsu Mathematicorum in suis demonstrationibus; describunt enim figuras aliquas, quas supponunt esse æquilateras, planas, &c. & his factis suppositionibus demonstrant, & tamen figuræ illæ vt plurimum non sunt, quales esse supponuntur: nectamen proindè existimandum est demonstrationes Mathematicas non esse euidentes.

II. Ex hoc principio ita explicato probatur opinio Toletani. Primò omnis habitus resoluens suas conclusiones vsque ad principia per se nota lumine naturali, est scientificus scientia propriè dicta: sed habitus aliquis Theologicus est huiusmodi suppositanimirum existentia, ac veritate articulorum: ergò est verè ac propriè scientificus. Assumptionem probat exemplis, nam posito, inquit, ex fide misterio incarnationis, ex per se notis deducitur Deum esse causam vnionis hypostaticæ, quâ demonstrationem facit Magister in 3. sententiarum; item posita Trinitate personarum diuinarum in vnitate essentiæ, ex per se notis conuincitur non esse inter eas distinctionem, quoad aliquid absolutum. At quia aliquis respondere posset, totam vim harum argumentationum, nisi assensu filij, ex quo pendet suppositio, impugnat eiusmodi respõsionẽ, quoniã suppositio falsa, vel improbabilis nõ tollit, quominùs conclusio deducta ex per se notis habeat verè rationem scientiæ: ergò neque impediet suppositio obiecti veri reuelati, à Deo & infallibiliter crediti. Antecedens patet ex dictis, si duo illa corpora, de quib. dictum est, supponantur esse in cælo, quod saltem naturaliter est improbabile; & nihilominùs adhuc haberetur scientia, quod se non nisi in puncto tangerent. Secundò. Ex discursu facto ex propositionibus naturaliter euidentibus de obiecto Theologico, suppositis tamen ex fide subiecti existentia, gignitur aliquis habitus, non fides, quiaad illationem conclusionis non assumitur aliquid creditũ licet supponatur: nõ opinio, quoniam non assumitur aliquid probabile, sed medium necessarium, & euidens: nõ est denique aliquis alius habitus ex ijs, quos numerat Philosoph. 6. Eth. ergò est scientia propriè dicta. Denique omnis deductio ex veris, necessarijs & impossibilibus vt aliter se habeant, necessitans intellectũ ad assentiendum conclusioni, parit scientiam propriè dictam: atqui posita ex reuelatione diuina articulorũ existentia, possibilis est viatori eiusmodi deductio, vt cõstat ex dictis; non pertinet autem ad aliam facultatem, quam ad Theologiam, ergò hæc est verè ac propriè scientia.

III. Aristot. Suppositiones quæ ad aliquid demonstrandum præmitti solent, aliquæ sunt principia communia, ad quæ in discursu

scientiæ

scientiæ ij, qui docent, aut demonstrant recurrere solent; & idcirco ab Arist. lib. 1. Poster. cap. 8. inter principia numeranturtalia habent se tanquam quid extrinsecum, ac demonstrationem, vel saltem vt exemplū singulare eius, quod demonstratur. V.g. Mathematicus demonstraturus triangulū isocelem habere duo latera æqualia, describit in puluere, vel tabula triangulum, quē supponit esse isocelem, non vt de hoc numero ostendat habere duo latera æqualia, sed vt per oculum in figura corporali & singulari indiuiduo ostēdat intellectui id quod absolutè demonstrare intendit de omni triangulo isocele: vt notat Arist. lib. 1. Post. text. 25. his verbis. *Neque autem Geometra falsa supponit, sicut quidam affirmant dicentes, quod oportet non falsò vt Geometram, mentiri autem dicentem lineam esse vnius pedis quæ non est vnius pedis, aut rectam lineam, non rectam existentem: sed Geometra nihil secundum hanc lineam concludit, quam ipse posuit, sed quæ per hæc ostendatur.* Prioris generis suppositiones ad veram ac propriam rationem scientiæ opus est vt sint euidentes: quoniam, cùm ad ipsas resoluantur variæ conclusiones eiusdem scientiæ, si ipsæ non cognoscantur euidenter, totus discursus erit ineuidens: & consequenter assensus conclusionis per eum genitus erit etiam ineuidens & à perfecta ratione scientiæ alienus: vt colligitur ex Arist. lib. 1. post. text. 35. ad finem vbi ex eo probat non esse progressum in infinitum in medijs, quia infinita non possunt pertransiri, deindè verò concludit, *si igitur neque melius habemus ad ipsam, quam scire, non erit scire, per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione.* Suppositio posterioris generis, si assumatur subiectum eius tanquam exemplum, & demonstratio procedat non de singulari indiuiduo subiecto sensibus, sed de ratione cōmuni speciei, quam ex tali figura singulari intellectus apprehendit, non impedit rationem veræ scientiæ; quia est extrinseca vero subiecto, neque illā nititur vllus assensus præmissarum, aut conclusionis: qui procedit ex alijs principijs veris, & causis conclusionis, inde pēdēter ab eiusmodi suppositióe, per eiusmodi tamē discursum, nō acquiritur vera & absoluta scientia de illa singulari figura. V.g. quod hic triangulus sit æquilaterº: siquidē, vt ait Philosophº lib. 1. Post. tex. 30. *Mathematicæ circa species sunt, nō enim de subiecto,* hoc est indiuiduo *aliquo* & vt lib. 7. Met. tex. 53. absolutè docet. de singularibus, non fiunt demonstrationes, sed posita demonstrantione vniuersali de specie hoc ipso, quo intellectus videt singulare contineri sub vniuersali, attribuit illi ipsam met passionem, quam demonstrat de vniuersali, & quia intellectus, circa hanc singularem applicationem decipi potest assensus intellectus tribuentis proprietatem speciei indiuiduo, quod contineri putat sub aliqua specie, cum tamen non contineatur, est falsus, atque adeò non scientificus; sin autē sit verā illa existimatio quod indiuiduum cōtineatur sub specie, non tamen euidenter, sed probabiliter ex aliqua coniectura, aut fide humana, etiam assensus, quo illi indiuiduo tribuitur proprietas speciei, est ineuidens; quandoquidem non est magis euidens conuenire illi proprietatem promanantem à natura speciei, quam ipsam speciem: hoc autem secūdum est ineuidens ex suppositione, quare etiam & primum erit.

IV. Verùm quoniam Tolet. non videtur attendisse solùm hunc modum probandi ex suppositione, Obseruandum est dupliciter probari aliquid, facta suppositione, nempè absolutè & conditionaliter: absolutè, cùm demonstrans concludit absolutè; & absq; vllo respectu, saltem virtuali ad suppositionem, & vult extorquere consensum de conclusione absolutum, & absq; conditione: quo pacto Mathematicus ostendit triangulū isocelē habere duo latera æqualia conditionaliter, cùm in ipsa illatione & assensu consequentis inuoluit saltē virtualiter cōditionem, si suppositio est vera. Inter quos duos arguēdi modos est magnum discrimen, nā secundus gignit assensum verum, primus falsum, si suppositio est falsa: hæc enim consequens ex ea dependens non reddit verum absolutè, sed tantū conditionaliter: & ideò assensus absolutº de veritate eius cōsequentis est falsus; quoniā dicendū esset, si triangulus à Mathematico descriptº reipsa nō esset isoceles, & discipulus percepta demonstratione facta à magistro, absolutè crederet singularem illum triangulum habere duo latera æqualia. Porrò cōditionalis verus, vt sit euidens, requirit vt sit naturaliter euidens ex illa suppositione, vel antecedente necessario sequi consequens; nam cum veritas proprij conditionalis cōsistat in bona illatione consequentis ex antecedente etiā euidētia assensus, circa talem veritatem exigit, vt euidenter penetretur veritas illationis materialis, qualis est, cùm dicitur, *si sol lucet dies est*, nō autē si dicatur, si ciuis est non est proditor. Cùm verò bonitas consequentiæ alia pendeat ex materia alia ex forma, ea quæ ex sola forma pēdet, requiritur quidem ad euidentiam scientię, sed ea est ineuidens omni materię, non est quod attēdatur, quando agitur de euidētia

Aristot.

habitus veri; quapropter meritò excludũtur à reliquis Theologis nõ nulli ex eo defendentes Theologiã esse verã sciẽtiam, q̃a habet euidentiam consequentiæ: hoc enim modo, ipse quoq; opiniões habẽt euidẽtiã. Ad ꝓpriã itaq; euidentiã assẽsus cõditionalis ex parte materiæ, requirit euidẽs notitia necessariæ cõnexionis antecedentis cũ consequente: nã quemadmodũ veritas obiectiua cõsistit in eiusmodi connexione, ita euidens cognitio eiꝰ veritatis debet ipsam cõnexionem perspicuè & apertè cognoscere.

V. Dico primum Theologia deductiua nõ sumit ea, quæ sunt fidei tanquã suppositiones extrinsecas, neq; cõmuniter infert conclusiones cõditionatas, sed absolutas. Prior pars est cõmunis doctorũ, asserentiũ principia Theologica esse veritates reuelatas, quos retuli c. 4. principia autẽ nõ sunt extrinseca, & nihil iuuantia ad conclusionem inferendã, ex quo breuiter ostẽditur prior assertionis pars. Conclusio non resoluitur in suppositionem extrinsecam & solũ exẽpli causa vsurpatam à demonstratore: sed sciẽtia Theologica necessariò resoluitur in principia reuelata: ergò ea non sunt extrinseca. Maior per se patet in suppositionibus Mathematicis de figura quauis singulari, quã demõstrans supponit sub certa aliqua specie cõtineri; nã cũ exempli gratia ꝓponatur, non resoluitur demõstratio in eiusmodi suppositionẽ, sed in principia, ex qb⁹ demõstratur passio de specie, cuius indiuiduũ supponitur esse particularis, illa figura ob oculos proposita. Assumptio ꝓbata est. c. 4. & in particulari nõ esse suppositiones extrinsecas ostenditur, quia nisi per se concurrant ad assensum Theologicũ tanquam mensuræ veritatis inferendæ, nulla maior certitudo erit assensus Theologici, quã cuiusuis alterius scientiæ naturalis, cuius oppositũ probandũ est infrà tract. 6. cap. 3. sequela constat, nanq; assensus quoad certitudinem sunt æquales, vel inæquales iuxta certitudinem principiorũ; at nisi principia reuelata & suppositiones fidei per se cõcurrant ad assensum Theologicũ, sed solũ alia principia nota lumine naturæ, iã principia Theologię nõ erunt magis certa, quã principia scientiarum; atq; adeò cõclusiones illatæ discursu Theologico, quoad certitudinẽ nõ erunt superiores conclusionibus scientiarũ naturaliũ. Secunda, si Theologus in differendo nõ vtitur per se principijs reuelatis, sed tanquã suppositionib. extrinsecis ponentibus existentiã subiecti; Theologia non est per se habitus distinctus à scientijs naturalib⁹, sed aggregatio habituũ naturaliũ, per accidens coalescentiũ ad probãdas cõclusiones ꝓprias circa aliquod subiectũ, posita eius existẽtia ex suppositiõe fidei: id verò est contra cõmunem sententiam doctorum; ergò principia reuelata non sunt suppositiones extrinsecę. Id verò sequi cõstat quoniam tota ratio formalis ac distinctio vnius scientię ab alia sumitur à principijs, in quæ resoluitur, vt patet ex sententia Arist. lib 1. Post. tex. 43. vbi sic ait, *vna autẽ scientia est, quæ est vnius generis, quæcunque ex primis componitur, & partes sunt, aut passiones horum quæ sunt per se, altera autem scietia est ab altera, quarumcunq; principia neque ex eisdem, neque ex alteris sunt.* Quibus verbis ad vnitatem scientiæ, exigit identitatem principiorum, ad distinctionem verò eorundem diuersitatẽ; quare si Theologus vtitur solũ principijs notis lumine naturæ, & nullo reuelato, ea principia per se pertinebũt ad aliquam scientiam, atq; adeò vsus, & applicatio ipsorũ, & assensus productus ex tali discursu, per se ad eandem scientiam pertinebũt: vt patet in ipsomet exemplo adducto à Toletano, nam facta ex diuina reuelatiõe illa hypotesi de existentia duorum corporum in cælo, non ad Theologũ, sed ad Mathematicũ spectat ostendere eiusmodi corpora, non nisi in puncto se tangere: itẽ posita incarnatione, tanquã ente vero ex diuina reuelatione ad Metaphysicũ spectabit probare pẽdere à prima causa: itẽ posito Christum esse hominem, Philosophi naturalis erit ostendere ipsum habere voluntatem humanam, ac sic de cæteris omnibus. *Arist.*

VI. Posterior eiusdẽ assertionis pars est nota cuiuis Theologo, non enim Theologus veritates solũ conditionatas perscrutatur, sed multò magis absolutas inquirit, nã quãuis in materia de Trinitate quærat, vtrũ, si Spiritus sanctus à filio nõ procederet, ab eo distingueretur, & in materia de incarnatiõe Verbi; verùm, si Adamus nõ peccasset Verbum diuinum assumere humanam naturam: nihilominùs hic modus arguẽdi rarò adhibetur: cõmunis & frequenter vsitatus est, inquirendi veritates absolutas: non enim Theologus cum definit diuinas personas, solũ penes relationes differre, infert conclusionẽ conditionatam, aut assentitur illi sub conditione, si personæ conuenirent in eadẽ numero, natura diuina, sed hoc assumens ex fide tanquam certum, & absolutè verum procedit ad deducendam conclusionem absolutè veram: item in materia de incarnatione non infert conclusionem cõditionatam, nempè Christum habere voluntatem humanam, si est homo: sed supponens ex fide tanquam principium infallibile Christum esse hominem, deindè ex

propria

propria ratione hominis cõcludit pollere proprio intellectu, ac voluntate humana. Quod his duobus exemplis patet, pluribus alijs constabit discurrenti per singulas partes Theologiæ. Ex hac parte assertionis prior certò & euidenter colligitur in hunc modum. Quotiescunque veritas absoluta conclusionis per discursum illatæ, pendet ex veritate alicuius principij vel suppositionis, hæc per se requiruntur ad assensum conclusionis, ita vt is pendeat ab assensu illorum: sed veritas absoluta conclusionum Theologicarum per se pẽdet ex principijs fidei, & ex veritate reuelata: ergò assensus genitus per discursum Theologicum per se pendet ex assensu fidei præstito principijs reuelatis; atque adeò hæc non habent se omninò extrinsecè ad eũ discursum. Maior per se patet, nam eadẽ sunt principia essendi, atque intelligendi; assumptio probatur, quoniam hæc propositio: *Christus habet humanam voluntatem*, per se pendet quoad veritatem ex veritate huius, *Christus est homo*, quam fide credimus; item veritas huius, *persona diuinæ solùm per relatiua distinguuntur*, per se pẽdet ex veritate huius, *personæ diuinæ cõueniunt in natura diuina singulari*. Consequentia patet ex doctrina Aristotelis lib. 1. post. cap. 1. illis verbis, *quod enim nesciuit, si est simpliciter quod sciuit, si duos habet rectos simpliciter?* loquitur in materia demonstrationis qua de triangulo in communi ostenditur, quod habeat tres angulos æquales duobus rectis: quãdiu enim ignoratur isocelẽ esse triangulũ, nõ scitur simpliciter habere tres angulos æquales duobus rectis: sed simul ac innotescit ipsum esse triãgulum, innotescit etiam cõuenire ei passionẽ illam trianguli: quapropter assensus præstitus illi propositioni, *isoceles habet tres angulos æquales duob. rectis*, pendet ex assensu huius, *isoceles est triangulus*, & simili modo assensus illius, *Christus habet humanam voluntatem*, pendet ex assensu huius, *Christus est homo*: quapter hæc non est censenda suppositio extrinseca, & nihil conferens ad illationem illius absolutè sumptæ.

VII. Dico secundum. Assensus absolutus genitus discursu propriè Theologico, nõ habet euidẽtiam ex principijs proximis, atq; immediatis; conditionalis habere interdũ potest: Prior pars est omnium, qui negant euidentiam simpliciter in assensu Theologico: & facilè probatur, quoniam omnis assensus Theologicus absolutus per se pendet immediatè ex aliqua de fide, vel resoluta ad principia fidei: hæc non sunt per se euidentia vt ipsemet Toletan. admittit, ergo neq; assensus Theologicus erit euidens: cõsequentia est per se nota & ab eodem concessa, ideò enim Theologiam credebat esse veram scientiam, & euidentem, quia suppositis subiecti existentia conclusiones inferũtur ex principijs naturaliter euidentib⁹, non verò ex reuelatis. Maior propositio ostenditur, nam quãuis scientiæ naturales abstrahendo à singularib. subiectis demõstrent passiones de generibus, ac speci⁹bus, tamen vt particulare absolutè, ac determinatè sciat aliquod indiuiduũ vẽdicare sibi illã passionẽ, opus est vt cõstet illud contineri sub vniuersali subiecto, de quo fiũt demõstrationes euidẽtes, & iuxta modũ, quo cognoscit indiuiduũ contineri sub vniuersali subiecto, cognoscitur etiã cõuenire illi passionẽ, vt patet ex ijs quę suprà adnotaui. In omnib. autẽ syllogismis Theologicis ꝓcedentib. ex aliquo medio naturaliter noto in vniuersali, opus est vt fiat applicatio subiecto, de quo Theologus ostendit passionẽ: hæc aũt fieri nõ potest nisi ꝓ principiũ reuelatũ, ꝙ habeat rationẽ minoris ꝓpositionis assumptę; ergò assensus præstitus eiusmodi conclusioni necessario pendet ex aliquo principio reuelato. Declaro rem exẽplo: Christũ habere humanum intellectũ, esse visibilẽ, & similes propositiones enunciantes de ipso proprietates humanæ naturæ, possunt esse conclusiones Theologicæ: mediũ, quo passiones illæ demonstrantur de homine à Philosopho, est definitio hominis, & ita propositio hæc *homo est risibilis*, est demonstrata, & proindè scita in Philosophia naturali, & consequenter scitur in vniuersali omnem eum, cui cõuenit natura hominis, esse risibilem. Verùm quamdiu non constat de hoc indiuiduo singulari, ꝙ sit homo, nondum etiam cõstat quod sit risibilis: atque adeò vt mens determinatè dicat, *Petrus est risibilis*, oportet vt prænoscat ipsum esse hominem, ita vt ab hac prænotione per se pendeat illa, *Petrus est risibilis*: similiter vt mens per discursum Theologicũ absolutè assentiatur huic propositioni, *Verbum Dei habet humanam voluntatem*, opus est vt pręnoscat hanc, *Verbum Dei est homo*; hanc verò, non aliter, quã ex fide & consequẽter ineuidẽter agnoscit: ergò cõclusiones Theologicę quib. enuntiãtur prędicata, alioquin euidẽter agnoscibilia de subiecto cõnaturali, qñ ex parte subiecti inuoluũt aliquid supernaturale, aut sola fide cognoscibile, necessariò pẽdẽt ex principio aliquo reuelato.

VIII. Posterior pars colligitur ex superiùs annotatis, nã quemadmodũ ad veritatem cõditionalis, nõ opus est veritate vllius absolutæ, sed sola ratione consequentiæ antecedentis ad consequens, ita ad euidentiã eiusdem

dem non est opus vllam propositionē absolutam euidenter agnoscere, sed sat est clarè & perspicuè intelligere cōnexionem eorundem. Et quoniam Arist. ait esse quasdam demōstrationes deducētes ad impossibile in quibus vt ex eodem Aristotele lib. 7. Eth. tex. 9. notat D. Thom. lect. 2. ad finē non est necesse vt propositiones assumptæ sint veræ aut necessariæ, sed aliqua potest esse improbabilis: quæ nimirum datur ab aduersario & assumitur ab eo qui arguit, vt iuncta alteri conficiat syllogismum deducentem ad impossibile apertum: & tunc reflectitur argumentatio, & conditionaliter saltem colligitur institutū, vt deindè subsumpto antecedente cōditionalis tanquam vero inferatur consequens vt absolutè verū. Exempli causa si hæreticus neget Christum habere voluntatem humanam, & admittat esse hominē, potest arguere Theologus deducēdo ad impossibile hoc modo: Nihil carens intellectu, ac voluntate est homo, Christus autem vt tute ais, caret humana voluntate, ergò non est homo; Vel ergò dicendum est non esse hominem, vel, si homo esse conceditur, voluntas quoq; humana ipsi concedenda est, tu autem fateris esse hominem: ergò etiam debes fateri præditū esse voluntate humana. Prior syllogismus est vera atq; euidens demōstratio deducēs ad impossibile, ad quam nihil aliud requiritur quā euidens deductio alicuius enuntiabilis ex medio termino, quod iūctū quibusuis extremis necessariò & euidenter vnū cōiungit alteri, saltē ex suppositione etiam impossibili, & ita assensus cadens suprà conclusionē, non est absolutè verus, sed conditionaliter, si præmissę sunt verę, si cōditio siue suppositio nō sit falsa: deindè verò cōditionalis propositā in sequēte syllogismo euidenter agnosci potest perspecta habitudine, siue cōnexione necessaria, ac naturali, inter hominē & voluntatē. Hęc dixi, vt cōstaret, quatenus in syllogismis Theologicis euidētia possit admitti non quidē absoluta, ac de inesse, hæc enim semper reuocāda est ad aliquod principium reuelatum, sed conditionalis, & secūdùm quid, quæ potius respicit connexionē inter medium terminū naturalem, qui assumitur, & passionē, quæ in conclusione asseritur, quā veritatē absolutā conclusionis deductæ; nam connexio medij termini cum passione potest esse naturaliter & euidenter nota, & id circo si q.s alius terminus coniungitur medio, est conditionaliter euidens coniungi extremo: & quia conditio potest esse ineuidens, quoniā coniunctio alterius termini cum medio nō est nota naturaliter: cum euidētia propositionis cōditionalis stare potest ineuidētia absolutę. V.g. cum euidentia huius, *si Christus est homō habet humanā voluntatem*, cohærere potest ineuidentia huius absolutæ, *Christus habet humanam voluntatem*.

Aristot. S. Thom.

IX. Fundamentum Toletani solùm est verū, quādo suppositio est omninò extrinseca & tanquam exemplum rei absolutæ, & in suo genere demonstrandæ, vt se habent suppositiones Mathematicæ circa figuras in prospectu descriptas, vt iam explicaui, si verò suppositio inseruiat, aut necessariò requiratur tanquā prēmissa ad conclusionē inferēdā, aut tanquā principiū in quod aliqua ex præmissis resoluatur, tunc nō impediet euidentiā conditionatā, impediet tamē absolutā, vt explicatū est, & videre licēt in ipsomet exemplo quod in cōfirmationē adducitur: nā si Mathematicus intendat ostēdere absolutè illa duo corpora de facto nōnisi in puncto se tangere, non solū adhibere debet demonstrationē, qua ostēditur corpus perfectè sphęricum nō posse tangere planū aliter, quā in puncto, verūetiā subsumere debet illorum duorū corporū quę se tāgunt, alterum esse perfectè planum, alterum esse perfectè sphęricum. Hoc autē vt supponit, ex sola fide habetur, & consequēter est ineuidēs, atq; adeò cōclusio pendens ex altera præmissa ineuidente non erit euidens. Exēplum verò sumptum à Mathematicis nihil efficit: nam suppositiones illæ nō inseruiūt per se veritati demonstrandæ, sed solū iuuāt, vt auditores affirmēt animo veras formas rerū vniuersalium, de quibus fiunt demonstrationes. principia autem fidei nō ita supponuntur, sed tanquā mēsura, ac regula veritatis inferendæ, per syllogismū Theologicum. Ex his facilè soluuntur argumenta, quæ hoc fundamento nitebantur.

X. Primi neganda est assumptio, nam altera ex præmissis, quæ in syllogismo Theologico necessariò debet esse credita fide diuina, vel ad creditam resolui, non potest euidēter resolui in aliud principium euidens. Ad probationē sumptā ab exemplis respōdeo, illa duo, vel probari absolutè esse vera, vel conditionaliter: si priori modo, discursum resoluendum esse vltimo in fidem; si posteriorē, resolui posse in principiū naturale, si quod est, ex quo pendet vis materialis consequentiæ: at verò Theologi cōmuniter priore vtuntur modo: non enim Magister ostendit solū conditionaliter, sed absolutè incarnationē esse à Deo, nec Theologi cōcludunt personas distingui solis relationibus, si conueniunt in natura, sed ex eo quod sint plures, & conueniunt in eadē natura absoluta, cōcludunt distingui solùm

penes

penes relationes, qua veritates absolutè nitũtur reuelatione. Ad cuius impugnationẽ respõdetur, suppositionem falsam, vel improbabilẽ, si sumatur solũ gratia exẽpli, vt sumi potest illud duorũ corporũ se tangentium, nõ impedire euidentiã scientię, suppositiones verò fidei non sumi eo modo, sed tanquã principia veritatis cognoscẽdæ. Secundũ supponit id, de quo est cõtrouersia, nimirũ fieri posse demõstrationẽ Theologicã cõstantẽ principijs euidẽter notis, cui⁹ oppositũ c. 2. ostendi: Respondetur etiã per discursum Theologicũ gigni habitũ distinctũ ab his omnib. quos Philosophus numerat lib. 6. Eth. vt infrà explicabo, nec mirũ esse ꝙ latuerit Aristot. habitus pendens ex principijs supnaturalib⁹, sicut & ipse fidei habit⁹ latuit. Ad 3. respõdeo nõ sat esse illa omnia ad scientiã ꝓpriè dictã, sed requiri præterea euidẽtiã, qua careat discurs⁹ Theologicus, assensus, & habitus per eũ genitus: Respondetur etiã habitũ Theologicũ non necessitarie simpliciter ad assẽsũ, cũ pẽdeat saltẽ ex altero assensu de fide, qui omninò liberè elicitur & quẽadmodum intellectus circa illud manet indifferens, ita in radice est quoq; indifferens ad cõclusionẽ: quãuis ex suppositione possit necessitari, nempè quãdiu nõ retractat assẽsum circa principiũ reuelatũ. Obijcies, nõ aliter necessitari intellectũ erga cõclusiones euidẽter demonstratas, nã sublato assẽsu præmissarũ nõ necessitat. Respõdetur, quoad necessitatẽ exercitij, eãdẽ esse rationẽ, nõ tñ quoad libertatẽ contrarietatis, nã licet cõueniãt in hoc, nẽpè ꝙ stãte assensu principiorũ dissentire animus nequeat conclusioni, tñ differũt q.a. ad nõ dissentiẽdũ principijs euidentib. necessitat simpliciter intellectus, & cõsequenter etiã ne dissentiat cõclusioni ex illis euidẽter deductæ: nõ necessitat aũt quominùs reuelatis dissẽtire possit: fallitur aũt Toletus si ad rationẽ scientiæ censet sufficere necessitatẽ suppositionis, nã hanc etiã vẽdicat cõclusio cuiusuis syllogismi in bona forma: itẽ si credit discursũ Theologicũ inducere necessitatẽ simpliciter, semper. n. pẽdet ex assensu libero, saltẽ alteri⁹ prẽmissę de fide.

Habitus Theologicus non habet euidentiam ex lumine fidei.

CAPVT IIII.

I. Iacobus de Appamis.

IAcobus de Appamis apud Toletan. q. 2. prologi ar. 3. eandẽ sententiã tuetur ex alio principio, ait enim Theologiam esse euidentem ex principijs euidenter creditis, ita vt eiusmodi euidẽtia nõ oriatur ex aliquo lumine naturali, vt aiebãt auctores c. 2. & 3. refutati, sed ex ipsomet lumine fidei: quod mentem ita collustrat, vt veritates reuelatas euidẽter agnoscat in seipsis; & ne videatur repugnare D. Paulo 1. ad Corint. 13. notitiam, quã de Deo viatores habent, appellanti ænigmaticam, & per speculum, interpretatur illum non de notitia supernaturaliter habita ex fide, sed de naturaliter acquisita, vel elicita ex proprijs viribus naturæ. Nam quemadmodũ, inquit, beati in patria dupliciter agnoscunt res, nimirum, vel in Verbo per lumen gloriæ, vel in ꝓprio genere per lumen intellectus agentis: ita fideles in via dupliciter agnoscũt obiecta reuelata, vel ex vi luminis naturalis, vel ex vi supernaturalis infusi. Et quẽadmodum visio rerũ in verbo est clara, & euidens, & multò perfectior, quam ea, quæ habetur in ꝓprio genere; ita cognitio habita per lumen infusum fidei est euidens, & multo perfectior ea, quã ex facultate luminis naturalis assequimur. Postremò addit hanc euidentiam solũ haberi à fidelibus; qui proindè vtentes principijs reuelatis, quæ ipsi euidenter intelligunt, verè demonstrant conclusiones Theologicas, & acquirunt scientiã propriè dictam, si tñ eadẽ argumenta proponantur infidelibus destitutis lumine fidei, nõ conuincent illos: nã quia carent lumine supernaturali à quo pendet euidẽtia, nõ possunt euidẽter assentiri præmissis: atq; adeò neq; cogi ad assensum conclusionis. Huic sententiæ multum fauere vidẽtur Antiqui Theologi. Alens. 3. pa. q. 68. membro. 9. ar. 1. docens prouenire certitudinẽ fidei ex informatione conscientiæ, ita vt prima veritate inspirante fidem per habitum eius infusum ipsa informatione cõscientiæ arctetur homo, & cogatur consentire primæ veritati propter se, sicut ex euidẽtia cogitur assentiri huic veritati; *Omne totũ est maius sua parte*. S. Thom. q. vnica prologi ar. 3. quæstiuncula 2. ad 2. vbi ait, articulos per lumẽ fidei infusum, per se notos esse habenti fidẽ, sicut & principia naturaliter nobis insita per lumen intellectus agẽtis. Altisiodorensis lib. 3. tract. 3. c. 1. q. 1. idẽ docet; & in ꝓlogo per fidem nos clarè cognoscere mysteria fidei, & q. 4. docet fidẽ dicere in corde hominis, iam nõ propter rationem naturalem credo, sed propter illud quod video: quoniam tali cognitione adueniente assentit anima primæ veritati propter se, & super omnia.

1. ad Cor. 13.

Alensis

S. Thom.

Altisiodoren.

II. Fundamentum est, quoniã effectus formalis luminis est clarificatio & illustratio intellectus: quæ extrinsecè afficit, & quasi attingit obiectũ, & exhibet illud intellectui perspicuè videndũ. Quod videt Apostolus respexisse cum dixit ad Ephes. 5. *Omne quod manife-*

ad Ephes. 5.

manifestatur lumen est, quasi ipsum obiectũ à lumine collustratum, habeat vicẽ luminis respectu intellectus: fides autẽ habitualis, & reuelatio diuina lumen est iuxta sentẽtiã

2. Pet. 1. B. Petri 2. epist. c. 1. *habemus firmiorẽ propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tãquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*: lucerna autẽ lucens in tenebris, ea obiecta quę propè sunt, & ei⁹ luce perfunduntur, nõ obscurè, sed euidẽter agnosci facit: quẽadmodũ itaq; obiecta sita in caliginoso loco nõ videtur ab ijs, qui carent lumine lucernæ, videntur aũt ab ijs, qui illam præferũt: ita obiecta reuelata euidenter cognoscunt à fidelibus habentib. illuminatos oculos cordis luces fidei, nõ verò ab infidelibus qui illa carent,

2. ad Cor. 3. quod expressit Apost. Paul 2. ad Corint. 3. nã cum dixisset Iudæis esse positũ velamen suprà cor, ita vt non intelligant veritatem scripturę reuelatę Moysi, ac Prophetis, subdit, *nos autem reuelata facie gloriã Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* loquitur de viatoribus, qui sublato infidelitatis velo, apertis oculis cordis, & fidei lumine collustratis, gloriã vultus paterni, hoc est Verbum incarnatum clarè, ac distinctè cognoscunt.

III. Deindè probatur ratione sumpta ab eodẽ auctore. In essentialiter subordinatis, tanquã summum, medium & infimũ, quidquid simul cõuenit infimo, ac supremo, cõuenit etiã medio, sed lumen gloriæ, lumen fidei, & lumen naturale intellectus nostri sunt essentialiter subordinata, ita vt lumen fidei sit medium inter lumen gloriæ, & lumen naturale intellectus: hæc verò duo extrema habent hanc perfectionem, ac virtutẽ, vt possint reddere obiecta euidẽter nota: ergò eãdẽ vim habebit lumẽ fidei. Maior ꝓpositio patet in dictione, v. g. in vegetatiuo, sensitiuo, & intellectiuo: nã ratio vitæ, quæ cõuenit extremis, cõuenit etiã medio, & in alijs, & cõstat ratione: nã talis perfectio cõuenit ratione alicuius prędicati cõmunis duob. extremis; mediũ verò magis cõuenit cũ ipsis, quã ipsa inter se: & ideò conueniet etiã in illo, in quo extrema conueniunt. Secundò: Habitus fidei, vel ideò ponitur, vt faciat euidẽtiã principiorũ, vel vt firmiter intellect⁹ illis adhæreat, vel vt reddat actũ meritoriũ: nõ propter duo posteriora: ergò ꝓpter primũ; Nõ propter secundũ; quoniã de ratione luminis non est inclinare ad assentiendũ, sed tantũ esse id, sub quo obiectũ percipitur: Deindè quoniã omnẽ assensum, quã habet fidelis, habere potest infidelis absq; habitu fidei: vt patet in puero nõ baptizato, nutrito inter Christianos, & instructo de fidei nostræ mysterijs, qui per fidem acquisitam tam firmiter assentit reuelatis, vt sit paratus pro veritate illorum vitam profundere sicut alij, qui vero fidei habitualis lumine perfusi sunt; & qui pertinaciter negat vnũ fidei articulum amittit habitum fidei infusæ, & tamen reliquis firmissimè assentitur: ergò habitus, siue lumẽ fidei infusum, non per se requiritur ad firmitatem, ac certitudinem assensus, non requiritur autem propter tertium, hoc est, vt reddat actum meritorium, quoniam in homine peccatore fides relinquitur, & non est frustra, atq; adeò cũ in eo statu nõ possit esse ratio merendi, non per se datur ad meritum: accedit, quod charitas & gratia per se requiruntur ad meritum.

IV. Hæc difficultas præcipuè spectat ad materiam de fide, in qua agitur de ineuidentia obiecti credibilis, & ipsius actus credendi. Verùm quoniam ab his auctoribus assumitur tanquam principium ad probandum actus, & habitus Theologicos esse euidentes, quia lumen fidei reddit assensum euidentem, id circò breuiter hoc loco expẽdi debet, omittendo quantũ fieri poterit difficultates proprias materiæ de fide, & solummodò ex ratione, ac principijs euidentiæ, & natura habitus fidei colligendo verã quæstionis resolutionem. Pro quo obseruãdum in primis est, hoc differre notitiam simplicem & euidentem apprehensiuam à iudicatiua: quod simplex non exigit aliam notitiam præuiam, quæ sit causa euidẽtiæ, sed euidentiam habet immediatè à lumine, & alijs circunstantijs actus; vt videre est in notitijs sensuum externorum euidentibus, quæ immediatè proueniunt à pręsentia obiecti, & facultate potentiæ: idemq; patet in simplicibus apprehensionibus intellectus: Iudicium verò euidens, vt rectè notat Sco. in 3. d. 24. q. vn. §. *contra hæc*, & Bassolis. q. 5. prologi a. 1. §. *Circa prædictã*, necessariò supponit quãuis aliã notitiã, quæ sit causa euidẽtiæ, ita vt fieri nõ possit mutatio in mẽte quoad iudiciũ euidẽs, vel ineuidẽs nõ facta vlla mutatione penes notitiã antecedẽtem, quę est causa assẽsus; exẽpli causã, si cõclusioni suaptè natura euidẽter demõstrabili à priore aliquis assẽtiat ineuidẽter ob mediũ opinatiuũ, fi[illegible] nequit quacũq; additiõe luminis intellectualis, vt assentiat euidenter, manẽte eodẽ medio opinatiuo, & nõ aduenięte noua ratiõe, aut motiuo assentiẽdi euidẽter: itẽ cũ quis assẽtit primis principijs ex pura fide humana habita doctori, nõ penetrãdo terminos, fieri nequit vt quantuuis aucto lumine intellectuali possit habere assensum euidẽtem propriũ, ac debitũ primis principijs, quãdiu nõ magis, ac antè penetrat

Scot. Bassol.

netrat terminos. Ratio verò hui⁹ discrimi-
nis est, quoniã notitia ex ijsdẽ principijs &
causis habet, vt sit, atq; vt sit euidẽs, cùm e-
uidẽtia sit modus intrinsecus actus intelli-
gendi: at verò notitia simplex suaptè natu-
ra nõ supponit aliã ex qua sit, quouis. n. mo
do proportionatè obijciatur obiectũ po-
tẽtiæ cognoscenti per se aut sui speciẽ, non
præcedente vlla alia notitia, poterit appre-
hẽdi & cognosci ab illa notitia simplici, no-
titia verò cõplexa, siue iudiciũ necessariò
supponit præuiã aliã cognitionẽ, qua cõti-
neatur motiuũ assentiẽdi; semper. n. assen-
sus pẽdet ex aliquo motiuo, siue id cõti-
neat̃ sola apprehensione simplici termino-
rũ, siue etiã iudicio alio antecedẽte: quare
fieri poterit, vt solo auctõ lumine termini
melius penetrentur absq; variatione vllius
antecedẽtis notitiæ, nõ autẽ vt præbeat̃ as-
sens⁹, nõ accedẽte nouo motiuo assentiẽdi.

V. Ad quæstionem hoc posito, respondeo vnica assertione. Assensus Theologicus nõ est euidẽs ratione euidentiæ præmissarum ortæ ex lumine fidei. Hæc est cõmunis om nium reliquorum doctorũ, tum eorũ, qui negant simpliciter assensum Theologicum esse euidentem, quos inferius referam; tum eorum qui asserunt, nullus. n. alius, præter Iacobũ de Appamis reddidit hãc euidẽtiæ causam, quã proinde ex instituto impugnat Toletus. Toletꝰ. q. cit. a. 4. Itaq; nõ cõtendo hoc loco absolutè probare, Theologiã non esse euidentẽ, sed non esse euidẽtem ex lumine fidei. Id verò ostẽdo: quoniã, aut esset euidẽs ex immediato concursu huius luminis ad assensum Theolog. aut ex remoto ratione principiorũ, ex quib. cõclusio Theologica deducitur: nõ ex immediato, quoniam vt infra ostẽdam, habitus Theologicus distin-
guitur ab habitu fidei, & quemadmodũ ha-
bitus primorũ principiorum nõ immedia-
tè influit in assensum conclusionũ, sed vir-
tute assensuum præmissarũ: ita lumen fidei
nõ immediatè illustrat cõclusiones Theo-
logicas, vel ad earũ assensum concurrit, sed
virtuti actuũ, quib. principia creduntur: &
ita auctor oppositæ sentẽtiæ non admittit
hunc modũ illustrationis & euidentiæ, sed
posteriorẽ, vt patet ex ipsius dictis; cẽset. n.
fideles per lumen fidei assentire reuelatis
euidenter, Theologũ verò ex eiusmodi as-
sensib. moueri, vt euidẽter assentiatur con
clusionib. Quæ positio quaten⁹ tribuit eui-
dentiã assensui fidei, vt minimũ, temeraria
est cõtra cõmunẽ sententiã scholasticorũ,
cõtra dicta patrũ, qui fidẽ dicũt esse de non
visis, imò & contra D. Paulũ, qui fidem ap-
pellat ad Heb. 11. Ad Hebr. 11. *Argumentum nõ apparentiũ*:
neq; expositio, quã ad hęc testimonia com-
mentus est, habet vllam speciẽ probabilita-
tis, cùm ait obiecta credita esse obscura, &
ineuidẽtia cõparatione actus naturalis, seu
fidei acquisitæ, qua percipiũtur, non verò
respectu fidei infusæ: patres enim non solũ
aiunt fidẽ esse de obscuris, & ineuidentibus
respectu alterius notitiæ, sed absolutè re-
spectu subiecti credentis, quod æquè impe-
ditur per hũc aut illum actũ: & quamuis sit
controuersia inter Theologos, vtrũ Deus
possit efficere, vt fides sit de euidẽter cog-
nitis, cõmuniter tamen dicunt de lege fieri
nõ posse: iam verò per actũ ipsum fidei ob-
iecta euidenter agnosci omnes inficiãtur.
Sed hoc genus probationis, quod magis
pertinet ad materiam de fide, omitto.

Rationi verò ex suppositione facta pro- VI.
batur institutum. Sola luminis accessio nõ
est satis ad euidentiam assensus, siue iudicij
intellectualis, nisi sit causa noui motiui ad
assensum euidentem, lumen verò fidei nõ
inducit nouũ motiuum, aut rationẽ euidẽ-
ter assentiẽdi reuelatis: ergò ipsum de lege
non facit euidẽtiam circa reuelata. Propo-
sitio patet ex dictis. Assumptio probatur
primò, quoniam motiuũ, quod importat,
aut est testimoniũ diuinum aut assensus al-
terius principij, à quo veritas reuelata pen-
det, aut penetratio terminorũ eiusdẽ pro-
positionis reuelatę: ad hæc enim tria mo-
tiua reducũtur omnia, quæ fingi possunt gi-
gnere assensum veritatis reuelatæ: fides aũt
per nullũ horũ parere potest assensum eui-
dentem, non per testimoniũ diuinum, nam
quamdiu motiuum non attingit principia,
in quæ resoluitur veritas cognoscenda, in-
tellectus nõ videt, sed credit: credere autẽ
est cum assensione cogitare: quãdiu durat
cogitatio, intellectus est in via, nõ in termi
no veritatis cognitæ: quam si euidenter at-
tingeret, absque dubio cessaret à cogitatio-
ne, & persisteret in pura contemplatione
& assensione, vt explicat D. Tho. q. 14. de S. Thomas.
veritate, ar. 1. testimonium verò diuinum
per se nõ attingit principia essendi, aut ter-
minos, in quos resoluitur veritas cognita,
sed solùm auctoritatem primæ veritatis,
quæ est extrinseca obiecto credito: atque
adeò quantumcunque per lumen fidei ma-
gis innotesceret testificatio Dei reuelantis,
adhuc obiectum non extraheretur à ratio-
ne formali fidei: vt auctor ille debet ad-
mittere, concedens assensum de reuelatis
procedere ex lumine habitus fidei: nam ha-
bitus cõcurrere nequit ad actum circa ob-
iectum exutum formali ratione, sub qua
terminat habitudinem habitus: & conse-
quenter assensus ille procedẽs à lumine fi
dei sub motiuo testimonij diuini, esset ver-

actus credendi, & non euidenter assentiendi: Deinde non potest lumen fidei gignere assensum euidentem per simplicem notitiã terminorũ, tum quia ad fidem nõ est opus alia apprehensione terminorũ ab ea, quam cõmuniter habemus; tum quia pleraq; obiecta reuelata nullo modo agnosci possunt ex terminis, qualia sunt mera cõtingentia.

VII. Rursus, non posse lumen fidei gignere euidentiam reuelatorũ, siue per penetrationem terminorum, siue ex alio præcedẽte iudicio euidente, ostenditur multipliciter. Primò quoniam tolleret ab obiecto rationem formalem credibilis, & traduceret illud ad aliud genus, & consequenter actũ ad aliud genus notitiæ: quod est absurdũ: nullus enim habitus destruit rationẽ formalẽ sui actus & obiecti; nec per se cõcurrit ad actũ alterius speciei: & circa obiectũ non suum. Sequi verò illa duo ostẽdo: nam ratio motiua fidei, qua cõstituitur obiectũ credibile est prima veritas reuelans; quando verò assensus gignitur ex vi penetrationis terminorum, aut alterius assensus euidentis, motiuum nõ est reuelatio, sed præcedens illa cognitio, siue terminorum, siue iudicatiua: ergo si à lumine fidei inducuntur hęc motiua, tollitur motiuum fidei, quo sublato, tollitur etiã actus, q. absq; illo dari nequit. Secundò, si lumen fidei, vel per terminorũ penetrationẽ, vel assensum euidentem gigneret euidentiam propositionis reuelatæ, sequitur, per solã eius infusionem absq; reuelatione diuina, siue testificatione de veritate obiecti credibilis posse viatorem deuenire in euidentem notitiã mysteriorum fidei: hoc aũt falsum & absurdum est, ergò nõ poterit eo modo gignere assensum euidentem. Absurditas cõsequentis illius conditionalis patet ex eo, quod in agnitionem supernaturaliũ, qualia sũt pleraq;, quæ fide credimus, venire absq; doctrina nemo potest: hæc aũt fit per auditionem à Deo siue mediatè, siue immediatè, vt patet ex dicto Apostoli ad Roman. 10. *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* & experientia infantiũ baptizatorum, qui ab infidelibus in captiuitatẽ abducuntur, & cùm perueniunt ad vsum rationis, quamuis retineant habitum fidei in baptismo infusum, æquè ignorant ea, quæ ad fidẽ pertinent, ac ipsi filij infidelium: & quod clarius est, antiqui patres, qui lumen fidei habebant, mysteria nondum reuelata ignorabant, imò & discipulis habentib. fidem dicebat Christus Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:* tantũ abest, vt ea euidenter agnoscerent, vt non essent capaces ad ea etiã confusè percipienda. Sequela verò maioris ostenditur, quoniam penetratio terminorum, aut assensus euidens principij prioris, absq; testimonio diuino est sufficiens motiuũ, ac determinatiuum intellectus ad assensum euidentem consequentis: ergo si lumen fidei per eiusmodi media est aptum gignere assensum euidentem mysteriorum fidei nostræ, hoc ipsum præstare poterit absq; diuina reuelatione. Respondebit aliquis negando cõsequentiam, & asserendo instantiam in hac ipsa materia: nam habitus fidei posita reuelatione sufficit ad credendum, sine illa verò nõ sufficit, atq; ita similiter antè obiecti reuelationem non poterit gignere euidẽtiam; post illam verò poterit. Quæ responsio nõ est adæquata, est enim diuersa ratio: nã reuelatio affert motiuũ credendi, sine quo habit⁹ nõ potest elicere actũ fidei; & ideò lumen fidei, quod antè illam exire nequibat in actum credẽdi, post illam potest: eadem tamen reuelatio non affert motiuum euidentiæ, quod pendet ex terminis, aut ex principio alio euidenter noto; ideoq; si lumen fidei post illam gignere potest euidẽtiam obiecti reuelati ex altero motiuo illorum, etiam antè illam poterit.

VIII. Ex his constat eam comparationẽ, quam his auctor sumit à lumine glorię, ad lumen fidei nõ esse idoneam. Etenim Beati in patria lumine gloriæ euidenter vidẽt causas, ac rationes ideales creaturarum, & idcircò possunt ipsas etiam creaturas euidenter aspicere. At lumen fidei non gignit euidentem penetrationem obiecti reuelati, aut alterius motiui euidentis, quo intellectus moueatur ad assensum euidẽtem veritatis reuelatæ: ad ipsam verò reuelationem credendam etiam ineuidenter mouet, vt est communis sententia Theologorum. Itaq; comparatio illa ad hoc institutum nihil facit, solumq; in eo vera est, quòd sicut visio matutina rerum in verbo, est nobilior notitia in proprio genere, ita cognitio habita per fidem, licet obscura, est præstantior omni cognitioni naturali etiam euidẽte. Illa quoque differentia inter fidelem atque infidelẽ nõ est ad rem: nam quãuis id quod asseritur de infideli, verũ sit, nõ tã est verũ, quia carẽs habitu fidei, quàm quia motiuũ determinans intellectũ ad assensum euidẽtẽ circa obiecta per se reuelata de lege ordinaria, non est agnoscibile à viatore. nã si esset, & illud absq; lumine fidei cognosceretur, etiã absq; eo haberetur euidẽs notitia credibiliũ. At, inquit, id naturaliter haberi nequit, & ideò cùm infidelis careat lumine fidei supranaturali, non agnoscet id motiuũ, quod per lumen fidei innotescit fideli.

Verùm

Verùm responsio peccat fallacia nõ causę, vt causæ: infidelis enim quamuis ideò non credat, quia caret lumine fidei, non tamen ob eandem causam definit euidẽter videre obiecta reuelata: nam etiam fidelis, qui habet lumen fidei, illa non euidenter scit, vt probatum est: sed ideò euidentiam non habet, quia caret lumine, ac motiuo proportionato, quo etiam caret fidelis: fides enim solum reddit intellectum aptum, & in potentia proxima ad credẽdum reuelatis, non verò ad euidenter assentiendum.

IX. Auctores in oppositum relati nequaquã sentiũt cum Iacobo de Appamis. Non imprimis Alensis. nam eodem art. contraponit certitudinem fidei certitudini euidentię: & solum vult explicare radicẽ effectiuã certitudinis fidei: quæ est habitꝰ infusus, & inspiratio diuina adeò efficax, vt intellectus trahi quodãmodo, & cogi videatur ad assensum, qua in re excessit Alens. nam fidei habitus & inspiratio diuina trahunt quidẽ, & mouent ad credendum, sed non cogunt. S. Thomas. Porrò D. Tho. solũ vult fidei articulos nõ resolui in terminos, aut principia per se nota, sed in lumen fidei, & primã veritatem: & ideò ait esse per se notos habenti fidem; hoc est, non per aliũ medium terminũ, sed immediatè cognosci per lumen fidei, sicut prima principia immediatè cognoscuntur per lumen intellectus agẽtis: itaq; comparatio cum primis principijs non est, quoad euidẽtiam, sed quoad immediationẽ. Constat verò hanc esse mentẽ D. Thomę, quoniam ibidem statim subdit Theologiã non habere viam ad probanda sua principia, & quod 1. p. q. 1. a. 2. & super Boet. de Trinit. q. 2. ar. 2. ad 7. & frequenter alibi docet, nẽpe principia Theologiæ esse credita à viatore, nota tamen euidenter ab alia scientia, hoc est beata. Eodẽ modo explicari debet Altisiodorens. quando ait principia fidei esse per se nota, hoc est, non per alia principia, cùm verò ait fidem credere propter id quod videt, verbũ *videt* debet sumi non pro notitia euidente, sed pro certa atque infallibili absorbente vim rationum naturalium: solũ enim eo loco conatur probare, non stare fidem cum scientia, neque mentem collustratam lumine fidei assentiri propter rationes naturales, etiamsi adsint, vel propter reuelationem Dei.

X. Fundamentum sumptum ex natura luminis intellectualis solum probat lumine fidei constitui mentem in potentia proxima ad credendum; non verò ad euidenter intelligenda ea, quæ reuelata sunt. Pro quo obseruandum nomen *lumen*, ideò per Metaphoram traductũ esse ad vim intelligendi, quoniam lumen corporum est omninò necessarium ad aspectum corporũ: & ideò lumẽ intellectuale propriè habere vim intelligendi, seu producendi intellectionem: quod si sit naturale, nõ distinguitur ab intellectu, si supernaturale, distinguitur & ipsi immediatè inhæret, & effectũ suum formalem communicat, non aũt obiecto: effectus autem formalis luminis intellectualis ordinis supernaturalis non est alius, quàm constituere intellectum potentem ac proportionatum intellectioni supernaturali eliciẽdæ: & quoniam hoc ipso, quo potẽtia sit proxima ad actũ, circa aliquod obiectũ, redũdat in illud etiã actualis proportio intelligibilitatis passiuæ, quæ antea non erat, dici potest, affici ipsum extrinsecus à lumine. Verùm non oportet, vt hæc extrinseca denominatio necessario sit visibilitatis euidentis, sed cuiusuis intelligibilitatis intra latitudinẽ rationis formalis obiecti intellectus, & iuxta proportionem ac naturam luminis. Nam si omnis intellectio esset necessario euidens, omne lumen intellectuale redderet obiectũ euidẽter intelligibile: at obiectũ obscurè intelligibile continetur intra latitudinẽ obiecti formalis, etiam naturaliter intelligibilis: nam quę ex motiuo probabili & fide humana credimꝰ, obiecta sunt actuũ intellectiuorũ, & tamen non agnoscuntur euidenter. Quemadmodũ itaq; lumen naturale habet suũ effectũ in ordine ad obiectũ, non reddendo illud euidenter intelligibile, ita lumen fidei habet suũ effectum in ordine ad intellectum, conferendo vim ad actum fidei supernaturalem, & in ordine ad obiectum, cõplendo proportionem credibilitatis inter illud, & intellectum. D. autem Paul. propterea vocat lumen id quod manifestatur, quoniam excludit tenebras ignorantiæ, non aũt quod necessariò inuehat euidentiã, & ob eãdem causam D. Petrus propheticũ sermonẽ lucernã vocat; nã sicut ij q in caliginoso loco sunt, absq; lumine lucernæ nihil vident, ita infideles, q prophetias & reuelationes Dei nõ admittunt, & fidei lumine destituũtur, nihil omninò eorũ, quæ ad fidem spectãt, neque euidenter, neque ineuidenter agnoscunt, qui verò fidei lumen adhibent, ea credunt, quæ infideles pernegãt. Et quoad hoc vsus est D. Petrus comparatione lucernæ, non verò quoad euidentiam: nam quamuis lucerna noctu ijs, qui prope sunt, pariat notitiã euidentẽ, nõ tamẽ ijs qui procul sunt, sicut sunt viatores à mysterijs, quę credunt. Quin verò, licet omnis visio per lucernã esset euidens, non ad hoc allata est ab Apostolo Petro eius similitudo; non enim

nim oportet, vt comparationes per omnia similes sint: imò Apostolus indicat lucem fidei esse exiguum lumẽ, non sufficiens ad euidentiæ claritatem, & ideò postquam dixit, *Cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* subiungit, *donec lucifer oriatur in cordibus vestris*, quasi lux omnis fidei non eximat viatores à nocte obscuritatis & ineuidentiæ: quæ tum demum euanesceret, cùm verus lucifer apparuerit animis nostris, & similes sibi reddiderit per lumen gloriæ, & claram suam visionem. Porrò B. Paulus citato loco ad Corinth. solum intendit explicare discrimẽ Christianorum à Iudæis: nam hi olim vultũ Moysis ob claritatem non nisi velo coopertum intueri poterant, modò verò velum, quod erat in vultu Christi Domini per Moysem significati, hoc est ceremoniæ, atque vmbræ futuri aduentus eius sublatum est, & quod illis protendebatur, iam manifestatũ est in carne: Iudæi verò figuras legis & vmbras retinentes, velum suismet oculis opposuerunt, quo impediti reuelatã Messiæ gloriam non agnoscunt, Christiani autem sublato infidelitatis velo, & reiectis vmbris legalibus, quibus obtegebatur gloria redemptoris, in eum non iam implicitè vt olim Iudęi, sed explicitè ac distinctè credunt, & per eius bonitatẽ, & virtutes contemplãdo, ad eandem vitæ similitudinem se ipsos effingere conantur. Itaque speculatio illa non euidentem notitiam, sed explicitam fidem significat.

XI. Ad primum argumentum respondeo, maiorem propositionem non esse vniuersaliter veram: nam etiã hæc tria sunt, quoad essentias coordinata, substãtia purè spiritualis, purè corporalis, & ex corpore spirituque composita: & tamen in supremo & infimo gradu, hoc est, in substantia experte omninò materię, & omninò corporea reperitur perfectio incorruptibilitatis, nempe in Angelis, ac cęlo, quæ non cõuenit homini, inter illa duo extrema, habenti medium locum perfectionis. Ratio huius est, quoniam non semper id quod est præstantius alio, excedit illud quoad omnia, sed nonnunquam, quoad aliquid ab eo exceditur. Itaque fides est media inter lumen gloriæ, & naturale, non quoad euidẽtiam, sed quoad certitudinem, & quoad obiecta: nam lumen gloriæ suaptè natura ostẽdit naturalia, & supernaturalia distinctè: lumen naturale sola naturalia, modò euidenter, modò obscurè: lumen fidei eleuat ad supernaturalia, ad quæ non sufficit lumen naturæ, & in hoc illud superat, non tamen gignit ipsorum euidentiam, & in hoc superatur à lumine gloriæ. Ad secundum possunt aliqua ratione dari posteriores duæ partes distinctionis, quæ continetur in maiori propositione: nam licet sola fides non sufficiat ad meritum, requiritur tamen, vt radix illius. *Sine fide enim impossibile est placere Deo*, ad Heb. 11. Itemque gratia & charitas, quæ est proxima ratio meriti. Item licet solus habitus infusus absque vsu per se non facilitet ad agendum, suo tamen concursu influit in actum reddendo illum firmum ac certum. Verùm præcipua ratio fidei, sicut & reliquorum habituum supernaturalium, est vt potentiam alioquin improportionatam eliciendis actibus ordinis supernaturalis eleuet, & compleat in genere potentiæ in ordine ad eos actus, & obiecta: & quoniam intellectus cum solo lumine naturali non est proportionatus eliciendo actui fidei supernaturali, lumen fidei aduenies complet eius vim & actiuitatem; ita vt ex parte potentię sit completa facultas credendi, si adsint cætera requisita ex parte obiecti: Et quia hæc ratio non impugnatur illo argumento, facilè soluitur negando simpliciter maiorem propositionem. Verùm quoniam in impugnatione illarum partium distinctionis, quas aliquo modo veras esse dixi, pleraq; falsa admiscentur, respondendum illi est. Ad primam impugnationem secundæ respondetur aliter gigni posse ab habitu certitudinẽ actus, quàm facilitando potentiam ad illũ, nempe eleuando & complendo illam, quę alioquin erat incompleta, & ideò quamuis habitus supernaturales non habeant facilitandi vim, quod alibi examinãdum est; habent tamen vim eleuãdi facultatem naturalem, quomodo fides eleuat intellectum ad certum firmumq; assensum. Ad secundam negandum est antecedens, nam absq; lumine supernaturali nõ potest haberi verus actus fidei diuinæ: esto possit haberi humanę & acquisitæ, actus verò, qui eliciuntur vel ab hæretico, qui negat vnũ fidei articulũ, vel à puero nõ baptizato inter Christianos nutrito, dum caret lumine supernaturali, non habent veram certitudinem fidei diuinę ex causa, ac motiuo, vt supra explicatum est, sed solam certitudinẽ ex parte subiecti, quæ est fallibilis, licet in eo casu per accidẽs ratione obiecti sit omninò vera: Dixi de puero illo, dum caret lumine naturali, quoniam etsi baptizatus non sit, poterit ex gratia Dei disponi ad fidem infusam, & illam recipere: vt fieri in eo qui viuit inter Christianos more solito aliorũ, supponit Innocent. tertius c. *Apostolicam*, de presbytero non baptizato. *Ad Hebr. 11.* *Innocen. III.*

Theo-

Theologia non est euidens per resolutionem ad principia, partim naturaliter, partim supernaturaliter euidentia.

Caput V.

I. Henricus. HEnric. 1. pa. sum. ar. 13. q. 6. alio modo statuit Theologiam euidentem, non quidem circa cõclusiones ex reuelatis deductas, sed circa ipsa mysteria reuelata, nec verò circa omnia, sed circa aliqua tantum. Constituit autem tripartitam diuisionem credibilium ex sententia D. Augustini. lib. 83. quæst. q. 48. quędã enim sunt *quæ semper creduntur, & nunquam intelliguntur: sicut est omnis historia temporalia & humana gesta percurrens*, maximè præterita, quæ nec vidimus, nec visuri sumus, & ideò omninò à sensu & intellectu seiuncta sunt. *Alia verò mox vt creduntur, intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanæ, vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis*; id est, cognita humana ratione de naturalibus, quia in istis non oportet, vt fides præcedat rationem, de quib. ait idem Augustinus epist. 222. ad Cõsentium: *Sunt quædam, quæ cum audierimus, non accommodamus eis fidem, & ratione nobis reddita vera esse cognoscimus, quæ credere non valemus: alia denique sunt, quæ primo creduntur, & postea intelligũtur, qualia sunt ea, quæ in diuinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mũdo sunt corde*: deinde verò subdit Henric. *Hæc sunt illa, de quib. per se, & præcipue est hæc scientia, tanquã de primis scibilibus in ea, per quorũ cognitionem ad cognitionem aliorum proceditur*. Itaque scientiam Theologiam vult esse de ijs, quæ primo creduntur, non tamen de omnibus, sed de æternis & immutabilibus, vt constat ex verbis Augustini. de vera religione cap. 7. quæ ad hoc ipsum adducit: *Religionis*, inquit Augustin. *sectandæ caput est historia & prophetia, quæ cum credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus diuinis præceptis conciliatus, & idoneam faciet spiritualibus percipiendis, quæ nec præterita sunt, nec futura, sed eodem modo semper manentia, nulli mutabilitati obnoxia, id est, vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*. Porrò diuinorum triplici ratione censet haberi posse notitiam, quemadmodum & naturalium: nam ecclypsim noscere potest discipulus ex fide, quam adhibet magistro Mathematicæ perito, visione corporali, cũ actu fit, item ratione ac discursũ; ex computatione ac numero cælestium motuum. Ita diuinæ creduntur ex reuelatione inuia, videntur in patria, & à nonnullis in via per inuestigationem rationis, & luminis diuini infusionem intellecta conspiciuntur. *Nam sicut*, inquit, *cognoscendo naturam solis ac lunæ, & discursus eorundem circa terram, per intellectus inuestigationem, adiutorio luminis naturalis cum generali illustratione diuina, potest homini notum fieri, quomodo contingit lunam ecclypsari; sic cognoscendo naturas terminorum credibilium, vt Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in diuinis per intellectus inuestigationem, adiutorio luminis supernaturalis, & diuinæ illustrationis specialis potest ei notum fieri, quia Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio, & sic de cæteris, quæ sunt huius scientiæ propria, & pertinent ad fidem*. Quodlib. autem 12. q. 2. ad secundum argumentum explicat fusè modum, quo gignitur in fideli notitia terminorum: est autem huiusmodi, omnem cognitionem genitam ex doctrina alterius præcedit aliqua notitia per propriam inuẽtionem, quæ nititur notitia experimentali sensuum externorum, & ita assensum fidei, qui est per doctrinam, præcedit saltem simplex & confusa apprehensio terminorum. Deinde ex diuina auctoritate & lumine fidei sequitur actus credendi, quo actu & lumine fidei præparatur via *ad intelligendum supernaturaliter illa incomplexa, adiutorio supernaturalis luminis excedentis fidem, & lumen fidei. cognitione magis determinata, & magis particulari, quàm erat cognitio, quam Philosophi ex puro lumine naturali potuerunt habere de illis: quã cognitione acquisita, quasi via diuisiua & definitiua, cognoscitur quid est res in se modo clariori, quam nata est cognosci inuia*. Quibus terminis cognitis in ipsis statim cognoscuntur complexa, ex quibus constituuntur, vt principia tam intrinseca quàm extrinseca scientifica in Theologia: *& consimili modo in eodem lumine virtute talium principiorũ extrinsecorum cognoscuntur principia Theologiæ intrinseca, & ex illis cognitione demonstratiuã cognoscuntur conclusiones, quæ ex illis sequũtur*. Per principia extrinseca intelligit illa tria pronuntiata, Deus est, Deus est vnus, Deus est trinus, ad quæ resoluuntur omnia, quæ demonstrantur de Deo, quoad vnitatem vel trinitatem pertinentia: per intrinseca verò intelligere videtur ea, quæ construuntur ex proprijs terminis conclusiones, & immediatè assumuntur ad eius probationem.

II. Hanc sententiam probat Henric. duplici argumento: altero in quodlib. in hunc modum. Scientia gignitur cognitis conclusionibus ex principijs, quorum cognitio resoluitur in definitiuam rationem terminorum; ex quibus cognitis principia cognoscuntur, sed rationes terminorum articuli credibilis, cognoscuntur euiden-

euidenter in Theologia clarius, quam per lumen fidei: ergo ex hac notione articuli ipsi euidenter agnosci possunt, & consequenter cõclusiones ex ijsdem ductæ. Assumptionem ostendit exemplo, & ratione: exemplum sumitur ex termino, Deus cuius notio secundùm propriam significationem & naturam clarius & distinctius est nota Theologo, quàm sit cuiuis Christiano per lumen fidei, vt patet: nam si homo imperitus firmiori fide præditus, quàm Theologus interrogetur, quid sit Deus, vel quid sit Deum esse trinum, & vnum? vix reddere poterit confusam rationem terminorum, quam Theologus clarè explicabit: & consequenter hic clarius, quàm ille intelligit Deum esse trinum & vnum. Ratione probat, quoniam efficacius est lumen diuinum, quàm naturale: hoc autem gignit euidentem notitiam terminorum, & assensum principiorum, ergo & supernaturale eodem modo gignet claram, & perspicuam notitiam terminorum propositionis reuelatæ, & assensum eiusdem: nomine luminis intelligitur aliquid præuiũ cognitioni simplici obiecti primi, non autem ipsa formalis cognitio obiecti euidẽs & clara. Alterum argumentum elicitur ex citato loco sum. Notitia Theologica appellatur scientia & intelligentia; hæc autem non reperitur absque euidentia, ergo conclusiones Theologicæ deducuntur ex principijs euidenter intellectis. Assumptio est per se nota, quoniam, vbi adest obscuritas, intellectus non penetrat, & quasi intus legit obiecti veritatem, atque adeò neque habet scientiam. Maiorem propositionem probat ex illo Esai. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*, vbi fides & intelligentia ponuntur tanquam diuersa, ita vt fides præeat, intelligentia subsequatur tanquam fidei fructus, vt enim ait Augustinus lib. 2. de libero arbitr. cap. 7. *nisi esset & aliud credere, & aliud intelligere, & primo credendum esset, quod magnum & diuinum intelligere cuperemus frustrà Propheta dixisset, nisi credideritis, non intelligetis.*

Esai. 7.

Augustin.

III. Deinde ad idem institutum congerit multa testimonia D. August. distinguentis intelligentiam à fide: inprimis illud ex tractatu 39. in Ioan. circa principium, vbi *fide*, inquit, *præcedente, quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus, quod non intelligimus, sine dubitatione credamus.* & sermone 51. de verbis Domini initio. *Sic accipite, sic credite, vt mereamini intelligere: fides enim debet præcedere intellectum, vt sit intellectus fidei præmium: Propheta enim apertissimè dixit, nisi enim credideritis, non intelligetis, quod ergo simpliciter prædicatur, credendum est, quod subtiliter disputatur, intelligendum est.* Eandem distinctionem tradit August. tract. 22. in Ioann. initio, item 27. & 29. circa medium, & 40. & sæpè alibi. Consentiunt alij patres, Prosper. lib. 1. de vita contemplatiua, cap. 19. Anselm. in prosologio cap. 1. & confirmatur ex verbis Christi Domini de Spiritu sancto ad Apostolos loquentis in hunc modum, Ioan. 14. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*, ea quæ Christus dicebat, illi credebant: & nihilominus eadem Spiritu sancto suggerente, iterum docenda erant, ergò percipienda erant notitia alia clariore, quàm sit fides, illam verò primo Apostoli habuerunt, & postea Ecclesiæ pastores atque doctores, diuina illustratione adepti sunt. Tandem clarè Henrici sententia expressè sumitur ab Augustin. contra epistolam fundamenti, cap. 14. *Ego Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam peruenturum præsumo: non tam hominibus, sed Deo intrinsecus mentem nostram illuminante, atque firmante.* & Anselm. c. 4. prosologij, vbi sic ait, *Gratias tibi bone Domine, gratias tibi: quia quod prius credidi te donante, iam sic intelligo, te illuminante, vt si te esse nolim credere, non possim non intelligere.* Quibus verbis aperte indicat discrimen inter fidem, & scientiam acquisitam per lumen diuinum, qua ita clarè intelligitur, quod antea credebatur, vt nec, si homo velit credere oppositum, possit. Idem videtur tradidisse expressè Richardus de sancto Victore in prolog. librorum de Trinitate. *Nitamur semper in quantum fas est, vel fieri potest comprehendere ratione, quod tenemus ex fide.* Et in fine. *parum itaque debet nobis esse, quæ vera sunt de æternis credere, nisi detur & hoc ipsum, quod creditur, cum rationis attestatione conuincere. Nec nobis sufficiat illa æternorum notitia, quæ est per fidem solam, nisi apprehendamus & illam, quæ est per intelligentiam, si necdum ad illam sufficimus, quæ est per experientiam.* & lib. 1. c. 4. *erit itaque*, inquit, *intentionis nostræ in hoc opere ad ea quæ credimus, in quantum Dominus dederit, non modo probabiles, verum etiam necessarias rationes adducere, & fidei nostræ documenta, veritatis enodatione & explanatione condire.* Ex quibus patrum dictis constat posse in via haberi notitiam euidentem eorum, quæ credimus.

Prosper. Anselm. Ioan. 14.

August. in.

Anselm.

Richard. de S. Victore.

IV. Tria continet hæc sententia. Primum est per doctrinam & studium Theologiæ præter habitum fidei infusum, acquiri habitum intellectus, quod expressè habetur ar. 13. sum. q. 6. Secundum est, dari lumen supernaturale supra lumen fidei, quod in

scriptu-

scriptura censetur nomine sapientiæ, scientiæ & intellectus, cùm ab Apostolo 1. ad Cor. 12. dicitur: *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides:* q̃ dicitur cit. quodlibet. 12. q. 2. ad primum principale initio, & approbat Dionysius Cistercienſ. q. vn. prologi ar. 1. in fine. Tertium verò est primũ assensum euidẽtem gigni ex terminis distinctè cognitis adiutorio luminis supernaturalis excedentis lumen fidei, q̃ asserit vtroq; loco, maximè q. 2. quodlib. 12. Quę tria ordine retrogrado expendenda sunt, quoniam duo postrema assumuntur ab eo tanquam fundamenta primi, in quo consistit præcipua difficultas.

1. ad Cor. 12. Cistercienſ.

V. Dico primum. Theologus fidelis ex studio doctrinæ sacræ, non potest elicere conceptus simplices clariores, quàm possit quiuis alius homo fide carens. Hæc est Scoti in 3. d. 24. q. vnica. §. *contra hæc*, & quodlib. q. 7. §. *tertia conclusio*, cum Lychet. & Tartaret. ibidem. Rubionius in 1. d. 3. q. 2. art. 3. Heruæi q. 1. prologi in tertia ratione contra tertiam opinionem. Loquor autem de lege ordinaria, non enim volo alieno loco tractare, an diuina virtute possit communicari viatori distincta cognitio abstractiua Dei: nam Theologi, qui de ea quęstione diuersa sentiũt, communiter conueniunt eam cognitionem non communicari de lege. Assertionem hoc modo acceptam breuiter ostendo, quoniam distinctior cognitio simplex terminorũ, aut habetur per infusionem nouæ speciei intelligibilis, aut per nouam notitiam alicuius effectus causæ, aut proprietatis rei significatæ per terminos, qui clarius de nouo penetrãdi sunt, aut per noui luminis accessum: non enim apparet alia ratio clarioris notitiæ eiusdem termini prius obscurè cogniti, omnis autem effectus nouus noua indiget causalitate. Nullo ex his tribus modis haberi potest de lege à viatore fideli notitia clarior terminorum simplicium, quam habeatur ab infideli Philosopho, si ijsdem rebus cogitandis animum applicet: ergò quoad hoc nõ est discrimen inter vtrunque. Assumptionem ostendo quoad omnes partes incipiendo à lumine; etenim ad obiecti intellectionem duo necessariò concurrunt, species ex parte obiecti, & lumen ex parte intellectus: & alterutro horum deficiente, vel improportionato, non sequitur intellectio, vel si habetur, est nimis confusa: ergò si ex parte intellectus nõ detur species, quæ repræsentet distinctè obiecta terminorũ simplicium, quib. constant propositiones Theologicæ reuelatę. noui luminis accessio nihil faciet ad clariorem penetrationem terminorum, vt rectè notat Aureol. & Bassol. infra citandi. Respõdebitur, dari quidem species, quæ obiecta terminorũ, quãtum in se est, clarè repræsentent: verùm ex defectu luminis naturalis non posse distinctè percipi: eo verò corroborato accessu luminis supernaturalis, intellectus redditur potens, ad habẽdam clariorem notitiã, sicut videmus in visione corporea euenire: nam propter nimiam vitalis luminis, hoc est potẽtiæ visiuæ inæqualitatem ab eadem distantia, & consequenter specie visibili eiusdem claritatis atq; intentionis sequitur inęqualitas visionis. Sed hæc responsio nõ satisfacit: nam si species illa intelligibilis habet naturalẽ repræsentationem obiecti clarius perceptibilis, quàm actu ab hoc vel ab illo intellectu percipiatur, nihilominus cùm sit naturale instrumentum, & tanquam semen obiecti ad fructum notitię simul cum intellectu sibi naturaliter proportionato producendũ, respondere illi debet adęquata virtus naturalis intellectus humani, ita vt hic tantam vim habeat ad notitiam distinctè habendam, quantam illa ad obiectũ distinctè repræsentandũ. Ex quo vlterius sequitur ad eiusmodi distinctã notitiam terminorum, nõ minus perueniri posse viribus naturæ, quàm lumine fidei.

Aureol. Bassol.

VI. Secundus modus impugnatur, quoniam sola notitia fidei non inducit distinctã notitiam simplicẽ noui alicuius effectus, causæ, aut proprietatis rei significatæ per terminos: quãdoquidem fides solam respicit veritatem complexam, suppositã confusã notitia terminorũ, vt idemmet Henr. admittit: idem autem assensus fidei de veritate complexa est obscurus & ineuidẽs, atq; adeò gignere nequit euidentem notitiam terminorũ: Etenim quamuis interdum ad penetrãdos terminos iuuare soleat aliquis discursus, maximè per inductionem, & experimentũ: tamen propria & proxima causa penetrationis, non est discursus, sed lumen rationis applicatũ cõsiderationi ipsorum, cũ sufficiente repræsentatiuo ex parte obiecti, per assensum verò fidei nõ accedit noua species: quæ prędicat, non erat sufficiẽs, nam tunc etiam sine fide intellectus vtẽdo illa, posset terminos distinctè penetrare: noua autem notitia fidei de effectu, ratiõe aut proprietate aliqua summæ Deitatis, cùm obscura sit, non potest esse principium sufficiens ad eliciendam notitiam distinctam terminorum, ex modo enim, quo cognoscimus principia cognoscendi alia, sumitur modus cognitionis ipsorum, nec item sufficit ad exprimendam speciem

distinctè repræsentãtem obiecta terminorum: nam species acquisitæ, vtpotè partes notitiæ præcedentis, quoad claritatem repræsentationis non excedũt notitias, à quibus expressæ sunt: vt experientia constat in speciebus memoratiuis, quæ non sunt clariores in repræsentãdo præterita, quàm fuerit prima cognitio, ex qua relicta sunt: quod si hoc verum est, quoad eas species, quæ repræsentant idem obiectũ, ex cuius cognitione relictæ sunt, multò verius erit, quoad eas, quæ repræsentant aliud diuersum, habens habitudinẽ ad ipsum cognitũ.

VII. Denique non dari nouas species à Deo infusas, quæ erat prima radix assignata notitię distinctę terminorum, neq; ipse Henric. asserit, neq; doctores communiter, neque cum fundaméto probabili dici potest. Namq; aut dantur omnibus hominib. aut solis, & omnibus fidelibus, aut solis Theologis: si omnib. hominibus, quiuis infidelis vtendo eiusmodi speciebus, habere poterit notitiam euidentem terminorũ, & consequenter assensum euidentem principiorum fidei, quod Henric. negat; verum respõderi ad hoc poterit negando cõsequentiam, quoniam sola species nõ sufficit absq; lumine sibi proportionato: species verò illæ sunt ordinis superioris, & exigunt lumẽ supernaturale in intellectu, vt illis vti possit. Verùm cùm Deus nõ frustra infundat species, infundere simul debet lumen proportionatum, atq; adeò, vel simul cum illis infundit lumen, vel non infundit eas hominibus eo lumine carẽtibus; quo cùm infideles careant, speciebus quoq; carebunt? Si dantur omnibus fidelib. ergò etiã infunduntur infantibus cùm baptizantur: quare ij, quamuis inter infideles nutriantur, & nihil audiant de mysterijs fidei, propria industria & labore poterunt deuenire in notitiam euidẽtem reuelatorũ, quòd pugnat cum experientia & ratione. Sequela patet: nam qui habet lumen proportionatum, & species obiectum distinctè repręsentantes, potest absq; alterius doctrina gignere euidentem notitiam obiecti: eiusmodi infantes ex suppositiõe habẽt species, distinctè repræsentantes obiecta terminorũ simpliciũ veritatum reuelatarum, habent lumen fidei, ergò vtẽdo speciebus possunt habere euidentem notitiam terminorum. Respõdebit aliquis ad hoc nõ sat esse lumen fidei, sed superius aliquid, vt Henric. aiebat. Verùm non sufficit hæc euasio: nã vel hoc lumen est habituale, vel actuale: si habituale, aut infunditur omnibus fidelibus, aut non: nõ est vnde sumatur ratio, cur huic potius quàm alteri communicetur: nisi forte est ratio meriti, aut mundities cordis, vt ex Aug. contra epistolam fundaméti in principio. & lib. 83. quæst. q. 48. probat Henr. in sum. ar. 7. q. 2. quod idem Augustinus docet tract. 1. in Ioan. in fine explicans illa verba, *& tenebræ eũ non cõprehenderũt*, & sæpè alibi; ex quo sequi videtur malos Christianos nõ posse euadere Theologos, cuius oppositum vtinam experientia non ostẽderet: si verò infunditur omnibus, non est ratio, cur infundi negetur infantib. in baptismo: si aũt est actuale, hoc paratus est Deus cõmunicare omnibus volentibus vti speciebus infusis: nam si non est omnibus de lege paratum, etiam erit dubium, verùm cõmuniter Christianis adultis volentibus vacare studio Theologiæ: & ita certum non erit ex studio Theologiæ acquiri notitiam euidẽtem. Si solis Theologis, nõ aliũde hoc fiet, quàm quia studium est via ad acquirendas species, quæ proinde potius acquisitæ erũt, quàm infusæ: si verò acquisitæ sint, nõ excedent in repræsentando modum intelligendi, ex quo genitæ sunt: atq; adeò cùm antè eas omnis intellectio de rebus per se reuelatis fuerit obscura, ipsæ quoque species easdem obscurè repræsentabunt. *Augustin.*

VIII. Dico secundum. Non est lumen aliud habituale supra fidem, quod haberi de lege possit à quouis fideli: Hæc est communis, ita expressè docet Aureol. q. 2. prologi ar. 1. Godefred. quodlib. 3. q. 10. & quodlib. 4. q. 19. apud Aureol. citatum, Ochamus in prologo q. 3. principali, quæ est 7. in ordine lit. H. Bassolis q. 5. ar. 1. §. *circa prædictam* Aquilanus q. 3. Toletan. q. 2. ar. 5. 1. cõclusione contra sententiam Henrici, Argent. q. 2. ar. 1. circa princip. Marsilius q. 2. ar. 3. ad argumenta cõtra 7. & 8. concluſ. Maior. in 3. d. 25. q. 5. 1. conclusione. Durand. q. 2. prologi, ar. 2. Scot. in 3. d. 24. q. vn. §. *Contra hæc*, & in reportatis q. 3. prologi, & Palatius q. 3. & Heruæus q. 1. dum impugnat 3. opinionem. Verùm quoniam ea quæ pendẽt à voluntate & omnipotentia diuina, neque habẽt necessariã cõnexionẽ cum natura intellectus nostri, probari vel improbari nequeũt argumẽtis sumptis à natura subiecti: duæ restãt viæ impugnãdi lumẽ illud: altera ostendẽdo eius impossibilitatem, altera probãdo nõ esse vllum fundamentũ in reuelatis, ex quo de factis dari colligãt. Priori vtuntur aliqui, qui negãt possibilem notitiã Dei abstractiuã, claram & euidẽtem: posteriori pleriq; alij. Ego priorem, quia propria dispositione indiget, non tenebo: posteriori insistam impugnãdo respõsionem, quæ ab Henrico adhibetur. Ait enim eius luminis mentionem fieri ab Apostolo *Aureol. Godefred. Ochan. Bassol. Aquilan. Toletan. Argentin. Marsil. Maior. Durand. Scotus. Palatius. Heruæus.*

cùm

1.ad Cor.12. cùm ait 1.ad Corinth.12. *Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum*, quæ nullo modo congruit; etenim D. Paul. ibidem loquitur de gratijs gratis datis: hæ verò non conferuntur infalli biliter pro ratione studij, ac diligentiæ cuiusque, sed pro gratuita voluntate largitoris, vt constat ex verbis eiusdem Pauli: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Quid clarius? *prout vult*, inquit, non prout merentur illi, qui accipiunt, non prout student, aut disposit sunt. Vnde Scot. in fine §. citati. infert frustra laborari à Theologis in studio, & inquisitione veritatis, & multo meliorem esse viam perueniendi ad scientiam Theologiæ vacare orationi, quàm nimio studio, quòd duo Theologiæ lumina, Thomas & Bonauen. suo exẽplo comprobarunt. Non proinde tamen est omittendum studium, sed cum oratione & meditatione spiritualium rerum copulandum, vt monet Hieronym. in id Ecclesiastis 1. *Omnes sermones graues. &c. notandum*, inquiens, *quod omnia verba sint grauia, & magno labore discantur contra eos, qui putant otiosis sibi, & vota facientibus venire notitiam scripturarum*, non est negandum; esse interdum dispositiones aliquas ex parte corporis vel animi, quæ reddant hominem magis vel minus aptum recipiẽdo influxũ luminis diuini; ideò enim 4.Reg.3. legimus 4. Reg. 3. Elisæum cùm consultaretur à tribus illis Regibus, iussisse afferri psaltem, quo mens armorum & exercitus, tumultu non nihil turbata, pacaretur, & redderetur idonea recipiendæ illustrationi diuinæ, & ita in medio concentus musici, facta est super eum manus Domini, & prophetauit; verùm hæc dispositio non est infallibilis præparatio animi, vt recipiat gratiam prophetandi, aut vllam aliam ex his, quæ gratis datæ appellantur à Theologis, at lumen ad studium doctrinæ sacræ requisitum Deus ordinariè confert omnibus, qui serio animum applicat studio: videmus enim communiter eos, qui meliore ingenio pollent, & in studium Theologiæ acrius incũbunt doctiores euadere, & plura scire cæteris omnibus, qui vel ingenio tardiore sunt, vel in studẽdo pigriores. Ex quo fit nullo modo esse dicendum dari lumen supernaturale, fide superius ad scientiam Theologicam perdiscẽdam, & multo minus id significari ab Apostolo verbis illis, *Sermo sapientiæ, & sermo scientiæ*. Vltimò, Scot. vt arguit Scot. citat. loco tertij sentẽt. quicunque habet lumen euidenter ostendens terminorum naturam, & eleuans intellectum ad assensum euidentem alicuius veritatis, non habet liberam potestatem dissentiendi, & oppositum asserendi, sed quiuis Theologus potest culpa sua recedere à fide incurrendo hæresim, vt nonnullis accidisse memoriæ proditum est: ergò non est dicendum doctoribus omnibus inesse eiusmodi lumen medium inter fidem, & lumen gloriæ.

IX. Dico tertium, doctrina Theologica nõ est habitus euidens resolubilis in principia nota ex penetratione terminorum. Hæc est omnium ferè communis contra Henr. quem hoc cap citaui, pro ea etiam stant illi, qui docent Theologiam non resolui in principia per se nota, ac proinde non esse propriè scientiam, quos cap. seq. referam. Ostenditur autem primò ex dictis: nam termini veritatum reuelatarũ de Deo non penetrantur, quoad naturam obiecti magis à Theologo, quàm à non Theologo: ergò si is, qui caret hac scientia, non potest ex terminis euidẽter agnoscere veritatem reuelatam, neque Theologus poterit. Secundò, vt benè arguit Durand. cit. n. 15. omnis cognitio viatoris circa veritates ẽternas, suaptè natura occultas nobis, nititur agnitione fidei: idcircò enim ab Apostolo dicitur ad Heb. 11. *Argumentum non apparentium*, & Esai. cap. 7. clamat, *Nisi credideritis, non intelligetis*. Sed nulla notitia complexa est euidentior altera complexa: à qua pendet: ergò nulla notitia viatoris proprio studio ex fundamento fidei acquisita habet euidentiam. Respondebit Henric. eiusmodi scientiam non niti fidei assensu quasi ratione motiua, propter quam credãtur præmissæ, sed tanquam dispositione, sine qua intellectus non est aptus cõsiderandis terminis articulorum reuelatorum: atque adeò assensum Theologicum non niti per se assensu fidei ineuidente, sed assensu claro atque euidente principiorum, qui præbetur ex vi penetrationis terminorũ. Hæc solutio, etsi colligi ab ipsius doctrina possit, cùm tamen citatis locis fateatur scientiam, de qua loquitur nasci ex fide, nõ cohæret doctrina, maximè si consideretur id, quod docet quodlib. 8. q. 14. vbi clarius explicat modum scientiæ, quem alijs in locis probat, nõ tamen apertè declarat: namque eo loco ad discursum Theologicum requirit syllogismum constantem duabus præmissis, altera de fide, altera naturaliter euidente, ex quibus vult colligi conclusionem scientificam. Quæ doctrina minimè cõgruit cum ea, quam ex summa, & quod lib. 12. q. 2. hausta m superius exposui: tum quia quodlib. 8. assensum veritatis reuelatę: non necessariò vult esse ex terminis, sed

Duran. ad Hebr. 11. Esai. 7. Henricus.

ex fide; in summa verò, & quodlib. 12. docet esse debere ex terminis, tum quia ad assensum principiorũ in summa; & quodlib. 12. exigit lumen supernaturale, superius fide, in quodlib. verò 8. admittit assensum naturalem circa principia illa naturalia, & ex proprijs terminis naturaliter cognita, vt patet ex vltimis verbis q. 2. vbi ait, articulos fidei considerari, vel solùm vt credibiles, & hoc modo niti solo lumine supernaturali, vel tanquam obiecta intelligibilia postquam sunt credita, & hoc modo nõ tam inniti lumine supernaturali, quàm naturali.

X. Verùm quia doctores communiter solùm referunt eius sententiam ad eum modum, quo à me est relata initio capitis, operæpretium duxi explicare mentem eius iuxta ea, quę docet citato quodlib. 8. q. 14. nam quantum ex eo loco colligi potest, nõ alium inducit habitum Theologicum, neque alios assensus principiorũ ab his, quos doctores alij communiter admittunt, sed eò tantùm differt à plerisque, quod euidentes appellat. Sic autem philosophatur eo loco: *Fides intellectum subsequentem iuuat, ac promouet suppositis ijs, quæ fidei sunt, & concurrentibus, quæ naturali ratione verè cognita sunt, quia veritas*, inquit, *naturalium veritati supernaturalium non repugnat, sed potius via est, & adminiculum, non ad fidem faciendam de illa, sed fide supposita ad ipsam perspicuam intellectui faciendam: & tanto magis, quanto media ex naturali ratione adiuncta efficaciora sunt.* Ecce quomodo sola fide supposita, & naturali euidentia rationum naturalium absq; alio lumine supernaturali, aut notitia terminorum euidente admittit fieri intellectũ, hoc est, perspicuam notitiam credibilium. Et paulo antè finem eiusdẽ quæstionis probans suam opinionem, vtitur hoc principio. Vera certissimè cognita cõiuncta alijs, licet non ita clarè cognitis, de alijs vlterioribus, hoc est, de conclusionibus minus clarè cognitis, secũdùm se possunt facere notitiam clariorem. Vt si syllogismus constet maiore propositione demonstratiua, assumptione topica certius scitur conclusio, quàm si maior esset cognita assensu topico: ex quo infert ex ijs, quæ post fidem acceptam habentur ex naturalibus cognita per acquisitionem, siue antè fidẽ, siue post, siue cum alijs, quæ sunt fidei, accipiantur, aut supponantur, posse certiore cognitione intelligi ea, quæ sunt posteriora credibilia, quàm sine illis sint cognita sola fide: certiorem verò notitiã appellat eam, quæ euidentior est, vt patet ex tota illa quæst.

Itaque quantum colligitur ex dictis, & discursu eius quęstionis, opinio Hẽrici est, alteram præmissam naturaliter euidẽtem coniunctam alteri reuelatæ, gignere assensum conclusionis euidentiorem, quàm sit assensus fidei, atq; adeò Theologiam, quæ eiusmodi conclusiones ex reuelatis colligit, esse veram scientiam euidentem. quam sententiam tenuerũt etiam quidam alij relati ab Heruæo q. 1. prologi in 2. opinione. *Heruæum. Argentin.* Argent. q. 2. prolog. ar. 2. antè med. quoad eas conclusiones, quæ inferuntur ex vna naturaliter euidente, & altera de fide. Probant, quoniã assensus euidens alterius præmissæ est ratio motiua, & causa assensus cõclusionis: ergò commnnicat illi aliquid de sua claritate: atque adeò cum euidentia & neuidẽtia sint oppositæ priuatiua, si habet aliquid euidentiæ, erit simpliciter euidens, & consequenter scientia.

Dico quartum. Theologia non est euidens euidentia scientifica ratione principiorum naturalium, quæ assumi possunt cum principijs fidei ad conclusionem Theologicam inferendam. Hanc expresè asserit Heruæus cit. Aureol. q. 1. prologi, ar. 2. *Heruæum. Aureol.* Bassol. q. 5. prologi, ar. 3. §. *Dico igitur*. Mayron. q. 14. prologi, ar. 1. Argent. q. 2. ar. 1. *Bassol. Mayron. Argent.* ad 3. ex tertio loco positis pro prima opinione, Marsilius q. 2. ar. 3. 5. & 6. cõclusione, *Marsil.* Gabriel in 3. d. 24. q. vn. ar. 2. conclusione *Gabriel.* 6. Durand. q. 1. prologi, n. 53. Scot. in 3. d. *Duran.* 24. q. vn. §. *si loquamur*, cum Lycheto ibidẽ. *Scotus. Lychet.* Et est sententia aliorum doctorũ, qui simpliciter dicunt Theologiam nostram esse neuidentem, cùm tamen cõmunis opinio sit assensus ex altera præmissa de fide, altera naturaliter euidente propriè pertinere ad habitum Theologicũ. Et inprimis contra Henricum ostenditur, quoniam nõ ad omnia ea, quorũ notitiam Theologus disserendo acquirit, assumi possunt præmissæ naturaliter euidentes, vt videre est in mysterio Trinitatis, nec enim est vllum principium naturaliter euidens, ex quo cũ alio reuelato ostendi possit Spiritum sanctum procedere à filio. Deinde verò quãuis admittatur ad omnia reuelata adhiberi posse medium syllogisticum cõstans altera de fide, altera naturaliter euidẽte, ex tali discursu gigni nequit assensus euidens: ergò Theologia ob hanc causam non habebit euidẽtiam necessariam ad scientiam. Antecedens patet exẽplo, quod adhibuit idẽmet Henr. Nam syllogismus constans altera præmissa naturaliter euidente ac necessaria, altera probabili non gignit euidentiam simpliciter, ergò neq; eam gignit syllogismus constans altera naturaliter euidente, altera de fide. Patet cõsequentia, nam propositio de

fide,

fide, quamuis quoad certitudinem plurimum differat ab opinione, quoad ineuidẽtiam conuenit: quemadmodum ergò maior propositio naturaliter euidens ex coniũctione cum topica impeditur, quominùs gignat assensum conclusionis euidentem, ita si coniungatur cum credita, ob ineuidentiam assensus fidei impedietur, quominùs communicet euidentiam assensui ab vtraque pendenti: Ratio verò à priore est, quoniam ea, quæ non habent euidentiam ex terminis, sed ex medio, agnosci euidenter nequeunt, si medium ipsum euidenter non appareat intellectui: vis autem medij consistit in coniunctione cum vtroq; extremo, quæ per medium sibi inuicem cohærent: & ita vt perspicua sit coniunctio extremorum, opus est, vt perspicua sit etiam coniunctio vtriusque cum medio termino: cùm verò altera præmissarum est ineuidens, intellectus non perspicuè intuetur coniunctionem extremi in ipsa contẽti cum medio, & consequenter nequit euidenter agnoscere coniunctionem extremorum inter se, atque adeò neque habere euidentem assensum conclusionis. Ex quo patet responsio ad motiuum huius sententiæ: namque vna præmissa nõ est motiuum sufficiens, sed coniunctio medij termini cum vtroque extremo: quę non potest esse euidens, si altera præmissarum sit ineuidens, vt constat ex dictis.

XIII. Omnia illa, quæ initio ex Henric. relata sunt, ad expositionem sententiæ eiusdem parum momenti habent: nam quædam etsi vera sint, non eam probant; qualis est trimembris illa distinctio notitię ex fide, ex visione, ex euidentia abstractiua; item illud quod ait, initium omnis scientiæ per disciplinam acquisitæ pendere ex sensu, & notitia proprio marte comparata, ex ijs enim non infertur Theologiam esse euidentem. Alia verò falsa sunt, quale est dari lumen supernaturale fide excellentius ad acquirendam scientiam Theologiæ: item terminos propositionum reuelatarum ex vi eius luminis penetrari, quoad naturam significatam, & parere euidentem assensum eorundem, & cætera id genus, quæ ad iacienda fundamenta suæ opinionis adducit. Restat solum, vt in particulari respondeam ad duo argumenta proposita post opinionis expositionem. Ad primum neganda est assumptio, si intelligatur de notione, quid, rei, qua natura ipsa significati penetratur. Ad probationem ab exemplo sumptam, dicẽdum Theologum melius, quàm rusticum explicare posse, quid significet hoc nomen, *Deus*: idque duabus rationibus, vel ex notitia naturali, quam discursu philosophico colligit ex creaturis, vel notitia acquisita ex reuelatis; verùm neutrum harum quicquam conducere ad producendum assensum euidentem circa attributa Dei, per se ex sola reuelatione cognoscibilia. Non priorem, quoniam solum elicitur ex effectibus Dei, quatenus vnus est, ex quibus non potest progigni notio ipsius, quatenus trinus est. Nõ posteriorem: quoniam cùm habeat fundamẽtum in fide, vel effectibus Dei fide creditis, vel proprietatibus reuelatis, est admodum obscura & ineuidens: neque distinctè penetrat Deitatem, prout est ratio eorum, quæ creduntur. Atq; itaq; verum est, Theologos habere notiones aliquas terminorum, quas rustici non habeant, & nihilominus ex vi ipsarum non penetrare naturas significatas, ita vt ex notitia ipsarum assentiatur veritatibus reuelatis. Ratio pro terminorum penetratione, & euidente assensu principiorum adducta supponit dari lumen medium: & ideò negatione huius suppositiõis euertitur. Præterea si valeret, etiam lumen fidei, vtpote supernaturale, posset gignere notitiam euidentem, quod est falsum. Itaque argumentum vim haberet, si sumatur lumen vtrobiq; in genere suo perfecto, vt ait Scotus in 3. d. 24. q. vnica. §. vlt. & ita lumine gloriæ redduntur euidentes veritates supernaturales, sicut naturales lumine intellectus agentis. At lumen fidei est infimum inter lumina supernaturalia, & ideò non debet in suo genere habere vim, quam habet naturale in suo. Denique quamuis lumen adesset, opus erat speciebus infusis, quæ non ponuntur, etiam de ipsius Henr. sententia. *Scotus.*

XIV. Secundum argumentum totum consistit in auctoritate scripturæ & patrum. Pro cuius explicatione notandum, scientiam, & intelligẽtiam sumi posse pro notitia firma & certa, & ex antecedente cognitione genita. Nam quatenus habetur per discursum, habet modum scientiæ, quo distinguitur ab intellectu primorum principiorum: quatenus verò est firma & certa, distinguitur ab habitibus falsis, vel non necessario veris: & hoc modo accipi potest scientia rerum diuinarum in hac vita, quæ fidei contraponitur, quasi fructus, ac merces illius: nam fides nullo modo ratione nititur humana, vt crebrò ait Aug. sed solo testimonio diuino, at sciẽtia hæc immediatè nititur ratione deducente, non reuelata in se ex reuelatis, & ad hunc sensum intelligi potest locus Esai. 7. *Nisi credideritis, non intelli-* *Esai. 7.*

intelligetis, quoniam cùm eiusmodi cognitio procedat ex reuelatis, tãquam ex principijs, nemo ad illam perueniet, qui fidem non habuerit: & de hac ipsa intelligi potest Auguſt. & alij Patres, vt Durand. q.2. prologi, n.20. Scotus in 3.d.24.q. vnica. §. *Ad aliud*, & alij interpretantur. Verùm mihi non videtur Auguſt. respexisse solùm ad hunc scientiæ modum, sed ad intelligentiam pleniorem ipsius scripturæ: quæ secundùm literæ corticem ab omnibus confusè atque implicitè creditur, à paucis intelligitur, quoad verum & proprium sensum literalem, & quoad sensus mysticos, & spirituales, qui maximè reficiunt animum: item quoad conclusiones aliquas, quas non nisi docti & spirituales capere, & intelligere solent; quod perspicuè tradit Aug. Epist.2. ad Volusianum circa principium, *Tanta est*, inquiens, *Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine quæ piè, rectè q; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda, proficientibus restant: tãtaq; non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura Eccles. 18. habet, cùm consummauerit homo, tunc incipit.* Et quoniam hęc ita studio nostro acquiri possunt, vt etiam soleant diuini Spiritus sancti gratia pijs ac sanctis viris communicari, ita vt quod alijs peperit studium, diuina gratia alijs donauerit, imò etiã qa ad hæc ipsa, eo quo scripta sunt spiritu intelligenda, opus est illustratione supernaturali, non quidem per modum habitus fide præstantioris, sed per modum transeuntis lucis obscuræ: idcircò D. Auguſt. & alij patres aiunt ea, quæ credita sunt, Spiritus sancti illustratione intelligi: quia nimirum scitur modus, quo credendæ sunt, exempli gratia, quando Christus dixit Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus. & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Apostoli præsentes credebant verbis Christi, sed quomodo caro eius cibus, aut sanguis potus esse deberet, nesciebant; postea Christus aperuit modum, ac rationem venerabilis Eucharistiæ sacramenti: hæc notitia de vero sensu verborum Christi erat quodammodo clara, ac distincta comparatione fidei implicitæ, qua prius credebant carnem eius fore cibum, & sanguinem potum. quem locum ad hoc institutum fusè tractat Aug. tract.27. in Ioan. & ad hunc modum intelligendum est id, quod vltimo loco ex verbis Christi obiectum est. Etenim ille multa dixit Apostolis, quæ illi, quoad verum & proprium sensum non intelligebant, & in confuso tantum, atque implicitè credebant. Postea verò Diuini spiritus illapsu, quantum permittit fides, quoad veram & germanam intelligentiam perceperunt.

Durand. Scotus. *Auguſtinus* *Ioan.6.* *Auguſtin.*

XV.

D. Auguſt. vt notat Durand. q.2. prologi, n.21. & Bassol. q.5.ar.4.§. *Ad 1. alterius*, loquitur de scientia, non in hac, sed in altera vita habenda ex illustratione diuini luminis, hoc enim sonãt illa verba, *peruenturũ esse confido*: nam si de hac vita loqueretur, aliquid iã eius scientiæ, si datur, acquisiuisset, nec sola fiducia futuræ scientiæ teneretur. D. Anselm. non loquitur de omnibus reuelatis, sed de ijs, quæ ratione naturali possunt innotescere, vt sumitur ex vltimis verbis, *vt sit te esse nolim credere, non possim non intelligere*: quæ accipienda sunt de vnitate ac existentia Dei, quam primum Anselm. ex fide credidit, postea euidentia naturali ex affectibus agnouit. Richardum defecisse ait Carthus. in 1. d.3. q.3. & meritò si intelligatur de omnibus rebus, quas fide tenemus: quas reuelare nequit caro & sanguis, aut ratio & magisterium humanũ sed solus pater cælestis. D. Thom. super Boet. de Trinit. q.1. ar.4. ad 7. ad similem aliam Richardi auctoritatem respondet, illum quidem sentire, rerum diuinarum esse rationes, non tamen asserere posse à nobis certò ac perspicuè cognosci. Verùm hæc solutio ad allata testimonia accommodari nequit: expressè enim asserit institutum suum esse, nõ solùm probabiles, sed etiam necessarias rationes adducere, & parum nobis esse credere, nisi etiam cũ rationis attestatione conuincamus vera esse, quę credimus. Responderi verò potest ipsum non vniuersaliter loqui de omnibus reuelatis, sed ijs, quę propter multitudinem reuelantur, habent tamen rationes naturales, quibus à sapientibus intelligantur, eiusmodi sunt ea, quæ pertinent ad vnitatem, & proprietates essentiales Dei; vt colligitur ex ipsius verbis, in quantum fas est, vel fieri potest, quibus indicatur, non ad omnium intelligẽtiam peruenire posse per rationem. Accedit quod illis libris maiore ex parte agit de vnitate, ac perfectionibus Dei essentialibus.

Duran. Bassol. *Carthus.* *S. Thomas.*

Theologia non simpliciter, sed secundùm quid potest dici scientia propter maiorem similitudinem cum scientia, quam cum vllo alio habitu.

CAPVT VI.

I. INter Doctores, qui admittunt principia proxima, atque immediata, queis vtitur Theologus in suis discursibus ad inferendam conclusionem Theologicam, esse propositiones reuelatas: quæ non assumũtur tanquam suppositiones extrinsecæ, vt volebat Toletan. neq; cognoscuntur assensu euidente, vt sentiebat Henric. & reliqui superiùs impugnati, sed ineuidẽte ex habitu fidei, Theologiam esse verissimè scientiam docet Albert. in summa tractatu 1. q. 1. & Petrus de Alumnia apud Marsilium q. 2. prologi art. 3. post. 2. conclusionem; esse verè scientiam. Argentin. quæst. 2. prologi art. 1. §. *His itaque*. Capreol. quæst. 1. prologi. art. 1. conclusione 1. & 3. & artic. 2 ad argumenta contra duas illas conclusiones, Hispalens. qu. 1. art. 1. conclusione 3. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem. Sonci. q. 1. conclusione 3. Iauellus. 1. part. quæstion. 1. artic. 2. & alij è Thomistis recentioribus. Multi alij ex antiquis Doctioribus referuntur pro hac sententia, sed immeritò, vt constabit inferiùs.

Albert. Pet. de Alum. Argentin. Capreol. Hispalens. Soncinas. Iauellus.

II. Fundamentum Thomistarum est, quoniam ad rationem scientiæ requiritur quidem, vt procedat ex principijs primis euidenter notis, non autem ex proximis, atque immediatis: assensus autem Theologici, quamuis procedant à principijs proximis, & immediatis euidentibus, hoc est à principijs reuelatis, & per fidem creditis, principia tamen remota, à quibus procedunt, sunt certa, atque euidentia. Vt verò hoc intelligatur, notat Syluest. in conflato quæst. 1. artic. 11. §. 2. triplex esse principium in scientia: primum est dignitas intrans demonstrationem virtualiter tantùm, vt *de quolibet est affirmatio, vel negatio*: secundum intrans demonstrationem substantialiter tanquam primum in scientia, hoc est, non deductum ex alio, vt definitio subiecti, & omnia quæ scientia subalternata credit subalternanti: Tertium intrans demonstrationem substantialiter non tanquam primum, sed deductum à priore, vt conclusiones omnes demonstratiuæ in scientia, præter simpliciter vltimas. Primo, inquit, modo in Theologia primum principium est, *prima veritas non potest mentiri*: Secundo modo omnes articuli crediti: Tertio omnes conclusiones in eadem demonstratæ. Verùm quando Capreol. dicit sat esse vt prima principia sint euidentia, non intelligit solummodò de illis, *prima veritas mentiri nequit*, vel, *omne reuelatum à Deo est verum*: nam cum virtute solùm ingrediantur demonstrationem, non sat est eorum euidentia ad scientiam conclusionum: quemadmodum in naturalibus non sat est euidentia illius communissimi principij: *Quodlibet est, vel non est*: sed præterea opus est, vt id principium, in cuius terminos vltimò resoluitur conclusio, per principia immediata sit per se notum: hoc enim vult Philosophus, cum demonstrationem definit eam, quæ constat primis ac veris, vel ex his, quæ per prima & vera suæ cognitionis initium sumpserunt. Hac autem prima remota, à quibus proxima, hoc est, fidei articuli vim & fidem accipiunt, continentur scientia diuina, vel beata Sanctorum.

Sylvest.

III. Ex hoc fundamento probat Capreol. suam sententiam hoc modo. Ad veram rationem scientiæ non requiritur euidentia principiorum proximorum, sed sat est euidentia primorum, cùm quibus continuantur proxima, & immediata: principia simpliciter prima à quibus pendet nostra Theologia, sunt euidentia: Ergò quamuis immediata, per quorum assensus continuatur, & coniungitur Theologia cum primis, non sint euidentia, non propterea carebit vera, ac propria ratione scientiæ. Maiorem probat auctoritate D. Thomæ super Boët. de Trinitate quæstion. 2. artic. 2. ad 7. vbi *cuiuslibet*, inquit, *scientiæ principium est intellectus semper quidem primum: sed non semper proximum: imò aliquando fides est proximum principium scientiæ*: vbi admittit sanctus Doctor semper ad rationem scientiæ requiri, vt primum principium, in quod vltimò resoluitur assensus, sit intellectus, hoc est, euidens assensus ex terminis, non tamen requiri, vt immediata principia, ex quibus constat demonstratio, sint eo modo euidentia: nam fides ineuidens est, quam tamen admittit esse posse immediatum principium scientiæ. Adducit etiam plura alia testimonia Diui Thomæ in eandem sententiam: quibus

Capreol.

S. Thom.

continetur alia eiusdem maioris probatio: nempè quia scientias subalternatas Arist. à numero scientiarum non excluſit: & tamen dixit eas sumere sua principia à subalternantibus: non sumunt autem ita, vt ea euidenter agnoscant: alioqui non posset esse perspectiuꝰ nisi Geometra, nec musicus nisi Arithmeticus, quod cõstat esse falsum: sed quoniã eas propositiones, quæ demonstrantur in subalternantibus propter quid, subalternatæ sumunt vt veras, ac demonstratas ex fide, quam habẽt superiori scientiæ, & deindè procedunt ad demonstrationes in propria materia: ex quo constat principia immediata in sciẽtijs subalternatis non euidenter agnosci, sed obscurè per fidem: quia tamen euidenter agnoscũtur à subalternante, in cuius euidentiam per fidẽ resoluũtur assensus subalternatæ, hæc verè nititur primis principijs per se notis; q enim alteri credit, nititur eius, nõ solùm veritate, sed etiam scientia. Assumptio argumenti fundamentalis ostenditur: nam ea, quæ Theologus credit, & vsurpat ad suas conclusiones deducendas, sunt per se nota Deo, cuius veritate, ac scientia nititꝰ Theologus: est enim hęc scientia quasi impressio quædã diuina & ab ipsa tanquã à principio deriuata, & in eandem rursus per modum resolutionis cõuersa: tota enim Theologię nostræ resolutio fit per assensum fidei, & p hanc in testimonium, & scientiam Dei reuelantis: cui vltimò assensus Theologicus innititur, & proindè tandem resolui dicitur in principia primæ euidentiæ.

Durand. Aquilan. Gerard. Scot. Lychet. Aureol. Gabriel

IV. Veritas & solutio quæstionis huius pendet ex solutione illius nimirum, vtrum scientiæ subalternatę sint verè, ac propriè scientiæ, quamuis principia proxima sumant ex sola fide, absq; resolutiõe ad prima. Qua in re est triplex respõdẽdi modus: prior iã recitatus, quẽ sequitur Capreol. vbi suprà, Argent. q. cit. ar. 3. Hispalens. q. cit. ar. 1. cõclusione 1. ad 3. & Sonc. cõclusione etiam 1. Secundus, Heruæi, q. 1. & 6. prolog. quodlib. 5. q. 19. ad 2. rationẽ, & quodlib. 11. q. 18. ad primum, asserentis scientiam subalternatam esse verè, ac propriè scientiam, non quidem propter quid, quandoquidem credit principia, nec eorum causas, & rationes intuetur; esse tamen scientiam, quia, quoniam procedit ex principijs per se notis, siue euidentibus, quantum ad quia est: quomodo, inquit, perspectiua scit, quia de suis principijs per sensum, Verbi gratia, quod remotiora minora videantur, & hoc modo, inquit, est vera scientia, non verò quatenus credit sua principia continentia causam propriarum conclusionum. Eandem sententiam docet Durand. quæst. 1. prologi num. 52. Aquilan. q. 3. artic. 1. & ex instituto probat Gerardus Senensis, apud Argent. artic. 3. citato. Tertius modus est Scoti in 3. d. 24. quæst. vnica §. *Ad primum pro prima*, ad secundum argumentum cum Lycheto ibidem. Aureol. quæst. 1. prologi artic. 1. dum agit contra secundùm dictum D. Thomæ, & artic. 3. ad argumenta prima obiecta, Gabrielis quæst. 7. prologi negantium scientiam subalternatam esse verè, ac propriè scientiam, nisi præcedat, ex principijs demonstratis ab eodem per scientiam subalternantem, vt si Geometra sciens à priore eas positiones, quæ tanquam principia sumuntur à perspectiuo, deindè construat demonstrationes de linea visuali, ex principijs à se demonstratis, acquiret veram scientiam; nõ acquiret autem ignarus Geometriæ, & solùm ex fide assumens principia à Geometra demonstrata; & ex ijs deducens conclusiones in propria materia: quoniam eiusmodi assensus per se pendet ex assensu fidei humanæ obscuro, & ineuidente. Alij alterutrum ex his duobus modis sufficere volunt ad scientiam subalternatam. Ita Henric. in summa artic. 7. quæst. 4. Scot. in reportatis quæst. 3. prologi: Ocham quæst. 3. principali prologi, quæ est 7. in ordine lit. q. Basiolis. q. 5. prologi art. 1. §. *Contra istam*, & art. 4. §. 1. Greg. q. 1. prologi art. 4. dum impugnat sententiam D. Thomæ.

Capreol. Argent. Hispalens. Soncinas. Heruæus.

Henrici Scot. Ocham. Basiol. Gregorius

V. Omnes verò hi Doctores, qui sequuntur secundum, vel tertium modum explicandi cognitionem principiorum in scientijs subalternatis, in hoc conueniunt, vt dicant necessariò requiri illorum euidẽtiam, nec satis esse, vt fide cognoscantur. Quam sententiam multis confirmant argumentis. Præcipuũ est huiusmodi, assensus principiorum debet esse nobilior, & certior assensu conclusionum: qui enim credit cõclusionem propter præmissos, magis assentitur præmissis, quam conclusioni, vt ait Philosophus lib. 1. Post. cap. 2. ad hoc institutum vsurpans commune illud axioma; *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, & lib. 2. post. textu vltimo, in eo quod inter habitus semper veros non sit alius præstantior scientia, quã intellectus, concludit intellectum esse habitum principiorum: qui discursus supponit non posse gigni scientiam ex habitu minùs certo, ac euidente: at scientia omnis, vt pote euidens, vt ex Arist. num. 9. constabit, est certior & nobilior quouis habitu, vel actu fidei humanæ: ergo fieri nequit, vt si præmissis assentiatur aliquis ex fide humana, habeat assẽsum

Arist.

scientifi-

Capreol.

scientificum conclusionis. Huic argumẽto Capreol. vbi suprà ad primum contra primam conclusionem, respõdet maiorem propositionem esse veram de habitu primorũ principiorum, qui est intellectus, nõ verò proximorum: hæc enim intelligi possunt per scientiam, si sumantur demonstrata ab alijs principijs prioribus, vt fieri poterit, si perspectiuus sit Geometra: vel agnosci possunt per habitum nõ scientificũ, vt si idem perspectiuus non sit Geometria, sed ex fide sumat principia Geometrica: & ita non opus est vt habitus principiorum quoad euidentiam, sint præstantiores habitu conclusionis: quamuis quoad modum assentiendi tales sint, quia principijs assentitur propter se, & independenter ab alio: conclusioni verò propter principia. Hæc responsio nullo modo soluit argumentum; Aristoteles enim, vt patet ex ratione, & principio, quod vsurpat, absolutè ac vniuersaliter voluit vt assensus principij, propter quod assentimur conclusioni, sit præstantior, quoniam propter quod vnumquodque tale, & illud magis: quæ ratio æquè militat in notitia cuiuslibet principij respectu conclusionis. Nam quamuis sola principia prima; quæ cognoscuntur ex terminis, vendicent modum essentialiter diuersum, tamen etiam illa, quæ per priora habent euidentiam comparata posterioribus, quæ ab ipsis illam accipiunt, habere debent maiorem aliquam certitudinem, & excellentiam in suo genere: etenim inter plures conclusiones, quæ ex eodem primo principio secundùm prioritatis ordinem colliguntur, eæ certiores sunt, quæ sunt primo principio viciniores, non nisi quia ex paucioribus dependent: ob quam causam Aristotel. lib. 1. Post. text. 42. scientiam priorem, ait esse certiorem.

Aristot.

VI. Deindè cur in scientia subalternãte, si quis non habeat euidentiam primi principij, sed tantum illud credat, non acquiret scientiam, si in subalternante credens sua principia scientiam acquirit? Hîc verò Capreolus pressus argumento concedit etiam acquiri sciẽtiam sed subalternatam, quoties discipulus in propria materia subalternantis, sola fide & autoritate magistri, prima principia credens progreditur ad demonstrationem conclusionis. Verùm modus hic subalternatiõis, omninò nouus, nec ab Aristot. aut vllo antiquorum traditus: omnes enim requirunt ex parte subiecti, aliquam diuersitatem inter subalternantem, & subalternatam: hic verò modus à Cepreol. inuentus, absque vlla diuersitate ex parte obiecti agnoscit rationem subalternationis. Deindè supponamus eum discipulum postcà recolendo terminos eius principij, quod sola fide credebat, assentiri illi ex terminis, & ex eo sic intellecto procedere ad assensum conclusionum, acquireret ne scientiam aliam, an confirmabit eandem? non eandem, quoniam scientia quia, & propter quid, respectu eiusdem omninò obiecti distinguuntur: non aliam, quandoquidem ex eo sequitur etiam, quando in scientia subalterna proceditur ex notitia euidente principiorum præhabita ex demonstratione subalternantis esse distinctionem specificam, ab eo habitu, vel actu qui producitur per discursum constantem ex principijs solummodò creditis, quod tamẽ negare videtur Capreol. in eadem responsione ad 1. quatenus ait principia scientiæ subalternatæ posse esse, vel euidenter nota, vt si Geometra sit perspectiuus, vel solùm credita, vt si perspectiuus careat Geometria. Denique nulla qualitas traduci potest à causa remota in effectum, quæ non contineatur saltem virtute in proxima: sed euidentia assensus scientifici procedit ab euidentia primi principij tanquam à causa remota, hoc verò nõ attingit illum immediatè per se, sed intermedio assensu principiorum immediatorum, & proximorum conclusioni, hãbentium vim ac virtutem primi: ergò vt communicare possit assensui scientifico veram rationem euidentiæ & scientiæ, necesse est vt principia proxima illam virtute contineant; non continẽt autem nisi ipsa sint euidentia: quare, si sola fide credantur, non possunt gignere scientiam. Totus discursus est euidens, sola vltima assumptio probatione indiget; ostenditur autẽ primo, quia etiam fides nititur primo principio, hoc est scientia diuina euidenter: verum quia credenti neq; est euidens, neq; euidẽter applicatur per testimonium Dei ineuidens, fides non est scientia, aut notitia euidens. Secũdo, si quis habens euidẽtiam primi principij nesciat in ipsum resoluere conclusiones proprias eius scientiæ, & idcircò credat ex fide habita alteri doctiori se, non habebit veram scientiam, cum tamen habeat euidentiam primi principij: non nisi quia nescit per intermedias propositiones applicare euidenter virtutem illius conclusioni remotæ: ergò euidẽtia primi principij in se nihil facit ad rationem scientiæ, vel euidentiæ, nisi per immediata principia transeat ad conclusionem.

VII. Hic verò Capreol. vtitur solutiõe communi

muni sumpta ex D. Thoma, nimirum posse virtutem principij primi traduci ad conclusionem, quando intermedia, & proxima principia continuantur cum primo; tum verò continuari dicuntur, quando ab ipso originem habent: omnis autem habitus, atque assensus creditiuus resoluitur in veritatem eius, cui creditur, & ita cótinuatur cum eius scientia, addit autem, in solutione ad 1. contra secundá conclusionem, necessarium esse, vt qui ex principijs creditis habet scientiam, credat euidenter contingi ea, & vt eius cognitio continuetur euidenter cognoscenti; ita vt vna cognitio sit sigillatio alterius, & eius impressio, aut effectus saltem. Quæ responsio quam vim habeat non video: nam iuxta illam non est aliud continuari vnam notitiam cum alia, quam pendere ex testimonio eius, qui habet scientiam, & conformari huic tanquam impressionem ipsius, hoc autem nō minùs cōuenit notitiæ fidei, quam habitę per syllogismum Theologicum, atque adeò si ratione huius continuationis notitia Theologica habet veram rationem sciētiæ, eandem habebit fides saltem quoad euidentiam: cur enim Theologia, quæ mediante fide continuatur cum scientia Dei, ac beatorum, habebit euidentiam, non autem fides ipsa? deindè saltem in scientijs humanis cognitio habita per solam fidem non continuatur euidenter cum scientia subalternātis: nō est enim principium vllum euidens, lumine naturæ, ex quo discipulo euidenter constet assensum suum mentalem continuari, aut conformem esse scientiæ Doctoris, cui credit: quia non est illi notum euidenter ipsum nolle decipere, aut non decipi. Respectu autem Dei, quamuis qua in aliquo casu possit interuenire eiusmodi euidentia respectu eorum, quibus euidens est reuelationem fieri sibi à Deo; in reliquis tamen non est eiusmodi euidentia: atque adeò si ad rationem scientiæ requiritur euidens continuatio scientię inferioris cum ea, cuius sigillatio est: Theologi nō habent communiter scientiam de ijs, quæ ex reuelatis probant, nam de lege ordinaria non est communiter euidēs talis reuelatio. Neque loca, quæ ex D. Thoma ibidem refert Capreol. probant dari hāc euidentiam; sed solùm intelligenda sunt de ratione credibilis, secundum quam ratione signorum, vel aliorum motiuorum viatores habere possunt euidentiam moralem: Verùm neque hæc omnibus communis est, sed ad credendum sat est prudens, ac rationabile iudicium de credibilitate obiecti absque vlla euidentia. Et idem sufficit ad assensum Theologicum ex fidei principijs eruendum.

VIII.

Dico primùm. Ad veram rationem scientiæ non satis est, vt Theologia vltimò, & remotè nitatur scientia Dei reuelantis. Hæc est communis omnium ferè Doctorum. Ita docent Altisiodorens. lib. 2. tract. 29. cap. 1. q. 1. ar. 6. q. 1. Durand. q. 1. prologi num. 49. Scot. in 3. d. 24. qu. vnica §. *Ad primum pro prima*, cum Lycheto ibidem, & in reportatis q. 3. pro lege Heruæus, Aureol. & Aquilanus vbi suprà. Ocham. qu. 3. principali prologi, quæ est septima in ordine, dum agit contra sententiam S. Thomæ. Bassolis vbi suprà. & magis ex instituto ar. 3. §. *De Theologia*, & sequentibus, Mayron. q. 14. prologi art. 1. & 2. Gulielmus Varro apud Aureolum qu. 1. art. 1. Gregor. vbi suprà, & conclusione 1. ad responsionem articuli: Marsil. q. 2. ar. 3. conclusione 7. Rubionius q. 8. prologi ar. 3. dicto 2. Toletan. q. 2. prologi art. 2. conclusione 2. & ar. 3. cōclusione 2. contra opinionem D. Thomæ. Alliacens. q. vnica art. 3. lit. ii. & ll. Gabriel. q. 7. & in 3. d. 24. q. vnica ar. 1. not. 1. Maior. q. 4. aliàs Palatius qu. 2. imò & Thomistæ plures fatentur Theologiam non esse sciētiam prout definita fuit à Philosopho, ita Sylvest. 1. parte conflati q. 1. ar. 11. §. 3. Caiet. 1. parte q. 1. ar. 2. §. *Ad euidentiam*, & sequenti, & secunda secundæ q. 1. ar. 5. §. *Ad hoc dubium*. Sot. lib. 1. Post. cap. 3. q. 2. ad confirmationem septimi argumēti principalis. Canus lib. 12. de locis cap. 2. post medium, Ioannes Viguer. institut. cap. 10. §. 1. vers. 4. & hæc est etiam mens D. Thomæ q. 14. de veritate art. 9. vbi de vera ac propria scientia loquens, *quæcunq;*, inquit, *sciuntur, propria ac certa scientia cognoscūtur per resolutionē in prima principia quæ per se præsto sunt intellectui, & sic omnis scientia in visione rei præsentis perficitur*, notanda illa verba, *cognoscuntur per resolutionem in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui*, quib. aperte excluditur modus loquendi, quo Capreolus vtitur existimans non requiri ad rationem propriæ scientię, vt prima principia sint euidētia intellectui scientis: nam si talia non sunt, profectò nō per se, sed per aliud præsto sunt intellectui. Idem colligitur ex D. Thoma, vbi proximè ad euidentiam requirente, vt intellectus fidat sibi ipsi, suoque prospectui, non verò alterius testimonio. at quoties assensus resoluitur in principia per se nota alteri, & non ipsi assentienti, iam intellectus non sibi, sed alteri credit, atque ita nec euidentiam habet, nec scientiam. Cum verò alibi Theologiam appellat scientiam, non est intelligendum de scientia secundùm

Altisiodoren. Henricus Durand. Scot. Lychet. Heruæus Aureol. Aquilan. Ocham. Bassol. Mayronius Varro Gregorius Marsil. Rubion. Toletan. Aliacens. Gabriel Maior. Palatius Sylvest. Caietan. Can. Viguer. S. Thom.

veram,

veram, ac propriam acceptionem, vt notat Syluest. Caietan. & Viguer. citati, sed secundùm aliquam similitudinem, & participationem scientiæ, vt inferius dicam.

IX. Hæc doctrina probatur eadem ratione, qua ostensum est assensum conclusionis scientiæ subalternatæ non esse scientificium, si procedat ex assensu alicuius principij, sola fide humana crediti, in hunc modum. Ad veram rationem scientiæ pertinet euidentia: hanc non habet assensus Theologicus: ergò non est propriè scientificus. Maior propositio est Aristotelis, vt constabit ex ipsius testimonijs infrà citandis, & traditur eius interpretes lib. 1. Post. cap. 2. & asseritur communiter à Doctoribus: nam præter alios, id ex professo docent Scot. q. 3. prologi in q. 4. laterali, in 3. d. 24. q vnica §. *Ad quæstionem*, & in reportatis q. 1. prologi, Ochamus q. 1. prologi annexa primæ principali, quæ est 2. in ordine artic. 2. Bassolis. q. 5. prologi artic. 2. Mayronius quæst. citata artic. 1. Petrus de Alliaco q. vnica artic. 3. lit. G G. Aquilan. q. 3. prologi art. 4. Maior. q. 4. prologi initio. Gabriel qu. 2. art. 2. assumptio verò ostenditur. Nihil est euidens ex principijs nõ euidentibus: assensus Theologicus nascitur ex principijs non euidentibus, ergò ipse non est euidens, atque adeò non habet propriè rationem scientiæ. Maior ostenditur, quotiescunq; copulãtur duo, per tertium intermedium fieri nequit, vt coniunctio eorum inter se sit euidens intellectui, quam diu non est euidens cõiunctio intermedij cum vtroq;, quãdo autem principia sunt euidentia non est euidens intellectui coniunctio medij cum extremis: ergò neq; erit euidens cõiunctio extremorum inter se; ex eo verò, quod primũ principium sit euidens alicui alteri intellectui, coniũctio medij cum extremis, non redditur euidens ei, qui credit; ergò ad rationem scientiæ, parum refert, an principium sit euidẽs alteri, an non; sed per se pendet ab euidentia eius intellectus, qui assentitur propter principia. Ex quo sequitur, quãuis reuelata, quæ nobis obscura sunt, adeò perspicuè euidẽterq; sciantur, assensus nostros Theologicos non attingere vllam partem euidentiæ, sed esse simpliciter ineuidentes, & consequenter minimè scientificos. Fundamentũ Capreoli falsũ est, vt ex dictis constat: neq; enim ad veram scientiam sat est, euidentia primi principij habita à quouis intellectu, sed requirit euidẽtia primi, & omniũ quę inter illũ, & conclusionẽ demõstrandã interiacent: hoc enim intẽdit Philosoph. lib. 1. Topicorũ c. 1. cũ demonstrationẽ definiens, eam dixit esse quãdo ex veris, & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quę per aliqua prima & vera eius quę circa ipsa est cognitionis, principiũ sumpserunt, ex quo ea p. 2. eiusdẽ lib. deducit demonstrationẽ cõstare immediatis, vt ibidẽ exponit D. Tho. lect. 4. quoniã si præmissæ immediatę non sint, aut scit illas, aut non: si nescit, etiã scire nõ poterit cõclusiones ꝑpter præmissas, si scit, cum non sit progressus in infinitũ, deueniẽdum est ad aliquod principiũ immediatũ indemonstrabile. Quo discursu supponit prę̃missam habentẽ principiũ à priore nõ posse gignere scientiã, nisi sit demonstrata. Ibidẽ quoq; docet, sine his posse q̃ dẽ esse syllogismũ, nõ tũ demonstrationẽ, q̃a eiusmodi syllogismus nõ faciet scire. Et in fine eiusdẽ capitis cõcludit magis credendũ principijs, quã cõclusiõi: deindè verò subdit. *Nõ potest aũt credere magis quæ non scit, quæ non contingit, neq; sciens, neque melius dispositus quasi cõtigerit sciens.* Ex quo patet ipsũ velle, vt principia, vel sciantur per alia à priore, vel intelligantur habitu principiorũ ab eo ipso, q̃ cõclusioni assentitur, & cõsequẽter nõ sat esse, vt primi principij euidẽs cognitio habeat ab alio, cui creditur, sed omninò requiri, vt is, qui scire dicitur, eius notitiã euidentẽ habeat; cũ verò 1. lib. Topic. ca. 1. ait sat esse, vt demõstratio cõstet ex ijs saltẽ quę ꝑ prima, & immediata fidẽ sumpserũt, nomine fidei nõ intelligit habitũ, aut actũ credẽdi ꝑpter alterius testimoniũ, sed firmũ assensum: nã li. 1. Posterior. c. 2. loquẽs de notitia tũ cõclusionis demõstratæ, tum etiã primorũ principiorũ credẽdi vocabulo vtit. Negãda est itaq; Maior argumenti, quæ falsò illo fundamento nititur: auctoritas autem D. Thomę intelligenda est de scientia latè accepta, nõ verò pressè, ac propriè, ne concedamus ipsum sibi repugnare.

S. Thom.

X. Ad alias eiusdẽ auctoritates, quib. inducit similitudinẽ Theologiæ cũ sciẽtijs subalternatis, respõdet, similitudinẽ in hoc solũ esse positã, ꝙ, sicut ad scientiã subalternatã ꝑ se nõ pertinet ꝑbare sua principia, cũ hoc excedat eius abstractionẽ, & facultatẽ, ita ad Theologũ nõ spectat principia reuelata ꝑbare, vel ex terminis agnoscere, sed tanquã vera ex testimonio veritatis primæ supponere: nõ asserit aũt sciẽtiã subalternatã esse verè, ac ꝑpriè sciẽtiã: imò q. 14. de veritate a. 9. ad 3. dicit eũ, q̃ habet scientiã subalternatã, nõ attingere verè ad rationẽ sciẽdi, nisi inquãtũ ei cognitio cõtinuet quodãmodo ad cognitionẽ habẽtis subalternãtẽ: hęc aũt cõtinuatio est per verã resolutionẽ in eadẽ principia, quo etiã modo si nostra Theologia cõtinuaret, diuina ꝑ eius intuitũ perueniret

Scot. *Ochã.* *Bassol.* *Mayronius.* *Aliacens.* *Aquilan.* *Maior.* *Gabriel* *Aristot.*

ueniret ad veræ scientię rationem: sed hoc esse nequit manente eodem habitu, qui suaptè natura ineuidens est; & inclinans ad assensum ex principijs creditis, non ex visis. Porrò Aristot. cum ait, scientias subalternatas sumere sua principia à subalternantibus, non vult, vt ex sola fide ea credant: alioquin contradiceret ijs, quæ dixerat cap. 2. lib. primo posteriorum, nimirum principia debere esse magis nota, quã conclusiones: sed simul requirit notitiam aliquam experimentalem, ex qua intellectus manuducatur ad assensum euidentem à posteriore, & effectu, quo posito procedit ad conclusiones. Quæ doctrina sumitur ex Aristot. lib. 1. Post. tex. 30. quo loco assignat discrimen inter scientiam propter quid, & quia, in diuersis scientijs, *hic enim*, inquit, *ipsum quia sensibilium est scire, sed propter quid Mathematicorũ*: nomine verò sensibilium intelligit peritos scientiarum subalternatarum, quæ addunt conditionem aliquam sensibilẽ obiecto Mathematicæ, vt perspectiua addit lineæ, quod sit visualis, Musica numero, quod sit sonorus, & sic in cæteris. Hoc autem scire quia procedit à sensu, cuius manuductione indiget subalternata quoad conditionem; quam addit subiecto subalternatis; quin verò Aristoteles solùm dixit subalternatas scire quia, subalternantes propter quid, nec vnquam asseruit principia ex sola fide credita gignere veram, ac propriam scientiam: imò oppositum, vt patet ex dictis. Quanquam igitur Theologia conclusiones suas resoluat in scientiam, ac veritatem Dei, tanquã in primum principium per se notum, tamẽ hæc resolutio non fit per pincipia proxima, atque immediata euidenter cognita à Theologo, & ideò ex tali resolutione non habet euidentiam.

XI. Ex dictis constat Theologiam ob defectum euidentiæ non esse propriè scientiam: restat modo inuestigandum, si quomodo scientiæ nomine censeri debeat, an potius ad fidem, vel opinionẽ, aut quemuis alium habitum intellectualem reduci; & quidem si considerentur proprietates omnes habituum humanorum intellectualium, quos Philosophus numerat 6. Ethic. & aliqua ex parte lib. 1. Post. & lib. item 1. Topic. cum describit varia genera syllogismorum gignentium diuersos actus & habitus, Theologia ad nullum ex ijs propriè pertinet, vt rectè notauit Durand. q. 1. prologi num. 55. quamuis enim quoad aliquid conueniat, quoad alia tamen differt. Etenim ab intellectu distinguitur, quoniam discursiua est, intellectus autem minimè, sed inclinat ad assensum ex terminis: à scientia, quoniam hęc euidens est, Theologia verò obscura, & ineuidens: ab errore, ac deceptione, quoniam sunt habitus falsi, Theologia, verus: ab opinione & fide humana, quoniam Theologia est semper vera: fides autem humana, & opinio modò vera, modò falsa. Nec est mirum Theologiam, cuius initium sumitur à diuina reuelatione, & eius principia nequeunt inuestigari, aut acquiri solo lumine naturæ, esse eiusmodi habitum, cui nullus omninò in natura similis sit: quam propterea D. Thomas voluit differre genere, à scientijs naturalibus, nõ quidem generalissimo, nam saltem cum illis conuenit in genere habitus intellectualis discursiui, sed proximo: non enim, vt ex dictis constat, conuenit cum illis in ratione generica scientiæ, quæ immediate diuiditur in scientias naturales, & hoc indicant verba D. Thomæ 1. parte q. 1. art. 1. ad 2. cum sic ait: *Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundùm genus ab ea Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur.* quare frustrà laborat Sylueст. in conflato in explicando D. Thom. in 3. d. 23. q. 1. artic. 2. q. 4. asserentem non esse scientiam eiusdem speciei, & vniuocè dictam cum alijs, cuius conclusiones non resoluuntur in principia naturaliter nota: constat enim vtrobique habere eundem sensum, quod enim 1. part. vocat differre secundùm genus, hoc in 3. sententiarum vocat non esse eiusdem speciei, nempè subalternæ, quæ simul est genus vniuocum ad omnes scientias naturales, sub quo Theologia non continetur. Qua propter frustrà laboraret, qui vellet omnes omninò scientiæ proprietates illi tribuere: in quo nonnulli Thomistæ torquentur; existimantes enim D. Thomam in ea fuisse sententia, vt crederet Theologiam esse veram scientiam, exuunt scientiam propria sua ratione, vt pateat aditus Theologiæ sub nomine scientiæ, & fingũt modum alium sciendi Philosophis incognitum.

Aristot. *Durand.* *S. Thom.* *Sylueст.*

XII. Quamuis hæc ita sint, non tamen conuenit inter auctores ad fidem nè, an ad scientiam potius reducenda sit Theologia: potius dicendam esse fidem, quam scientiam docet Altisiodorensis lib. 2. tract. 29. c. 1. q. 1. Gregorius q. 1. prologi art. 4. conclusione 4. ad responsionem articuli, Aliacensis q. vnica art. 3. lit. ll. conclusione 2. & lit. m m. consentiunt doctores, qui existimant habitum Theologiæ non distingui ab habitu fidei infusæ vel acquisitæ quos referam tract. 6. c. 2. quorum fundamenta ibidem dissoluam.

Altisiodor. *Gregorius Aliacens.*

Dico

XIII. Dico secundum. Theologia est appellanda sciētia propter maiorem similitudinem cum illa, quā cū vllo alio habitu naturali. Hęc assertio nititur auctoritate D. Augustin. lib. 14. de Trinitate c. 1. Hierony. Epist. ad Paulinum de studio diuinæ scripturę ad finem, Theologiā vocantiū scientiā: eadē est scientia D. Thomæ, eodē nomine illā censentis: nā licet neget habere verā, ac perfectā rationē scientiæ, modū tamen scientiæ imperfectum illi concedit q. vnica prolog. art. 3. quæstiuncula 2. 1. part. q. 1. art. 2. & in secundo scripto q. 1. prolog. ar. 1. Marsilius q. 2. ar. 3. cōclusione 9. Carthusian. li. 1. fidei Orthodoxę ar. 1. §. 2. Varro, Sylvest. Cai. vbi suprà; qp ex instituto benè ostēdit Canus loco proximè citato, & hoc solū voluit Ægidius 2. parte prologi q. 1. art. 2. his verbis: *Theologia, siue cognitio de diuinis sciētia dici potest, vt dicitur 13. de Trinit. c. 19.* quo loquendi modo satis indicat, non attendere se ad cōditiones sciētię in rigore Philosophorū; neq; aliter appellat scientiā quā D. Thom. eiusdē sentētiæ fuit Richard. q. 2. prolog. semper enim vocat Theologiā sciētiā cū addito in corpore enim ait esse scientiā *quoad nos aliquomodo*, & nō habere *plenè rationē sciētiæ* sicut subalternatæ naturales, & ad 4. multū participare *de perfectione scientiæ*. Suadēt aūt quoniā supernaturalia, quorū naturā ignoramus, nominam⁹ nominib. rerū ijs similimarū; qua ratione virtutes Theologicas nominib. naturaliū habituū, vel passionū, quib. similes sunt, appellamus; at inter habitus naturales null⁹ omninò est, cui similior sit Theologia, quā scientia, quare meritò potest scientia appellari. Assumptio cōstat, quoniā ab habitu principiorū differt ratione discursiua & ineuidētia, à sciētia verò sola euidentia: cæteri habitus, nēpè opiniōis, ac fidei humanæ differunt à scientia ineuidentia, & incertitudine, at Theologia sola ineuidentia, & ita magis conuenit cum scientia, quàm duo illi habitus.

XIV. At inquies: etsi Theologia magis cōueniat cū scientia, quā fides, & opinio, non tamen magis cum illa cōuenit, quā cum fide, & opinione: nam cū his cōuenit secundùm ineuidentiam, cum illa secundum certitudinē: cùm verò vna solùm esse ratio discriminis ex vtraq; parte non est maior distinctio, aut maior similitudo. Quæ solutio euincit non esse maiorē differentiā Theologiæ à fide, & opinione, quam à scientia secundùm quantitatem discretā, quoniā vno tantū distat ab hac, & ab illis: verū cū æquali differentia secundùm quantitatē discretam potest esse maior, vel minor, secundū quantitatem cōtinuam: nam color niger magis differt ab albo, quam à rubro, non quidem secundùm quantitatem discretam, eadem quippè differentia essentiali, quæ est p modum vnitatis, differt ab vtroq;: sed secundùm quantitatem continuā: quoniā secundùm quantitatem virtualem intēsiuam p priæ perfectionis essentialis magis elongatur à candore, quā à rubedine. Eodē modo quamuis secundùm quantitatē discretam æqualiter distet Theologia ab opiniōe, atque à sciētia; quia ab vtraq; vna solùm differentia distinguitur, secundùm quantitatē continuam magis conuenit cū scientia, quā cum opinione. Ratio est, quoniam scientia magis elongatur ab opinione, & alijs habitibus de reb. contingentib. certitudine, quā euidentia, & claritate: nam circa contingētia potest esse modus aliquis euidentiæ, nō tamen certitudinis apud Philosophū, qui idcircò lib. 1. Post. c. 7. & aliàs frequēter requirit ad scientiam, vt sit de necessarijs, nō autem de cōtingentibus, item c. 2. vt scienti nihil magis certū sit, quam oppositū suorū principiorum esse impossibile, scientias itē distinguit penes maiorē, vel minorem certitudinē lib. 1. de anima. tex. 1. & lib. 1. Met. c. 2. & 1. Post. c. 23. itaq; crebro ait scientiam esse de necessarijs, euidentia verò quamuis ex ipsius dictis colligat, nō tamen expresse ab eo asseritur: imò cū habitus intellectuales distinguantur penes euidentiam, & ineuidētiam, sicut etiam penes certitudinem, atq; incertitudinē, in diuisiōe quam tradit 6. Ethi. c. 3. potiùs habet rationem certitudinis, quam euidentiæ; distinguit enim habitus in semper veros, ac nō semper veros: modus autem veritatis penes mutabile, & immutabile pertinet ad certitudinem, atq; adeò certitudo est qualitas intrinseca, & magis propria scientiæ, quam euidentia: & ita D. Thom. 2. 2. q. 9. art. 1. & 2. ait nomen scientiæ importare quādam certitudinem iudicij, quare cum Theologia penes certitudinem conueniat cum scientia, imò eam superet, vt infrà ostendam, consideratis omnibus, magis cōuenit cum scientia, quam cum vllo alio habitu naturali.

Aristot.

D. Thom.

Theologia non est propriè scientia consequentiarum.

Caput VII.

¶ NOnnulli apud Aureolum q. 1. prologi art. 1. opin. 3. & apud Argentinam. q. 2. prologi art. 1. opinione 3. vidētes Theologiam ratione ineuidentiæ non esse propriè scientiam consequentium, vt probatum est, dixerunt esse scientiam, qua sciuntur

I.

Aureol. *Argent.*

Ocham. Gabriel

untur tantummodò cõsequentia. Cui sententię fauet Ocham. in prologo q. 3. principali lit. R. & Gabriel q. 7. lit. C. quatenus aiunt ex Theologiæ studio acquiri multos habitus scientiales consequentiarum propriarũ Theologiæ, qui ad Logicã non pertineant; Cuius sententiæ præcipuum fundamentum apud Argentin. est, quoniam Theologia non est habitus simpliciter adhæsiuus ex terminis, sed ex discursu; atque adeò habet modum aliquem scientiæ; non consequentium, nam horum non habet euidentiam: ergò consequentiarum. Secundò probat Ocham, quoniam scire consequentias in singulis materijs non spectat ad Logicum, sed ad singularum scientiarum peritos: ergò etiam scire consequentias Theologicas ad Theologum spectat: atque adeò cùm discursus Theologici quoad veritatem connexionum, & consecutionem sint euidentes, Theologus per eos acquiret habitus scientiales consequentiarum. Patet consequentia, quoniam scire deducere conclusionem ex principijs reuelatis est aliquid scire, Maior verò propositio ostenditur; quoniam Logica considerat formam sine materia determinata, ideò enim Aristotel. in eius explicatione vtitur terminis non significatiuis: propter quod dixit D. Thomas q. 6. de potentia art. 1. ad 11. Logicũ, & Mathematicũ considerare res secundùm principia formalia tantum: cõsiderare ergò, ac scire deducere cõsequentias in materia reuelata, non ad Logicum, sed ad Theologũ spectat: Alioquin nullus esset perfectus Logicus, qui non caleret scientias omnes humano studio comparabiles.

S. Thom.

II.

Argentin.

Hanc sententiam impugnat Argentinas primò: quia notitia cõsequętię, vt præscindit à notitia antecedentis, & consequentis, est purè Logica, & ex solis regulis Dialecticæ haberi posset, atque adeò per studium Theologicum nihil de nouo sciretur. Secundò quoniam tunc scientia Theologica nõ esset verior notitia, quàm figmentorũ: nam cùm dicitur, Chimæra est Deus, ergò est omnipotens, scitur consequentiã necessariò esse verã, nõ scitur autẽ antecedens, & cõsequens, quoniam falsa sunt. Tertio, notitia quæ haberi potest absque ope alicuius scientiæ, nõ pertinet ad eã; notitia verò cõsequentiarũ haberi potest absq; ope Theologiæ: nam per solã Logicã, remota quauis alia scientia, habetur notitia consequentiarũ: sicut. n. ignoratio solius Logicę est causa ignorationis consecutionum, vt ait Commenta. 4. Metaph. tex. 1. ita notitia sola ipsius sufficit ad discernendas omnes consequentias. Cui argumẽto respondeti potest hoc esse verum de formali cõsequentiæ secundùm se, prout abstrahit à singulari materia; non verò prout sumitur in materia determinata. Contra obijcit Argenti. non valere respõsionem, quoniam autores oppositæ sententię sumunt consequentiã formaliter, quatenꝰ præscindit à notitia certa, tã antecedẽtis, quã cõsequẽtis: & ideò parũ facit materia, cuius ratio nõ habet in assẽsu.

Commentat.

Sententia asserens Theologiã esse scientiã consequentiarũ, vel intelligitur de scięntia consequentiarum in actu signato, quasi Theologia determinet p aliqua principia de bonitate, & ineptitudine cõsequentiarũ, præscribendo normas benè disserendi, vel in actu exercito hîc, & nũc in singulari materia, iudicãdo ex vi antecedentis rectè deduci cõsequens. Rursus si loquamur de scientia cõsequẽtiarũ in actu exercito, dupliciter intelligi potest ea sentẽtia: primò q. dẽ ita vt Theologus solũ præbeat assensum de bonitate cõsequentię, nihil curans de veritate cõsequentis: vel ita vt simul iudicet cõsequens esse verũ, quia rectè deducitur ex antecedẽte vero: quod tamẽ iudiciũ, quatenus fertur in veritatẽ consequẽtis, nõ est scientia, quia ineuidens: quatenus verò in bonitatẽ consequẽtię, fortitur aliquã rationẽ scientię, quia euidens est, cõsequẽs sequi ex veritate antecedẽtis: & in hoc sensu videtur loquuti autores illi, quorũ meminit Argent. vt colligitur ex exẽplo q̃ ex ipsis adducit, aiunt. n. supposito quod in vna natura diuina sint tres personæ distĩctę, sequi earũ distĩctionẽ sumi penes relatiua, Theologũ verò scire hãc cõsequentiã esse necessariã, licet nec antecedens, nec consequens sciat. Dico exẽplum, per verbũ *scire* intelligitur scientia euidens, quã circa antecedẽs, & consequens negant Theologo, nõ tamẽ omnẽ aliã notitiã, certũ quippe est vtrũq; cognosci à Theologo. Porrò modus scẽdi, seu iudicãdi cõsequentiã in actu exercito, vel solũ habet ordinẽ ad formã, vel etiã ad materiam cõsiderando habitudinẽ necessitatis, aut cohærẽtiæ consequentis cum antecedente, ex vi cuius probatur assensus consequentiæ tanquam necessariæ, vel ꝓbabilis ratione materiæ.

III.

Dico primum. Theologia nõ est scięntia consequentiarum in actu signato. Hæc est Aureoli, & Argent. vbi suprà, Marsil q. 2. prologi ar. 2. dub. 2. & de mente D. Thom. 1. 2. q. 57. ar. 6. ad tertium & 22. q. 51. ar. 4. ad secundum, qui respectu omnium scientiarum demonstratiuarum vnam solùm vult esse Logicam, imò est sententia D. Augustini lib. 2. de doctrina Christiana c. 31. vbi sic

IV.

Aureol. Argentin. Marsil. S. Thom.

Augustin.

habet,

habet, *cum sint verae connexiones non solùm verarum, sed etiam falsarum scibilium, facilè est veritatem connexionium etiam in scholis illis discere, quae praeter ecclesiam sunt.* loquebatur aũt eo loco de vtilitate Dialecticæ, & de consecutione illa Pauli 1. ad Corinth. 15. *si mortui non resurgunt, Christus non resurrexit:* quam veram esse dicit, etiam si consequens sit falsum, & doctrinam eiusmodi consequentiarum discibilem posse ait in illis scholis, quæ præter ecclesiam sunt, hoc est in scholis Dialecticorum, etiam gentiliũ: quia scilicet ad eam scientiam non opus est vllo principio fidei, aut doctrinæ ecclesiæ, ex quib. procedit Theologia. Et meo q. dem iudicio contra propositã assertionem nec autores ab Argentina citati, nec vlli alij cẽsuerunt. Res per se patet, quoniam scientia cõsequentiarũ sumpta illo modo pertinet ad logicã, cuius est formam argumentandi præscribere ad vsum reliquarum scientiarũ, propter quod à Philosopho appellatur *instrumentum sciendi:* sicut ergò reliquæ scientiæ naturales vtuntur regulis traditis ab arte differendi; ita & Theologia: hoc idem concludunt argumenta relata ex Argẽtina.

1. ad Cor. 15.

V. Dico secundum, Theologia non habet solam scientiam consequentiarum in actu exercito, sed etiam cõsequentium. Hæc est de mente Doctorum asserentium habitum Theologicum esse discursiuum, quos retuli tract. 1. c. 9. duo continentur hac assertione; alterum est Theologiam habere notitiam consequentiarum, alterum, nõ ea sola contẽtam esse, sed etiam scire veritatem consequenti illati: Posterior pars suadetur, quoniam Theologia multa probat directè & ostensiuè, & ex fide colligit plures veritates: atq; adeò per se intendit acquirere notitiam veritatis, non solius consecutionis, sed sententiarum, quæ continentur in conclusionibus illatis. Præterea habitus discursiuus ex principijs veris non respicit solam veritatem connexionum, sed etiam conclusionum in se; Theologia est habitus discursiuus ex principijs veris, ergò non solùm attendit veritatem consequentiarum, sed etiam consequentium. Prior pars huius assertiõis intelligitur de vtroq; modo sciendi consequẽtias in actu exercito, scilicet, vel attẽdendo solùm veritatem illationis, vel simul veritatem consequentis: Et quidem hoc posterius membrum per se patet; quandoquidem omnis assensus discursiuus non fertur simpliciter, & absolutè in veritatem consequentis, sed cũ respectu, & habitudine ad antecedens, ex quo infertur: & æquipollẽter continet hoc iudiciũ: hæc cõclusio est vera, quia illę præmissę sunt verę atq; adeò cũ Theologia sit habitus discursiuus, vt patet ex dictis, necessariò, prius ei⁹ actus, ferri quoq; debet in actu exercitu sui prà bonitatẽ consequentiæ. Prius aũt ostẽditur, quoniã vt patet ex Philosopho in li. 1. Post. c. 22. scientię nõ solùm argumẽtatur ostẽsiuè, sed etiã deducẽdo ad impossibile, in quib. demõstrationib. nõ scit cõsequens illatũ, vtpotè falsũ, sed sola illatio, siue consequutio, si necessaria, ac vera sit: nã vt docet Aug. lib. 1. de doctrina Christiana c. 31. nõ solùm verarũ, sed etiã falsarum sententiarũ cõnexiones veræ sunt, atq; adeò sciri suo modo possunt. Et hoc modo argumẽtãdi vtunt crebrò Theologi aduersus hæreticos, deducẽdo eos ad aperta absurda, quæ ipsi cõcedere verentur, vt ita retractẽt errores, ex quib. illa sequũt. Qua argumẽtandi Methodo vsus est Apost. Paul. 1. ad Corint. 15. aduersus negantes resurrectionem mortuorũ, *si mortui nõ resurgunt, neq; Christus resurrexit, inanis est ergò fides vestra, inanis prædicatio nostra:* & deinceps infert alia, quæ omnia falsa sunt: quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorũ, qui hoc annunciabãt, nec fides eorũ, qui hoc credebãt. Sed ista falsa, vt loco cit. notat D. Aug. verissimè connectebantur illi sentẽtię, qua dicebaẽ non esse resurrectionẽ mortuorũ. Istis aũt falsis repudiatis, quoniã vera erãt, si mortui nõ resurgunt, cõsequens erit resurrectio mortuorũ; Itaq; notus ille discursus, vt ait idẽ Augustinus. sic breuiter cõcluditur, si non est resurrectio mortuorum neq; Christus resurrexit: Christus aũt resurrexit: ergò est resurrectio mortuorũ. Quare negandũ nõ est Theologũ, licet totũ discursum suũ dirigat ad colligẽdã sententiã aliquã verã, interdũ habere assensus quosdam veros circa solas cõnexiones, & consecutionũ veritatẽ: q. quidẽ non ad artẽ Dialecticã, sed ad Theologiã pertinent: quoniã licet Dialectica doceat ex præmissis necessarijs colligi cõsequẽs necessariũ, tamẽ in particulari nescit discernere, quæ sint principia, quę conclusiones necessariæ: sed hoc pertinet ad singulas sciẽtias in propria materia: ad quas proindè scire pertinet quid necessario sit consequens, quid antecedens, ad aliquam assertionem.

Augustinus.

1. ad Cor. 15

VI. Dico tertiũ; Theologia quoad euidentiã bonæ cõnexionis, cõuenit cũ alijs scientijs nõ solũ ratione formæ, sed etiã ratione materiæ, & sub hac consideratione habet quãdã rationẽ scientiæ. Hæc est Heruæi quod-lib. 11. q. 18. ad 2. eamq; videntur intendisse Ochamus, & Gabriel vbi suprà, itẽ Tole. q. 3. prolog. ar. 2. in prima probatione primæ conclusionis, quatenus dicit Theologiam

Heruæus Ocham. Gabriel Toletan.

habere suã propriã logicam, non enim sentiunt Theologiam esse solùm scientiã consequentiarum, cũ dicant agere de Deo tanquam de subiecto: sed volunt eam habere euidentiam consequentiarum, quibus vtitur. Verùm hæc assertio dupliciter accipi potest, primo quidẽ, ita vt Theologus per peculiares actus iudicet de veritate connexionis, & ex ijs iudicijs acquirat habitus scientificos consecutionũ: deindè verò ita vt eodẽ actu, quo iudicat consequens esse verũ in actu exercito, feratur simul in veritate connexionis; iudicãdo cõsequens esse verum ex vi præmissarũ, modo explicato. In priore sensu illam videtur accipere Gabriel, & Ocham, sed immeritò, in eo nãq; falsa est. Etenim assensus ille, qui in actu signato, & quasi extrinsecè fertur in veritatẽ consequentiæ formando hoc iudiciũ, hæc consecutio est bona: fieri potest à quocũq; Dialecticæ artis perito, & ignaro prorsus Theologiæ, etiãsi ignoret vtrũ præmissæ sint veræ nec nè: quãdoquidẽ iudiciũ illud respicit solã formã, & non materiã: ideoq;, vt docent Logici, fieri potest ex aspectu figuræ syllogisticæ antequã cõsideretur, aut iudicentur præmissæ: omnis autẽ actus, qui per se non pendet ex principijs alicuius habitus, vel scientiæ, nequaquam spectat ad illam: quare cũ iudiciũ illud feratur absq; vllo assensu veritatis reuelatæ, quę est norma principiorũ Theologiæ, nequaquã pertinebit ad Theologiam tanquã actus eius elicitus, quanquam interuenire possit aliquando tanquã cõditio ad assensum Theologicum per se cadentẽ suprà cõclusionem ipsam. Quapropter Aureol. vbi suprà existimat interuenire triplicẽ habitũ in quauis demonstratione, siue acquisitione scientiæ, nimirum habitũ principiorũ quo præmissę iudicantur veræ: habitũ Logicæ, siue innatum, siue acquisitum, quo demonstrans scit deductionem esse aptam, & necessariã: deniq; habitum scientię, quo adhæret animus conclusioni ꝓpter veritatem præmissarũ. Inter quos est longè patens discrimen maximè inter secundum, ac tertium, de quib. nunc agimus: nã secundus puram respicit formam nõ spectata materia, & ideò ad solùm Logicum spectat, cuius est cõsiderare, & iudicare aptitudinẽ formæ syllogisticæ: tertius autẽ suppositã bonitate formæ, & iudicio, vel claro intuitu eius, fertur suprà veritatẽ ipsam materialẽ consequentis per continuationẽ ad principia, & ꝓpter ipsorum veritatẽ applicatã cõsequenti per formam syllogisticã idoneã. Ex quo iam patet assertio quoad posteriorẽ sensũ, in quo est vera: etenim assensus omnis certus debet niti certis principijs, ita vt si vel vnius certitudo titubet, nõ sit vera certitudo eius assensus, qui ex tali principio pendet: Theologia verò est habitus certus, atq; adeò certis principijs nisi debet: niti aũt actus cadẽs suprà conclusionẽ ex præmissis illatã feratur in ipsam, vt euidenter deductam, non habebit omnia principia certa: ergò Theologia quoad euidẽtiam cõsequentiæ, debet conuenire cum alijs scibilibus. Assumptio patet, quia caret certitudine principiorũ formalium, qua sublata non certò cõiungitur materialibus, nõ enim aliter cõiunguntur extrema cõclusionis, quã per mediũ; quare nisi certò videatur coniunctio huius cum illis, labat certitudo, nec potest intellectus certò niti reuelatione, cui nõ per se immediatè, sed ꝑ incertã consequentiã innititur.

Ocham. *Gabriel*

Aureol.

Dictum verò est in assertione cõuenire VII.
in euidentia cõsecutionis cum alijs scibilibus, nõ solùm ratione formę, sed etiam ratione materiæ, quandoquidẽ sola ratio cõsequẽtiæ formalis non sat est, vt ratiõe ipsius habeat assensus discursiuus rationem scibilitatis: ea namq; est indifferẽs ad omne genus syllogismi, etiam pseudographi, sophistici, & dialectici, qui nulla certitudine mentẽ firmant: Ideoq;, vt benè notat Aureol. vbi suprà, dialecticus docens, atq; vtens cõstituitur eodem met habitu in quauis materia: at demõstrator vtens distinguitur à docẽte, ꝙ solũ in ꝓpria materia demonstrat, demonstrare verò in alijs ad singulas scientias spectat: quod confirmat ex D. Tho. li. 4. Met. lect. 4. asserente quoad partẽ Logicæ, quæ dicit demõstratiua, doctrinã solu pertinere ad Logicã, vsum verò ad Philosophiam, vel alias particulares scibilitas, & rationẽ reddit, *quoniã vsus demonstratiuæ consistit in vtendo principijs rerũ, de quibus sit demonstratio, quæ ad scibilitates reales pertinent*, ex quo sequitur, licet videre simpliciter illationis veritatẽ ratione formę, Dialecticus possit in quauis materia, tamen expendere vim consequentiæ materialis, & habitudinẽ, & connexionem necessariam vnius propositionis ex altera, ratiõe materiæ, nõ pertinere ad ipsum, sed ad singularũ scientiarũ peritos. Et ita Philosophus li. 1. Post. tex. 41. inter demõstrationes deducẽtes ad impossibile nõ numerat ea, quæ quomodocunq; ex antecedente falsò colligunt consequens falsum, sed eas solùm, quæ procedunt ex antecedẽte falso, cuius medius terminus habet necessariam connexionẽ cum altero extremo. Ratio est quoniã consequẽtia formalis solùm infert veritatẽ consequentis, si antecedens est verum: quando verò illi accedit vis cõsequẽtiæ materialis, qua cernitur habitudo, &

Aureol.

D. Thom.

Aristot.

connexio necessaria extremorũ cũ medio, tunc habetur vera, ac propria ratio consecutionis ad scientiam necessariæ, siue hæc notitia sit præuia assensui cõclusionis, siue, quod frequentius euenit, cùm illo identificetur, recurrendo ad principia tanquam ad causas cõclusionis. Et quamuis Theologia non semper disputet de necessarijs secundũ se, tamen, vt iam alibi explicaui, prout conclusiones reuocantur ad motiuum reuelationis, habent sufficientẽ necessitatẽ infallibilitatis ad tradendum assensum certum, & necessarium; Et quoniã vna ex conditionibus ad scientiam requisitis est necessitas, & euidentia consecutionis, nõ solũ formalis, sed etiam materialis, quod indicauit Aristot. Aristot. l. Post. c. 2. cùm in definitione scientiæ actualis non solùm dixit esse cognoscere causam, ob quam res est, sed addit *illius causam esse*, quo significatur penetrãdam à sciente habitudinem cõsecutionis effectus ex causa, sit vt ex hac parte Theologia à vera, ac propria ratione scientiæ non degeneret.

VIII. Ex dictis elucet Theologiam ratione euidentię circa connexionẽ non solùm formaliter, sed etiã materialiter, necessariam habere non nullam rationẽ scientiæ, nõ tamen hanc sufficere; quoniã hæc euidentia est secundùm quid, nec facit scire simpliciter, cohærere namq; potest cum ineuidẽtia consequentis, cuius veritas, & assensus non pendet ex sola cõnexionis veritate, sed etiã ex notitia præmissarum, quæ in Theologia obscurè cognoscuntur. Et hoc nihil amplius probat argumẽtum primũ initio adductũ. Ex eo enim, quod Theologia non habeat euidentiam consequentis, habeat autẽ consequentiæ, non sequitur ipsam esse sententiam consequentiarum in actu signato: sed solùm ferri in ipsas euidenter in actu exercito: ex quo etiam non sequitur esse scientiam consequentiarum: scientia enim est eius, quod continetur in conclusione, & in quod per se directè cadit assensus discursu genitus: id autẽ non est consecutio ipsa, in quam assensus fertur indirectè, sed enũtiabile per conclusionem significatum. Ad secundum respondetur distinguendo maiorem propositionem: nam si intelligatur in actu signato, negãda est: Logici enim est considerata forma syllogistica, in quauis materia scire eius veritatẽ, vel falsitatem: hoc enim est quod ait Comment. 4. Met. text. 8. ignorantiam Logicæ esse causam ignorantiæ consequentiarum. Et ita ex opposito, scientia ipsarum Logicæ tribuenda est: & idcirco in quouis discursu considerãda est forma, ac materia: iudicium de pura forma pertinet ad Logicam, eadem quippè scientia, quę dictat quomodo formandum sit arte factum, secundum has regulas iudicat an sit conforme arti: quod verò attinet ad materiam, iam non spectat ad Logicum sed est singularum scientiarum assumentiũ propria principia sub forma syllogistica. Ad rationẽ, qua eadem Maior ostenditur, Respondeo logicam per se non esse determinatam ad aliquam materiam: nam, cùm sit instrumentum omniũ scientiarum, nullius materiam determinatè respicit: verum hæc non obstare, quò minùs, quoad vsum, diuersis materijs applicetur, in quo non est specialis difficultas ratione formæ: nã cum eisdem semper regulis mensuretur, eadem facilitate inseruire potest alijs omnibus scientijs ad fabricandas, ac dijudicandas formas syllogisticas. Ex quo patet ad perfectũ Logicum non requiri; vt sit scientiarum omnium peritus; scire enim fabricare, ac diiudicare syllogismum in hac, vel illa materia, non habet peculiarem difficultatem, ac perfectionem propriam dialecticæ, sed est solummodò quædam materialis extensio, ac vsus ipsius, si verò eadem maior propositio intelligatur in actu exercito concedẽda est, vt constat ex dictis: ex ea tamen non sequitur Theologiam esse in actu signato scientiam consequentiarum, vt patet ex solutione primi argumẽti. Ad probationem consequentiæ respondetur, ipsum scire deducere conclusiones, esse scire Logicum, & non Theologicum, & præsupponi potiùs, quam subsequi ad studium, Theologicũq; discursum, vt perspicuũ est. Atq; adeò fieri nequit, vt sit habitus Theologicus: hic enim per discursum Theologicum acquiritur, & non supponitur ad illum, ipsum verò actu deducere, ac deductis assentiri, est proprium eius scientiæ, quæ versatur circa materiam, ex qua constat syllogismus.

IX. Argumenta Argentinatis primam assertionem confirmant, cęteras nõ impugnãt: soluenda tamen, si quo modo ijs aduersari videantur. Et primum quidem rectè probat scire, quod studio Theologiæ acquiritur, non esse de ipsis consequentijs formaliter, & in actu signato, quasi de obiecto assensus, non tamen ostendit assensum eiusmodi ex euidentia consequentiæ, suprà quam cadit indirectè, nõ habere modũ aliquem similitudinis cum alijs sciẽtijs. Secundũ supponit falsum; nempè nihil aliud scire Theologũ, quam veritatẽ cõsecutionum, nec procedere à veritate antecedẽtis ad veritatem consequentiæ, quod nec verum, nec ab autoribus quos impugnat assertũ est. Ad tertiũ argumentũ Respõdeo, nõ ita intelligẽdũ esse cõmune dictum, nempè scire cõsequẽ

tias in particulari materia pertinere ad singulos scientificos, quasi præcisum iudiciũ de bonitate illationis habeatur ex vi singularũ sciẽtiarũ, hoc. n. est fallum, vt dixi: sed quia singulæ in actu exercito suas cõclusiones iudicando, vt deductas ex præmissis, feruntur etiam indirectè, atq; implicitè in veritatem consecutionis, vi cuius conclusio coniungitur principijs, in quę vltimò reflectitur, ac resoluit cõclusionis assensus.

Theologia formaliter loquẽdo non demonstrat propter quid; materialiter constat principijs sufficientibus ad demonstrationem propter quid.

Caput VIII

I. AD veram scientiã propter quid duo potissimũ requirunt, alterũ, vt ꝓcedat ꝑ causam necessariã, alterũ vt per principia prima, & immediata, siue resolutè ad prima, & immediata: prius suppositi Arist. li. 1. poster. c. 2. *cum scire*, inquit, *est cognoscere causam, ob quã res est illius causam esse, & fieri nõ posse, vt aliter se habeat*. Secundum, cùm li. 1. Topic. c. 1. demonstrationẽ ait cõstare primis, & veris, vel ijs, quæ per prima, & vera suæ cognitiõis initiũ sumpserunt. Ex horũ defectu multipliciter fieri potest, vt ꝓpositio aliqua nõ sit demonstrabilis à priore. Primũ quidẽ si sit ꝓpositio medio vacãs, & per se nota, quia prædicatũ immediatè ꝑ se, absq; interuẽtu alterius cõiungitur subiecto: deindè si probari nõ possit ꝑ causam: tertiò si habeat causam cõtingentẽ: quartò denique; si licet re ipsa habeat causã necessariã, & per ipsã ostendatur, nõ tamẽ sumit eam resolutã vsq; ad prima principia, & immediata, qua ratiõe sciẽtiæ subaltenatę, quãuis etiã per causam procedãt auctore Arist. li. 1. post. c. 10. nõ sciunt ꝓpter q. d, quia nõ resoluunt vsq; ad prima. Longiorẽ huius rei declarationẽ vide apud Basso. q. 5. ꝓlog. a. 2

Aristot.

Aristot.

Basssol.

II. Omnes verò huiusmodi causæ, vel saltẽ aliquæ intercedunt in Theologicis discursib⁹, vt proindè excludi debeant à ratione scientię ꝓpter quid. Ratione primę Ochamus in ꝓlog. q. 1. annexa primæ principali a. 3. post lit. 2. Gabriel q. 2. ar. 3. & Mayro. in 1. d. 2. q. 2. ar. 2. existimãt prædicata propria Dei, siue realia, atq; intrinseca, siue cõnotatiua, ac negatiua nõ ostendi posse de illo, demõstratione propter quid. Quoad priorẽ partẽ ostẽdit Ochamus conclusione 1. & 2. quoniã omnis propositio demõstrabilis est dubitabilis, nulla aũt, in qua prędicatur aliquid absolutum proprium, & intrinsecũ Deo est dubitabilis, ergò neq; demonstrabilis. Assumptionẽ ostẽdit, quoniã impossibile est, vt dubitetur de veritate eorum, quæ sunt idẽ realiter, & intelligunt distinctè, siue intuitiuè, siue abstractiuè: nam illa ꝓpositio est maximè ꝑ se nota, in qua prædicatur idẽ realiter de eodẽ realiter. Secundo. Omne quod demonstratur de aliquo subiecto per priùs, prædicatur de medio, ꝑ quod demõstratur: sed nihil realiter, idem cum Deo potest prędicare priùs de aliquo, quã de diuina essẽtia: nihil enim tale est nisi persona, vel relatio, de quib. nõ prędicãtur proprietates absolutæ priùs quã de essentia. Si quis autem respõdeat, quamuis eiusmodi propositiones non possint esse dubitabiles apprehendenti distinctè terminos, posse tamen cõcipienti illos confusè, & abstractiuè. Obijcit, si diuina essẽtia cognoscatur, fieri nõ posse quin distinctè cognoscatur propter summã eius simplicitatẽ: etsi cõfusum aliquid ab ea distinctum, & de ea prædicabile nõ per se, sed per ipsam possit agnosci, iam nõ est eadem, sed alia propositio: & ita ea, in qua de ipsa diuinũ aliquid prædicatur, semper est per se nota; & ideò concludit terminos significantes diuinam essentiam, & prædicatum aliquod eius absolutũ, & essentiale non posse nõ distinctè cognosci, à quocunq; intellectu cognoscãtur: & consequenter propositionem ipsis constantem esse per se notam respectu cuiusuis intellectus, & ideò non demonstrabilem. Potest addi argumentũ ex Mayron. vbi suprà; quoniam definitio est potissimũ mediũ demõstrationis propter quid, Deus autem, vtpotè ens simplicissimum, non habet definitionem. Quo argumento cõcludi putat D. Thom. lib. 5. contra gent. ca. 25. non posse quidquam demonstrari à priore de Deo, sed solùm ab effectu. Quoad prædicata verò cõnotatiua, ac negatiua, idẽ ꝓbat Ochamus conclusione quinta: quoniã inter huiusmodi prædicata, & Deum, non interuenit vllum medium, quo demõstretur. Si quis verò Respondeat demonstrari posse per definitionem eorundem, vt si fiat hic discursus, anne productiuum de nihilo est creatiuum: Deus productiuus creaturę, de nihilo: ergò habet creandi vim, arguit eiusmodi definitiones, quid nominis nihil ad demõstrationem conducere, quoniam semper supponi debet cognitio terminorum: & ita idem est dicere creatiuũ ac productiuum de nihilo, & idcircò definitiões non inseruire demonstrationibus, & ijs adhibitis cõmitti fallaciã petitionis principij.

Ochom. Gabriel Mayronius

S. Thom.

III. Ratione secundæ causæ non habere discursus Theologicos de Deo rationẽ demõ-

stra-

Ægid. Henricus. Durand. Abulens. Aristoteles. Durand. Capreolus. Ferrarien.

ſtrationis propter quid, cenſet Ægid. in prologo ſecunda parte primę partis princ. q.1. art.2. in corpore. Henric. in ſum. ar.7.q.5. Durand.q.7.prologi, n.12.& q.18.n.7.& Abulenſ.q.62.in cap.23.Exodi: fundamẽtum eſt, quoniam perfectiones diuinę omnes conueniunt in ratione entis primi, & actus puri; atque adeò ſunt expertes cauſalitatis, ac dependentiæ paſſiuæ, quapropter fieri nequit, vt per cauſam demõſtrentur. Præterea non datur inter eas vllus ordo prioris, ac poſterioris, qui neceſſariò ſupponit diſtinctionem aliquam actualem in ijs, inter quę reperitur, at verò inter perfectiones diuinas non cadit vlla diſtinctio actualis. Denique nulla ſuapte natura eſt notior altera: at demõſtratio propter quid procedere debet ex notioribus, non ſolum quoad nos, ſed etiam natura, vt conſtat ex definitione, ac declaratione demonſtrationis tradita à Philoſopho, lib.1. Poſt.cap. 2. Fieri ergò nequit, vt perfectiones diuinæ de Deo demõſtrentur à priore. Maior propoſitio eſt manifeſta, quoniam quemadmodum in eſſendo nõ eſt ordo inter illos, ita neque in cognoſcendo: intelligibilitas enim ſequitur entitatem: & quemadmodum vnaquæque ipſarum conuenit in ratione primi entis, ita etiam in ratiõe primi intelligibilis. Ratione tertiæ cauſę, ſyllogiſmi omnes Theologici dẽ contingentibus excludi debent à ratione demonſtrationis propter quid: nam licet non præcedant per cauſam, nõ tamen procedunt per cauſam neceſſariam, & quæ non poſſit aliter ſe habere: denique ratione quartæ, negat Durand.q.1.prologi, n.49.& Capreol. q.1.ar.2.ad 6. Durand. contra ſecundam concluſionem, Theologiam demõſtrare propter quid, quandoquidem Theologia noſtra non reſoluit ſua principia in prima atque immediata.

IV. Si loquamur de vera ac propria ratione demõſtrationis propter quid, qualem Ariſtot. definiuit, dico primum, in Theologia nõ eſt propriè demõſtratio propter quid. Hæc eſt de mente omnium, qui ad veram rationem ſcientiæ requirunt euidentiam, quos retuli cap.6. & ad hunc ſenſum interpretatur Ferrar. citat. lib. contra gent. c.25. §. *Ad huius euidentiam.* dictum D. Thomæ aſſerentis non poſſe demonſtrari aliq d à priore de Deo: nam ideò ait nõ poſſe haberi demonſtrationem de Deo perfecto modo, quia nos habere non poſſumus rationem aliquam intellectus, quæ perfectè explicet quidditatem Dei: quaſi dicat, quãtis vna ratio cognita poſſit eſſe medium ad demonſtrandam aliam, quod paulò antè conceſſerat: tamen quia nos nullam perfectè euidenter agnoſcimus, non demõſtramus perfecto modo, hoc eſt notitia à priore, vltimò & euidenter reſoluta. Suadetur autem, quoniam in eiuſmodi demonſtrationibus ſaltem deſideratur vltima conditio, ſine qua vera demõſtratio propter q d eſſe nequit: etenim Theologia eodẽ lumine tenet ſua principia, ſiue illa cõſtent cauſa, ſiue effectu: neque perſpicacius, aut euidentius intelligit vna, quàm alia: namque articulus reſurrectionis Chriſti, continet cauſam reſurrectionis noſtræ, & ſi vterq; articulus, nempe, *Chriſtus reſurrexit, & homines reſurgent in nouiſſimo die*, cõſideretur, prout eſt immediatè reuelatus æqua ſubeuidentia, vel potius ineuidẽtia, fidei aſſenſum terminabit. Fides enim in reuelatis nõ conſiderat rationem cauſę vel effectus, ſed puram aſſertionis veritatem. Fundamentũ huius eſt, quoniam omnium credẽdorum, ſiue illa priora, ſiue poſteriora ſint, eſt idẽ prorſus motiuum, nempe reuelatio diuina, diuerſitas verò aſſenſuum pendet ex diuerſitate motiuorum. Cùm itaque principia omnia Theologica per ſe reuelata ſint omnia æquè nota, non poterit eſſe diuerſitas formalis demõſtrationis propter quid, & quia: nam inter has hoc differt, quod licet vtraque procedat ex notioribus: illa tamen ex notioribus natura, hæc autem ex notioribus ſenſu atque experientia: in diſcurſibus autem Theologicis, ſiue materialiter à priore, ſiue à poſteriore procedant, ſemper principia ſunt eodem modo notiora concluſione, hoc eſt infallabilitate immediatæ reuelationis. Imò hoc eſt Theologiæ particulare, vt concluſiones ſuas, antequam ex reuelatis probentur, aſſumere nequeat tanquam principia notiora quoad nos ad oſtendenda reuelata, quẽadmodum aliæ ſcientiæ, maximè Philoſophia naturalis frequenter aſſumit principia ex ſenſu, & experientia cognita abſque demonſtratione à priore, ad oſtendenda principia ſuapte natura notiora. Ratio verò eſt, quoniam in ſcientijs naturalibus eſt duplex modus notionis; alter à priore ex terminorum penetratione, alter à poſteriore ex ſenſu & experientia: & quia omne notius alio ſumptum ſub ea ratione notioris, eſt aptum gignere notionem eius, idcircò ſcientiæ naturales in diuerſo genere demonſtrationis, ijſdẽ propoſitionib. modò vtũtur vt principijs, modò vt concluſionibus. At Theologia, quia per ſe non nititur propria euidẽtia, ſed infallibilitate reuelationis, ſemper procedit à notioribus eodẽ modo: ne-

que sua principia per se ac proprie demonstrare potest, nisi fortè sint alia reuelata, ex quibus possit fieri mutua demonstratio, vt re ipsa sunt, sed tunc quamuis fortè quædam habeant rationem effectus, quædam causæ, syllogismi formaliter loquendo non sunt à priore, vel posteriore, quoniam vtraque principia sumpta sub diuina reuelatione, sunt æquè nota. Ex his patet rectè sentire Durand. & alios, qui negant Theologiæ rationem demonstrationis propter quid, formaliter loquendo. Sed restat videndum, an materialiter loquendo subsit aliqua ratio demonstrationis quia & propter quid, quod priores rationes dubitandi perstringunt.

V.

Henricus. Soncin.

Scotus. Bassol. Toletan.

Dico secundum, de Deo fieri possunt à Theologo demonstrationes materiales à priore & propter quid. Ita docent. Henr. in sum. ar. 19. quæst. 1. ad 4. Paulus Soncin. 4. Met. q. 17. Scotus q. 3. prologi, §. *Ad primum argumentum primæ quæstionis* in responsione ad 3. & quodlib. 7. conclusione prima, cum Scotistis interpretibus ibidem. Bassol. quæst. 5. prologi, ar. 2. & 3. Toletan. quæst. 2. ar. 1. & q. 3. ar. 2. conclusione 4. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem, & ad rationes principales. Ad huius probationem suppono probandum lib. 2. tractat: inter attributa diuina esse distinctionem aliquam virtualem, sub qua eademmet entitas diuina terminare potest plures conceptus non synonimos. Hoc posito ostendo assertionem: omnis propositio, vel perfectio, quæ secundùm suam præcisam rationem formalem, qua ab alijs distinguitur, præsupponit aliam, à qua virtualiter saltem distinguitur, & cum qua necessariò cohæret, per eam à priore demonstrabilis est: ita verò se habent attributa diuina: ergò demonstrari de Deo possunt à priore. Maior propositio ostenditur, quoniam propositiones affirmantes duas proprietates cum subiecto, & inter se necessariò copulatas, possunt inseruire ad contexendum syllogismum, quo altera proprietas per alteram ostendatur de eodem subiecto; hoc dato, syllogismus ille materialiter consideratus est demonstratiuus, quoniam constat præmissis, & conclusione necessarijs: si verò ea, quæ supponitur ab alia, tanquam prior subeat vicem medij, syllogismus necessariò erit à priore; ergò erit propter quid: assumptio ostenditur, quoniam attributa diuina, tametsi ex natura rei sint idem, distinguuntur tamen virtualiter, & possunt terminare plures cõceptus nõ synonimos: & secundùm rationẽ distinctionis virtualis non sunt confusæ, & absque ordine, sed alia prius, alia posterius nostro intelligendi modo conueniunt, consideramus enim immutabilitatem, vt priorem æternitate, intellectum volũtate, & sic in alijs: hæc verò omnia habere necessariam connexionẽ, perspicuum est propter identitatem in essentia, & immutabilitatem eiusdem. Itaq; si Theologus vtatur hoc syllogismo: omne ingenerabile & incorruptibile est æternum; Deus est ingenerabilis & incorruptibilis: ergò est æternus. Sanè cõficiet syllogismum procedentem materialiter à priore, & propter quid, quanuis quia si sit verè syllogismus Theologicus, præmissarum alteram credere debet ex fide; non procedat ex primis, & immediatis formaliter, hoc est euidenter agnitis.

VI.

Scotus.

Secundò probatur eadem conclusio ex Scoto quodlib. 7. concluſ. 1. syllogismus eiusmodi probat verum mediatũ de subiecto per verum immediatum, ergò suapte natura est demonstratio propter quid: antecedens ostẽditur, nam omne verum cõplexum, vel est mediatum vel immediatũ, quando verò secunda vel tertia proprietas ordine rationis prædicatur de subiecto, nõ est verum immediatũ, vt patet: quia inter illas, & substantiam est interposita prima: ergò mediatum, quod ostendi potest per verum immediatũ, scilicet vel per naturã subiecti definitiuè cognitã, vel saltem per primam passionem: hoc autem confirmat Scotus, quoniam qualis est ordo realis inter realiter distincta, talis est ordo cognoscibilitatis inter ipsa, qualitercunq; distincta secundum esse cognoscibile: sed si esset distinctio realis inter naturam, intellectũ, voluntatem, & potentiam ad operandum, ideò verè ac realiter natura haberet talem potentiam ad operandum ad ex. quia polleret eiusmodi intellectu ac volũtate: ergò quamuis re ipsa non sit hic ordo realis, erit ordo cognoscibilitatis, ita vt idcircò Deus sit verè omnipotens, quia pollet infinito intellectu ac voluntate. Hoc eodem argumẽto vtitur Tolet. vbi supra, & addit idẽtitatem prædicati ad subiectum non tollere euidentiam & veritatem propositionis, sed augere: sed hoc secundum parum confert ad institutum: quoniam aduersarij nõ negant eas propositiones esse demõstrabiles ob defectum veritatis, vel ineuidentiæ, quandoquidem cõtendunt esse per se notas: sed ob defectum medij termini, qui interiaceat inter prædicatum & subiectum, & coniungatur vtrique, priusquam illa inter se copulentur, tanquam causa coniunctionis ipsorum.

Sed

VII.

Ocham.

Sed quænam propositiones de Deo admittunt demonstrationem propter quid? Ocham. vbi supra multiplici distinctione vtitur, & quoad aliqua respondet iuxta suam sententiam iam recitatam. Breuiter tamen ad duas classes reduci possunt omnia, quæ de Deo prædicantur, alia enim sunt propria ipsi, alia communia cum creaturis. Et rursus quoduis horum diuidi potest in prædicata absolutè positiua, & connotatiua, ac negatiua. Si verò loquamur de ijs, quæ Deo cum creaturis cõmunia sunt, idem dicendum quod de creaturis: nam si de his demonstrari nequeunt, neque de Deo: si verò de his possunt, & de Deo poterunt: & patet ex eo, quod Metaphysica, quæ autore Philosopho 4. Met. cõsiderat ens, inquãtum ens, causas, & principia eiusdem, nõ minus agit de Deo, quàm de creaturis. In particulari autem docet Ocham. conclusione 3. prædicata communia essentialia non posse demõstrari: ratio est, quoniam hæc immediatè coniunguntur inferioribus: & quia Deus est primum contentum sub ente, aut sub quouis alio prædicato essentiali communi sibi, & creaturis, nõ interuenit vllus medius terminus, aut ratio, qua demonstrari ea possint de Deo. Prædicata verò connotatiua cõclusione 4. admittit posse demonstrari per naturam entis, quæ est prima ratio communis, cui illa necessariò cohærent, & idcircò per ea demonstrari possunt de quouis sub illa cõtento. Quæ duo vera sunt, nam si ens non demõstratur à priore de vlla creatura, cui immediatè conuenit, neque de Deo demonstrabitur: si passiones communes entis per primam eius passionem formalem demõstrantur de creaturis eam includentibus, multo magis de Deo demonstrari possunt. Alia duo circa propria Dei prædicata docet contraria propositæ assertioni: existimat enim nihil proprium Deo, siue absolutum, siue connotatiuum esse demonstrabile à priore. Dicendum tamen aliter, sed prius animaduertendũ est in Deo quædam prædicata significari per modum substantiæ, vt cùm dicitur ens, substantia viuens, quædam per modum proprietatũ, vt cùm dicitur sapiens, iustus &c. Rursus priora alia esse absoluta, alia respectiua. His positis dico prędicata absolutè per modum substantiæ nõ esse simpliciter demõstrabilia. Ratio est, quia omnium eorum abstractum est vnica Deitas, vt concipitur simplex forma substantialis Dei, includẽs intrinsecè omnia quæ dicuntur de illo per modum substantiæ: atque adeò est prima ratio motiua sciendi cætera, quod sumitur ex communi sententia doctorum constituentium Deitatem rationem formalem, *quæ*, Theologię, quia per ipsam fit prima demonstratio de Deo. Hæc intelligenda sunt, si essentia diuina concipiatur suo modo definitiuè distinctè cognitis, quasi gradibus substantialibus illi cum creatura intellectuali cõmunibus: nam si aliter concipiatur, nõ repugnat; vt quemadmodum prædicata superiora demonstrantur propter quid de inferioribus per intermedia, ita de Deo ostendatur vita per rationẽ gradus intellectui: sed non est consuetum in scientijs demonstrare rationes intrinsecas subiecto, sed supponere. Prædicata verò relatiua demonstrari possunt per ipsam Deitatem, ideò enim vendicat tres hypostates, quia talis natura est. Denique cætera omnia per modum proprietatis de Deo dicta demonstrari possunt per naturam, quæ est omnium radix: & ipsa inter se, saltem plurima, habent ordinem sufficientem ad demonstrationem. An verò sint aliqua quæ singula immediatè radicentur in essentia non intermedijs alijs, sciunt qui vident, nos hæc latent, sicut & infinita alia.

VIII.

Dico tertium, Theologia de contingentibus non habet veram rationem scientiæ propter quid, etiam materialiter. Ita expressè docent Aureol. q. 1. prologi, ar. 1. dum impugnat quartum dictum sententiæ sancti Thomæ. Bassol. art. 3. citat. §. primo. Gregorius q. 1. art. 4. in probatione secundæ conclusionis, & Abulens. vbi supra. fundamentum est, quoniam obiectum aptum natum terminare scientiam propter quid, habere debet necessariam connexionem cum causa, ex cuius penetratione cognosci euidenter potest: id verò nulli effectui contingenti conuenit: nam vt ait D. Thomas 1. parte, quæst. 14. ar. 13. in causa indeterminata nequit certò, nedũ euidenter agnosci effectus indeterminatus. Verumtamen quia sunt aliquæ eiusmodi causæ, quæ licet non necessariò ponantur, positæ tamen habent quendam modum necessitatis in causando, saltem ex institutione ac directione diuina, non est negandum ex ijs constari posse syllogismum, qui materialiter sit aliquo modo propter quid: exempli causa sacramentorum institutio, & vis productiua gratiæ non necessariò, sed liberè processit à Deo: modò tamen de lege semper habebunt effectum, si subiectum sit aptè dispositum: & ideò ex applicatione veri sacramenti subiecto recipienti illud cum debita dispositione, potest à priore

Aureol. *Bassol.* *Gregor.* *Abulens.* *S. Thomas.*

à priore ostendi subiectum illud gratiam recepisse. Nec desunt pleraque alia exempla circa reuelata de rebus, & actionibus humanis: de quib. possunt suo modo fieri demõstrationes à priore ex prima intẽtione finis, quæ est prima ratio volẽdi, & exequendi media.

IX. Argumenta Ochami tradunt difficultatem controuersam inter Theologos, vtrum propositiones constantes terminis diuinis sint per se notę: de qua alibi erit occasio disputandi. Nunc respondeo eiusmodi propositiones constare posse terminis secũdùm virtualem distinctionem, & propriam rationem formalẽ immediatis, vel mediatis: immediatis constaret ea, qua primæ proprietas enunciaretur de Deitate, quatenus essentia & forma substãtialis Dei est: mediatis verò ea, qua perfectio attributalis secundùm suam rationem formalem supponens alia, prędicaretur de essentia: & priores quidem sunt per se notæ, in se, nec demonstrabiles, posteriores autem secundùm proprias rationes formales virtualiter distinctas, nõ sunt per se notæ nobis, sed per priores enunciantes de Deo attributales perfectiones, nostro intelligendi modo virtute priores. Ad primum neganda est assumptio: nam quãuis videnti Deum huiusmodi propositiones nõ sint dubitabiles, possunt tamen esse ijs, qui non vident; ad eius autem confirmationem, respõdeo dupliciter aliquid intelligi distinctè, nempe vel vt contraponitur cognitioni obscuræ & ineuidenti, vel vt contraponitur cognitioni plurium per modum vnius; si priori modo intelligatur, verissimũ est fieri non posse, vt quæ sunt idem realiter, distinctè cognoscantur, & non percipiatur eorum identitas: si verò posteriori, non est verum: non repugnat enim cõcipi duas ratiões formales vt distinctas inter se, quin sciatur, vtrũ conuenlant in eandemmet realitatem, an verò differãt, Philosophi enim concipiunt rationem animę, intellectus, & voluntatis, vt distinctas, nec tamen proinde euidens illis est, an sit idem realiter, alioquin ea de re non esset vlla varietas opinionum, vt de facto est. Itaq; ex notione simplici terminorum formaliter differentium, non necessariò est euidens conuenientia, vel differentia ipsorũ penes identitatem: & propterea, si secundùm rationes formales, non immediatè copulentur propositiones, quibus inuicem prædicantur, non erunt per se notæ, & immediatæ.

X. Ad secundum formaliter loquendo neganda est assumptio: nam licet inter Deitatem, & perfectiones eius attributales nihil reale intercedat, sunt tamen aliæ atque aliæ perfectiones virtute distinctæ, quæ secundùm proprias rationes formales virtute distinctas, immediatius sibi, quàm essentiæ cohærent. Etenim nostro intelligendi modo actualis intellectio immediatiùs progreditur ab essentia diuina, vt potentiæ vitalis, quàm vt forma substantialis est. Ea verò solutio, quam Ocham. fingit & impugnat, non inseruit ad omnia, namque non videtur repugnare, vt Deus communicet alicui viatori cognitionẽ aliquam distinctam vnius attributi secundùm propriam rationẽ formalem, non manifestando simul rationes formales cæterorũ, quæ ad illud cõsequuntur, quo posito, per primum ita cognitum, cætera demonstrari possent. Verùm, quia illa solutio saltem, quoad aliquas propositiones inuenire potest, negandum est fieri non posse, vt ipsa diuina essentia cõfusè, hoc est, obscurè cognoscatur: quamuis negandum non sit, si ipsa in se cognoscatur debere intelligi, vt distinctam ab alijs rebus: sed ex hac notitia non arguitur cognitio indicatiua euidens, & immediata omniũ, quę ipsi conueniunt; etenim vt benè respondet Scot. quodlib. 7. ad secundum post tertiam conclusionẽ, ens in communi ratione est cõceptus simplex: nec tamen proinde quę necessariò de ipso enunciantur, etiam simplicia, constituunt propositiones per se notas: nam hęc, *Ens est verum*, ostendi potest per primã passionem, nempe per hoc principium, *Ens est vnum*. Eodem verò modo perfectiones attributales aliæ per alias resolui vltimò possunt in essentiam, & per eam ac intermedias de Deo demonstrari à priore. Ad argumentum Mayronij respondetur cum Ferra. loco citato, quando demonstratio non procedit per veram causam in essendo sed per rationem quandam priorẽ ratione passionis, quę propter illam inest subiecto, non requiri vt medium sit vera definitio, sed sat esse, vt sit cõceptio aliqua quidditatiua subiecti. Quod sumitur ex eodem D. Thoma lib. 5. Met. lect. 3. vbi concedit ens, & alia ad Metaphysicam pertinentia, etsi non habeant veras definitiones, habere tamen simplicem cõceptionem intellectus, quæ ratio dici potest, ex qua possunt demonstrari passiones de ente. Hoc posito, licèt Deus careat vera definitione, potest tamen apprehendi sub ratione aliqua simplici, quæ nostro intelligendi modo, sit prior alia, & medium ad illam demõstrandã. Et hoc modo, vt ait citatus Ferrar. non negauit D. Thom. fieri posse demõstrationes de

Scotus. *S. Thomas.* *Ferrariens.*

nes de Deo, sed solùm eas, quibus continetur vera causa passionis. Ego verò addo, D. Thom. locutum iuxta assensum primæ assertionis, vt ibidem notauit.

XI. Ad argumentum, quo Ocham. probat prædicata attributalia non posse demonstrari, patet ex dictis solutio. Nam inter ipsa quædam sunt immediata, quædam mediata, vt iam dixi: neque opus est recurrere ad definitionem passionum: si quis autem velit recurrere: respõdeat ad obiectionem per definitionem, quatenus est cognitio distincta subiecti, vel passionis, demonstrari posse passionem confusè cognitam de subiecto, sumpto etiam sub cognitione confusa. Neque verò argumentum à definitione continet fallaciam petitionis principij, cùm dicat Philosophus lib. 11. Met. c. 6. & doctores communiter definitionem esse medium potissimæ demõstrationis; cùm verò solũ est petitio principij, quando definitio ac definitum sunt æquè nota respondenti, qui perinde negans propositionem enuntiantem aliquid de subiecto, eo ipso negat eam, quæ ipsum prędicatum enuntiat de definitione; & proinde qui deinde assumit definitionẽ ꝓ medio, petit principiũ: at in materia, de qua loquimur, fieri potest, vt clarius sit prędicatũ cõiungi subiecto definitiuè cognito, quàm cõfusè.

Aristot.

XII. Vt respondeat argumento sumpto à ratione causæ Toletan. q. 2. prologi, ar. 1. duplicem agnoscit demonstrationem à priore, alteram, quæ procedit per causam in inferendo pariter, & in essendo; alteram quæ procedit ꝑ causam in inferẽdo, nõ in essendo: priorem indicauit Lincon. lib. 1. poster. cùm scientiam ita definiuit: *Est apprehensio scibilis immutabilis, dependentis à priore per apprehensionem causæ eius in essendo & in inferendo*: posteriorem, Arist. 4. Met. text. 1. vbi ait, Metaphysicũ considerare entis, inquãtum ens, causas, & principia: certum autem inquit est, ens, inquantum tale, non habere causas & principia in essendo, hoc enim modo etiam Deus haberet, quod est hæreticum. Hoc posito ait hunc secundum modum esse à priori, nec semper requiri ad demõstrationem causam in essendo: ex quo facilè solui possunt obiecta dicendo, tametsi diuinæ proprietates non demonstrentur per causas in essendo, posse demõstrari per causam in cognoscẽdo. Quæ doctrina nõnihil obscuritatis habet: nam per causam in cognoscendo, vel intelligitur, ꝙ conditio medij assumpti sit causa cognitionis, siue assensus præstiti conclusioni demonstratæ; vel quod obiectum ipsum significatum per medium terminum cõmunicet passioni demonstrandæ cognoscibilitatem obiectiuam, sub qua moueat intellectum ad assensum conclusionis, primum conuenit etiã medio demõstrationis, quia: nam in omni demonstratione, imò discursu etiam opinatiuo, cognitio medij est causa assensus cadentis supra conclusionẽ: quare non est satis ad rationem demonstrationis à priore. Secundum non conuenit ijs, quæ nõ habent rationem causalitatis: nam cùm cognoscibilitas sit passio entis, ab eodem habet res entitatem & cognoscibilitatem, ideoque repugnat vnum esse hoc modo causam alterius in cognoscendo, non autem in essendo. Potius ergò dicerem, nõ requiri ad demõstrationem propter quid, vt medium sit re ipsa causa in essendo, sed sat esse, vt sit ratio virtute prior in conueniendo eidem subiecto, de quo demonstranda est passio virtute posterior.

Toletan.

Linconiens.

Aristot.

XIII. Ex dictis patet solutio ad primum argumentum: quo solum concluditur perfectiones diuinas carere causa in essendo; ꝙ non tollit, quo minus sint rationes formales virtute distinctæ, & eodem modo priores ac posteriores. Secundum argumentum probat non dari in diuinis ordinem prioris secundùm rem: hic verò nõ requiritur ad demonstrationem, sed sat est, vt sit ordo virtute inter rationes formales, quẽadmodum ipsæ non actu, sed virtute distinguuntur. Eodem modo soluitur tertium dicendo dupliciter aliquid dici notius, natura, nempe actu, & virtute: actu notiora sunt, quæ actu distinguuntur, & vnum intelligi potest propria notitia distincta, non cognito altero, sicut intelligitur causa efficiens, quin eodem actu percipiatur effectus: virtute notiora sunt ea, quæ distinguũtur virtute: & quamuis cognitione adæquata terminata ad ipsa, vt sunt in re, nequeat alterum cognosci sine altero, tamen sumpta præcisè sub conceptu & ratione formali, qua distinguuntur, vnũ potest cognosci sine alio, & esse ratio cognoscendi illud. Porrò vterque modus sat est ad rationẽ principij demonstratiui, vt verè possit in actu demonstrandi esse notius altero: argumentum verò solum ostendit in diuinis non esse principia notiora priore modo, qui non est omninò necessarius, sed sat est posterior, qui competit perfectionibus diuinis. Posteriora duo argumẽta non egent solutione, quoniam verũ concludunt, vt constat ex dictis. Tertium tamen ex parte repugnat traditæ doctrinæ. Sed facilè solui potest dicendo, etiam inter ipsa contingentia reperiri aliquã necessitatem suppositionis, nõ solùm effectus in se

sed causæ: & ex hac parte posse de illis interdum fieri discursus, habentes aliquam rationem materialis demonstrationis, sed de his satis.

Theologia est sapientia.

Caput IX.

I. *Durand.* Durand.q.1.prologi,n.54.&55. sicut negat Theologiam esse scientiam, ita quoque inficiatur esse sapientiam: fundamentum est, quoniam Theologia caret euidentia, quæ est potissima ratio scientiæ, sapientiæ, & cæterarum virtutum intellectualium, quas recenser Aristot.lib.6.Ethic.c.3. & quidem si sapientiam accipiamus, vt accipit Aristot. rectè philosophatur Durand. Philosophus enim non agnoscit sapientiam, vel scientiam, aut vllâ virtutem intellectualem ineuidentem. Verùm quemadmodum ineuidentia non extrahit fidem à numero virtutum intellectualium, ita neque debet extrahere Theologiam; & quemadmodum superius concessi in illa non nullam rationem scientiæ ob firmitudinem assensus, ita si cætera adsint, censeo admittendam rationem sapientiæ, atq; ita omissa ineuidentia de cæteris sapientiæ proprietatibus agendum est. Porro vt docet Aristo.lib.1.Met.cap.2.Sapientiæ propriũ est considerare supremas causas, & secundùm illas de rebus alijs ac scientijs iudicare: ita vt ipsa sit suprema regula omnium, nulli alteri scientiæ creatæ, tãquam regula subiecta, illud quoq; proprium eius est, vt includat intellectum ac scientiam, hoc est habitum principiorum, vt docet Philosophus lib.6.Ethicor.c.7. *Aristoteles.*

II. Ex his deducitur pars negatiua primò: sub vno lumine est vnus tàtum habitus supremus, qui sit regula cæterorũ, & sapientię nomine censeatur, quemadmodum sub lumine naturali sola Metaphysica est sapientia, sed sub lumine diuino sunt alij duo habitus, qui sapientiæ nomine intelliguntur, nimirum fides ipsa, & donum Spiritus sancti, quod peculiari nomine sapientia dicitur: ergo Theologia nõ est sapientia. Secundo, sapientia est habitus excellentior, quàm scientia & intellectus, vt deducitur ex philosopho lib.11.Met.cap.1. Theologia verò non est præstantior fide, quæ est habitus primorũ principiorũ ipsius Theologiæ: ergò nõ est sapientia. Tertio, Theologia nostra regulatur fide, & ipsa non regulat scientias naturales, ergo nõ est sapientia. Consequẽtia est manifesta ex suppositis proprietate sapientiæ: antecedens quoad priorem partem certissimum est, quoniam omnis scientia regulatur per sua principia, fides autem est habitus principiorũ Theologiæ. Quoad posteriorẽ facilè ostenditur, quoniam Theologia eatenus potest regulare veritates complexas, quatenus diuina reuelatio se extendit: at in sacris literis nequaquam sunt reuelata principia scientiarum naturalium: ergo Theologia, si se contineat intra limites proprij obiecti formalis, nequit dirigere sciẽtias naturales. Quarto, scientia, vt superius ex Aristot. suppositi, est simul scientia & intellectus, hoc est habitus conclusionũ & principiorũ. Theologia verò non est habitus principiorum, quoniam illorum habitus est fides, quæ est virtus infusa, & cõsequenter Theologia solum est habitus conclusionum, & proinde non est sapientia. Deniq; sapientia auctore Philosopho, lib.1.Met.cap.2. est maximè libera, sui ipsius gratia acquiritur, & in pura veritatis contemplatione versatur: at Theologia non est scientia purè speculatiua, sed etiã practica: ergo nõ est sapientia. *Aristoteles.*

III. Communis sententia est Theologiam esse sapientiã. Ita docẽt Alens.1.parte.q.1. memb.1. Albertus in prologo summæ, & tract.1.q.1.& in 1.d.1.art.4.ad primum. S. Thom.1.parte,q.1.ar.6.q.vn.prologi, ar. 3.quæst.3. & in secundo scripto, q.2.ar.1. Bonauen.q.3.prologi. Ægid.2. parte prologi,q.1.Henric.ar.6.sum.q.2.Richard.q. 5.prologi ad 3.Heruæus quodlib.9.q.5.ar. 3.Scotus q.3.prologi.§. *Ex dictis patet.* Mayron.in 3.d.33.q.1.ar.10.Argent.q.2.prologi,ar.4.Carthusian.q.1. ad 1.& lib.1. fidei orthodoxæ,ar.2.n.1.Sylvest.1.parte conflati q.1.ar.15.Caiet.1.parte, q.1.ar.6. Ferrarien.lib.2.contra gentes, cap.4. Canus lib.12. de locis, cap.2. & Medina secunda secundæ q.57.ar.2.fundamentum est, quo vtitur D.Thom. sapientis est dirigere, ac iudicare, vt habetur 1.Met.c.2. iudicium verò de rebus & causis inferioribus habẽtur per causas superiores: atq; adeò is, qui considerat altissimã causam totius vniuersi, maximè, ac simpliciter sapiens dicetur. Theologus autem contemplatur Deũ, qui est suprema rerum omniũ causa: ergo est maximè sapiens, & theologia sapientia. Aliud fundamentum indicat D.Thom. eodem loco, & lib.2.contra gentes, c.4. nempe quia Theologia cõsiderat Deum supremam causam lumine quodam superiori diuinæ reuelationis, quod est regula & mensura luminis creati, quo nititur contemplatio sapientiæ naturalis, scilicet Metaphysicæ: & ita Theologus non solùm speculatur primam causam, quoad ea, quæ de illa Philosophi per creaturas cognouerunt, *Alensis. Albert. S. Thomas. S. Bonauent. Ægidius. Henricus. Richard. Heruæus. Scotus. Mayron. Argent. Carthus. Sylvest. Caietanus. Ferrariens. Canus. Medina. S. Thomas.*

runt, sed etiam quoad alia plura ioli Dei naturaliter nota, communicata tamen creaturæ rationali per lumen diuinæ reuelationis, ex quo emergit discrimen, quod inter Theologiam & sapientiam naturalem statuit D. Thom. loco cit. contra gentes, & fusius Ægyd. in 3. d. 1. parte 1. q. 1. art. 2. & Henric. in sum. art. 19. q. 1. ad 3. & q. 2. ad secundum: nempè quia naturalis, vtpote quæ sensuum ministerio, & opere intellectus agentis vtitur ad indagandam veritatem, prius considerat creaturas, ex quarum notitia deuenit in cognitionem Dei, qui est prima causa, secundum quam postea iudicat de rebus creatis: at verò Theologia, quæ nititur lumine diuino, primò, ac per se versatur circa cognitionem ipsius primæ causæ haustam ex reuelatione: deinde verò ex illius cognitione digreditur ad creaturas habentes attributionem ad ipsam sub eodē lumine, & mensurat veritatem reliquarum scientiarum. Hic verò obseruandum est, aliter Theologiam regulare cæteras scientias, aliter metaphysicam: nam hæc est propria, & connaturalis mensura sub lumine naturali probans, ac declarans, quando opus est, principia aliarum: & quoniam immediata singularum scientiarum mensura sunt propria principia metaphysica, quæ principia mensurat, dicitur quoque dirigere, ac mensurare scientias ipsas. Theologia verò est mensura superexcedens, & ex proprio instituto solùm mensurans: quando deficit lumen naturale, & lux primæ sapientiæ naturalis, vel saltem non percipit distinctè rationem, & causam veritatis; exempli causa, lumen naturale, nō euidenter agnoscit, vtrum accidens possit esse extra subiectum: & si Philosophus id negaret fieri posse, non haberet Metaphysica sufficientia principia, vndè eiusmodi errorem corrigeret; item si quis negaret naturam posse existere absque propria personalitate, non posset à Metaphysico ad veritatem traduci: & tamen Theologus si nō à priore ostendendo rationes, & causas, saltē ex testimonio primæ veritatis illa fieri posse demonstrat, & circa hæc, & alia corrigit errores quàm plurimos pertinentes ad Philosophiam tam moralem, quam naturalem, vt rectè notat Richard. q. cit. ad secundum.

IV. Pro solutione argumentorum explicandum prius, quænam sit ratio sapientiæ, & quodnam discrimen eius à scientia & intellectu; qua de re variè opinantur Doctores: quidam censent habitum scientiæ esse verum simpliciter. Verum in huius declaratione plurimum dissentiunt Ocha- *Ocham.* mus, quæst. 8. prologi lit. I. & K. & Ga- *Gabriel.* briel art. 3. dubio 4. existimant vnico actu posse intellectum ferri supra totū discursum demonstratiuum, & tunc habitum genitum ex huiusmodi actu esse sapientiam: qui æquiualenter est intellectus, ac scientia. Itaque de sententia ipsorum sapientia est habitus totius demonstrationis; eam verò probant auctoritate Aristo- *Aristot.* telis lib. 6. Ethicorum cap. 7. cit. & ratione, quoniam aliter sapientia non distingueretur à scientia, & intellectu: nam omnis propositio necessaria, terminans assensum euidentem, aut est conclusio, aut principium; si principium eius est intellectus; si cōclusio eius est scientia: ergo nullus actus cadens supra vnicam tantùm propositionem est sapientia: ergo erit is qui cadit supra totam demonstrationem amplectentem principia, & conclusionis: si verò obijcias hac ratione, in omni scientia reperiri posse sapientiam, quod tamen est contra Philosophum, qui solam Metaphysicam scientiam appellat. Respondent sapientiam sumi latè, ac presse solùm respectu nobilissimorum, propter quod ait Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 8. *ex dictis vtiq; manifestum, quoniam est sapientia & scientia, & intellectus nobilissimorum natura:* & hoc modo loquitur Aristotelis de sapientia lib. 1. Metaph. cum eam sapientiam vocat, sumitur autem latè pro habitu inclinante ad assensum totius demonstrationis cuiuscunque facultatis, ac scientiæ, qua ratione, inquiunt, dicimus sapientem latomum, ac sapientem statuarium, vt habetur 6. Ethicorum, cap. 7. verùm non satisfaciunt rationi: tum quia Aristot. non dixit simpliciter artifices esse sapientes: sed reddit rationem, cur homines vulgò aliquos ex ijs sapientes appellare soleant: ea verò non est, quam Nominales fingunt, quod vnico actu principia, & conclusiones intelligant: quis enim hoc in alio discernere poterit? aut quis in statuario discursum, aut assensus mentales cōsiderat? causa verò est quam Philosophus initio capitis tradia, *sapientiam autem,* inquiens, *in artibus attribuere illis solemus, qui absolutissimi in ipsis sunt,* & infra, *nihil aliud hic sapientiæ nomine, quam artis ipsius virtutem significantes.* Itaque ad perfectionē artis, nō ad modum sciendi attendunt homines, cùm artifices aliquos sapientum nomine dignantur. Denique fieri potest, vt aliquis sit Doctissimus Metaphysicus, qui tamen nunquam vnico actu totam aliquam demonstrationem iudicarit, qui de sententia Aristotelis erit sapiens,

quoniam Metaphysica sapientia est: quare ratio sapientiæ non consistit in vnica ratione actus iudicatiui de tota demonstratione: sed in eo quod sit exactissima scientia, vt ait Aristoteles eodē capite. Solutio argumenti ab eisdē propositi pendet ex resolutione difficultatis; & ideò differenda.

V. Aliter hanc sententiam vt probabilem tuetur Burid. lib. 6. Ethic. q. 12. in scientia, inquit, est assensus principiorum, qui pertinet ad intellectum; & conclusionis, qui pertinet ad scientiam. Sed hæ notitiæ non sufficiunt ad rationem sapientiæ, oportet enim, vt intersit connexio inter principia, & conclusionem; & vt non solùm hæc, & illa vera esse cognoscantur, sed etiā vt sciatur conclusionem esse veram propter veritatem principiorum: quæ omnes tres notitiæ distinguūtur: prima est intellectus, secunda scientia, tertia, quæ vtramque virtute includit, est sapientia. Sed enim hęc etiam expositio aliena est à mēte Philosophi: nam scientia nō est absolutus assensus conclusionis, sed assensus ex principijs, & propter principia, & ideò Aristoteles definiens scire, dixit *esse cognoscere causam, ob quā res est illius causam esse*: neque in scientia intercedit absolutus ille assensus cōclusionis: omnis autem assensus est propter aliquod motiuum, assensus autem scientificus non habet aliud, quā veritatē principiorum: & ita iuxta hanc interpretationē omnis scientia esset sapientia contra Philosophum.

VI. Alij sapientiam ita credunt esse vnum habitum, qui simul sit scientia, & intellectus, vt ad id nō requirant vnicum assensum totius demonstrationis, sed quemadmodum scientia, quamuis sit vnus habitus, inclinat ad assensum plurium conclusionum subordinatarum, ita vt principijs secundæ, ac tertiæ conclusionis præstetur assensus ex habitu scientiæ, quandoquidem illæ sumuntur vt demonstratæ per priores demonstrationes, sic etiam sapientia, vnus habitus cum sit, inclinat ad assensum primorum principiorum, & conclusionum, quæ ex ipsis deducuntur, non coniunctim, & vnico simul actu, vt volunt Nominales, sed singulis seorsim sumptis: atque adeò ipsum per se assensum primorū principiorum immediatè procedere ab eodē habitu, à quo elicitur assensus conclusionum deductarum, & ita sapientia est simul intellectus, & scientia, non formaliter sed eminenter. Ita docent Ægyd. in proœmio super lib. de causis, Ioannes Bachonus, q. 4. prologi, art. 5. initio. Conradus prima secundę, q. 57. art. 2. §. *Nota præterea*, & reprobabilem sequitur Buridanus vbi supra, quę opinio habet fundamentum in doctrina Aristotelis. Nam cit. lib. 6. Ethic. cap. 1. sic habet: *Constat igitur ex ijs, quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum naturæ scientiam, & intellectum*: & paulò ante dixerat eodem capite. *Sapientem igitur non solùm ea, quæ ex principijs sunt, cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet: quare sapientia erit intellectus & scientia.* Itaque nō minus ad sapientiam pertinet veritatem principiorum, quam conclusionum speculari: atque adeò per se inclinat ad vtrumque assensum, id vero fieri nequit, nisi simul sit scientia, & intellectus, non formaliter, quoniam duo habitus specie distincti concurrere nequeunt in habitum specie vnū, & ab ijs distinctum: sicut Aristoteles distinxit eodem lib. 6. Ethic. ergo virtute, atque eminenter: ita vt vnus habitus sapientiæ, specie distinctus à communi ratione habituum scientiæ, atque intellectus, eos eminenter contineat.

VII. Verùm hæc opinio etsi ex doctrina Aristotelis nonnihil probabilitatis habere videatur, re tamen ipsa, & ratione nō habet fundamentum. Vt enim rectè notat Mayron. q. cit. art. 7. nō est vlla ratio cur ad cæteras scientias requirantur duo genera habituum, alterū circa principia, alterū circa conclusiones, in Metaphysica autem sufficiat vnus tantùm habitus: nā quæ in alijs est ratio discriminis specifici, nempè diuersa ratio motiui ex terminis, ac per discursum, eadē est in Metaphysica, in qua etiam primis principijs præstatur assensus ex sola terminorum penetratione, cōclusionibus per discursum. Et quò ad modum non est vlla differentia, sed tantum quoad materiam: quia Metaphysica disputat de rebus præstantissimis, & altissimis, cęteræ vero scientiæ de rebus inferioribus ordinis: at sola dignitas obiecti non constituit distinctionem specificam penes communē modū assentiendi ex terminis, sed ex discursu: quapropter si reliquæ scientiæ supponunt habitum principiorum à se ipsis diuersum, etiā Metaphysica supponere debet: atque adeò nō continet formaliter, aut eminenter, sed solùm supponit intellectū, qui est habitus principiorū ipsius Metaphysicæ.

VIII. Alia interpretatio est Eustratij ad lib. 6. Ethic. c. 7. Burlæi ibidem, & Chrysostomi Iauelli lib. 6. Ethic. tract. 2. c. 6. & 7. asserentium sapientiam nō esse vnicum habitum, sed conflatū ex duobus, nempè ex scientia, & intellectu, & hæc voluisse Aristotelem, cùm 6. Ethic. c. 7. dixit sapientē non solùm cognoscere ea, quæ sunt ex principijs, verum etiam circa eadem veritatē di-

Aristot. *Burid.* *Ægyd.* *Bachon.* *Conrad.* *Buridan.* *Mayronius.* *Aristot.* *Eustrat.* *Burlæus.* *Iauell.* *Aristot.*

cere.

cere. Verùm cõtrà hanc interpretationem obijci potest; quoniam iuxta eam non solùm Metaphysica, sed quæuis alia scientia prout amplectitur habitus principiorũ, & conclusionum, erit sapientia, & tamẽ Aristoteles solùm Metaphysicam sapientiam appellauit. Deinde 6. lib. Ethic. sapientiam, intellectum, ac scientiam recensẽt, tanquã virtutes intellectuales distinctas, ineptum verò esset sapientiam, quæ non esset aliud, quã coniunctum quoddã ex scientia, & intellectu tamquã virtutem ab illis distinctã numerare. Huic argumẽtationi respondet Eustratius ideò cõnumerasse, quoniam sapientia est quoddã totũ constans partibus, quæ seorsim esse possunt, quia, inquit, potest esse aliquis sciens sine intellectione, hoc est sine assensu primorũ principiorũ, quãdiu veritatẽ circa illa assecutus non est, quæ solutio manifestè pugnat cum doctrina Aristot. lib. 1. poster. c. 2. demonstrationem, qua scitur, describentis Syllogismum constantem primis, & immediatis, atque adeò fieri nequit, vt sciens ignoret veritatẽ primorũ principiorum. Omissa tamen hac solutione aliter responderi potest, ideò Aristotelem solam Metaphysicam sapientiam nominasse, quoniam in reliquis scientijs sunt pauca principia, & hęc ipsa nõ alijs, sed à Metaphysica, si opus est, probãtur, ac defenduntur; imò pleraque ipsorũ possunt esse cõclusiones Metaphysicæ, at Metaphysica cõtinet prima omninò principia in nulla alia resolubilia, & ita quatenus ipsa, & supremas rerum causas, & conclusiones proprias cõtemplatur, formaliter includit habitũ principiorum, & habitũ scientiæ. Quę interpretatio est probabilis, & facilius declarat dicta Arist. qui lib. 1. Magnor. Moral. cap. 33. eam ex professo tradidisse videtur, nã cum distinxisset scientiam, ac mentem, hoc est habitũ principiorũ, subdit, *Sapientia porrò ex scientia mentęq; constituitur, est namq; sapientia circa principia, ipsa quoq; mentis particeps, atq; quatenus circa ea, quæ post principia sunt, cum demonstratione scientiæ est particeps, & perinde non dubium, quin sapientia ex mente, scientiaq; consletur.*

Aristot.

IX. Vltima sententia, quæ mihi vera videtur solùm agnoscit in sapientia formalem rationem scientiæ, ita vt cum habitus intellectualis speculatiuus semper verus diuiditur in intellectum, scientiam, ac sapientiam, sapientia nõ accipiatur tanquã aggregatũ ex intellectu, & scientia, vel tanquam tertia species includens rationẽ intellectus, & scientiæ, vel vt species omninò oppositæ scientiæ, sed sicut perfectissima species scientiæ, siue tamquã proprium cõtra communẽ. Ita docent Albert. in 1. d. 1. art. 4. ad primum. Henr. q. citata in corp. & ad primũ, Heruæus quodlib. 9. q. 5. ar. 3. Aur. q. 1. prologi art. 2. propositione 4. Abulens. super primũ paralipomenon, c. 26. q. 1. in illa verba, *Zachariæ filio, &c.* & super lib. 2. c. 1. q. 16. Ferrarien. lib. 1. cõtra gẽtes, c. 4. §. *Ad euidentiam,* & sequenti. Caiet. lib. 1. Poster. c. 10. dub. vlt. Ioannes de Ianduno, lib. 1. Met. q. vlt. §. *Ad intellectũ.* Viguer. in instit. cap. 3. §. 8. vers. 5. & videtur omninò esse de mente D. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 2. vbi postquã explicauit quid esset intellectus, explicat quid sit scientia: nempè cognitio p rationẽ habita ex principio noto ex terminis: hanc rursus diuidit in eam, quæ est per prima in aliquo genere, & eam, quę est per prima simpliciter, & resoluitur in vltimũ terminũ cognitionis humanæ, & hanc ait esse sapientiã illã scientiam. Cùm ergo diuisum fuerit scientia, vt distinguitur ab intellectu, planũ est membra diuidẽtia, quorũ alterũ est sapientia propriè, ac formaliter sub scientia cõtineri: neutrũ vero sub intellectu, à quo distinxerat scientiam, sub qua sapientiam collocat. Et in solutione ad primũ, inquit, sapientiã habere id, quod est cõmune cũ alijs scientijs, hoc est deducere cõclusiones ex principijs, & aliquid propriũ, hoc est iudicare de omnibus. Et lect. 5. in sextũ lib. Ethic. in fine expressè docet sapientiã esse scientiam, distingui tamẽ à scientia cõmuniter sumpta per eminẽtiam, quã habet inter alias scientias: est enim virtus quædam omnium scientiarũ, quærũ principia regulat. Et clarissimè eadẽ lectione circa medium his verbis, *ex hoc etiã patet, quod horum principiorum nõ potest esse sapientia, quæ est alia virtus intellectualis: quia ad sapientem pertinet, quod habeat demonstrationẽ de aliquibus rebus, id est, de primis causis entium; principia autẽ sunt indemonstrabilia, vt dictũ est:* quib⁹ supponit assensum sapientiæ propriũ nonnisi ex demonstratione haberi: atq; adeò ad sapientiam per se non pertinere assentiri primis principijs indemonstrabilibus, quod paulò post iterũ repetit: si verò sapientia formaliter, vel eminenter esset intellectus, ad eam pertineret assentiri primis principijs. Est etiã expressa sententia Arist. lib. Ethic. citato, c. 6. vbi bis repetit sapientiam nõ esse principiorũ indemonstrabilium, quod verũ nõ esset, si formaliter, vel eminenter vtrumque habitũ contineret. Ea vero sententia facilè probatur ex dictis: sapientia humana studio acquisita, de hac enim loquimur, negandũ quippe non est posse Deum infundere habitũ aliquẽ eius naturæ ac perfectionis, qui eminenter contineat habitus

Aristot. Henric. Heruæus. Aureol. Abulens. Ferrarien. Caietan. Ianduu. Viguer. S. Thom. Aristot.

scientiæ, & intellectus, qualẽ Christo infusum nónulli opinãtur: sapientia, inquã acquisita, quã Metaphysicam esse docuit Philosophus lib. 11. Met. c. 1. & 2. acquiritur per discursum à principijs, & causis, vt cæteræ scientiæ: ergo est habitus eiusdem rationis cómunis cũ ipsis. Patet cõsequentia quoniã à modo acquirẽdi, & actibꝰ habitus inuestigare, ac discernere solemus: & ideò Arist. lib. Ethic. citato c. 7. sapientiam ait esse ex actissimã omniũ scientiarũ cõparans nimirũ eã cũ illis, vt cũ rebus eiusdẽ rationis. Et alibi ait esse scientiã rerũ per altissimas causas. Deniq; sapiẽtia nõ est formaliter simul intellectus, ac scientia, vt probatũ est cõtra primã sententiam, nõ eminenter admodũ quo loquuntur auctores secundæ, ac tertiæ opinionis, & conuenit cum alijs scientijs in deductione suarũ cõclusionum, ergo propriè, ac per se est scientia eiusdem rationis cõmunis cum alijs, sed addens perfectum sciendi modum ex parte principiorum.

X. Neq; verò in hac opinione spectata solùm natura rerum vlla est difficultas, nã sicut in alijs scientijs prẽsupponuntur habitus principiorũ, tamquã fundamenta scientiarũ ab illis distincta, ita in Metaphysica supponuntur habitus principiorũ, & ex discursu per propriosactus sciendi gignitur habitus sapientiæ. Solummodò est difficultas in exponẽdo Arist. qui sapientiam cõtradiuisit intellectui, ac scientiæ, & dixit esse simul scientiã, atq; intellectũ. Vt prius dictũ explicet Caiet. loco citato Poster. vtitur quadã distinctione cõsiderãdo sapientiã, quatenus est virtus intellectualis, & quatenus est scientia: & priore nõ posteriore modo vult distingui à Philosopho lib. 6. Ethic. ab illis habitibus, quoniam in ratione virtutis aliter perficit intellectũ: cui expositioni fauet D. Thom. super Boët. de trinitate, q. 5. art. 1. ad primum, quatenus ait Arist. in lib. Ethic. agere de habitibus intellectualibus, quatenus sunt virtutes intellectuales. Verùm etsi verum sit, q; ait D. Thom. nõ video, cur si sapientia in genere scientiæ nihil peculiare habet, connumeranda sit alijs habitibus, qui nõ aliter sunt virtutes intellectus, quã perficiendo illũ ad assensum verum. Et ideò facilior, & clarior mihi videtur ratio, nimirũ sapientiam etiã in ratione scientię habere aliquid ꝓpriæ perfectionis, ratione cuius connumerari debuerit intellectui, & scientiæ tamquã membrũ solum per additionẽ adiunctum scientiæ: etenim, cùm ratio scientiæ cõstat in cognitione rerũ per causas, sapientia, quę ꝓcedit ad notitiam rerũ per primas ac supremas causas, vẽdicat peculiarẽ quãdã perfectionẽ in genere scientiæ nulli alij scientiæ cõmunem & ideò tamquã peculiare membrũ diuisionis apponitur, vt colligitur ex D. Thom. 1. 2. q. 57. a. 2. ad primũ, & super Boët. de Trinitate, q. 2. ar. 2. ad primũ, cũ ait sapientiam nõ diuidi cõtra scientiam sicut oppositum, sed tamquã habens se per additionẽ ad illã, at quę cõparantur ad alia per additionẽ, includunt ipsa, & addunt aliquid ꝓpriæ perfectionis. Neque hęc interpretatio est præter modũ loquẽdi Philosophorum, qui secundũ doctrinã Arist. dicunt esse quatuor genera viuentiũ vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, & loco motiuum, & tamen membra diuidẽtia solùm sunt opposita per additionẽ, vt patet: quia verò cęteræ scientiæ in ratione cõmuni scientiæ nihil peculiare addunt, continentur cõmuni nomine scientiæ: sapiẽtia verò, quia addit perfectissimum sciendi modũ per supremas causas, meritò ab Aristot. expresse in ea diuisione traditur. Et ita patet ex diuisione Aristotelica, habitus intellectualis speculatiui in intellectũ, scientiam, ac sapientiã non inferri ipsam debere esse habitum, omninò cõtra scientiã oppositũ, sed solùm ꝑ additionẽ. Ex quo cõstat solutio ad argumẽtũ Nominalium, negãda est quippe sequela, nimirũ sapientiã nisi æquiualenter cõtineat habitũ scientiæ, & intellectus, non posse proponi, tamquã membrũ ab alijs distinctum. Et ad cõfirmationẽ respondetur, etsi assensus cõclusionis demõstratę gigneret sciẽtiam, nõ tamẽ omnẽ eiusmodi assensum ꝓcedere ꝑ supremas causas, & ideò subdiuidi posse habitũ cõclusionũ in scientiã, ac sapientiã.

Ad aliud dictũ Arist. quatuor expositiones adducuntur ab Heruæo quodlib. 9. citato. q. 5. a. 3. prima est, sapientiã dici scientiam, & intellectũ, quia vtrumque requirit, diuersimodè tamen, ita nimirũ vt essentialiter solùm sit scientia, præsupponat tamẽ necessariò habitũ intellectus circa principia. Sed hæc expositio meritò exploditur ab Heruęo: hoc enim cõmune est omni scientiæ, ac proinde nõ est propriũ sapientiæ, cùm tamen Arist. aliquid ipsi peculiare tradere intẽdat. Secunda est, ideò sapientiam dici intellectum, quoniam ad assentiendum primis principijs non requiritur vllus habitus ab ipsa potentia intellectiua distinctus: & idcirco sapientia, quæ est habitus conclusionum, dicitur intellectus negatiuè, hoc est non supponens in potentia vllum habitum ab ea, & à se distinctum; quemadmodum supponunt aliæ scientiæ partiales, quæ supponunt habitum, qui dicitur intellectus principiorum. Verùm hæc etiam responsio meritò reijcitur ab

XI.

Caietan.

S. Thom.

S. Thom.

Heruæus.

Heruæo vbi ſupra, tũ quia nititur opinioni minus certa, quod nõ ſit proprius habitus primorũ principiorum, tũ quia, ea admiſſa, nõ eſt cur ſi ad aſſentiendum principijs Metaphyſicis nõ requiritur habitus ab intellectu diſtinctus, requiratur ad aſſenſum principiorũ in ſingulis ſcientijs; tũ denique quia ſicut habitus principiorũ ſe habent ad alias ſcientias, ita iuxta eam opinionẽ ſe debet habere potentia intellectiua ad Metaphyſicam: habitus verò aliarũ ſcientiarum nõ includuntur in ratione ipſarũ: ergo neque aptè dici poteſt ſapientiam eſſe intellectum, quia prẽter potentiam nullũ alium habitum requirit. Tertia eſt interpretatio quorundã, aientium ideò ſapientiã appellari ab Ariſtotele ſcientiam, & intellectũ, quoniam cõcluſiones ipſius cõſiderari poſſunt, vt terminant proprium eius diſcurſum, & vt aſſumuntur tamquam principia aliarũ ſcientiarũ: & priore modo conferre propriam, & intrinſecã rationẽ ſapientiæ, quæ cõſiſtit in ratione ſcientiæ: poſteriorẽ verò extrinſecam, & cõnotatiuam rationẽ intellectus: quia id, quod Metaphyſicus ex demõſtratione ſcit, Philoſ. aut Mathem. ab ipſo probatũ ſumit, vt principium. Verùm neque hæc expoſitio eſt accõmodata, namque ea ratione quẽuis ſcientia ſubalternans haberet rationem hanc ſapientiæ, quod eſt falſum, quia vnica eſt ſapientia naturalis: & Ariſt. apertè oſtẽdit principia, & cõcluſiones, circa quæ ſapientia verſatur, nõ eſſe eaſdẽ propoſitiones ſola cõnotatione, ſed reipſa diuerſas, ſic enim ait lib. 6. Ethic. c. 7. *ſapientem igitur nõ ſolùm ea, quæ ex principijs ſunt, cognoſcere, ſed etiã circa principia ipſa verũ dicere oportet*, perſpicuũ verò eſt ea, quæ ex principijs ſunt, & principia, ex quibus ſunt, nõ cõtineri eadẽ cõcluſione: quæ formaliter ſciatur, & ad habitũ ſcientiæ pertineat, extrinſecæ verò denominetur principium. *Ariſtot.*

XII. *Heruæus. Aureol. Ferrar.* His interpretationib⁹ excluſis exiſtimo cũ Heruæo citato in 3. expoſitione; Aureolo, & Ferrar. vbi ſupra, Ariſt. nihil aliud voluiſſe, quã tradere diſcrimen inter Metaphyſicam, & alias ſcientias, quoad habitudinem ad prima principia: non quidẽ in deducẽdo cõcluſiones ex ijs, hoc enim habet cũ alijs cõmune, ſed in principijs, ac tuendis illis, imò & agẽdo de illis tanquã de obiectis, quod nulli alij cõuenit ſcientiæ. Cæteræ quidẽ ſcientiæ, vt auctor eſt Ariſtoteles, ſupponunt, nec probant ſua principia: ſi quis autẽ ea petulanter neget, ad ſapientẽ pertinet ea probare: & ita ad cæteras ſcientias nõ pertinet verũ dicere circa propria principia, probando, ac tuendo illa, ſed ſolùm vt vera ſumẽdo; at ſi quis prima principia ſapientiæ neget, proprium ipſius eſt ea probare, ſi nõ à priore, quia caret medio termino, ſaltẽ à poſteriore, & deducẽdo ad impoſſibile oſtẽdendo connexionẽ terminorum, & modis alijs, & hoc eſt verũ dicere circa principia. Ad quẽ modũ D. Thom. lect. 5. in fine videtur exponere dictũ Ariſtotelis, nimirũ quod oportet ſapientẽ circa principia verũ dicere, ſic enim ait, *nõ quidẽ quod demonſtret ea, ſed in quantũ ad ſapientes pertinet notificare cõmunia, puta totũ & partem, æquale, & inæquale, & alia huiuſmodi, quibus cognitis principia demõſtrationis innoteſcunt: Vndè & ad eiuſmodi ſapientẽ pertinet diſputare cõtra negantes principia, vt patet 4. Metaphyſicæ textu 8.* Eiuſdem ſententiæ eſt Caiet. 1. 2. quæſt. 57. art. 2. vbi docet ſapientiam cõtinere ſcientiam, quatenus deducit concluſiones ex per ſe notis, intellectũ verò quatenus iudicat ipſa principia eſſe vera ex terminis, & defendit quæ intellectus tantummodò videt, & iudicat abſolutè: vbi ſapientiæ attribuit iudiciũ in actu ſignato de veritate principiorũ, intellectui vero in actu exercito. Idẽ docet Medina ibidẽ. Ad hunc etiã ſenſum explicat Albert. lib. 6. Ethic. c. 20. quatenus in hoc cõſtituit diſcrimen inter ſapientiam, ac reliquas ſcientias, quoniã hæ nihil circa ꝓpria principia diſcurrunt, ſed ijs ſumptis ad cõcluſiones procedunt: at Metaphyſica, cùm nõ habeat ſuperiorẽ ſcientiam, à qua ſumat ſua principia, ea à poſteriore venatur: & ita eius muneris eſt ſua principia quærere: quibus inuentis reflexo diſcurſu ad cõcluſiones regreditur: & ratione prioris dicit verum circa principia, & habet rationem intellectus; ratione poſterioris, circa cõcluſiones & eſt ſcientia. Intelligi quoque poteſt ex parte obiecti, vt interpretatur Heruæus citatus, quia Metaphyſica de ipſis principijs, vt de partiali ſubiecto plura oſtẽdit; ita vt inter obiecta, de quib⁹ ſapientia agit, & paſſiones aliquas oſtẽdit, ſint principia, tam cõplexa, quã incomplexa: vndè & Philoſophus lib. 11. Metaph. initio cõcludit ſapientiã eſſe ſcientiã quandã circa principia: & ideò magna eius lib. parte inueſtigat quænã ſint principia, circa quæ ſapientia verſatur: vbi præcipuè agitur de cauſis, & de principijs rerum incõplexis, ſed de his fuſius, quã pro meo inſtituto differui, quia tota difficultas in hac re cõſiſtit in verbis Ariſtot. quæ Theologi quoque ipſi interpretari conantur. *S. Thom.* *Caietan.* *Medina.* *Albert.*

XIII. Ex his omnib⁹ hanc eruo aſſertionẽ, ſapientia nõ eſt habitus, quo ex terminis aſſentimur principijs, hic enim præciſè eſt habitus principiorũ: ſed quo præbetur per ſe aſſenſus cõcluſionib⁹ per primas, ac ſupre-

mas causas, & probãtur principia inferiorũ scientiarum: itemque propria declarãtur, defenduntur, & cõtra proteruos ostẽduntur, quæ omnia munia cõueniunt Theologiæ, quæ suamet principia declarat, ac tuetur, & nonnumquã alia ex alijs ostendit, & scientiarũ naturaliũ errores corrigit, si qua in re à superiore veritatis regula declinẽt.

XIV. Ad primum argumentum initio propositum respondeo, ideò sub lumine naturali intellectus esse vnicam tantùm sapientiam, quoniam est vnus tantũ modus sciendi per supremas causas: at sub lumine diuino datur triplex modus, vnus ex immediata reuelatione, quo continetur fides, alter per modum inclinationis ex motione Spiritus sancti, & hic pertinet ad sapientiam, quę est donũ Spiritus sancti, vt explicat D. Thom. prima parte, q. 1. art. 6. ad 3. & in 2. scripto art. cit. ad secundum: Denique per modũ cognitionis, & hic est proprius Theologiæ vt docet ibidẽ D. Thomas. Ad secundũ respondeo, Philosophum ibi loqui de habitu naturali intellectus, quo sapientia dicitur perfectior per modũ inclusionis, quoniam illũ quodãmodo includit, & præterea addit scientiam: at in sapientia Theologica, cùm sit acquisita, non requiritur, vt sit perfectior fide, quæ est habitus infusus: quamuis etiam quoad modum sciendi nõ incongruè dici posset habere aliquam perfectionem, qua fides caret: tũ quia ad plura se extendit, quã fides, tũ quia fides non est argumentatiua, sed solùm adhæsiua, at Theologia est argumentatiua; & nõ solùm conclusiones ipsas, sed etiã ipsa fidei principia declarat, probat, ac tuetur: quomodo sapientia naturalis se gerit erga sua priora principia. Tertij solutio patet ex dictis, iam enim explicatũ est quomodo Theologia sit regula scientiarum naturalium: ex eo vero quod reguletur ex fide, nõ tollitur ratio sapientiæ: nam etiam Metaphysica, quatenus scientia, regulatur suis principijs, nec proinde desinit esse sapientia. Ad quartum responderi potest iuxta varios modos explicandi Aristotelem, qui cum auctorib⁹ primæ opinionis dixerit sapientiã vtrumque habitum formaliter includere, dicet etiam Theologiam per se solam non esse sapientiam, sed vt est cõiuncta cũ fide. Qui verò existimauerit cum D. Thoma, & alijs sapientiam intellectum dici, nõ quia ad eam spectet assentiri ex sola penetratione terminorũ: sed quia versatur circa ipsa principia declarãda, probãda ac tuenda; respondebit Theologiam, etsi formaliter non includat habitũ fidei, quo adhęremus reuelatis: versari tamen, circa eadem reuelata explicanda, tuenda & suo modo probãda. Pro vltimi argumenti declaratione, quæstionẽ integrã texuit Heruæus vbi supra: sed breuiter respõdeo, ideò Philosophum sapientiam in sola veritatis cõtemplatione sitam existimasse, quia solam sapientiam naturalem agnoscit, quæ nõnisi speculatiua est: at Theologia reuelata vtramque rationem, speculatiuam scilicet & practicam comprehendit: & secundum vtramque habet suo modo rationẽ sapientiæ; quoniam de ipsa quoque praxi non agit nisi per supremam causam scilicet per regulas diuinas, & per attributionem ad Deum, vt rectè explicat Heruæus vbi supra.

S. Thom.

Heruæus.

Theologia sua principia tuetur, soluendo contraria argumenta euidenter quidem ratione formæ: ratione vero materiæ in actu signato euidens est solubilia esse omnia, quæ fiunt contra reuelata à Deo, non autem quæ fiunt contra singulas veritates in se.

Caput X.

CApite superiori dictũ est Theologiã esse sapientiã, ac proinde ad illã pertinere arguere cõtra negantes sua principia, eaque ab impugnantibus defendere: modò supereſt examinãdũ, quantũ hęc Theologi facultas extendatur. Et quidem, quod attinet ad modũ probãdi sua principia, tractatu 1. c. 9. dictum est. Quod verò attinet ad modũ tuendi illa respondẽdo argumentis, aduertendũ est ad tuendã veritatẽ respondendo nõ requiri habitũ distinctum ab eo, quo eadẽ veritas ostẽditur arguendo: nam quemadmodũ ex ijsdẽ præceptis artis Dialecticæ & instruitur mens ad rectè argumentandum & respondendũ, quia eędẽ leges, ac normæ argumentandi, vtpote mensuræ discursus mentalis, & vsui sunt vt teneatur recta differendi forma, & vt notetur defectus in argumentatione aduersarij: ita etiã principia materialia, quæ assumuntur ad inferendam conclusionẽ, inseruiunt ad respuenda principia opposita negando illis assensum, qui enim firmiter assentitur illi principio, *Natura est principium motus*, & ex illo colligit elementa, quæ natura constat esse subiecta motui, ex talibus assensibus scit discernere falsitatem oppositorum principiorum, quæ adducuntur ad oppositam conclusionem astruendam. Notandum quoque cum Caiet. 1. parte, art. 8. §. *circa tertiam*, ad tuendam veritatẽ respondendo non opus esse, vt solutio approbe-

I.

Caietan.

tur

tur ab aduersario argumentante, sed satis esse si respondens ex ijs, quæ admittit, non cogatur in bona consequentia fateri oppositum eius, quod defendit: quamdiu enim negatione eorum, quæ falsò assumuntur, susceptã veritatem defendit, egregiè fungitur officio respondentis, q̃uis aduersarius existimet illũ falsò negare, dũmodo tamen illum ex concessis non conuincat.

Hoc posito facilè explicatur ad quem habitum pertineat tueri mysteria fidei respondendo: nam si is, qui respondet, tueatur sola negatione captionũ, & mediorum, quæ adducuntur, quia videt ea repugnare fidei, proximè pertinet ad habitũ fidei, vt ait Duran. q. 1. prolog. n. 42. Caiet. ad art. 8. §. *Circa tertiam*: quiuis enim Christianus hoc modo respondere posset; si verò reddendo rationẽ negationis sumptã, vel fundatã in reuelatione, talis respõsio pertinet ad habitũ Theologicũ, nam sicut ad hunc spectat ex reuelatis probare nõ reuelata, & interdũ ipsa quoque reuelata aduersus negãtes: ita quoq; ad ipsũ pertinet dijudicare falsitatẽ rationũ, quæ veritati reuelatæ opponuntur, & discernere fallaciã syllogismi erronei inducti ad oppugnandã fidẽ. Si vero in respondendo habet respectũ ad rationes naturales euidentes, & ex ijs mouetur ad negãda principia, q̃ assumũtur ab aduersario, eiusmodi respõsio procedit ab habitu eius sciẽtię, cuius principia respicit is, qui respõdet. Deniq; si mouetur ex rationibus probabilib. ijsq̃ue in respondendo vtitur, respõsio procedit ex opinione nata, & corroborata ijsdem medijs. Hæc omnia constant ex suppositione p̃missa; nempe quod responsio discursiua ad eundem habitum pertinet, ad quem spectat discursus probatiuus conclusionis, q̃ impugnatur: sed discursus ostensiuus veritatis reuelatæ, si procedat ex alijs principijs reuelatis, pertinet ad habitũ Theologicum: si ex necessarijs, & euidentibus, ad sciẽtiam aliquam naturalem: si ex probabilibus ad opinionem: ergo etiam responsio, q̃ nititur ijsdem motiuis, ad eosdem habitus pertinebit.

III. Sed contra hanc doctrinã videtur esse D. Tho. 1. par. q. 1. art. 8. cum enim asserat Theologum non posse disputare contra negantem omnia sua principia, posse tamen resoluere rationes ipsorum, supponit non procedere ex eodem habitu probationem & defensionẽ principiorũ Theologiæ. Verũ ex eo, quod suprà dictum est, nempe ad tuendam aliq̃ sententiã nõ opus esse, vt persuadeatur aduersario, sed satis esse vt is, qui defendit, nõ cõuincatur, facilè colligitur Theologum aduersus negantes omnem auctoritatem reuelatam posse vtendo proprio habitu, & ex proprijs principijs respondendo tueri ea quoque mysteria fidei, quæ ijsdem probare nequit Theologicè disserendo. Etenim ad ea tuenda sat est, vt respiciens normam fidei & principia reuelata, & eorum, quæ obijciuntur consequentiam, congruentiam, ac repugnantiã cũ reuelatis ea, q̃ cohærent & cõsequuntur admittat, ea vero neget, quæ repugnant aut consequentia non sunt, siue suam sententiã aduersario probet, siue non. Hoc autem pertinere ad Theologum per se patet, quandoquidẽ ad nullũ aliũ habitũ q̃ ad Theologicũ, spectat discernere, quid principijs fidei repugnãs, quid cõsequẽs ad illa sit. Vt verò eadẽ positiuè ostẽdat, construere debet argumẽtationẽ ex principijs p̃prijs, nẽpe reuelatis, q̃ quia nõ admittũtur ab eo, qui negat oẽm scripturã reuelatã non restat modus ea illi positiuè probãdi.

IV. Est tamen difficultas, an possint solui rationes oẽs nõ admittentium vlla principia Theologica: qui enim satisfacit respõdendo alterius argumento, hoc ipso ostendit non habere vim, ita vt arguens videat se non concludere: hoc autem fieri nequit in mysterijs fidei supranaturalibus, si arguens non recipiat vllã autoritatem reuelatam: siquidẽ nulla ratio, aut principium naturale est sufficiens, vt intellect' acquiescat circa mysteria reuelata: nam si esset Theologus, euidenter solueret argumenta contra fidem, quod est falsum. Respõdeo, eum, qui contra arguit, dupliciter aduertere posse suum argumentum non concludere, nempe aut simpliciter, aut ad hominem: tunc simpliciter agnoscit argumentum non conuincere, quando intelligit esse defectum aliquẽ in materia, vel forma, quia est inepta forma cõsequentiæ, vel aliqua ex p̃missis falsa: tunc ad hominẽ, quando etsi putet argumentũ suũ constare bona forma & materia probatiua, nihilominus videt se non posse conuincere aduersarium negantem principia, quibus ipse vtitur. Hoc posito distinguenda est maior propositio, si enim significet eum, cuius argumento verè satisfit, semper agnoscere se non concludere simpliciter, neganda est: si iure ad hominem, concedenda: in hoc autem sensu assumptio est falsa: frequenter enim vsu venit, vt qui putat se euidenter concludere, nihilominus videat se nihil ad hominem concludere. Ad probationem assumptionis respondeo non procedere in sensu quo negata est. Solùm enim probat fieri non posse, vt is, qui aduersus fidẽ argumentatur, euidenter

agnoscat le concludere simpliciter, quod non est necessarium, sed sat est, vt agnoscat, se nihil concludere ad hominem.

V. Ex hac responsione restat vna difficultas, namque ad veram & idoneam solutionem obiectionũ, non sat est illis respondere, ita vt argumentans videat se ad hominem nihil concludere, quoniam negat ea, ex quibus colligi potest oppositum conclusionis, quam defendit. Responsio enim, quæ sola negatione fit, non satisfacit aduersario, & auditoribus, qui disputationi interſunt; eo namque pacto etiam hæreticus, aut pagãus potest respondere, ita vt non conuincatur, si nempe nihil admittat contrarium errori quem tuetur: qui respondendi modus non est aptus, nisi nitatur aliqua verisimilitudine, ratione cuius auditores non reputent respondentem hominem peruicacẽm, & absurdę sententiæ patronum. Nam si ille sola negatione seruetur, omnino reddens rationem eorum, quæ tueatur, aut cur obiecta neget, cùm pleraque possint esse ex genere eorum, quæ in creaturis euidenter vera sunt, ex sibi labitur, quare, vt ea responsio non reputetur absurda, adhibenda est aliqua ratio, cur hoc, ad illud ab aduersario oppositum negetur; atque adeò cum ex proprijs Theologiæ adduci nequeat vlla ratio, cur obiecta pernegentur, non poterit Theologus ex proprijs principijs verisimiliter respondere ad argumenta contra principia fidei.

VI. Hæc dubitatio exigit, vt explicem qua verisimilitudine Theologus possit tueri principia fidei ex proprio habitu, vel etiam ex principijs extraneis, vtendo ministerio habituum naturalium. Pro qua re supponendum inprimis est, argumenta solui, vel ob ineptitudinem formæ, vel ob falsitatem materiæ in promissis assumptæ: deinde verò responsionem, vel considerari posse absolutè, ac simpliciter in se, vel in ordine ad aliquẽ, vel aliquas determinatè, ita vt sit bona, & verisimilis in se ipsa, vel ad hominẽ, qui disputat, vel audit. Deniq; argumenta solui, vel solùm negatiuè, hoc est pcisè negando vera esse, quæ assumuntur ad probationẽ, aut esse aptam formam discursus: vel positiuè, hoc est reddendo rationem, propter q̃ hęc negentur. Ex quo etiam patet verisimilitudinem, vel euidentiam responsionis dupliciter se habere; quædam enim argumenta solui possunt euidenter negatiuè, quædam vero positiuè: negatiuè dicuntur euidenter solui, quando apparet euidenter respondentẽ negando solũ ea, q̃ objiciuntur, vel etiã reddẽdo rationẽ non euidentẽ minimè cõuincipositiuè autẽ, quando redditur ratio euidens, cur hæc, vel illa præmissa, vel consequẽtia negetur. Et quidẽ quod attinet ad responsionem per cõsequentiæ negationẽ, nõ est dubium posse Theologum in materia fidei, nõ minus q̃ Philosophũ naturalẽ circa corp⁹ mobile, euidẽter soluere argumenta cõtraria, vt docet Heruæus q. 1. prologi ad 3. princ. Durand. q. 1. prolog. n. 42. & Bassol. q. 5. art. 4. §. *Ad primam.* Ratio est, quoniã defectus formæ syllogisticæ in quauis materia euidẽter agnosci, & ostendi potest: nã si hæreticus aduersus mysteriũ sanctiss. Trin. cõficiat syllogismũ in secunda figura ex duab⁹ affirmatiuis, euidenter repelletur argumentatio dicendo nõ valere cõsequẽtiam, quoniã ex duabus affirmatiuis in secunda figura nihil vi formæ colligitur. Interdum tamen negatio cõsequentiæ non est euidens, nempe quando fit syllogismus expositorius in ea forma, quæ in terminis naturalib. rectè cõcludit, non tamen in diuinis: quod ex solo naturali lumine intellectus non cõstat, atq; adeò nõ est euidens sed ineuidens, syllogismũ sub ea forma in terminis diuinis non concludere, vt benè notat Ochamus in prologo q. 3. principaliter. R. ad primum argumentum secundæ opinionis, Bassol. vbi supra, Scot. in reportatis, q. 3. prologi, ad secundam rationem tertiæ opinionis. *Heruæus. Durand. Bassol. Ochamus. Bassol. Scotus.*

VII. Quod verò attinet ad responsionem, q̃ adhibetur negãdo principia assumpta, Cumel. 1. par. q. 1. art. 8. q. 1. dicto 3. & q. 4. dubio vltimo existimat euidens esse argumenta omnia contra fidẽ esse solubilia, & posse solui euidenter à perito Theologo. Probatur, quoniam, vt ait D. Thomas citato art. 8. in fine, *cum fides infallibili veritate innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes; sed solubilia argumenta*, quod autem manifestum est, euidenter ostendi potest, atque adeò si manifestum est argumẽta contra fidem inducta esse solubilia, poterunt euidenter solui. Quod autem detur euidentia solubilitatis probari potest, quoniam, vt docent Theologi in materia de fide, datur euidentia credibilitatis, mysteriorum fidei; ergo etiam datur euidentia solubilitatis contrariarum rationum. Patet cõsequentia: nam sicut euidentia credibilitatis, non tollit ineuidentiam assensus fidei immediatè cadẽris supra obiectũ reuelatũ, ita euidẽtia solubilitatis argumẽtorũ nõ arguit ea, q̃ opponũtur fidei, esse Theologo euidẽter falsa, sed euidẽter solubilia. *Cumel.*

Circa

VIII. Circa euidentiam ſolubilitatis argumentorũ contra fidem, vel loqui poſſumus ſecundùm rationem communem ſolubilis, non deſcendendo ad ſingula, vel in particulari, & in actu exercito: & ita duę quæſtiones ſeſe hic offerunt; altera eſt vtrum in commune, & quaſi in actu ſignato euidens ſit argumenta contra myſteria noſtræ fidei eſſe ſolubilia: altera vtrum Theologus poſſit in particulari ſingula argumenta euidenter ſoluere: hæc enim duo diſtinguũtur, vt benè notat Caie. 1. par. q. 1. ad art. 8. §. *Circa probationem.*

IX. Dico primum. Euidens eſt argumenta contra propoſitiones à Deo reuelatas eſſe ſolubilia. Hæc eſt de mente D. Thomæ art. 8. & ſupponitur ab omnibus, & facilè probatur. Nam quando eſt euidẽs veritas alicuius propoſitionis, ſunt euidenter ſolubilia oppoſita argumenta: ſed euidens eſt propoſitiones à Deo reuelatas eſſe veras; ergo etiam euidens eſt argumenta oppoſita non conuincere, & eſſe ſolubilia. Ex quo ſequitur intellectui, cui fuerit euidens hoc vel illud, eſſe à Deo reuelatum, eſſe quoq; euidens argumenta contraria ſolui poſſe, quicunq; enim euidenter intelligit aliquid eſſe verum, ſcit etiam euidenter non eſſe falſum, & conſequenter non poſſe probari oppoſitum, cuius veritas cohærere nequit cum veritate eius, quod vtrũ eſſe cernitur euidenter, qui autẽ euidenter ſcit aliquid eſſe à Deo reuelatum, conſequenter etiã euidenter, agnoſcit eſſe verum, ſed nunquã is in actu exercito poterit euidenter ſoluere argumenta contra myſteria, q̃ euidenter ſcit eſſe reuelata. Reſpondeo, ii ſolam habeat euidentiam reuelationis, & nõ obiecti reuelati, nequaquam poſſe, nam talis euidentia eſt ſolùm in atteſtante, quæ non penetrat rationem, aut principia veritatis reuelatæ, ex quibus ſumenda erat euidentia reſponſionis in actu exercito, ſiue verò habeat vtrãq; euidentiã, vt habẽt beati, poterit euidenter ſoluere argumenta.

X. Dico ſecundum, non eſt euidens argumenta contra myſteria omnia materialia, quæ credimus, eſſe ſolubilia. Eſt Heruæi vbi proximè. Caiet. 1. part. q. 1. art. 8. §. *Circa probationem*, & de mente eorum, quos referam cap. ſequente pro prima aſſertione. Suadetur autem primo, quia non eſt euidens myſteria omnia, quæ credimus eſſe vera: ergo neq; erit euidens argumẽta oppoſita eſſe ſolubilia. Loquor autẽ de euidentia, quoad nos, nam ſecundũ ſe erunt euidentia, vt ſunt Deo, & beatis, nobis autem minimè, quoniam ea fide credimus: ſecundo omnis euidentia aut eſt ex terminis, aut ex diſcurſu, ex neutro autem capite ſumitur euidentia ſolubilitatis: non ex terminis, hoc enim modo non ſolum à Chriſtianis, ſed etiam ab ethnicis philoſophis haberetur, quod tamen eſt falſum: non ex diſcurſu, quandoquidem is, qui indicatur à D. Thom. vbi ſupra, neceſſariò inuoluit ſuppoſitionem aliquam reuelatam, atque incuidentem, vt notat Caiet. ideoque nequit gignere euidentiam. Probatur aſſumptio, nam ex verbis illis poteſt conflari hic diſcurſus, euidens eſt argumentum, quo veritas impugnatur eſſe ſolubile: argumentis autem, quæ fiunt contra principia reuelata, oppugnatur veritas, ergo euidens eſt ea ſolubilia eſſe. Quod argumentum non concludit, nam ſimili modo arguam: euidens eſt eſſe verum id, quod Deus reuelat, Deus autem reuelauit ſub ſpeciebus conſecratis contineri verum Chriſti corpus: ergo euidens eſt contineri. Quod argumentum, vt patet, non concludit, nos enim non habemus euidentiam, ſed fidem exiſtentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento. Denique notitia, ad quam neceſſario ſupponitur aſſenſus ineuidens, non poteſt eſſe euidens, ad aſſenſum verò concluſionis illatæ propoſito ſyllogiſmo neceſſario ſupponitur notitia ineuidens, quod myſteria ſint à Deo reuelata: ergo non poteſt eſſe euidens, atq; ita quemadmodũ nobis euidẽs non eſt ea eſſe vera, ita quoq; euidẽs nõ eſt argumẽta, quib. oppugnatur, eſſe ſolubilia.

XI. Obijcit aliquis ſecundã aſſertionẽ pugnare cum prima: in hac enim dictũ eſt euidens eſſe argumentũ contra propoſitiones à Deo reuelatas eſſe ſolubilia, in ſecũda verò dicitur, nõ eſſe euidens argumẽta cõtra myſteria, q̃ credimus, eſſe ſolubilia: cũ tamen myſteria fidei noſtræ ſint à Deo reuelata. Reſpõdeo duas eas aſſertiones non mutuo repugnare, nam in prima ſermo eſt de propoſitionibus reuelatis non per ſe ſolum ſumptis, ſed cum reduplicatione reuelationis, & quẽadmodũ euidens eſt propoſitionem reuelatam, quatenus eſt reuelata, eſſe veram; ita etiam euidens eſt argumenta contra eã facta ſolui poſſe. In ſecũcunda verò ſermo eſt de propoſitionibus reuelatis materialiter, hoc eſt de ijs, quæ de facto ſunt reuelatæ, nõ reduplicãdo tamẽ reuelationem. Hæ verò nõ ſunt nobis euidenter veræ, & ideò in ſecunda propoſitione ex inſtituto dictum eſt non eſſe euidens argumenta contra myſteria materialia, quæ credimus, eſſe ſolubilia non facta mentione reuelationis. At inquiet aliquis, copuletur reuelatio cùm ijs

myſterijs,

mysterijs, & dicatur euidens, & hæc mysteria reuelata esse vera, & argumenta contraria solubilia, erit ne verum? Respondeo non esse, nam cùm dico hæc mysteria reuelata, inuoluo coniunctionem reuelationis cum ipsis mysterijs, quæ est nobis viatoribus ineuidens: & ita propositio illa resoluitur in hanc coniunctam, hæc mysteria sunt reuelata: & euidenter vera, cuius prior pars est ineuidens, & consequenter posterior, cuius veritas pendet ex prioris euidentia, falsa est. At quando non determinando reuelationé ad peculiarem aliquam propositionem, aut materiam, absolutè dicitur euidens mysteria reuelata esse vera, & argumenta contraria solubilia, non fit sensus coniunctus, sed conditionalis, hoc est, siqua est propositio reuelata, euidens est esse veram, & argumenta contraria solubilia: & hoc modo videtur loquutus Diu. Thom. in priori loco contrà adducto, cum ait, *manifestum est probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes.* Loquitur enim de fide diuina, cui quidquid repugnat, euidens est non conuincere. Verum, quia nostram fidem esse diuinam est certum quidem, sed non euidens, idcirco etiam certum, sed nõ euidens est solui posse argumenta inducta ad illam destruendam: & ita manet responsum ad primum testimonium Diu. Thom. quem Caiet. & cæteri eius discipuli ita interpetantur, vt non velit esse euidens, omnia argumenta contra fidem esse solubilia.

XII. Ad primum argumentum negatur consequentia, quoniam non est eadem ratio de euidentia credibilitatis fidei nostrę, & solubilitatis argumẽtorum, quæ contrà opponuntur: nam euidentia credibilitatis non est euidentia naturalis de coniunctione extremorũ, quib' cõstat veritas reuelata, sed de cõiunctione credibilitatis cũ obiecto credibili; quòd propter motiua extrinseca, euidenter cognoscitur esse credibile. At euidentia solubilitatis respicit ipsos terminos veritatis oppugnatæ, siue argumenta, quibus oppugnatur, nec aliter haberi potest, quàm per euidentem notitiam coniunctionis extremorum, vel àqua pendet notitia euidens solubilitatis rationum oppositarum. Objcies hoc requiri, vt in actu exercito ego euidenter agnoscam argumenta aduersus hanc, vel illam propositionem esse solubilia, non tamen vt in actu signato, & in communi ratione agnoscam solui posse argumenta omnia contra nostram fidem: ad hoc enim non requiritur in particulari notitia aliquorum terminorum. Respondeo, quemadmodum vt sit euidens, argumenta contra propositionem aliquam determinatam non concludere, & ideò solui posse, requiritur notitia euidens de veritate, & non de sola credibilitate ipsius: ita quoq; vt sit euidens argumenta contra nostram fidem non conuincere, & habere solutionem, necessarium esse, vt sit nobis euidens fidem esse veram; & quoniam talis euidentia non est, non est etiam euidentia solubilitatis. Non est tamen negandum, sicut est euidenter credibile fidei mysteria esse vera; ita quoque esse euidenter credibile argumenta contraria esse solubilia.

Ex habitu Theologiæ absq; præsidio scientiæ naturalis, non potest in actu exercito solui vllum argumentum euidenter negatiuè, aut positiuè.

Caput XI.

DIctum est superiore capite de solubilitatis argumentorum contra fidem euidentia, in actu signato, & in commune. Verũ quoniã propria argumentandi ratio versatur circa propositiones in particulari, videndũ supereſt qua probabilitate, vel euidentia solui queant in actu exercito singula argumẽta, aduersus particulares propositiones reuelatas. Duran. vbi supra, existimat solùm posse reddi solutiones probabiles, atq; adeò ineuidentes mysteriorũ fidei: & ille quidem loquitur congruenter ad suam doctrinã: namq; vt sæpius dixi, ex ijsdem principijs soluuntur argumenta aduersus sententiam, quam tuemur, ex quibus eidem assentimur: Duran. existimat principia fidei reuelatæ solum probari à Theologo rationibus probabilibus, & ideò consequenter asserit argumenta opposita ab eodem solui tantũ probabiliter. Nã quẽadmodum veritati reuelatæ non assentitur euidenter; ita neq; euidenter illi cõstat assertiones oppositas esse falsas ac solubiles rationes, quib' hæ probantur, illa impugnatur. Verùm hæc doctrina, si absolutè, & vniuersaliter intelligatur, non est vera; etenim inter mysteria fidei sunt aliqua euidẽter agnoscibilia lumine naturæ; atq; adeò euidẽter solubilia argumẽta contraria, quo modo argumentandi, ac respondendi vtuntur sæpe Patres, dum impugnant errores contrarios ipsi lumini naturali intellectus, vt videre est apud Aug. li. cont. Manic. & lib. de ciu. Dei cont. Philos. Nec de eiusmodi veritatibus

I.

est dubi-

est dubitatio: nam sicut euidenter probari possunt: ita & solui argumenta contraria, & ita nihil de illis concludit argumentum Durandi: nec ego crediderim ipsum de ijs loqui, sed solùm de illis, quæ non nisi ex diuina reuelatione nobis innotuerunt, vt patet exemplo sanctissimę Trinitatis, quo vtitur.

II. Caietan.

Caiet. 1. p. q. 1. a. 8. §. *circa tertiam*, præmittens distinctionem euidentiæ in negatiuam, & positiuam: priorem ait posse interuenire in solutione cuiusuis argumenti contra fidem: posteriorem verò solùm, quando soluuntur argumenta reddita ratione naturaliter euidéte, cur negétur principia assumpta; tunc verò censet solui argumenta euidenter negatiue, quando intellectus respondentis videt se non conuinci ab argumento proposito ad assensum contrarium eius, quod tuetur, quamuis euidenter non agnoscat falsitatem eorum, quæ assumuntur. Hæc enim differentia est inter probationem & responsionẽ: quod ad illam requiritur, vt positiuè appareat veritas, & vis argumenti: ad hanc verò sufficit, vt non constet argumentum habere vim; cum verò contra veritatem reuelatam nullum argumentum vim habeat, consequenter sequitur nunquam constare de vi probationis, atque adeò semper Theologo est euidẽs, negatiuè argumenta contraria fidei non conuincere. Quomodo si heretico obijcienti omnem rem vnam numero esse vnam Hypostaticè; ideoque in Deo non esse tres personas, Theologus respondeat cùm distinctione, concedendo in re finita, negando in infinita, ait Caiet. illum soluere ex scitis aliquomodo, non quia verè sciat euidenter naturam infinitam esse in pluribus personis, sed quia scit negatiuè nullum haberi efficax medium ad illam probandam: & dicitur, inquit, scire negatiuè, quando nullo modo cogitur intellectus. Ad hanc sententiã accedit Scot. citatus capit. superiori, concedens omne argumentum factum contra res fidei posse solui euidenter, quatenus propositio falsa nunquam habet euidentiam respectu intellectus Theologi defendentis, & ad hunc sensum explicat Caiet. dictum D. Thom. art. 8. citato; Pro quo facit etiã idem S. Doct. super Boet. de Trinitate q. 2. art. 1. ad quintum, vbi sic ait: *duplex est humana ratio, vna demonstratiua cogens intellectum ad credẽdum, & talis haberi non potest de his, quæ sunt fidei: sed potest haberi ad euacuanda ea, quæ fidem destruũt.* Vbi rationem demonstratiuam, quam negat dari, vt intellectus cogatur ad credendum, cõcedit dari ad infirmanda, quæ fidẽ destruunt. Et probatur quoniã illi, cui non est euidens veritas prẽmissarum assumptarum, ad impugnandam sententiam, quam tuetur, est euidens se non conuinci: atque adeò euidens quoq; illi est argumenta illa posse solui: sed nulli Theologo est euidens veritas argumentorũ, quæ fiunt contra fidem, quod enim est, euidens esse nequit: ergo etiam euidens illi est se nõ conuinci, atq; adeò argumenta esse solubilia. Aliqui recentiores sequentes opinionem Caietani, pro eadem referunt Aegid. quodlib. 1. q. 7. sed ibi solùm dicit posse solui à Theologo rationes, quæ adducuntur contra mysteria fidei, neque aliquid addit, quo significet posse solui euidenter.

III.

Dico primum, nullo modò est dicendum Theologũ soluere euidenter, aut ex scitis, vel scire negatiuè esse solubilia argumenta contra mysteria, quæ ex sola reuelatione innotescunt. Non reperio, qui hãc expresè asserat, sed sumi potest ex Doctoribus, qui simpliciter negant eiusmodi argumenta esse euidenter solubilia. Ita verò docent S. Thom. q. 2. de Trin. art. 3. in corpore. Ocham. 9. citata lit. P. & R. Duran. Scot. Bass. vbi supr. Sylvest. q. 1. cõflati art. 17. §. 3 verbo *solubilia*, & art. 18. ad quartũ, nec mirũ est antiquos hoc nõ attigisse; nã hæc distinctio est recens inuenta à Caiet. quẽ recentiores alij postea sunt secuti. Ego verò nõ possũ illã probare: nam vel Caiet. loquitur de experientia, qua videt intellectus, se actu nõ cõuinci ab argumentis oppositis: vel de notitia aliqua, qua reddatur euidenter certus, nõ esse vim vllam in argumentis, quæ adducũtur: hanc secundam nõ admittet, prior nõ sufficit ad euidentiã etiã negatiuã, q̃ vocãt: ergo nõ est vlla euidentia solutionis argumentorũ cõtra dogmata ex sola reuelatione nota. Assumptio quoad priorẽ partẽ est manifesta: fieri quippè nequit, vt notitia euidens, quòd argumenta opposita nõ cõuincant, aliundè detur, q̃ ex penetratione terminorũ, aut euidente deductione ex principijs euidẽtibus, q̃ duo nõ sunt in mente viatoris, circa mysteria reuelata, vel eius opposita. Posterior pars eiusdẽ assumptionis ostẽditur, quoniã aliud est experiri me actu non conuinci, aliud euidenter agnoscere argumenta ipsa suaptè natura non cõuincere; hæc secunda notitia verè est euidẽs, prior autẽ nequaq̃, imò dari potest etiam, quando argumenta re ipsa solubilia verè non sunt: atq; adeò non sufficit ad vllam prorsus euidentiam solubilitatis: nam quemadmodum nullum argumentum, quod est solubile,

S. Thom. Ocham. Durand. Scot. Bassol. Sylvest.

Scot.

S. Thom.

agnosci-

agnoſcitur euidenter eſſe inſolubile: ita nullum, quod in ſe ſolubile eſt, agnoſci poteſt euidenter eſſe ſolubile: poſſe autem dari experimentalem euidentiam, quod intellectus actu nõ conuincatur, etiam quando argumenta ſuapte natura continent veram rationem concluſionis atque adeò ſunt re ipſa inſolubilia, conſtat, quoniam inter opiniones Philoſophicas quædã ſunt de rebus omninò neceſſarijs, & argumentis ſuapte natura neceſſarijs probantur: & tamen, quia id euidenter nõ conſtat, vnuſquiſque ſuam ſententiam etiam re ipſa falſam tuetur; & experiri frequenter poteſt nõ conuinci ſe ab aduerſario: nam ſi ad hoc *Caietan.* de mente Caiet. ſufficit, vt ſolutio ſit ex his, quæ non apparent eſſe falſa, dato quod non ſciantur eſſe vera, profectò qui ſuam opinionem re ipſa falſam, imò & impoſſibilem tuetur, reddendo rationes reſponſionis, quæ non apparent eſſe falſæ, experitur ſe non conuinci: atque adeò dicitur ſcire negatiuè nullum haberi efficax medium ad probandũ oppoſitum poſitionis, quam defendit: quod fieri nequit, ſupponimus enim defendi ab ipſo opinionem re ipſa impoſsibilem. Secundò aliud eſt non videre argumentum concludere, aliud videre non concludere: qui actu non conuincitur, non videt quidẽ argumentum concludere: nam, ſi videret conuinceretur: nõ tamen videt non concludere: ad hoc enim requiritur, vt penetretur vis argumenti, vt patet in diſputationibus circa opiniones pro vtraque parte probabiles: nam qui reſpondet probabiliter, hoc ipſo non vidit argumentum concludere, non tamen propterea non concludere; quia euenire poteſt, vt re ipſa concludat, & neutrum appareat euidenter, ſed ſolùm probabiliter. Ita in materia fidei reſpondens non videt quidem argumenta concludere, nõ tamen proinde euidenter vllo modo intelligit nõ concludere: ſed ſolùm certo, ineuidenter tamen intelligit non concludere: quare nõ video quid ſignificet Caiet. cùm ait, Theologum ſcire negatiuè nullum haberi efficax medium, contra myſteria reuelata.

IV. Eandem ſententiam Caiet. Doctores alij ita tuentur, vt dicant argumentum, nõ ſolùm euidenter ſolui, cùm reſpondens ex ipſa rei natura oſtendit falſam eſſe aliquam ex præmiſſis aſſumptam ad impugnationem ſententiæ, quã tuetur: ſed etiam cum aliunde reddit euidentem rationem, cur ipſe ſibi prudenter perſuadeat, falſam eſſe aliquam ex proportionibus cõtra eius ſententiam aſſumptis; tunc enim reddit euidentem, ac irrefutabilem rationem, cui prudẽter faciat perſiſtens, in ſua ſententia. & iudicans fallax argumentum contra eam inductum. Huiuſmodi verò ratio reddi à Theologo poteſt, quandoquidem argumenta omnia, quæ contra fidem opponi poſſunt, non niſi inductione nituntur; vt ſi contra Trinitatem perſonarum ſic obijciatur, hæc res vna numero ſecundum eſſentiam, eſt etiam vna ſecundum hypoſtaſim; itemque hæc, & cæteræ omnes, quas cognoſcimus: ergo etiam Deus, qui eſt vnus ſecundum eſſentiam erit vnus, non trinus, ſecundum hypoſtaſim. Cui argumentationi reſpondere poteſt Theologus reddendo rationes, quibus euidenter oſtendat ſe prudenter facere, negãdo propoſitionem illam, quæ eſt contraria fidei myſterio, & negligendo argumentum illud ab inductione ſumptum. Inprimis dicet fieri poſſe, vt inductio fallat, & vtid, quod inuenitur in pluribus ſingularibus non ſit in aliquo, tametſi in communi notione vocabuli cum alijs conueniat. Secundò aſſeret lumen naturale ſolùm tunc inclinare ad aſſenſum alicuius propoſitionis vniuerſalis, quando lumen ſuperioris ordinis nobis ſufficienter teſtatum non docet aſſertionem illam pati exceptionem in aliquo particulari; vt de facto lumen reuelationis diuinæ Chriſtianis ſufficienter propoſitum, docet in Deo non repugnare Trinitatem perſonarum cum vnitate naturæ. Tandem dicit, etſi myſteria diuina conueniant cum rebus creatis in communiſsima quadam notione vocabulorum; tamen ſecundùm proprias rationes infinito interuallo diſtare à creaturis: ideoque incredibile non exiſtimandum etiam ſecundùm iudicium rationis humanæ, ſi naturæ diuinæ ſingulari conueniat aliquid omninò diuerſum ab eo, quod conuenit rebus creatis. Ex quibus & alijs id genus rationibus, quæ adduci poſſunt euidenter, oſtenditur prudenter negari à Theologo illationis eius conſecutionem. V.

Verùm hi auctores conſumunt operam in probando, quod certum & indubitatum eſt apud Theologos, nimirũ euidens eſſe, myſteria noſtræ fidei eſſe prudenter credibilia, & argumenta ijs contraria prudenter etiam reputari: ijſdem namque medijs quibus oſtenditur myſteria eſſe prudenter credibilia, ſuadetur etiam rationes contra eam adductas prudenter negari. Id verò, in quo eſt difficultas, non probant, ſed ſupponunt: nimirum ad euidentem ſolutionem argumentorum ſat eſſe rationes extrinſecas, quibus euidenter oſtẽdatur pru-

denter

denter negari principia assumpta ad euertendam sententiam, quam amplectimur. Quod sanè falsum est, nam euidentiæ in probanda ac tuenda sententia, eadē debet esse mensura, eademq; principia: vt aūt sit euidens probatio alicuius veritatis, non sat est euidenter ostendere eum, qui illi assentitur prudenter facere: ergò neque vt defensio sit euidens, sufficit euidenter ostendere prudenter facere eum, qui oppositis argumentis à propria sententia non dimouetur. Maior est perspicua: nam euidentia, quòd propositio aliqua sit falsa, sumitur ex euidentia veritatis oppositæ: sicut enim prior est veritas propositionis alicuius, quàm falsitas oppositæ, ita prior est euidentia veritatis eiusdem, & in ea fundatur euidentia, quòd oppositæ assertio sit falsa, & ita si assensus affirmatiuus non potest esse euidens ex sola euidentia credibilitatis, probabilitatis, aut prudentiæ in assentiendo; neq; dissensus erit euidēs ex his principijs, sed ex ijsdem, quæ sunt necessaria ad euidentiam assensus affirmatiui. Assumptio verò facilè probatur: nam mysteria per se reuelata non posse euidenter ostendi, ijdemmet auctores admittunt, & meritò: nam est sententia D. Thomæ, & communis, vt supra dixi, & tamen euidenter ostendi potest prudenter facere eum, qui ipsis assentitur, vt cōstat ex communi sententia doctorum in materia de fide, asserentium mysteria fidei nostræ esse euidenter credibilia: quare motiua euidentia solum de prudenti ac rationabili ratione assentiendi vel dissentiendi, non reddunt defensionem veritatis euidentem. Et confirmatur, quoniam vera euidentia terminatur ad cōnexionem, vel disiunctionem terminorum, ita vt ipsa in se pateat intellectui euidenter intuenti, eos inter se esse cōiunctos, aut disiunctos: at, qui habet euidentiam illam prudentialem, non videt euidenter in se habitudinem terminorum propositionis, quam negat: sed solum habitudinem prudentiæ cum assensu vel dissensu: est enim illi euidens se prudenter facere, negando principium argumentationis factæ contra veritatem, non est autem euidens propositionem, quam negat, esse falsam: quod omninò requiritur, vt ipse euidenter soluat. Ex quo facilè soluitur motiuum sententiæ oppositæ: concedenda est enim assumptio, & eius fundamenta: neganda verò maior, quæ absque probatione supponitur.

VI. Caietan.

Dico secundum, Theologus plerisque argumentis contra reuelata satisfacit euidenter. Hæc est Caietan. art. 8. §. *circa ter-*

tiam, Syluestri vbi supra, & aliorum, & probatur facilè, quoniam quemadmodum pleræque conclusiones Theologicæ probantur assumpta altera præmissarum necessaria, & euidente lumine naturæ; ita quoque negando principia sumpta ab aduersario, quæ nónunquam repugnant veritatibus naturali lumine cognoscibilibus, & reddendo rationem naturalem, solui possunt argumenta contra fidem, & ideò immeritò Durand. censet ea solum probabiliter solui. Hanc sententiam Caietan. Theologi recentiores re quidem ipsa concedunt, omnes enim conueniunt, easdem obiectiones posse solui euidenter; verbi gratia, quæ fiunt cōtra mysterium Eucharistiæ, circa resurrectionem mortuorum, & similes alias propositiones, quæ supponunt, vel inuoluunt aliquid naturale, & ipso lumine intellectus euidenter agnoscibile. Sed differunt quoad modum loquendi, dicentes propositam assertionem solum esse veram, quoad ea argumenta, quæ indirectè, & ex consequenti pugnant contra reuelata: nam ea, quæ directè pugnant, non posse euidenter solui censent, vt probat ratio Durandi: quæ verò pugnant ex consequenti, possunt, vt si quis ex eo, quod non possit accidens separari à subiecto, probaret non remanere accidentia panis, is non directè oppugnaret articulum, qui in eo consistit, quod post verba ritè prolata maneant accidentia sine subiecto: argumentum verò illud non directè probat non manere, sed contendit id probare ex eo, quod ita fieri nequeat: cuius oppositum nō est immediatè articulus fidei, sola reuelatione notus, sed aliquid necessariò suppositum ad articulum, & naturali ratione cognoscibile.

Sylvest.

VII.

Mihi verò placet absolutè modus loquendi Caietan. namque vt argumentum directè oppugnet aliquam positionem, sat est vt pro medio assumat aliquid, ex quo per se, & non per accidens, sequatur oppositum positionis, quæ oppugnatur, vt si quis probet conchas marinas non sentire, quia non sunt animalia, directè oppugnat propositionem illam, conchæ marinæ sentiunt: quia procedit à destructione causæ ad negationem effectus: ita qui in materia fidei argueret, non esse resurrectionem, quia anima non est immortalis, & idem numero corruptum redire nequit, licèt falsò, directè tamen oppugnaret articulum resurrectionis à destructione suppositionis necessariò requisitæ; item qui ex eo, quod inhærentia sit de ratione accidentis, argueret in Eucharistia non

esse species consecratas absque pane, directè oppugnaret ipsam propositionem de fide: quemadmodum quomodo probaret lucem non esse per se liberam à subiecto, quia est accidens, verè ac directè oppugnaret assertionem eius, qui diceret liberè vagari extra subiectum. Fateor equidem reuelationem de his rebus non fuisse de potentia, sed de actu: Verùm, qui destruit potentiam, directè oppugnat actum: sed quoniam hæc diuersitas est penes modum loquendi: id quod ad rem attinet, certum est, pleraque argumenta, quibus oppugnatur fides euidenter solui: Aduertendum tamen contra Caietan. quando Theologus vtitur hoc soluendi modo, non procedere propriè ex habitu Theologico, sed ex eo, ad quem pertinet principium, aut conclusio euidens, quèis vtitur. Ratio est quoniam, vt superius tetigi, ab eodem habitu procedit probatio directè ostensiua conclusionis, & responsio ad argumenta contraria: si verò Theologus vtatur medio demonstratiuo ad probandum aliquid, non procedit ex proprijs principijs, nec vtitur habitu Theologico; ergò neque quando vtitur eadem ratione ad respondendum, vtitur habitu Theologico.

VIII. Sed petet quænam euidenter solui nequeant. Respondetur ea, quæ excedunt captum notitiæ humanæ euidentis: hæc verò sunt in duplici differentia, vel enim sunt talia absolutè, vel quòad modum: absolutè, vtpote mysterium Trinitatis & Incarnationis: quemadmodum ea, quæ pendent ex libera voluntate Dei, quæ tametsi alioquin non excedant captum nostrum, non tamen possunt aut demonstrari esse vera, aut euidenter solui argumenta: quibus oppugnantur. Quia igitur argumentis contra fidem rarò satisfit euidenter, oportet explicare, an sint alij modi, quibus vtens Theologus, non reputetur ab auditoribus quasi absurdi dogmatis assertor. Sunt autem duo, primus probabilis, alter verè ac propriè Theologicus: probabilis est, cùm reddit rationes aliquas verisimiles, adducit similitudines, atque exempla, vt ait Diuus Thomas quæst. 2. super Boet. de Trinitate, ar. 1. Aureol. ac Durand. vbi supra, vel vtitur testimonijs sapientium, vt ait D. Thomas: nam qui aliquo ex his modis respondet, etsi aduersarij non putent sibi omninò satisfieri, saltem iudicare possunt teneri, ac defendi eam doctrinam cum aliqua probabilitate, vt frequenter vsu venit ijs, qui conuersioni infidelium incumbunt, qui primum suis rationibus, ac responsionibus, hoc obtinet ab infidelibus, ne fidem nostram absurdam reputent, vt fortè anteà reputabant. Modus respondendi Theologicus est, cùm adducitur aliqua ratio sumpta ex principijs fidei, quæ quidem alioquin lumine naturæ non est euidens, sed sequitur ex aliquo principio reuelato, quamuis interdum habeat admistum aliquid euidentiæ: quoad alteram partem distinctionis, huiusmodi est solutio, qua oppugnanti Trinitatem personarum in vnitate vnius essentiæ diuinæ ex eo, quòd vna natura non nisi in vna hypostasi existit, Theologus respondet distinguendo antecedens, ac dicendo verum id esse in natura creata & finita, non in infinita, cuius distinctionis pars secunda non est euidens lumine naturæ: alioquin cum naturali lumine ostendi possit infinitas Dei, eodem quoque cognosceretur Trinitas personarum, quod est contra testimonium Christi Domini, Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Est itaque pars illa ineuidens, siquidem est conclusio Theologica ex reuelatis deducta: eodem modo si cui non sit euidens, vt fortè non erat plerisque philosophis, solam aptitudinalem inhærentiam, non verò actualem esse de essentia accidentis, sed solùm id credat, quoniam videt necessariò sequi ex reuelatis circa mysterium Eucharistiæ, & infideli argumentanti in Eucharistiæ sacramento, non esse solam panis accidentia, sed etiam substantiam, quia essentia accidentis est inesse, respondeat negando antecedens de inhærentia actuali, concedendo de aptitudinali, verè respondet Theologicè; quoniam etsi alioquin antecedens illud suapte natura possit esse euidens, ipsi non est, sed solum id credit, quoniam videt sequi necessariò ex reuelatis.

S. Thomas. *Aureol.* *Duran.* *Matt. 11.* *1. Pet.*

IX. Ad primum testimonium D. Thomæ, quod pro se facere Caietan. existimat, patet solutio ex dictis. Secundum ita explicat Sylues. vbi supra, vt dicat D. Thom. loqui, vel de comprehendente prima principia fidei, vel si de nobis loquatur, intelligendum solùm quoad ea argumenta, quæ pugnant contra mysteria, quæ possumus demonstrare. Verùm quamuis verè dicatur, tamen is non est sensus D. Thomæ; vt enim ex ipsis eius verbis patet, non loquitur de comprehendente, sed de nobis; agit enim de humana ratione, quæ similia non comprehendit. Deinde eodem contextu

Sylueſter. *Act.*

VERBO-

verborum negat demonstrationem probatiuam mysteriorum fidei, quo admittit rationem ad euacuanda argumenta, quibus oppugnatur fides: atque adeò de ijsdem loquitur; alioquin sophysticè loqueretur. Planus ergò sensus est, Diuum Thomam eo loco solum concedere, posse haberi rationem ad euacuanda ea, quæ fidem destruunt; an verò hæc sit demonstratiua nec ne, non dixisse: nam cùm præmisisset duplicem esse rationem humanam, alterã, quæ est demonstratiua, negauit dari ad probandum: deinde verò dixit haberi posse rationem ad euacuanda argumenta contra fidem. Alteram scilicet ab ea, quam negauit ad probationem, alioquin frustra præmisisset distinctionem illam duplicis rationis. Ad argumentum neganda est secunda pars propositionis; etenim quamuis in actu exercito quis experiatur, se nunc ab argumentis oppositis nõ conuinci: non proinde euidenter scit illa esse solubilia: nam quamdiu non videt euidenter connexionem terminorum, obscurum illi est, vtrum solui possint, an non, vt explicatum est.

X. Ex dictis facilè dissoluitur ratio proposita cap. superiori: nempe quod sola responsio negatiua non satisfacit aduersario: nam licet à singulis Christianis non exigi debeat alia ratio cur neget ea, quæ fidei opponuntur, quàm quod sit à Deo reuelata; quod videtur D. Petrum indicasse, 1. Petr. 3. cùm dixit Epistola prima cap. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*: nam fidei, quæ nititur autoritate dicentis, optimè assignatur ratio reddendo auctorem eius, & ostendendo in quo consistat: Cui si auditores non acquiescant, nihil refert: nam etiam prædicante Paulo de resurrectione mortuorum, alij irridebant: alij nouorum dæmoniorum annuntiatorem appellabant, Actorum 17. Tamen à Doctore, qui profitetur habere se scientiam eorum, quæ credit, ac prædicat, opus est aliquam præter fidem rationem verisimilem haberi, loquendo congruenter ad principia naturæ & reuelationis: cùm enim verò solum falsum repugnet, & principia Theologica verissima sint, defendi possunt nihil admittendo falsi, nihil veri negando. Quod in sectis fieri nequit: nam cùm falsæ sint, ac fabulosæ, & falsum; tum vero, tum etiam falso repugnet, defendi nequeunt, quin earum patroni ad absurda, & contraria asserenda compellantur. Vnde rectè docuit sanctus Thomas opusc. 59. cap. 1. omnes errores infidelium non solùm per sacram scripturam, sed etiam per rationes elidi posse, Theologus verò, & fidei, & veritati naturali congruenter loquens, potest sua dogmata tueri. An verò hoc præstet semper ex habitu Theologico, an ex alio, quod in fine argumenti tangitur, iam supra explicatum est. S. Thomas.

Habitus Theologicus est acquisitus, non infusus, supernaturalis tamen.

Caput XII.

I. QVoniam Theologia medium locum dignitatis vendicat inter fidem, & scientias humanas, & hæ sunt habitus naturales acquisiti, fides supernaturalis infusus, oportet explicare, ad quodnam ex his membris pertineat, & quidem illi, qui sentiunt Theologiam non esse habitum à fide distinctum, facilè respondebunt esse supernaturalem infusum, sicut ipsa fides; qui verò existimant non pendere per se ab aliquo principio supernaturali, nec ab assensu fidei infusæ, sed solùm à fide naturali & acquisita, contra respondebunt esse simpliciter naturalem & acquisitum, quoniam habitus conclusionum non excedit dignitatem habituum principiorum. Vtrique verò loquuntur congruenter ad sua principia: & ita in his duabus sententijs nulla est difficultas in dijudicando, sit ne Theologia habitus naturalis, an supernaturalis. Sed enim cùm oppositum vtriusque existimem, nimirum & Theologiam esse habitum distinctum à fide infusa, quod ex professo ostendam tractatu 6. cap. 2. & pendere per se à principijs reuelatis, & assensu supernaturali ipsorum, vt tractatu 2. cap. 7. probatum est. Restat vt explicem difficultatem propositam, quæ hoc suppositio locum habet.

II. Esse verò Theologiam habitum naturalem probatur. Primò, quoniam omnis habitus acquisitus est naturalis: Theologia verò est habitus acquisitus: ergò & naturalis. Maior propositio constat inductione, non enim assignabitur vllus habitus nostris actibus acquisitus, qui non si-

naturalis, nullus supernaturalis, qui non sit infusus : nam habitus omnes, & virtutes, tam intellectus, quàm voluntatis, qui regulantur lumine, ac ratione naturali, & ex nostris actibus resultant, naturales sunt : contra verò, quia actus virtutum moralium regulati lumine diuino, & ordinati ad finem supernaturalem, sunt supernaturales, non acquisiti, sed infusi sunt. Assumptio verò est manifesta: nam habitus infusi non indigent studio & labore, vt habeantur: sed nonnunquam absque vllo actu proprio infunduntur, vt patet in infantibus, queis in baptismo infunduntur habitus virtutum Theologicarum: & in adultis recens conuersis & baptizatis, quibus absque præuijs actibus virtutum moralium, ipsarum habitus in iustificatione infunduntur : Theologiæ verò habitum, etsi fortè nonnullis viris sanctissimis ex dono Dei absque multo ipsorum studio infusum fuisse à Deo non sit negandum, & multi credunt de D. Bernard. cæteri tamen communiter assiduo studio cõparant, non ex infusione accipiunt. Secundo, Actus eliciti ab habitu Theologico sunt naturales, ergò & habitus. Patet consequentia: nam habitus & actus sunt eiusdem ordinis. Antecedens suadetur, quoniam vt alibi dictum est, habitus Theologicus eiusdem speciei inclinat ad assensum conclusionis illatæ ex vtraque prẽmissa de fide, & ad illum, qui fertur ad conclusionem deductam ex altera de fide, & altera necessaria naturaliter euidente: sed assensus hic posterior non est supernaturalis: ergò neque prior: nam actus eiusdem speciei non possunt differre penes naturale, ac supernaturale secundùm substantiam. Assumptio probatur, quoniam in omni discursu assensus genitus ex vi præmissarum, sequitur deteriorem partem: nam si altera præmissa sit necessaria & euidens, & assumatur cum altera pseudographa : assensus ex vtraque procedens erit erroneus: si cum sophistica sophisticus : si cum probabili probabilis : idemque cernere est in multiplici connexione reliquarum propositionum. Et patet ex ratione, siquidem effectus non potest esse præstantior causa, à qua per se, & non per accidẽs pendet, assensus autem cõclusionis pendet per se ab vtroque assensu præmissarum: quare semper erit minus præstans vtrolibet: omne autem supernaturale excellit naturale. Ergo quando syllogismus constat altera præmissa naturali, assensus conclusionis non potest esse supernaturalis. Tertio, non quidquid supponit aliquid supernaturale, eo ipso est supernaturale: Theologia verò non habet aliam radicem supernaturalitatis, quàm fidei assensum, quem supponit: nam eo suppositò, naturali facultate intellectus fiunt discursus Theologici, eliciuntur actus, & generatur habitus. Maior propositio est communis doctorũ, & plurimis exemplis constat: nam visus per miraculũ restitutus, desperata sanitas dono Dei reddita, vita post mortẽ reuocata in se ipsis quòad substantiã res naturales sunt, & supnaturales solũ quoad modũ, quo restituta sunt.

Huius quæstionis difficultas consistit in explicanda propria ratione entis supernaturalis, quod longiore discussione indiget, quàm vt hic alieno loco explicari possit. Solum dico rationem supranaturalitatis, cùm dicat excessum supra naturam, sumi posse ex notione naturæ: vbi primum enim constiterit, quæ sit ratio naturæ, quidquid supra illam fuerit, supranaturale censebitur. Natura autem aut sumitur simpliciter pro quauis natura creata, aut pro determinata natura, verbi gratia, hominis & Angeli, quæ sunt supra naturam posteriore modo acceptam, non sunt simpliciter, sed secundùm quid supranaturalia; verbi grat. modus sciendi proprius Angelo comparatus homini est supra eius naturam, non tamen simpliciter : nam quemadmodum angelitas continetur simpliciter sub natura, ita modus intelligendi illi connaturalis est simpliciter naturalis, secundùm quid verò, hoc est comparatè ad hominẽ supranaturalis. Illa autem, quę priore modo supra naturam sunt, simpliciter & absolutè supranaturalia censentur : verùm quoniam rerum proprias quidditates non attingimus, ideoque ex ipsis præcisè non possumus internoscere naturales à supranaturalibus, opus est ad causas recurrere: nam cùm quilibet ordo rerum sit in suo genere perfectus, habere debet singula in suo ordine principia, & causas à quibus pendeant, ex quo colligitur esse supranaturalem effectum, ad quem secundùm propriam speciem, & naturam consideratur, non est satis vniuersitas causarum naturalium, sed omninò per se requiritur concursus, & interuentus alicuius causæ supranaturalis. Id verò patet, quoniam natura non deficit in necessarijs & pertinentibus ad suum ordinem : quare si tota vis naturæ non potest ex se producere effectum ; is sanè naturalis non est : nam, si naturalis esset, daretur in natura ad ipsum potentia passiua, & consequenter actiua. Hic verò nomine naturæ

III.

non

non solùm substantias creatas intelligi, sed ipsum quoque auctorem naturæ accommodantem se, suumque concursum ad exigentiam causarum naturalium. Dixi etiam esse supranaturalem affectum, qui secundùm suam speciem consideratum, non potest fieri ab vniuersitate causarum naturalium: quoniam quamuis individuum aliquid per accidens ratione alicuius dispositionis subiecti, non nisi supernaturaliter fieri possit, non proinde erit ens supernaturale, si tamen secundùm propriam naturam & speciem queat fieri viribus naturæ, vt se res habet in visu amisso, in sanitate desperata.

IV. Deinde videndum est, an omnis habitus supernaturalis sit infusus, aut è contra. Recolenda verò est dubitatio habitus infusi per se, & per accidẽs, quam ex doctrina D. Thomæ 1.2.q.51.art.4. eruit Caiet. ibidem, per se infusus non potest vllo modo nostris actibus produci, aut augeri physicè, nam meritoriè non repugnat, vt augeatur: infusus verò per accidens potest nostris actibus acquiri, & augeri. Verùm cùm Deus non nunquam suppleat concursum causarum secundarum, potest absque nostrorum actuum concursu infundere habitus suaptè natura acquisibiles, vt probat D. Thomas vbi proximè: & ita, vt rectè notat Caietanus, & sentiunt doctores communiter, habitus infusus per accidens, est eiusdem speciei cum acquisito, cumque hic, saltem aliquando, sit ordinis naturalis, etiam ille erit: neque hac de re est vlla controuersia. Dubium restat, an infusus per se sit semper ordinis supernaturalis, & acquisitus naturalis. Partem affirmantem indicat D. Thomas vbi supra. Nam constituit hoc discrimen inter habitus infusos & acquisitos, quod illis homo disponitur ad finem excedentem facultatem propriæ naturæ: hoc est supernaturalem beatitudinem; & cum media debeant esse proportionata fini, & habitus ei, ad quod disponunt subiectum, necesse est, vt ipsi quoque excedant facultatem humanæ naturæ, acquisiti verò, cùm non ordinentur ad supernaturalem finem, naturali virtute causarum naturalium produci possunt, atque adeò omnis habitus infusus est supernaturalis, & omnis acquisitus naturalis.

S. Thomas. Caietan.

V. Nihilominus absolutè loquendo non est opus, vt habitus infusus recurrat cum supranaturali simpliciter. Patet, quoniam sapientia naturalis Angelorum, & species quibus vtuntur, sunt per se infusæ, nec tamen sunt ordinis supernalis simpliciter, quandoquidem non excedunt proportionem, aut finem naturalem Angelorum: & quamuis non possit assignari, alius habitus diuersus à Theologia supernaturalis, & simul acquisitus, vt tamen ratio habitus per se infusi non consistat in supernaturalitate, sat est assignare aliquem per se infusum naturalem. Vera ergò ratio habitus per se infusi est, quam assignat Sanctus Thomas in 1. distinct. 17. quæstion. 1. artic. 3. nempe vt contineatur in sola potentia materiali animæ, acquisiti verò, vt contineatur, non solùm in potentia materiali, sed etiam actiua. Nam si continetur solùm in potentia materiali, non potest ex parte subiecti esse causalitas actiua respectu illius, sed sola passiua, ideoque oportet, vt ab agente superiore reducatur ad actum, & ita necessariò erit infusus, si verò continetur etiam in potentia actiua subiecti, potest ipsius actione fieri, & consequenter erit acquisitus. Ex quo noscitur aliud discrimen, nimirum vt habitus infusus ad suos actus habeat rationem potentiæ, neque sit solùm ad facilius, sed simpliciter ad operandum necessarius, acquisitus verò non habet rationem potentiæ, sed supponit antè se principium completum ad actus eliciendos, & ipse solùm ad facilitandum, vel inclinandum inseruit. Nec D. Thomas hic repugnat: nam in 1.2. loquitur de nostris habitibus, nos autem non habemus vllum habitum infusum per se, qui non sit supernaturalis, vel simpliciter, vt virtutes Theologicæ, vel secundùm quid, vt scientia ordinis Angelici infusa animæ Christi Domini, & Adamo, vt aliqui volunt: acquisitos verò ad naturales reducit, quia saltem quoad modum sunt naturales.

S. Thomas.

VI. Dico primum. Habitus Theologicus non est infusus, sed acquisitus. Hanc indicat D. Thomas 1.2. quæst. 51. artic. 4. & quæst. centesima decimatertia, articul. decimo ad tertium, & expresse asserit quæst. prima prolog. artic. tertio, quæstiuncula secunda ad tertium, & est communis aliorum doctorum asserentium habitum Theologicum esse, re & ratione distinctum ab habitu fidei infuso, quos referam tractatu sexto cap. secundo, in secunda assertione. Probatur verò ex eo, quod Theologia est habitus discursiuus: etenim habitus discursiuus non necessariò præcedit, sed subsequitur discursum: discursus enim, & assensus per eum genitus dari possunt, si adsint principia, & euidentia con-

sequentiæ: positis quippe principijs formalibus, ac materialibus, adsunt omnes causæ per se assensus discursiui: quibus determinatur intellectus ad assensum absque prævio alio habitu: nisi detur peculiaris aliqua ratio, vt datur in scientia, quatenus est donum Spiritus sancti. Idem suadetur à signo, quoniam communiter videmus eos solùm pollere habitu Theologico, qui præstant ingenij acumine, & adhibent diligentiam in studendo: si verò habitus infunderetur, non semper ita fieret. habitus quippè infusi augentur pro ratione meriti, & ita viri magis perfecti in charitate essent sapientiores Theologi, cuius oppositum experientia compertum est. Denique aut eiusmodi habitus infunderetur, & augeretur simul cum cæteris infusis, aut iuxta proportionem, ad dispositionem subiecti per actus illi respondentes, primum non est dicendum, vt patet: non est autem maior ratio, cur cæteri habitus infundantur absque propria dispositione, quàm Theologicus: habitus autem morales infusi simul cum gratia & charitate infunduntur, quin necessariò præcedant ex parte nostra tanquam dispositiones actus earundem virtutum.

VII. Dico secundum. Habitus Theologicus est supernaturalis quoad substantiam, naturalis quoad modum. Prior pars asseritur ab Heruæo quodlib.5.quæst.19. Fonseca libr.6.Met.cap.1. quæst.6. sect.8.& Molin.prima parte, quæst.1. art.2. disp.1. §. *Diximus*. & dist.2.ad 4. Eam vt probet Heruæus, supernaturale diuidit in duo membra, nempe in id, quod exigit omnes causas supernaturales, & in id, ad quod sola principia naturalia non sufficiunt, sed requiritur aliqua supernaturalis. Priori modo negat Theologiam esse supernaturalem, posteriori verò affirmat. Non tamen propterea definit esse supernaturalis simpliciter, quoniam actus omnes virtutum Theologicarum sunt supernaturales simpliciter, nec tamen exigunt omnes causas supernaturales, cùm essentialiter pendeant à potentijs vitalibus, quæ non sunt causæ supernaturales. Esse verò secundo modo hoc est simpliciter supernaturalem probatur, quoniam habitus Theologicus requirit causam supernaturalem, tum inexistentem animo per modum luminis, hoc est habitum fidei supernaturalis, tùm exterius proponentem per modum magistri, hoc est, Deum supernaturaliter reuelantem. Cùm enim assensus Theologicus, à quo gignitur habitus, per se pendeat ab actu fidei in præmissis, qui indiget lumine supernaturali, eleuante potentiam, & testimonio primæ veritatis reuelantis: ipse quoque habitus remotè saltem pendet per se à causis supernaturalibus, & consequenter est supernaturalis. Præterea habitus omnis respiciens obiectum sub motiuo supernaturali, est etiam supernaturalis. Theologia respicit Deum sub motiuo reuelationis supernaturalis: ergo est habitus supernaturalis: & confirmatur ratione, qua vtitur D. Thomas quæst.12.de veritate. artic.3. ad probandum prophetiam non esse cognitionem naturalem, quoniam notitia naturalis est, ad quam potest homo peruenire per se ex lumine intellectus agentis; ad assensum verò Theologicum non est satis lumen naturale intellectus, nisi perficiatur aliquo lumine superiore: quare eiusmodi actus & habitus per ipsum genitus est supernaturalis. Posterior pars per se patet: nam habitus Theologicus gignitur ad modum habituum naturalium, & idcircò sicut formæ naturales, reproductæ, aut productæ modo supernaturali, vel habentes annexum modum aliquem supernaturalitatis, dicuntur supernaturales quoad modum, ita habitus Theologicus, quoniam positis principijs supernaturalibus quoad modum discursiuum, gignitur eodem modo, quo naturales, meritò dici potest naturalis quoad modum.

Heruæus. Molina. Fonseca.

S.Thomas.

VIII. Ex dictis apparet, quomodo habitus Theologicus medium locum teneat inter naturales, & supernaturales infusos: nam cum his conuenit in ratione supernaturalitatis, cum illis in eo, quod sit acquisitus: & ita quatenus supernaturalis non supponit in anima potentiam actiuam completam, quemadmodum supponitur ad habitus naturales acquisitos: nam vt docet D. Thomas in 1.d.17.quæst.1. art.3. mens per lumen naturale intellectus agentis virtute continet principia scientiarum naturalium, & ratione ipsorum conclusiones: at quia idem lumen naturale intellectus non est satis ad assensum principiorum Theologiæ, sed præterea requiritur lumen supernaturale fidei, mens nostra non est completa potentia actiua actus, & habitus Theologici. Quatenus verò est habitus acquisitus, differt ab infusis, quoniam hi nullo modo continentur in potentia actiua, sed solum in materiali, imò habent rationem potentiæ actiuæ respectu actuum: habitus autem Theologicus continetur in potentia actiua intellectus, tum ratione principiorum formalium,

S.Thomas.

hoc

hoc est consequentiæ syllogisticæ, quæ lumine naturali rationis disponit, & agnoscitur, tum ratione assensus conclusionis, qui elicitur vitaliter à potentia, & eius interuetu producitur habitus Theologicus. Qui proinde non habet rationem potentiæ respectu suorum actuum, quoniã non supponitur ab illis, imò producitur: nec dat intellectui simpliciter posse, sed solùm confert facilitatem, & inclinationem ad actus similes ijs, quibus gignitur.

IX. Ad primum neganda est maior propositio. Ad eius probationem dicendum est, quamuis non sit aliud exemplum habitus acquisiti, qui non sit naturalis, non proindè Theologiam debere esse naturalẽ, quoniam, vt constat ex dictis, in ipsa est peculiaris ratio, cur sit habitus supernaturalis, & acquisitus, quæ non cernitur in alijs habitibus acquisitis: omnes enim habent ex parte potentiæ completam vim actiuam in suo genere, quam non habet intellectus cõparatione habitus Theologici: Ad secundum negandum est antecedens: & ad eius probationem neganda est assumptio; nam etiam ille actus, qui deducitur ex vna de fide, & altera naturaliter euidente, est supernaturalis, pendet enim per se ex causa supernaturali: Ad huius impugnationẽ, Respondeo cum Molin. vbi suprà d. 1. conclusionem quantum ad euidẽtiam, vel ineuidentiam, certitudinem, vel incertitudinẽ, semper sequi partem debiliorem, quamquam etiam, quoad certitudinem possit habere exceptionem, quam explico tract. 6. cap. 3. quoad alia verò non est opus, maximè verò quoad rationem supernaturalitatis: nam causa supernaturalis p se quoad hoc prædominatur, & traducit effectum ad suum ordinem, vt videre est in omnibus actibus ordinis supernaturalis, qui vitaliter attinguntur à potentia naturali, & nihilominùs non manet intra ordinem naturæ: ita quamuis assensus Theologicus pẽdeat etiam ex aliqua propositione naturaliter euidente, ex vi alterius de fide traducitur ad ordinem supernaturalem. Et ita secundùm aliquid est minùs perfectus assensu naturali euidente, qui ipse est ineuidens, vt enim ait D. Thom. quæstion. 12. de ver. articul. 1. ad 7. non repugnat, vt habitus acquisitus, & naturalis sit quoad aliquid supernaturali perfectior, vt patet in fide, ac scientia, quarum exemplo D. Thomas ibidem vtitur, & quoad hoc, est habitus Theologicus minùs perfectus præmissa euidente; quoad supernaturalitatem verò, quam habet ab assensu fidei, est præstantior. Ad tertium respondes Maiorem esse veram, si intelligatur de effectu, qui supponit causam supernaturalem, non ex necessitate propriæ naturæ, & speciei, sed solùm quoad modum factionis in aliquo euentu particulari, & hoc solùm volunt Doctores, & ostendunt exempla adducta. At verò habitus Theologicus necessariò, ac per se supponit causam supernaturalem, à qua producatur. Et ita si Maior accipiatur ad hunc sensum nil concludit argumentum; si verò intelligatur absolutè, est falsa: nam cùm natura omni effectui, & potentiæ passiuæ, constituat actiuam respondentem, si effectus non continetur completè in potentia actiua naturali, & indiget supernaturali, ipse quoque supernaturalis est.

Molin.

I. Thom.

TRACTATVS QVINTVS DE RATIONE PRACTICA, ET SPECVLATIUA SCIENTIÆ THEOLOGICÆ.

SVPERIORE tractatu dixi de natura habitus Theologici, ad cuius perfectam notitiã requiritur, vt constet, sitnè practicus, an speculatiuus; quod eodem tractatu explicandum foret, nisi multiplex eâ de re sententiarum varietas proprium tractatum exigeret. Hæc verò controuersia explicari rectè nequit, nisi præmissa explicatione diuisionis scientiæ, in practicam, & speculatiuam; nam varietas opinionum hac de re circa Theologiam magna ex parte nascitur ex diuersa explicatione terminorum, qua posita, non magna restat difficultas, ideoq; quamuis scientia de praxi, & speculatione pertineat ad Metaphysicum, & aliqua ex parte ad Philosophum moralem: quoniam tamen Theologi, iam suo quasi iure quæstionem hanc sibi vendicarunt, vtpotè necessariam, ad pervestigandum genus, & modum Theologiæ viatorum, beatorum, imò & ipsius Dei, eodem iure, & modo disputandi præmittenda mihi erit propositæ diuisionis explicatio, qua fieri poterit breuitate.

Cuiuscunque potentiæ operatio ab intellectu regulabilis, & à voluntate imperata, est praxis.

Caput I.

I. IN quauis scientia duo interuenire solent ex parte scientis, nempè habitus, & actus, actus verò necessario habet habitudinem ad obiectum, ad finem autem non necessariò, sed iuxta naturam specificam singularum scientiarum; ita vt actus sciendi in commune ex sua propria ratione formali, non necessario habeat annexam habitudinem ad finem; Deus enim verè scit, nec tamen actualis eius notitia necessario respicit vllum finem sui: actus enim, qui finem habet, causam quoque efficientem habeat oportet; at actualis scientia Dei, est Deus expers omninò causæ efficientis: & proinde sicut non fit ab vlla causa; ita neque est ob vllum finem. Cum verò vt docent Philosophi habitus sumant speciem ab actibus in ordine ad obiecta, de actibus est prius agendum, cognita namque natura actus practici & speculatiui, facilè dignoscitur habituum natura. Quia verò speculatiuum definitur per negationem practici, huius primum explicanda natura est. Porrò cum notitiæ practicæ obiectum sit praxis, de hac imprimis dicam: cognita enim praxi, à qua tanquam à proprio obiecto scientia practica sumit speciem, & distinctionem ab speculatiua, facili negotio innotescet natura practicæ, & discrimen ab speculatiua.

II. Praxis imprimis debet esse actio naturæ intellectualis: nam quæ ratione carent, nec propriè dicuntur agere, sed agi ab obiecto: nec sunt capaces notitiæ practicæ, quæ est opus rationis: quare non probo quorundam recentiorum sententiam concedentium sensibus internis rationem iudicij practici; in contrarium enim est manifesta authoritas Aristotel. lib.6.Ethico. cap. 2. vbi actionis principia inuestigans, cùm tria in anima numerasset, sensum, intellectum, & appetitum, subdit, *sed ex his sensus nullius principium actionis est: id quod perspicuum est, ex eo quod bestiæ sensum cum habeant, actionis participes minimè sunt.* Idem docet lib.1. magnor. moral. cap.12. Itaque praxis non est, vbi mens & ratio non est. Neq; verò omnes intellectricis naturæ operationes sunt praxes, sed quæ à potentijs vitalibus eduntur, nam operationes hominis, quas efficit, quatenùs conuenit cum elementis, & rebus alijs vitæ expertibus secundùm primas qualitates, praxes nequaquam sunt. Hoc tanquam fundamento præmisso dicam deindè hoc cap. vtrum omnium potentiarum vitalium operationes sint praxes, sequente verò quæ conditiones ad rationem praxis requirantur.

Aristot.

III. Ex potentijs vitalibus primus est intellectus: cuius actiones à ratione praxis excludit Scot. quæstion. 4. prologi §. *Dico igitur primo*; nam definiens praxim, quasi loco generis, *praxis*, inquit, *est actus alterius potentiæ, quàm intellectus.* Idem sentiunt Durand. quæstion. 6. prolog. num. 5. & 19. Bassol. quæst. 7. artic. 1. in prima conditione. Mayron. in 1. dist. 48. quæst. 2. artic. 1. part. 1. difficultate 2. Alphonsus de Toleto quæst. 9. prologi art. 1. Scot. quæstio. 4. procem. Logicæ. Antonius Andreas, Petrus de Aquilla, Franciscus Lychet. Ioannes Viguerius, & cæteri Scotistæ quæst. 4. prologi, & Iauell. 1. part. quæst. 1. artic. 4. probat autem Scot. primam illam partem suæ definitionis ex illo dicto Aristotel. in 3. anima. text. 49. *intellectus extensione fit practicus.* Nam si intellectus non aliter quam extensione est practicus, profectò consideratus secundùm proprias operationes non est practicus: extendi enim non dicitur, nisi quàdo dilatatur, & quasi extra se trahitur ad operationes aliarum potentiarum, quia intra latitudinem sui obiecti non continetur aliquid immediatè terminans praxim. Si quis verò respondeat extensionem posse quoque fieri ad actus ipsius intellectus, ita vt per vnum actum dirigentem extendatur ad eum, qui à priore dirigitur, respondet non propterea secundum esse praxim ad modum, quo in præsentiarum loquimur, neque primum cognitionem practicam, quoniam sequeretur Logicam esse practicam; neque aliam rationem assignat: probat autem Toletan. quia ab speculatione non potest dici scientia practica; diceretur autem si praxis sit actus intellectus: quia à praxi desumitur ratio scientiæ practicæ, & sæpè accidit, vt speculatio cadat sub electionem voluntatis, & directione intellectus. Quidam recentiores existimant Scotum non ita negare operationes intellectus esse praxes, quasi nolit ipsas, cùm liberè imperantur à voluntate, habere rationem praxeos, nam hoc, inquiunt, non negaret. Verùm Scot. omnem prorsus actionem intellectus negat esse praxim, siue

Scot. *Durand.* *Bassol.* *Mayronius* *Alphō. Tolet.* *Sotui* *Anton. Andr.* *Petrus Aquil.* *Lychet.* *Viguer.* *Iauellus.* *Aristot.*

fiat

fiat ex electione voluntatis, siue non; nam ipse sibi opponit hanc ipsam rationem, & soluit.

IV. Nihilominùs dicendum eam conditionem minimè requiri ad rationem praxis, atque adeò actus etiam intellectus ab antecedente notitia regulabiles, habere posse rationem praxis. Hæc est sententia D. Thomæ 2.2.quæstion.47. articul.2. ad 2. & aliorum, qui sententiam Scoti ex professo impugnant. Heruæ. quodlib.1. articul.1.quæstion.3.ad dub.3. ex secundo loco positis. Aureol.quæst.3.prologi artic. 1. dum impugnat sextam opinionem, & articul.2.Gabriel quæst.10.art.1.Mayron. quæst.6.Ocham.quæst.4.principali & 10. in ordine lit. D.Ioannes Bachonus quæst. 4.prologi art. 2. Gregor.quæst.5.prologi artic.1. Marsil.quæst.3. artic.2. Capreol. quæst.2.artic.1.conclusione 4.& art. 2. ad argumenta Gregorij contra 4. conclusionem.Sylvest.1.part.conflati quæst.1. artic. 1.Hispalens. quæst.2. prologi art.3. notab. 4.& Nicolaus Bonettus lib. 2. met.cap.4. fundamentum est, quoniam conditio illa ad libitum fingitur ab Scoto, absque auctoritate Aristotelis, aut vllius antiquorum, à quibus deriuata est diuisio, ac notio practici, & speculatiui. Deindè etiam est contra rationem; quandoquidem, si ratio practici, vt ipsemet admittit, consistit præcipuè in ratione regulandi, siue mensurandi, saltem aptitudinaliter, & praxis in eo quod sit actio regulata, fieri poterit vt sit aliqua notitia intellectiua, quæ non sit practica, aut speculatiua; nimirum illa, quæ fuerit directiua actuum intellectus: qualis est ea pars prudentiæ, quæ est mensura studiositatis: hæc enim propriè est mensura actuum studendi, qui maximè ad intellectum pertinent: nam similes notitiæ, cùm contentæ non sint, sola obiecti speculatione, sed vlterius dirigantur ad operationes, quas dirigunt, nequeunt esse speculatiuæ: quoniam verò dirigunt operationes intellectus, quæ non sunt praxes de sententia Scoti, non erunt practicæ; quando verò diuisio fit, per oppositas differentias secundùm affirmationem, & negationem, vt idemmet vult esse diuisionem scientiæ in practicam, & speculatiuam, debet adæquare diuisum, ita vt nihil, sub illo contentum maneat extrà alterutrum, ex membris diuisionis. Deindè omnis actus imperatus à voluntate est praxis: aliqua intellectio est actus à voluntate imperatus: ergò est praxis. Respondet non sequi determinatè, quod sit praxis; sed vel praxis, vel practica: Ego verò interrogo ratione cuius partis sit cósequens verum, si ratione prioris habetur intentum, nempè aliquem actum intellectus esse praxim; si ratione posterioris sequitur nullum actum speculandi posse imperari à voluntate, quod falsum esse experientia docet; homines enim liberè se applicant studio, & humanarum, diuinarumque rerum cõtemplationi: ideoq; studendo merentur, vt colligitur ex sententia illa D.Gregor. lib.6.Moral.cap.5.super illa verba: *Nihil interea sine causa fit nonnunquam studiosus tarditate intelligentiæ premitur, vt eo maiora præmia retributiõis inueniat, quo magis in studio inuentionis elaborat:* quare cum actus ipse contemplationis sit frequenter liber, & imperatus à voluntate, nõ sit autem notitia practica, vt per se patet, necessariò erit praxis de sententia ipsiusmet Scoti, qui actum omnem à voluntate imperatum, concedit esse, vel praxim, vel practicum. Quod argumentum videns Lychetus ibidem docet fortè non debere intelligi Scot. de omni cognitione imperata, sed de illa, quæ apta est extendi ad praxim: vt quando voluntas imperat intellectui, vt quærat media ad aliquem finem; sed non est ad mentem Scoti, qui vniuersaliter respondet argumento, ex eo quòd sit intellectio imperata, non sequi, quod determinate sit praxis, sed vel praxis, vel practica. Vndè patet non satisfacere Lychetum argumẽto, quod ibi proponit; nempè quod multæ intellectiones possunt esse bonæ, vel malæ moraliter imperatę, ac proindè praxes: respondet enim, si illæ cognitiones sint de fine, vel de his, quæ sunt ad finem, esse verè directiuas in praxim, ac proindè magis esse practicas, quam praxes: non inquam satisfacit, quia potest, operatio intellectus bona esse imperata à voluntate, quæ non versetur circa finem, vel medium à se distinctum vt patet.

D.Gregor.

Lychet.

V. Ad dictum verò, quod communiter refertur ex Aristotele, respondetur cum ipsomet Scoto q.5.prologi §. *Ad rationes*, Aristotelem nunquam dixisse intellectum extensione fieri practicum: sed cum lib.3. de anima à tex.40. inquireret primam causam motus localis text.46. asserit non esse intellectum speculatiuum, vt per se patet: neque practicum, nisi adsit motus appetitus. tex. autem 49. ait intellectum practicũ differre à speculatiuo fine, & quoniam omnis appetitus est propter finem, finis hoc ipso est principium actiui intellectus, & consequenter actionis quæ regulatur ab illo. Ex quibus omnibus solùm colligitur habitus, vel actus intellectus

Scot. Aristot.

eo

eo solùm esse practicos, quo dirigunt ad actionem aliquam propter finem: ex quo non sequitur solùm in ordine ad operationes aliarum potentiarum esse practicos, cum etiam dirigi possint ad alias operationes eiusdem intellectus, quæ regulentur, & ideò habere possint rationem praxis. Secundum argumentum tangit difficultatem dialecticam potiùs, quam Theologicam, quę pro vtraque parte habet assertores iuxta varios modos explicandi obiectum Dialecticæ. Quod enim Logica sit habitus speculatiuus docent præter Scotum loco citato, & Scotistas ibidem, Heruæus vbi suprà ad dub. 1. & 3. circa conclusionem. Basſol. vbi suprà. Mayron. quæst. cita. artic. 2. difficultate 1. Argentin. quæstion. 4. prologi articul. 4. Capreol. quæstion. 2. articul. 2. ad Argumenta Aureoli contra 4. conclusionem. Ioannes de Bachone quæstion. 2. ar. 2. §. *Est ergò*. Et Hispalens. quæst. 2. artic 4. ad argumenta contra tertiam conclusionem. Ego verò, sicut existimo præcepta Dialecticę esse regulatiua actionum intellectus, quoad modos differendi; ita etiam cum Aureolo quæst. 3. prologi. articul. 2. Ochamo. quæst. 11. Corollar. 2. 4. conclusionis Gregor. q. 5. ar. 1. ad arguméta Scoti & Gabriel. q. 11. ar. 2. post 5. conclusionē, & alijs, credo esse practicam, & ad argumentum admitto sequelam: neque vllum est absurdum id asserere. Vt fusè probat Petrus Fonseca lib. 2. Met. cap. 3. quæstion. 2. Ad argumentum Toletani, respondetur, ab speculatione vt elicita, non posse habitum dici practicium, posse tamen ab eadem vt imperata, & mensurata, per antecedentem notitiam. Ego verò non assero speculationem dare denominationem practici habitui à quo elicitur, sed illi, qui inclinat ad notitiam præscribentem modum, ac normam ipsi speculationi.

Scot. *Heruæus* *Basſol.* *Mayron.* *Argentin.* *Capreolus.* *Bachonus.* *Hiſpalenſ.* *Soncinas.* *Aureol.* *Ocham.* *Gregorius* *Gabriel* *Fonſeca.*

VI. *Bachonus.* Oppositam omninò sententiam tenuit Ioannes Bachonus quæstio. 4. prologi. articul. 2. §. 1. contendit enim praxim esse solam operationem intellectus. Fundamentum eius est, quoniam sicut speculatio est operatio habitus speculatiui, ita etiam praxis est operatio habitus practici: operatio verò est in eadem potentia, cui inest habitus, à quo procedit: quare cum habitus practici sint in solo intellectu, sola eius operatio erit praxis. Oppositа tamen sententia est communis, vt constabit inferius, ideoque tenenda. Deceptus tamen est Bachonus æquiuocatione, vel ignoratione, quid nominis *praxeos*, putans significare operationem immediatè elicitam ab habitu practico; quo sensu rectè sentit. Verùm Doctores communiter statuunt discrimen inter notitiam practicam, & praxim, ita, vt notitia practica, sit actus elicitus immediatè ab habitu practico, praxis verò sit operatio ab eadem notitia regulata.

VII. Post intellectum sequitur voluntas, cuius actus esse praxes sentiunt communiter Doctores; quoniam hi sunt, qui à notitia intellectus practica regulantur. Quidam tamen apud Scotum quæstion. 5. prologi §. 3. *Via*, existimant volitionem non esse propriè praxim, sed actum illa posteriorem; vel si volitio est praxis, non esse nisi in ordine ad aliquem actum ab ipsa imperatum exequendum, per appetitum sensitiuum, vel potentiam motiuam; quam opinionem aliqui Scotistæ tribuunt Heruæo quodlib. 1. quæstion. 3. Verùm ille non est in illa sententia, quæ vniuersaliter negat omnem actum à voluntate elicitum esse praxim: quamuis enim dicat actus elicitos non esse praxim, sed imperatas, non loquitur de actibus voluntatis, sed de actibus elicitis ab habitu practico, quod meritò negat esse praxes, quia ipsi non sunt operationes regulatæ, sed regulæ operationum. Fundamentum habet hæc sententia in auctoritate Philosophi, & Eustratij, quorum ille lib. 6. Eth. c. 2. ait, *electio igitur actionis principium est, vnde est motus.* Vbi Eustratius inquit, *motus autem ille, & impetus ad actum, est motus inferioris potentiæ: ille autem est, quem dicit esse operationem secundùm electionem, & per consequens praxim.* Idem commentat. ad principium lib. Ethic. *praxis*, inquit, *est operatio secundùm electionem*, nihil est principium sui: ergo si de mente Philosophi electio est principium actionis, siue praxis, & de sententia commentatoris operatio, secundùm electionē, fieri inquit, vt electio sit praxis. Deindè praxis est, qua generatur habitus practicus, is autem gignitur ex actibus, sequentibus electionem, non verò electione ipsa: electio igitur non est praxis. Assumptio ostenditur, si quis enim nûquam actu operatur, ex præceptis Musicæ aut cuiusuis alterius artis practicæ, nunquam acquiret habitum ipsius per actus voluntatis elicitos, queis appetit exercitium talis artis.

Scotus. *Heruæus.* *Euſtratius.* *Ariſtot.*

Hæc sententia, aut intelligi potest absolutè de omni prorsus electione, etiam quatenus à scientia morali, & prudentia regulatur, aut solùm de actu voluntatis, circa operationes artium; & quidem si hoc secundo modo intelligatur, non caret probabilitate,

vt e-

vt enim infrà dicam, actus voluntatis circa obiecta artium solùm est praxis, quatenus imperat executionem dictaminum artificialium, & ita sublata hac habitudine non retinet nomen, aut rationem praxis: & in hoc sensu negat Heruæus vbi suprà, actum voluntatis esse praxim, si priore modo intelligatur, singularis omninò est, & improbabilis. Oppositam tuetur Albert. in sum. tractat. 1. quæst. 3. nu. 3. docens Theologiam esse practicam in ordine ad actus virtutum Theologicarum, & cardinalium infusarum, qui sunt actus voluntatis, item S. Thomas 2.2. quæst. 47. art. 5. vbi prudẽtiam docet esse practicam, quia versatur circa agibilia, quæ in ipso operante consistunt, & quæst. 16. de malo, art. 8. docet cognitionem, qua æstimatur aliquid eligendum, vel appetendum esse practicam, & ad 11. omnem peruersum appetitum esse cum aliqua falsitate rationis practicæ Richard. q. 4. prologi. Scot. qu. 5. art. 1. §. *Contra illud* & §. *Contra hanc conclusionem* & Lychet. Viguer, & alij ibidem. Aureol. q. 3. art. 1. dum impugnat 2. 3. & 5. opinionem, & artic. 3. prima propositione. Ocham. q. 10. ar, 1. 2. & 3. Toletan. Gregor. & Bonettus vbi suprà, Bassol. q. 7. §. *De primo* corol. 2. & q. 8. art. 1. §. *Contra tertiam viam* Mayron. q. 2. cit. art. 1. p. 1. conclusione 1. & 2. Argentin. q. 4. prologi arti. 2. Marsil. q. 3. art. 2. Anton. Andreas qu. 4. Gabriel q. 10. art. 1. & 2. Capreol. q. 2. ar. 1. conclusione 4. Maior q. 6. Hispalens. ar. 3. cit. Sylues. q. 1. cit. artic. 1. probatur 1. ex Philosopho lib. 6. Ethic. cap. 2. affirmante non esse electionẽ rectam sine ratione recta: supponitur ergò recta ratio, cui electio confirmari debeat: hæc autem recta est per sciẽtiam moralem & dictamina prudentialia circa singularem actum cum his, vel illis circumstantijs, prudentia verò est virtus practica: ergò habet praxim p obiecto: immediatum verò obiectum ipsius sunt voluntariæ electiones circa materias omnium virtutum: electio ergò necessario est praxis. libet autẽ referre verba Aristot. vt clarius eius sententia appareat, *cùm moralis virtus habitus electiuus sit, electio verò consultatrix appetitio, propterea oportet, si modo electio proba est, vt & ratio sit vera, & appetitus rectus & eadem, & illa dicat, & hic persequatur.* Ecce supponit rationem rectam dictantem appetitui, quod persequatur, & subdit. *Atq; hæc cogitatio, seu mens, & veritas actiua est*, veritas autem actiua dirigit praxim sequentem: ergò si de Philosophi sententia ratio recta, cui electio conformari debet, est veritas actiua, electio ipsa praxis, siue actio est. Deindè virtutes omnes morales, sunt ad praxim ordinatæ: primus autem actus virtutum moralium, in quo formaliter est bonitas moralis, & à quo deriuatur ad actus reliquarum potentiarum, est actus voluntatis, qui plerunque cum electione coincidit, est enim virtus habitus electiuus, vt docet Philosophus lib. 2. Ethicor. cap. 5. & lib. 6. cap. 2. ergò electio est præcipuè praxis. Tertiò habitus ex ijsdem actibus generatur, ad quos inclinat ex Aristot. lib. 2. Ethicor. cap. 1. & 2. inclinat autem virtus omnis moralis ad electionem rectam, vt patet ex testimonio Philosophi paulò antè citati, ergò ex eadem gignitur; virtus autem quæ habet pro mensura dictamina practica rectę rationis, cui confirmari debet, non potest, non inclinare ad praxim: sunt ergò electiones ipsæ veræ praxes.

IX. *Aristot.*

Ad auctoritatem Aristotel. Respondetur ex eo loco colligi electionem esse praxim, vt iam paulò antè deduxi, & ex verbis sequentibus post ea, quæ in argumento recitata sunt, cernere licet: sic enim habent: *electio igitur actionis principium est, vndè est metus, non cuius causa, electionis verò appetitus, & ratio quæ alicuius causa est.* Ex quibus patet Philosophum eo loco nomine actionis non accipere quamuis praxim, sed eam, quæ cum motu est, & sic ex imperio voluntatis eligentis; nam ibidem admittit electionis ipsius causam esse appetitum rectum, & rationem, siue repræsentationem finis, sub ratione boni, & amplectendi, quam paulò antè veritatem actiuam appellauit. Et hanc acceptionem praxis strictissimam cum alijs tradit Eustratius lib. 1. Ethicor. vt ex ipso refert Ocham. Gregor. Gabriel, & Marsil. locis citat. in qua vtrunque eo loco 6. Ethicor. loqui colligitur, ex ipso contextu. Duobus alijs modis interpretatur dictum Commentatoris Scot. citat. ad 3. sed prædicta expositio est secundum ipsius sensum; Quod attinet ad rationem, Maior propositio non est absolutè vera: etenim scientia moralis, & prudentia sunt habitus practici, nec tamen per se acquiruntur, aut perficiuntur actibus, qui sunt praxes; sed proprijs actibus scientiæ, ac prudentiæ, qui praxes nequaquam sunt, sed iudicia practica; si verò nomine habituum practicorum intelligantur, non habitus ipsi scientiæ practicæ, sed habitus virtutum, à quibus eliciuntur actiones studiosæ, quæ sunt veræ praxes regulatæ per dictamina notitiæ practicæ, vera est p positio, sed assumptio

Eustratius Ocham. Gregor. Gabriel Marsil.

falsa;

Albert. *S. Thom.* *Richard. Scot. Lychet. Viguer. Aureol. Ocham. Toletan. Gregor. Bonettus Bassol. Mayron. Argent. Marsil. Anton. Andr. Capreol. Gabriel Maior. Hispalens. Sylvest. Aristot.*

talia; per ipsas enim electiones studiosas acquiruntur,atque augentur habitus, virtutum moralium: quanuis enim ad id maximè conducat ipsummet exercitium circa propriam materiam per actiones externas à voluntate imperatas,propter causas assignari solitas in materia de virtutibus moralibus, actiones tamen, quibus per se,ac propriè habitus ipsi acquiruntur,&augentur,sunt electiones ipsę voluntatis: confirmatio verò ab exemplo musicæ petita non est ad rem:non enim in voluntate est vllus habitus circa musicam,neque eius actus ratione musicæ habent propriè rationē praxis;nisi quatenus applicans potentias ad cātum,vel harmoniam edendam.

X. *Henricus Varro. Toletan. Argentin.*

Posita verò communi sententia, quæ asserit actus voluntatis eliciros esse praxim, restat videndum,vtrum omnes,an aliqui? Henric.1.par.sum.art.8.q.3 ad 3. & Varro lib.1.quæst.4. apud Scotum qu.5.prolog art.1.§.*Secunda via.* Toletan.q.9.art.1. & 2. conclusione 1.& art.4.ad argumenta contra primam conclusionem,& Argentin.q. 4.art.2.existimant solas electiões esse praxes, intentionem verò finis nequaquam. Fundamentum Henrici est,quoniam actus voluntatis circa finem non indiget directiuo,sed sola ostensione intellectus: hæc autem non opus est vt sit practica,sed sufficit speculativa,qua proponatur voluntati obiectum perfectè,& clarè cognitum;ex hac enim sola cognitione,absque alio præuio dictamine,vel regula dirigente,voluntas fertur in obiectum operatiõe perfecta, absque discursu,& deliberatione:ideoque operatio huiusmodi non est censenda praxis. Fundamentum Varronis est,quoniam praxis est solùm circa cõtingentia,finis autem non est aliquid contingens, sed solùm ea,quę sunt ad finem. Prior pars huius fundamenti probatur ex Aristot. lib.3. de anima text.51. asserente practicam esse circa contingens,&lib.6.Eth.cap.4.vbi inquit, artem esse eorum quæ esse, & non esse possunt.Et ex Eustratio lib.1.Eth. existimante praxim esse operationem secundùm electionem: porrò electio non est nisi circa contingens ex lib.3.Eth.cap.2.&3.est enim appetitus consiliatiuus,cõsilium autem solùm est de ijs, quæ in nostra sunt potestate,& in alterutram partē euenire possunt: quare cum circa finem non sit electio, sed intẽtio,& circa finem nemo erret,est enim bonum,quod omnia appetunt, necessariò sequitur, vt appetitio finis non sit praxis, sed sola electio mediorum,circa quæ contingit error;Cuius vitādi gratia requiritur consilium,& directio intellectus.

Aristot. Eustratius.

Communis tamen sententia est praxim extendi ad omnem actionem voluntatis, tam circa finem,quam circa media. Ita expresse docet Durand.qu.6.prologi nu.22. Heruæus,quodlib.1.q.3.art.1.dub.3. Scot. in prologo quæst.cit.§.*Contra hoc* & §.*cõtra hanc conclusionem*: cum Lycheto & alijs interpretibus ibidem, Aureol.vbi suprà, Bassolis qu.8.art.1.§. *Contra primam* & seq. Maior.q.6.Ocham.q.10.cit.a.1.& 2.Mayron.in 1.d.48.q.2.art.1.conclus.3.Gregor. q.5.prologi.art.1.Marsil.q.3.art.2.Aquilanus q.4.ar.4.Gabriel q.10.art.1.& 2.Præcipuæ rationes Scoti sunt hæ. Ad idem genus pertinent principia, & conclusiones: cognitio autem finis est directiua actuum humanorũ circa ea, quæ sunt ad finẽ,nãq; vt ait Aristot. lib.2.Phys.t.89.ita se habet finis in agibilibus, vt principium in speculabilib'; ergò si cognitio eorũ, quæ sunt ad finẽ,est cognitio cõclusionũ practicarum, cognitio finis est cognitio practica,quoniã est de principio practico. Vt aũt vis huius ratiõis eluceat,oportet aduertere id,quod Logici docent, nimirum in notitia distincta,siue definitione subiecti contineri virtute principia omnia, per quæ fieri debent demonstrationes, de proprietatibus eiusdem subiecti,ita vt omnis tandem scientia resoluenda sit ad eam definitonem, tanquam ad primum principium incomplexum: quemadmodum verò se habet subiectũ in speculabilibus,ita finis in operabilibus,& cognitio eius distincta continet eminenter omnia dictamina practica circa operationes,quibus ad ipsum itur,vt colligitur ex Aristot.lib.6.Eth.cap.2.illis verbis: *electio igitur actionis principium est,vnde est motus, non cuius causa, electio verò appetitus est ratio, quæ alicuius causa est.* Ad quem locum D.Thomas ait,quod ratio proponens finẽ, & ex eo procedens ad ratiocinãdum,& appetitus tendens in finem comparatur ad electionem per modum causæ; itaque ipsa ratio finis est causa omnium, quæ sequuntur:quod multo euidentius asseuerat Aristot.eodem cap.cùm enim dixisset ad electionem rectã requiri appetitum rectum, nempè finis,in ordine ad quem sumitur regula prudentiæ,& rationem rectam, hoc est,notitiam ipsius finis, sub ratione boni amabilis,nam dicit id sequi appetitum, de quo ibi loquitur, nempè finis, quod ratio dictat,nempè repræsentatio eiusdem finis subdit,*atque hæc cogitatio seu mens, & veritas actiua est:* cogitatio ergò finis, vt ratio recta proponẽs volũtati, quid amplecti debeat, est veritas actiua, seu practica: ergò intentio finis,quæ ab ea procedit,est praxis &ita

XI. *Durand. Heruæus Scot. Lychet. Aureol. Bassol. Maior. Ocham. Mayron. Gregorius Marsil. Aquilan. Gabriel Aristot.*

Aristot.

S.Thom.

distin-

distincta cognitio finis, proximè atq; immediatè continet prima principia practica circa ipsum finē: V.g. notitia distincta Dei continet hoc dictamen: Deus est diligendus: hoc autem principium dirigit aliquā praxim non nisi intentionem, & amorem finis ipsius: ergò necessariò fatendum est finis amorem, non excludi, à ratione praxis. Secunda, Quamuis non possit voluntas errare circa finem, & bonum in commune, potest tamen circa bonum, & finem in particulari, & circunstantias actus, quo finis appetitur, sed omnis actus, in quo reperitur error, & defectus, indiget regula dirigente, cui confirmari debeat: ergò etiam appetitio finis indiget eiusmodi regula, & consequenter praxis appellanda est: Ex quo patet solutio ad vtrumq; fundamentum oppositæ sententiæ: Ad primum, quoniam finis in particulari nō semper ita clarè, ac distinctè ostenditur intellectui, vt sola ostensio ipsius satis sit ad appetitū rectū, tum circa ipsum, tum quoad actionis circunstantias. Ad secundum, quoniam appetitio finis in particulari cū singulis circunstantijs, quæ reddunt actionem studiosam, non necessaria, sed contingens est. Porrò quādo Eustrat. praxim dicit operationem secundùm electionem, nomine praxis solas actiones imperatas à voluntate intelligit: & ita quemadmodum ex ea autoritate nō colligi debet ipsam electionem non esse praxim, vt sonare videtur, quandoquidem electio ipsa non est secundùm electionem: ita etiam non colligitur nequaquam esse praxim appetitionem finis, quando habetur, liberè, & conformiter ad rectam rationem. *Eustrat.*

XII. Hanc doctrinam sequitur Gerson. 3. p. tractat. 3. super Magnificat Alphab. 82. lit. M. in ordine ad fines non vltimos; nam operationes, quæ circa vltimum versantur, censet non esse praxes. Probatur, quoniam alioquin Metaphysica erit notitia practica, cùm sit principium amoris, quo finis vltimus, hoc est Deus, diligitur. Eandem limitationem probat Marsil. quæstion. 3. prologi, artic. 5. concluſ. 5. & 7. quia praxis est actio, dilectio autem non pertinet ad vitam actiuam, sed contemplatiuam, ac speculatiuam. Verùm hæc exceptio à cæteris non adhibetur, ideoque non recipienda, quoniam amor vltimi finis potest etiam regulari per dictamen practicum scientiæ moralis, sicut cæteræ actiones studiosæ, & consequenter esse praxes, vt plures ex autoribus citatis expresse dicunt: neque ex hoc sequitur Metaphysicam esse practicam, quandoquidem non mouet ad amorem, per modum dirigentis, ac regulantis, sed solùm per modum repræsentantis obiectum bonum & amabile, quod sat non est ad rationem notitiæ practicæ, vt dicam cap. 4. ex quo etiam fundamento soluitur argumentum Marsilij. Dilectio enim ita est praxis, vt tamen per se contineatur intra limites vitæ contemplatiuæ: nam actiua, quatenus ab ea distinguitur, nō extenditur ad omne genus praxis, sed præcipuè ad eas, quæ prodeunt in externam materiam. *Gerson* *Marsil.*

XIII. Postquam de actibus intellectus, & voluntatis dictum est, sequitur, vt ad alias potentias veniamus. Et quidem actus illarum, quæ non subiacent regulis rectæ rationis, & arbitrio voluntatis, non esse praxes manifestum est, vt capite sequente ostendam. Inter eas autem, quæ à voluntate imperantur, & intellectu diriguntur, quædam sunt notitiæ sensitiuæ, vel ad intellectiuam gignendam inseruiunt: quædam alterius generis. Priores à ratione praxis excludit Bassol. quæst. 7. prologi §. *De primo.* siquidem in secunda conditione praxis requirit, vt sit operatio alterius generis à cognitione, in tertia verò, vt non sit ex se ordinata ad generandam notitiam, & idcircò expresse negat cognitionem sensitiuam, & sermonem esse praxes dirigibiles per notitias practicas. Cuius sententiæ non assignat vllum fundamentum, sed absolutè conditiones illas requirit. Potest tamen probari ex eo, quod eiusmodi operationes non sunt propter finem à cognitione distinctum, quod requiritur ad praxim.

XIV. Dico tamen, operationes omnes à voluntate imperatæ, & intellectu regulatæ sunt praxes, siue sint notitiæ sensitiuæ, siue non, siue per se dirigantur ad gignendam notitiam intellectus, siue non. Ita vniuersaliter docent Mayron. quæst. 2. prologi articul. 1. part. 1. concluſ. 2. Ocham. quæst. 10. artic. 1. & 2. Gregor. quæst. 5. artic. 1. Marsil. quæst. 3. articul. 2. Gabriel quæst. 10. art. 1. & 2. Capreol. quæst. 2. artic. 1. concluſ. 4. Maior. quæst. 6. Sylueſt. vbi suprà, & expresse actus potentiarum cognoscitiuarum, quatenus subiacent directioni, esse praxes docet Scot. quæst. 4. §. *dico igitur primo,* circa secundam conditionem praxis cum Lycheto ibidem, Gabriel, Maior & Hispalens. vbi proximè. Fundamentum est, quoniam actus virtutum moralium, magna ex parte consistunt in appetitu sensitiuo, & operationibus externis, actus verò virtutum esse pra- *Mayron.* *Ocham.* *Gregorius* *Gabriel* *Capreolus.* *Maior.* *Sylueſt.* *Scotus.* *Lychet.* *Gabriel* *Maior.* *Hispalens.*

xes constat, quoniam prudentia, quæ eas dirigit est habitus practicus, vt constat ex Aristotele 6. Ethicor. cap. 5. qui eam definit habitum cum ratione vera, actiuum circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt. In particulari verò quoad operationes sensitiuas, & eas, quæ ad notitiam intellectus referuntur, suadetur eadem ratione, qua probatum est operationes intellectus posse esse praxes, quandoquidem conditio illa liberè, & sine fundamento adhibetur. Deindè verò quia erit aliquod iudicium intellectus, quod non sit practicum neque speculatiuum, nempè id, quod fuerit regula talium operationum: nam iuxta sententiam oppositam non est practicum: re autem ipsa non est speculatiuum, quia respicit finem distinctum à se ipso, & operationem, cui regulam præscribit. Quod verò attinet ad sermonem facilè probatur: tum quia in ipso consistunt plurimæ operationes morales, quæ sunt praxes: tum etiam, quia regulatur ab arte: omnis autem ars est notitia practica, vt constat ex Aristotele lib. 6. Ethicor. cap. 4. Ad rationem verò respondeo, duobus modis habitum esse propter notitiam tanquam propter finem, altero proximè, & immediatè tanquam propter actum, quem elicit: & hoc modo includi, sub ratione speculatiui: altero remotè per actum à se elicitum, qui sit directiuus alterius operationis, quæ ad cognitionem referatur: & hoc modo excludi à ratione speculatiui, quandoquidem in contemplatione, ad quam inclinat, non sistit tanquam in fine, sed per eam refertur ad aliquem alium finem extrinsecum per operationem, quam dirigit. Et quia notitia regulans sermonem externum, & cognitiones sensitiuas non conquiescit in sola perceptione obiecti, sed illud regulando tendit ad vlteriorem finem, est practica, quamuis finis ille sit cognitio.

Aristot.

XV.

Adhuc tamen circa huiusmodi operationes dubitatur, vtrum per se sint praxes, an verò solùm per accidens: Et quidem Scot. quæstion. 4. prologi §. *Dico igitur primo*, negat esse per se praxes: nam in fine definitionis praxis à se traditæ tamquam corollarium ex dictis elicit actum à voluntate imperatum non esse primo praxim, sed quasi per accidens: quia non primo natus est elici conformiter rationi rectæ, ideoque requiri alium, nempè actum voluntatis, ratione cuius actus imperatus regulatur, & manet praxis. Eandem opinionem sequitur Mayron. in 1. dist. 48. quæst. 2. artic. 1. conclus. 1. Ioannes Bassol. quæst. 8. prologi artic. 2. §. 1. Anton. Andreas quæstion. 4. & Marsil. quæst. 3. artic. 2. Quæ sententia suaderi potest, quia operatio ex regula habet, vt sit praxis, ergò quæ primo ac per se regulatur à notitia practica, est propriè, ac per se praxis: quæ verò remotè, & per aliud, erit praxis per accidens.

Scot.

Mayronis. Bassol. Anton. Andr. Marsil.

Quæ sententia, quatenus actiones à voluntate imperatas appellat praxes per accidens, non est tenenda, & illam benè impugnat Heruæ. quodlib. 1. quæstion. 3. artic. 1. dubio secundo ex primo loco positis, & Aureol. quæst. 3. prologi artic. 1. circa sextam opinionem; & oppositæ sententiæ est S. Thom. qui 2. 2. quæst. 57. artic. 1. ad 1. præcipuè distinguit practicum ab speculatiuo per ordinem ad opus extremum: distinctio autem fieri debet per id, quod per se intenditur, & nō per accidens. Idem sentiunt Ocham. & Gabriel in 1. dist. 35. q. 6. quatenus docent operationes Dei ad extra, esse verè praxes, quamuis volitio diuina praxis non sit. Fundamentum huius sententiæ est, quoniam ad rationem praxis per se non requiritur, vt sit primo, hoc est intermedia alia operatione regulata, sed vt sit obiectum per se operabile, quod regula respiciat tanquam operationem completam in suo genere; hoc autem modo se habent operationes externæ regulabiles, per dictamina practica, quorum per se fines sunt. Etenim dictamina hæc naturalia, Deus est colendus, parentes honorandi, ius suum vnicuique reddendum, vltimò per se referuntur ad ipsasmet operationes à voluntate imperatas, de quibus per se legem præscribunt: quia tamen lex datur voluntati in actu exercito, priùs ipsius actus eliciti mensurantur, quam imperati, sed vtrique propriè, ac per se, & ideò imperati vendicant propriam rationem praxis. Accedit, quod operationes artificiales sunt propriè praxes, eæ verò sunt imperatæ, non elicitæ à voluntate: Si verò aliquis respondeat, etiam tunc voluntatem ab arte regulari, quatenus iuxta normas illius applicat potētias inferiores ad executionem, non soluit argumentum. Nam licet applicatio ipsa, & executio, sit conformis regulis artis, ipsa volitio applicandi potentias iuxta præscriptas artis leges, non est verè praxis artis, sed desiderium habendæ propriæ praxis, quæ tum demum incipit, cum re ipsa fit, quod ars dictat: quis enim dixerit eum, qui vult vti legibus musicę, habere

Heruæus. Aureol. S. Thom. Ocham. Gabriel

XVI.

praxim

praxim musicæ,priusquam psallat? & cõfirmatur apertè, quoniam praxis est immediatum obiectum notitiæ practicæ; at dictamen Musicæ, non est quod voluntas debeat velle hoc, vel illo modo canere, sed quod in cantu seruari debet hæc, vel illa proportio; ideoque propria, & per se praxis respondens dictamini artis non est actus voluntatis elicitus, sed imperatus. Dicet aliquis, idem argumẽtũ posse aptari dictamini practico morali, etenim dictamina naturalia,pleraq; sunt de ipsis actib⁹ imperatis. Non occides, Non Mœchaberis,& cæt.& tamen voluntatis actus circa obiecta huiusmodi dictaminum sunt verè praxes, & eodem modo, quamuis dictamina artis respicant operationes à voluntate imperatas, tamen actus ipsius voluntatis elicitos, quibus vult operari secundum vel contra regulas artis, verè, ac propriè esse praxes. Verùm hac responsione non satis fit argumento: etenim actus voluntatis circa obiecta moralia, sunt id, quod immediatè regulatur à notitia practica: & primo, ac per se est particeps rectitudinis, vel deformitatis moralis; ideoque illa ipsa dictamina,quæ primo videntur respicere obiecta externa primo, ac per se regulant voluntatem, vel saltem supponunt dictamen naturale practicum vniuersale, scilicet nihil prohibitum esse appetendum, cui immediatè conformatur, vel difformatur actus voluntatis elicitus circa obiecta externa At nulla est regula artis per se, atque immediatè regulans actus elicitos voluntatis, sed solùm per accidens,& indirectè, quatenus regulat actus aliarum potentiarum, ad quorum executionem requiritur consensus, & applicatio voluntatis. Itaque duo sunt genera actuum voluntatis, alterum, quod completur in ipsa voluntate,nec per se dirigitur ad actum imperatum, vt amor, odium,inuidia, alterum quod dicit ordinem ad actum imperatum, cuius executione perficitur, vt actus temperantię, fortitudinis,iustitiæ,&hi sunt in genere moris, cùm imperatis, & ex vtrisque resultat vna praxis perfecta propriè,ac per se.

XVII. Ad argumentum quod tangit Scot. Respondeo, non quidquid participat rationem aliquam per aliud,esse talem per accidens; fieri enim potest, vt per se illi conueniat esse compotem rationis illius,interuentu alterius: quomodo cælum lunæ mouetur per se,& non per accidens à primo mobili: & tamen mouetur tot medijs instrumentis: ita in motu morali, cuius primum mouens est intellectus practicus, directio rationis per voluntatem comunicatur actibus imperatis,per se tamen ita, vt ipsi sint verè, ac propriè obiecta dictaminum rationis rectæ.

Praxis est actio naturæ intellectricis suaptè natura contingens, & recta ratione mensurabilis.

Caput II.

I. EX superiore cap.constat, quarum potentiarum operationes sortiri possint rationem praxeos. Nunc dicendum quæ sit natura, & proprietates ipsius. Quoniam verò actio, quæ est summum genus praxis, adæquatè diuiditur in transeuntem,atque immanentem: itemque in factiuam, quæ nimirum post se relinquit aliquod opus, quam Aristotel. appellat ποιητικὴν, & in eam, quæ speciali ratione nomen generis sibi vendicat, & dicitur actio,oportet exquirere sub quo harum diuisionum membro contineatur. Videri autem alicui possit solùm posterius membrum secundæ diuisionis constituendum genus praxis,quandoquidem Aristotel.9. Metaphysic. cap. 9. factionem distinguit ab actione, & huic accommodat nomen praxis: Rursus alius existimabit solum posterius membrum primæ diuisionis esse genus praxis, nempè actionem immanentem, quandoquidem idem Aristot.lib.9.Met.cap.9. praxim appellat solam immanentem,transeuntem verò factiuam. *Aristot.*

II. Nihilominùs in definitione praxis nomen actio,quæ subit vicem generis, non debet restringi ad vllum peculiare genus actionis, sed in toto suo ambitu relinqui. Ratio est,quia ex omnibus membris vtriusque diuisionis propositæ, possunt esse praxes,vt discurrenti perspicuum fiet: est autem hæc sententia Aristotel. lib.6.Ethicor.cap.3.& 4. vndè diuidit omnes habitus veros intellectus, quorum alij sunt de necessarijs,alij de contingentibus: deindè verò subdit, *eius autem quod esse aliter potest, aliud efficiendum, aliud agendum est*, diu fum itaque huius diuisionis, quod contraponitur obiecto habituum speculatiuorum, est praxis, quam respicit notitia practica sumpta in tota sua latitudine, prout opponitur notitiæ speculatiuæ: sub hoc autem diuiso, complectitur Aristotel.actionem,& effectionem: ergò ge- *Aristot.*

nus praxis, neque est sola actio presse sumpta, neque sola effectio ; sed actio sumpta in communi: probatur autem, quoniam, ex actionibus immanentibus dantur praxes, nimirum electiones voluntatis: itemque ex transeuntibus quæ opus post se non relinquunt, vt actus temperantiæ: denique ex ijs, quæ relinquunt, vt actiones artium fabrilium : omnes enim actiones huiusmodi subordinantur alicui regulæ rationis rectæ: quæ, cùm dirigatur ad opus, ad speculationem haudquaquam pertinet, sed inter notitias practicas numeratur, debetque proindè habere praxim pro obiecto.

III. Dicta Aristot. in contrarium adducta oppositum minimè suadent : quoniam apud ipsum nomen actio, siue praxis æquiuocum est: modo enim illud sumit pro sola actione immanente , factionem pro transeunte , vt lib.9. Metaphysic. cap.9. quam expositionem sequitur S.Thomas ibidem & 1.2.quæst.57.art.4. & alibi Lychet.quæst.4.prologi initio: modo actionem sumit pro ea, quæ non relinquit opus post se, factionem pro illa, quæ relinquit: vt lib.1. magnorum Moral. cap.vltimo, quam explicationem sequitur Henric.in sum.artic.19.quæst.1.ad secundum, Gregor.quæst.5.prologi,art.1. ex Eustratio in lib.1.Ethicor. modo actionem pro sola actione morali , factionem verò pro quacunque artificiali, vt lib.6.Met.cap.1. & ita sumit Marsil.quæst.3. prologi articul.2. & Maior.quæstio.6.ad 4.dub.& in hac acceptione consequenter concedunt non esse inconueniens, quod idem opus sit simul actio, & factio secundum quod diuersimode, & à prudentia, & ab arte regulatur ; alibi tamen sumit praxim, prout comprehendit sub se actionem , & factionem presse sumptas, & est obiectum, & finis intellectus practici , prout distinguitur ab speculatiuo. Ita lib.2. Met. text.3. vbi speculatiuæ scientiæ finem dicit esse veritatem , & practicæ opus, idem docet lib.3. de anima t. 49.atque ita quando sumit actionem, & factionem presse vtramque simul opponit scientiæ speculatiuæ, quasi aliquid cõstituens vnum membrum oppositum illi adæquatè: ita habet 6.Ethicor.citat.& lib.6. Met.text.1.& lib.11. sum.3.cap.1. & lib.1. Magnor.moralium cap.vltimo, ac proindè necessariò de ipsius sententia , quando praxis ab speculatione distinguitur, sumi debet pro operatione omni humana , quæ non consistit in sola veritatis contemplatione, qualis non est sola emanens, vel sola moralis, vel sola, quæ non relinquit opus post se: sed ex quouis omninò genere actionis possunt aliquæ ad praxim attinere. Itaque genus praxeos est actio vitalis intellectualis naturæ. Reliquum est vt differentias indagemus.

Aristot. S.Thom. Lychet.

Henricus Gregorius Eustrat. Marsil. Maior.

Prima, & maxima necessaria conditio ad rationem praxeos est, vt non sit actio necessaria, sed contingens, & indifferens in vtramque partem: ita docet Aristot. lib.6 Ethic.cap.4. nam cum cap.3. numerasset omnes habitus intellectuales veros, quorum alij practici, alij speculatiui sunt, & scientiam circa obiecta necessaria versari docuisset, actur⁹ deinceps de practicis, ita cap. illo 4.exordit, *eius autẽ, quod esse aliter potest, aliud efficiendum, aliud agendum est.* Et ita eo cap.ac sequente in hoc vno probando versatur: nempè eorum , quæ necessariò eueniunt, neque artem esse, neque prudẽtiam; idem docet lib.3. de anima t. 51. atque ita praxim esse actum, qui sit in potestate voluntatis, ac proindè non necessarium docet Scot.q.4. prologi §. *Dico igitur primo,* in secunda conditione praxis, cum Lychet. & alijs Scotistis ibidem, Bassol. qu.7.§. *De primo* circa sextam conditionem praxis, & q.8.art.2.Ocham.qu.4.principali,& 10.in ordine art.2.& q.12.lit.B B. Gregor.qu.5. art.1.Marsil.q.3.ar.2.Gabriel quæst.10.ar. 1.lit.D.& art.2.Maior.q.6.Syluest.in conflato q.2.art.13.Ferrariens.lib.3.cõtra gentes cap.35.§.*Circa secundam.* Bonettus lib.2. Metaphys.cap.4.

V. *Aristot.*

Scot. Lychet. Bassol. Ocham. Gregor. Marsil. Gabriel Maior. Syluest. Ferrariens. Bonettus

Heruæus tamen quodlib. 1.qu.3.art.1. Mayronius in 1.d.48.q.2.art.2. & nonnulli recentiores existimant ad rationem praxis non requiri libertatem; Eorum sententia probari potest : nam si quis calleat artem disserendi, eaque inter dormiendum vtatur , vt fieri interdũ solet, vsus ille profecto praxis est, vt potè actio mensurata dictamine practico dialecticæ, & tamen non est liber. Item si quis post acquisitam scientiam, & facultatem alicuius artis exercendæ incidat in amentiam , poterit ex notitia, quam retinet, & facultate ex antiquo vsu comparata, quam per insaniam non amittit, operari ex arte, quemadmodum operantur homines rationis compotes: eritque proindè operatio illa ex præceptis artis, & consequẽter practica. Probatur, quoniam operationes sani, & insani, non differunt quoad entitatem, & speciem naturalem, sed solùm penes bonitatem, ac malitiam moralem. Et ideò cum ea, quæ ad artes, ac earum operationes spectant, abstrahant à bonitate, & malitia morali, eiusdem rationis erunt in amente, & eo, qui ratione vtitur : In amente verò non est li-

V. *Heruæus Mayron.*

bertas,

bertas, quæ ex pleno vsu rationis pendet, non ergò requiritur ad praxim, vt liberè fiat. Denique ipsamet appetitio vltimi finis praxis est, vt constat ex cap. superiore: ea verò non est homini libera: alioquin caderet in consultationem, atque electionem, de ijs enim, quæ libera nobis sunt, in vtramque partem consultare, & vtram libuerit, eligere possumus: non ergò de ratione praxis est, vt sit actio libera.

VI. Circa propositam dubitationem vtendum est distinctione. Nam operationum, quæ praxis nomine censentur, aliæ habent rectitudinem moralem, aliæ artificialem: quæ duæ rectitudines ita se habent, vt neque sibi mutuo repugnent, neque indissolubili nexu copulentur: sed sicut eidem actioni inesse simul possunt, ita quoque alteram sine altera esse non repugnat. Dico itaque primum. Ad rationem praxeos artificialis non requiritur libertas, quæ assertio est de mente Heruæi & Mayron. & satis confirmata videtur duobus primis argumentis: & vlterius corroboratur hoc modo. Priuatiõe libertatis nihil intrinsecum pertinens ad propriam rationem formalem deperit habitibus practicis intellectus: & ita non minùs retinent rationem habitus practici, quam antea. Ergò si concurrant ad operationes per modum directionis, vt concurrere possunt, quãuis sint in homine insano, eæ erunt praxes. Antecedens ostenditur, quoniam practicum, & speculatiuum in scientijs, quæ adæquatè differunt ijs differentijs, vel sunt differentiæ essentiales, vel saltem propriè ac inseparabiles, quare manente natura, atque entitate habituum abesse nequit propria ratio practici, vel speculatiui. Responderi potest, esto antecedens sit verum, similiter etiam & consequens conditionale, quod infertur, tamen conditionem illam non reperiri in casu proposito, vt supponuntur; quoniam habitus practici, qui sunt in mente hominis insani, nequeunt actu dirigere operationes, vt solebant: quod perspicuum est in habitibus scientiæ moralis, & prudentiæ; qui non amittuntur subito per insaniam, & nihilominùs ob impedimentum, nequeunt dirigere actiones morales. Quæ solutio euincit quidem, proposito argumento non concludi in vniuersum actiones omnes amentium esse praxes: quandoquidem residui illi habitus post insaniam siue morales, siue artificiales sint, propter læsionem potentiæ sensitiuæ organicæ impediri possunt ab actuali directione operationum. Verùm non semper est læsio tam vehemens, vt prorsus impediat intellectum: videmus enim plerosque insanos suis artibus vti, & edere opera fabrilia non minùs affabrè, & eleganter facta, quàm tempore sanitatis, de quibus intelligenda est proposita assertio, & ratio adducta. Responderi secundò potest eiusmodi opera non fieri ab amentibus directione intellectus, sed ex vi consuetudinis antiquæ: quemadmodum brutæ animantes, quæ ab Aristotel. lib. 1 de historia animal. cap. 1. in fine. disciplinabiles appellantur, nonnulla faciunt ex consuetudine, quæ solo ductu, atque instinctu naturæ non efficiunt. Aristot. Verùm neque hæc responsio eneruat argumentum, non enim ad omnia, quæ amentes præstant, sufficit merus vsus, nisi interueniat aliqua directio rationis, vt patet in musicis numeris, quos psallendo seruant respicientes ad notas musicas: quin verò ad ipsamet opera, ad quæ forte in brutis sat esset consuetudo cum determinatione phantasiæ, concurrit vis intellectiua in amentibus: cum enim intellectus ipse secundùm se sit læsionis expers, si phantasia circa aliquam materiam non sit læsa, retineatque congruas species, poterit intellectus ab ijs determinari ad vsum habitus practici, quem retinet. Tertiò respondebitur actus externos non esse praxes, nisi prout subordinantur actibus voluntatis, qui ipsi sint praxes; at nullum actum voluntatis libertate carentis esse praxim. Sed hæc etiam solutio est inefficax; iam enim dixi in operationibus artificialibus actum elicitum voluntatis in se spectatum non propriè habere rationem praxis, nisi quatenus est applicatiuus potentiarum inferiorum ad opus; & hoc modo non est negandum actum voluntatis, quo amens applicat membra ad operandum secundùm normam artis, habere rationem praxis: quamuis non sit praxis in genere morali, quoniam intellectus obnubilatus insania non sufficienter ostendit regulas rectitudinis moralis: & ideò voluntas non fertur in obiecta ex motiuo morali iuxta, vel cõtra præscriptum rationis.

Si verò loquendum sit de actibus elicitis voluntatis, vel etiam imperatis, vt morales sunt, dico secundùm, non esse vllo modo praxes. Quæ sententia est de mente Philosophi lib. 6. Ethicor. cap. 5. vbi prudentiam, quæ est habitus practi- Aristot.

cus,vult esse circa contingentia, & de quibus est consultatio: vbi verò libertas non est,non est vllus consultationi locus: nam consultatio præmittitur ad electionem, quæ sine libertate non datur, cùm supponat appetitum indifferentem, qui libertate sublata est determinatus ad vnum. Deindè tota ratio amentiæ consistit in impedimento aliquo intellectus, quo ita ligatur, vel obtenebratur, vt non supersit liber rationis vsus, neque sufficiens cognitio rerum,&circumstantiarum,secundum quas intellectus ferre debet iudicium de bonitate, vel malitia morali obiecti; & plerunque ex vehementi apprehensione ita proponit voluntati obiectum sub ratione boni vtilis, & delectabilis, vel mali oppositi,vt ex vi repræsentationis eius determinatè amplectatur vnam partem,refutet aliam, sine vlla prorsus indifferentia: vbi autem non est indifferentia,oportet,vt sit determinatio, ac necessitas, quæ tollit contingentiam,conditionem omninò necessariam ad rationem praxis. Nec satisfacit id, quod Scot.ait, nempè satis esse vt sit operatio suaptè natura indifferens, quamuis in aliquo singulari per accidens sit necessaria, quomodo etiam in operatione artis exercita ab insano euenire solet,non enim liberè operatur, & tamen operationem eiusmodi praxim esse paulò antè dixi: Non inquam satisfacit hæc responsio: nam ex eo, quod actio suaptè natura sit indifferens, & contingens, non sufficienter sumitur ratio praxeos, si tamen in singulari euentu necessaria est. Idcircò enim ad praxim supponitur contingentia, vt detur locus directioni notitiæ practicæ, cuius officium præpeditur,si in singulari euentu sit necessitas: quod enim necessariò fit quatenus tale, non subiacet regulæ,aut directioni notitiæ practicæ, & ita non est praxis. At in artificialibus est alia ratio,fieri enim potest, vt quis necessariò velit canere, & ita cantus quoad substantiam non erit liber, imò neque quoad circunstantias quatenus regulabiles sunt per dictamen rectæ rationis moralis, cùm quo tamen fieri potest, vt amens volens canere,præstare id queat casu, & ineptè,vel ex arte, & congruenter: & ita adhuc cum necessitate,quoad substantiam cohærere potest indifferentia quoad circumstantias,quod sat esse ex hac parte, ad rationem praxis placet cum Scoto cit. quo casu si amens cantum suum ex regulis artis moderetur, procul dubio cantus habebit rationem praxeos, cùm non careat sua indifferentia, non quidem in genere moris,cuius regulas amens non intelligit, sed in genere artis, cùm pro libito benè, vel malè fieri possit.

VIII. Ex his facilè diluuntur tria illa argumenta proposita contra doctrinam Philosophi, & duo quidem priora probant primam assertionem, vt iam notaui: non tamen impugnant sententiam Aristoteles, qui nunquam,nisi fortè loquens de actibus moralibus, dixit requiri libertatem ad praxim, sed contingentiam, hoc est, operationem talem, quæ non sit à natura determinata, sed possit hoc, vel illo modo fieri: quæ contingentia dari interdum potest absque libertate: nam ab eodem homine carente vsu rationis pleno, potest edi cantus dissonus, vel cum debita musicæ proportione: non enim necesse est alterum ex his determinate, sed ex directione artis edi potest sonus congruus, & harmonicus; & ita notitia practica, qua amens præditus est, efficit, vt reddat sonum musicum,ad quem alioquin nec suaptè natura, nec ex ipsa insania determinatur. Si enim careret arte musicæ, longè alia ratione psalleret: Signum enim est musicam harmoniam prouenire ab arte, cuius præceptis vtitur in psallendo. Ad tertium respondendum est, quando vltimus finis repræsentatur sub omni ratione boni, ita vt voluntas necessariò quoad speciem, atque exercitium, quoad substantiam, atque circumstantias prorumpat in eius appetitionem, huiusmodi intentionem non esse praxim: quandoquidem nulla est contingentia,& consequenter,neque opus est regula,aut directione, ad habendum amorem finis; sed sat est ipsius ostensio: proposito enim summo bono euidenter cognito, absque vllo alio iudicio practico, voluntas totis suis viribus incitatur ad amorem ipsius, quem toto conatu,& necessariò elicit: & proindè is est simpliciter, & quoad omnia necessarius, neque est vllo modo praxis. At in via non est talis cognitio finis vltimi, neque amor eo modo necessarius: ideoque potest habere regulam, cui conformetur, & in hoc sensu asserui superiori capite amorem finis posse dici praxim. Quo posito si sermo sit de amore patriæ, neganda est maior propositio tertij argumenti: si de amore viæ concedenda, sed neganda assumptio. Ad cuius confirmationem respondetur, non quidquid liberè fit,cadere in deliberationem, & consultationem propriè dictam:

sed

sed solùm media , quæ conducunt ad finem : verùm quoniam contingit interdum aberrare ab ipso fine , non est absurdum, si respectu eius considerationem aliquam admittamus, qua formetur dictamen de illo amplectendo , quod sequatur voluntas,ita vt amor, quem habet, verè reguletur eiusmodi dictamine , & sortiatur rationem praxis. Ex his solutionibus apparet ita ad praxim necessariam esse contingentiam , vt non semper exigatur libertas , sed solùm ad praxim virtutum moralium : nam cùm dictamina practica moralia non nisi actiones liberas moderentur,libertate sublata non potest esse vsus talis mensuræ , quia non est mensurabile, hoc est actio libera : at illa sublata, adhuc manet obiectum mensurabile per artem , nimirum opera artificialia:idque si non sit tanta vis insaniæ, vt mensuras artificiales,hoc est artis dictamina,perturbet, non est cur operationes insani non liberæ ab arte mẽsurari nequeant, & consequenter esse verè ac propriè praxes.

IX. Secunda conditio praxis est, vt sit actus natus elici conformiter rationi rectæ, ad hoc, vt sit rectus. Hanc tradit Scot. vbi supra. Intelligi autem dupliciter potest iuxta duas acceptiones rationis rectæ , quæ interdum sumitur, vt significat regulam rationis , comparatione cuiusuis actus mensurabilis , per actum intellectus in genere moris vel artis ; interdum verò solum cõparatione actuum, vt morales sunt. Et quidem si priore modo accipiatur, est conditio omninò necessaria: omnis enim praxis mensurari debet altera ex his regulis, nempe prudentiæ, vel artis ; si verò non sit apta nata elici iuxta regulam prudentiæ vel artis , praxis non est : idcircò enim nutritio & vegetatio corporis , quæ fit ab anima , non est praxis in homine,quia non fit ex præuio dictamine, & regula intellectus , sed ex ductu & necessitate naturæ : ob eandem causam processionis diuinæ praxes non sunt, quoniam non habent regulam, ex qua mensurentur. Si verò posteriore modo accipiatur, nequaquam est necessaria : non enim actiones humanæ sunt tantùm praxes consideratæ , secundùm normam rectitudinis moralis, sed etiam consideratæ secundùm habitudinem ad regulas artis,& rectitudinem, quæ ab ijs sumitur: sunt enim hæ rectitudines distinctæ, & mutuò separabiles : fieri quippe potest, imò frequenter solet , vt operatio recta secundùm normam artis declinet à norma virtutis, & vice versa : vbi igitur est diuersa ratio mensurandi ex parte intellectus , & diuersa aptitudo operationum, ex conformitate ad propriam mensuram, erit etiam diuersa ratio praxis. Huius sententiæ oppositum indicat Scot. cum Lychet. vbi supra, inferens ex explicatione definitionis à se traditæ, actum à voluntate imperatum , non esse praxim per se, sed quasi per accidens, quia non primo natus est elici conformiter rationi rectæ , ideoque requirit actum voluntatis, ratione cuius, sit aptus elici conformiter ad rectam rationem, quæ doctrina vera est, si intelligatur de rectitudine morali, quæ primo ac formaliter inest actibus à voluntate elicitis , secundario verò , ac per extrinsecam denominationem imperatis, falsa verò, si extendatur etiam ad artificialem , hæc enim non afficit primò, ac per se voluntatem , sed operationem conformem regulis artis : & fieri potest, vt à voluntate non recta imperetur operatio recta secundùm artem. Et in hoc sensu impugnatur à Gregor. quæst. quinta, artic. primo. Itaque, quicquid hac de re Scot. senserit, asserendum est ad rationem praxis non necessariò requiri, vt sit apta nata conformari rationi rectæ moralis, sed sat esse , vt conformari possit artificiali.

Scot. *Lychet.* *Gregor.*

X. Sed adhuc ambiget aliquis , vtrum necesse sit ad rationem praxis, vt conformetur actu rationi rectæ , siue ea sit moralis, siue artificialis. Nonnullis recentioribus visus est Scot. id exigere, eo quòd asseruit praxim esse actum aptum conformari rationi rectæ , ad hoc vt sit rectus: actus verò vitiosi nullo modo apti sunt conformari rectæ rationi , quare videtur eos excludere à ratione praxeos. Verùm Scot. id non requirit : sed solùm aptitudinem in actu , vt conformari possit rationi rectæ, ad hoc vt sit rectus. Itaque non putat necessariam esse rectitudinem actualem , sed potentialem : si enim repugnet actui, vt rectè fiat, non est regulabilis à ratione : & consequenter, neque praxis. Quamuis autem actui vitioso secundùm propriam speciem mali moralis considerato repugnet , vt rectè fiat , non tamen repugnat secundum genus , quatenus actus moralis est: & quemadmodum aptitudo generica ad bonitatem sat est, vt verè dicatur actum vitiosum esse priuatum rectitudine morali debita in esse, ita quoq; eadem aptitudo sufficit , vt dicatur aptus conformari rectæ rationi: idemq; dicendum de rectitudine

artificiali,quamuis secundùm speciem repugnet, vt conformetur. In quo sensu Ocham.quæst.10.prolog.lit.F.& L. Gabriel.quæst.decima,art.1.corollar.1. Toletan.quæst.nona, art.1. Gregor.quæst. quinta,art.1.Maior.quæst.sexta,& Marsil. quæstion.tertia,art.2.ad quintum, dicunt non requiri ad praxim, vt conformari possit rationi rectæ. Ex quo constat de ratione praxeos non esse actualem rectitudinem & conformitatem ad regulam rationis, nec potentialem secundùm speciem,sed secundùm genus:& actus difformes regulæ, siue morali, siue artificiali, praxes etiam appellari debere, quemadmodum notitiæ quoque practicæ, falsæ tamen dici debent dictamina prudentiæ & arti contraria, à quibus vitiosæ operationes pendent tanquam à causis, & diriguntur tanquam à regulis, non tamen à rectis, vt rectè docet Sanctus Thomas quæst.decimasexta de malo, art.8.ad vndecimum, & traditur etiam ab Aristot. lib.sexto Ethic.cap.quarto in fine,vbi definit inertiam arti contrariam his verbis: *Inertia autem est cõtrarius habitus, cum ratione falsa effectiuus,circa id,quod aliter esse,atque aliter potest.*

Ocham. Gabriel. Toletan. Gregor. Maior. Marsil.

S.Thomas.

Aristoteles.

XI. Circa hoc ipsum dubitari potest,vtrum opus sit operationem actu regulari, vt sit praxis. Difficultas est,quando nullo modo regulatur tendente voluntate in obiectum ex sola repræsentatione simplici illius. Ocham.quæst.10.prolog.L.E.& M. & Gabriel. quæst.10. art.1. corollar.2. contendunt esse praxim, quoniam praxis solum habet rationem finis possibilis respectu notitiæ practicæ, eiusmodi verò operatio, quamuis actu non sit finis, potest tamen esse suapte natura, & ab illa regulari. Hæc tamen dubitatio facilè expediri potest: nam si consideremus praxim, vt obiectum quoddam suapte natura regulabile, operatio illa verè habet rationem praxis:at si consideremus illam, vt ita exercetur,& procedit à simplici comprehensione obiecti, quæ non est regula actuum humanorum, nequaquam praxis dici debet. Ratio est,quia à tali notitia neque actus regulatur, neque est regulabilis: & quoniam de actibus humanis loquimur secundùm circumstantias singulares,simpliciter non est dicenda praxis: sed cum addito,hoc est secundùm se, & abstrahendo à modo,quo elicitur. Neque aliud probat argumentum Nominalium: ex eo enim, quòd operatio sit regulabilis,solum sequitur suapte natura posse actu subire rationem praxis.

Ocham. Gabriel.

XII. Ex doctrina tradita his duobus capitibus possumus elicere adæquatam definitionem praxeos, cuius inueniendæ causa hæc dicta sunt: potest autem definiri in hunc modum: *Praxis est actio naturæ intellectricis vitaliter elicita suapte natura contingens, & mensurabilis rectaratione.* Non expressi, aut excluſi in particulari aliquam potentiam,quoniam actio, cui tradita definitio aptabitur, cuiuscunque potentiæ illa sit,erit praxis:si verò definitio non congruat,non erit, quamuis sit actus voluntatis, quia maximè praxis est, vt patet ex dictis: nam amor vltimi finis clarè visi,itemque gaudium, quod per modum passionis sequi solet vehementem actum amoris, vel complacentiæ circa obiectum desideratum, non habent rationem praxis, quia neque sunt actiones indifferentes,neque à ratione mensurabiles. Plures conditiones addit Scot. vbi supra, & multo plures Bassol. quarum nonnullæ non sunt necessariæ, imò repugnant: aliæ,licet ineptæ non sint, & verè conueniant praxi,sunt tamen quasi secundariæ & extrinsecæ. Eæ verò,quas propositæ definitione perstrinxi, satis naturam eius explicant, & quamuis fortè aliquæ præteriri possent,& subintelligi, tamen claritatis & doctrinæ gratia visum est ita definitionem texêre: maximè,quia omnes, vt ex discursu huius capitis constare potest, perstringuntur ab Aristotele, qui non curat de ijs,quæ sunt per accidens, sed explicata praxi, veniamus iam ad explicandam naturam notitiæ practicæ.

Scotus. Bassolus.

Notitia practica non necessariò pendet ab actuali relatione in finem.

Caput III.

I. COgnitio practica statuitur à Philosopho principium, & causa efficiens praxis, vt constat ex libro sexto Ethicor. cap.secundo, vbi cùm Aristoteles docuisset actionum humanarum, scilicet imperatarum principium esse electionem, subiungit: *Electionis verò appetitus, & ratio,quæ alicuius causa est:* itaque duo assignat principia electionis, alterum est intentio,siue appetitio finis, hanc enim intelligit nomine appetitus,quo posito,mouet intellectũ,vt consultet de medijs,alterũ est recta ratio,quæ alicuius causa est, nempe practica:

Aristot.

quæ

quæ non contenta sola veritatis cognitione dirigitur ad operationem. Quod inferius eodem capite apertius docet, *Cogitatio verò*, inquiens, *ipsa nihil mouet, sed ea, quæ causa alicuius est, & actiua: hæc etiam enim effectiuè dominatur*, idem tradit 6. Meta. text. primo, & lib. septimo, text. vigesimo secundo & vigesimotertio, & lib. 11. sum. 3. c. primo, & lib. tertio de anima, tex. quadragesimonono, & quinquagesimoseptimo, & 2. Physicorum t. 2. 24. & 25. quam doctrinam indicat etiam, quoties asserit finem notitiæ practicæ esse operationem, & hoc distingui scientiam practicam ab speculatiua, quod hæc non referatur ad vllum alium finé, illa verò maximè. Ita verò docet 2. Met. tex. 3. & lib. 3. de anima. t. 49. & lib. 2. Ethic. c. 2. & lib. 6. cap. 2. ex quo oboritur hæc dubitatio, vtrum omnis scientia siue notitia practica necessariò supponat appetitum finis.

Aristoteles.

II. Pro decisione notandum duplicem esse finem scientiæ practicæ: alterum primum atque immediatum, qui appellari solet intrinsecus: alterum remotum, qui extrinsecus, & hunc rursus alterum esse per se intentum ab arte, alterum per accidens ab artifice: de hoc vltimo non est curandum, quoniam de ijs, quę sunt per accidens, nó curant scientiæ: is quoq; qui extrinsecus est, per se tamen intentus ab arte, non requiritur, vt formaliter intendatur, vt notitia sit practica, sed sat est virtualis intentio, qua fit instrumentum aptum ad finem. Verbi grat. qui fabricatur gladiũ cũ duritie, atque acumine requisito ad scindendum, non opus est, vt habeat formalem intentionem, quæ velit scissionem causandam ab ense, sed sufficit, vt velit efficere ensem aptum scissione, siue illa postmodum sequatur, siue non. Hac in re certum omninò est, actualem relationem in finem notitiæ suapte natura directiuæ sufficere ad rationem notitiæ practicæ, ita colligitur ex Philosopho lib. 3. de anima. tex. 48. & 49. vbi agit de causa motus localis, *Vtraque ergo hæc*, inquiens, *motiua sunt secundum locum intellectus & appetitus: intellectus autem qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus est*: & paulò post: *rationabiliter hæc duo videntur, mouentia appetitus, & intelligentia actiua: appetibile enim mouet, & propter hoc intelligentia mouet, quia appetibile principium ipsius est.* Prima autem motio appetibilis est, quia allicit voluntatem ad desiderium sui, deinde verò voluntas applicat intelligentiam practicam ad directionem operationum: consentit D. Thomas, qui huiusmodi cognitionem, quæ actu in praxim ordinatur, solam vocat simpliciter actu practicam: ita docet prima par. quæst. decimaquarta, artic. decimosexto, & quæst. tertia de veritat. artic. tertio. & ob eandem causam ait, non esse ideas actu, sed habitu respectu possibilium, vt 1. par. quæst. 15. artic. 3. ad secundum, quæst. 2. de verit. artic. 8. ad tertium. & quæst. 3. artic. 6. Neque in hac conclusione est vlla controuersia inter doctores. Ratio est, quoniam tunc maximè cernitur ratio causæ & mensuræ, cùm applicatur ad actum causandum & mensurandum: at verò per voluntatis intentionem, & directionem ad finem idea practica applicatur ad actualem mensurationem operationis, quam suapte natura regulat, atque adeò habet perfectam rationem notitiæ practicæ.

Aristoteles.

D. Thomas.

III. Hoc posito ratio dubitationis consistit in fine intrinseco, vtrum nimirum ad rationem notitiæ practicæ requiratur, vt præcedat intentio voluntaria finis eiusmodi. Finis autem hic intrinsecus, interdum non distinguitur ab operatione scientiæ practicæ, qualis est sonus musicus, qui est finis artis musicæ, & bona operatio moralis, qui est finis scientiæ moralis: aliquando verò distinguitur in artibus factiuis, quarum opera distinguuntur ab effectione, vt domus ab ædificatione. Bassol. quæst. octaua prologi, artic. 2. exigit ad rationem notitiæ practicæ præuium appetitum, & volitionem finis, quod fusè explicat quæst. septima, artic. tertio, §. *Nota hic*, & sequenti, potest autem probari hæc sententia. Primum ex hoc fundamento, quod prima regula & mensura rectitudinis siue veritatis practicæ sumitur in ordine ad appetitum rectum, vt tradit Philosophus libro sexto Ethic. c. 2. *Actiuæ*, inquiens, *& cogitatiuæ veritas est, quæ appetitui recto consentanea sit*, confirmatur ex illo testimonio eiusdem libri tertij de anima, tex. 49. vbi sic ait, *Cuius appetitus, hoc principium practici intellectus*: nihil autem consistit ante suum principium: si ergò principia intellectus practici est finis, cuius est appetitus, absque dubio antè appetitionem finis subsistere nequit ratio intellectus practici: & ratione ostenditur, quia veritas practica versatur circa obiecta contingentia, vt experientia compertum est, vt docet Aristot. lib. cit. c. 3. & 4. obiectum autem contingens non potest esse regula habitus, siue notitiæ semper veræ, ergò dari debet regula alia, cui conformetur: non potest esse scientia aliqua speculatiua, quoniam contingit assertionem aliquam

Bassol.

Aristot.

esse

esse falsam speculatiuè,& practicè veram, quare recurrendum erit ad actum voluntatis, qui sit principium,ac regula notitiæ practicæ:hic non est alius, quàm finis vltimi appetitio:hæc ergo semper est præmittenda ante omnem notitiam practicam. Deinde quod est gratia finis, necessariò supponit, intentionem finis, antequam nulla cernitur causalitas, nulla motio finis, qui non nisi per sui desiderium causat ea, quæ sunt propter illum: non est autem notitia vlla actiua,nisi ea, quæ causa alicuius est, vt patet ex sententia Philosophi initio recitata; ergò fieri nequit, vt sit notitia practica ante intentionem finis.

IV. Dico primum ad rationem notitiæ practicæ non requiritur actualis relatio in finem, sed sufficit aptitudinalis. Hæc assertio est communis Doctorum. Ita Henric. in sum. artic. trigesimo sexto, quæst. 4. ad 2. Scot. quæst. 4. prologi, §. *Contra de necessitate*, & §. *Contra istam positionem*. cum Franc. Lycheto. Ioanne Viguer. & alijs interpretibus ibidem. Heruæ. quodlib. 1. quæst. tertia, articul. secundo. Ocham. quæst. vndecima, conclusione secunda. Mayron. in 1. distinct. quadragesima octaua, quæst. secunda, articul. primo, par. secunda. Gregor. quæst. quinta, artic. secundo. Anton. Andr. quæst. quarta. Petrus de Aquila quæst. quarta, artic. tertio. Marsil. quæst. tertia, articul. tertio, ad primum, ex secundo loco positis, Gabriel. quæst. vndecima, artic. 2. conclusio. 5. Neque S. Thomas est in oppositа sententia: nam quamuis locis citatis dicat scientiam, quæ actu ordinatur ad finem, licet sit de re operabili modo operabili, non esse simpliciter actu practicam, non negat scientiam esse in ratione scientiæ simpliciter practicam, sed non esse omnibus modis, etiam ex parte scientis, vt benè ibi explicat Caietan. §. *Circa hanc partem*. & Syluest. in conflat. quæstion. decima quarta, artic. vigesimo primo, notab. 3. Hispalens. quæst. secunda prologi, art. tertio, notab. 3. Et satis indicat ipse D. Thomas, expresè enim concedit in ijsdem locis notitiam illam esse habitu & virtute practicam. Fundamentum est, quoniam differentia scientiarum penes practicum, & speculatiuum est ipsis intrinseca, & non consistit in sola denominatione extrinseca, nihil autem extrinsecum actui pendet ex actuali relatione voluntatis artificis ad finem: quæ est per accidens, & haberi potest pro libito eius, qui scientia aliqua, vel arte pollet: & ita iuxta varietatem voluntatis in adhibenda, vel intermittenda actuali relatione in finem, eadem prorsus notitia manens intrinsecè, atque in proprio genere inuariata respectu eiusdem obiecti, modò esset practica, modò speculatiua, quod repugnat: vt enim rectè arguit Scotus vbi supra, voluntas imperans intellectui, vt consideret propter talem finem, non dat aliam rationem considerationis in genere, notitiæ: quare si ea suapte natura sit directiua operationis, siue actu ad hoc applicetur à voluntate, siue non, erit suapte natura notitia practica: si verò talis non sit, nequaquam. Deinde scientia moralis verè est practica, vt omnes admittunt: hæc autem non necessario supponit appetitum rectum circa finem, fieri enim potest, vt aliquis sit doctus simul, & flagitiosus, vt erant Scribæ & Pharisæi, de quibus Christus Dominus dicebat Matthæi vigesimo tertio: *Quæcunque dixerint vobis facite, secundùm verò opera eorum nolite facere.* Doctrinam probat, & iubet seruari, mores verò reprobat, quia non erant conformes doctrinæ. At dicet aliquis, esto non requiratur appetitus rectus finis, requiretur tamen appetitus, siue is bonus, siue malus sit: quoniam, vt in argumento obijciebatur, finis intentio est principium, & causa omnium, quæ sunt ad finem. Verùm neque hoc requiritur: in primis, quoniam, vt iam superius ostendi, ipsa appetitio finis in particulari, interdum potest esse praxis: hæc autem, cùm sit obiectum notitiæ practicæ, à qua iuxta omnium sententiam regulatur, necessariò supponit dictamen aliquod, siue notitiam practicam, cui conformetur, ergo non oportet, vt semper notitia practica supponat actum voluntatis circa finem: si quidem ea notitia, qua regulatur ipsa appetitio finis, est prior illa, ideoque nequit eam supponere. Præterea dictamina moralia non habent vllam dependentiam à praua intentione finis, vt per se patet, non enim per se dirigunt ad assecutionem finis praui, non item à recta, vt paulò antè probaui, à nulla ergò omninò dependent.

Henricus. Scotus. Lychetus. Viguerius. Heruæus. Ocham. Mayron. Gregor. Ant. And. Aquilan. Marsil. Gabriel. S. Thomas. Caietan. Sylueſter. Hiſpalenſ.

Matt. 23.

V. Verùm quia non est eadem ratio omnis notitiæ practicæ, breuiter explicandum est, quid circa singula eius genera sit dicendum. Pro cuius explicatione noto, dupliciter intelligi posse propositam quæstionem, vel simpliciter & absolutè considerando solum ea, quæ requiruntur, vt sit notitia practica in se formaliter, & quasi in actu signato directiua pra-

xeos,

xeos, vel in actu exercito, hoc est, vt de facto praxim dirigat: & iuxta vtrumque sensum de singulis dicam. Porrò notitia omnis practica, comprehendendo etiam sub hoc genere Dialecticam, vel dirigit operationem intellectus, vt Logica: vel morales, vt doctrina morum, & prudentia, vel denique artificiales, quæ artis nomine censentur. Incipiendo autem à Logica, dico ipsius regulas, vt notitiæ practicæ sint, ac dicantur, in neutro sensu dependere per se ab appetitione finis, quamuis interdum in actu exercito illam supponant. Quod absolutè non pendeant, est manifestum: nam ratio præcipua notitiæ practicæ, est directio actiua aptitudinalis, vt sit mensura applicabilis praxi: ratio enim mensuræ non consistit in actuali applicatione ad mensurandum: quis enim dixerit publicas mensuras, quando non sunt in actuali vsu, & applicatione, exuere rationem mensuræ? Sed hæc ratio actiua mensuræ, siue regulæ discursuum intellectualium conuenit Logicæ, absque vlla dependentia ab actu voluntatis: neque ad huius libitum illi adest, & abest, vt euidenter constat: ergò Logica absolutè habet rationem notitiæ practicæ, sine vllo ordine ad appetitum. Quod autem per se etiam non dependeat ab intentione finis, quoad actualem vsum, & applicationem suorum dictaminum, experientia docet: frequenter enim euenire solet, vt mens agilitate sua præueniat voluntatem, & circa plurima discurrat vtendo regulis disputandi absque motione vel applicatione illius. Si verò loquamur de notitia practica artificialium, absolutè quidem non pendet ab appetitu, vt sit practica secundùm se, pendet tamen quoad applicationem, siue in actu exercito. Prior pars constat ex ijs, quæ dixi numero præcedenti, posterior autem est de mente. Aristot. lib. 6. Ethic. c. 2. illis verbis: *Mens autem ipsa nihil mouet, sed quæ alicuius est gratia, & actiua: hæc enim effectiuè menti præest: nam omnis, qui facit, gratia huius facit:* id est propter finem, non quidem vniuersalem, aut communem, sed hunc determinatum in particulari, vt notat D. Thomas lect. 3. in expositione eiusdem textus. Requiritur itaque ad actualem applicationem artis actus voluntatis, non quidem circa finem vltimum simpliciter, sed circa finem vltimum ipsius artis, quod est opus fabrile: hoc enim distinguitur notitia practica agens ab efficiente, vt ibidem docet Philosophus, & explicat Diuus Thomas, quod agentis finis vltimus est ipsamet actio, sicue praxis, quam dirigit: efficientis verò finis proximus est factio, vltimus, opus per eam fabricatum. Ostenditur autem brevi ratione: operatio artis exterior esse nequit absque vsu potentiæ motiuæ directæ ab arte, & applicatæ à voluntate: voluntas autem non applicat potentiam motiuam ad artificiosè agendum, nisi ex desiderio operis faciendi: ergò ars factiua, quoad actualem directionem, pendet ex appetitu alicuius finis: eademque est ratio de actiua, quæ ad ipsam operationem dirigitur. Non requiri autem appetitum finis vltimi simpliciter, aut finis sumpti sub ratione bonitatis moralis, constat ex dictis: nam eiusmodi bonitas nihil facit ad rectitudinem operis fabrilis, aut cuiusuis actionis externæ, quæ regulatur ab arte.

Aristoteles.

D. Thomas.

VI. Moralis autem doctrina, prout complectitur principia, & conclusiones morales absolutè, ac simpliciter est practica, absque suppositione appetitionis alicuius. Hæc assertio ex parte probata est superius; confirmari autem potest ratione quadam vniuersali, quoniam principia, & conclusiones scientiæ moralis continent regulas omnis appetitus recti: nulla enim appetitio voluntatis circa vllum obiectum, etiam circa finem, est recta, quæ non conformatur alicui dictamini practico intellectus, quia voluntas creata non est mensura sui ipsius, sed mensurabilis per rationem: ergò scientia moralis, est suapte natura regula practica, absque dependentia ab appetitione finis. Et confirmatur primò, quoniam appetitio finis est circa obiectum singulare, dictamina verò practica scientiæ moralis sunt vniuersalia: non pendet autem scientia vniuersalis ab appetitu obiecti singularis, quo transeunte, vel mutato, scientia ipsa quoad se, integra manet. Secundò, quoniam existente prauo desiderio finis, conscientia remordet, synderesis reclamat, proponendo notitiam practicam rectam in oppositum, vt si quis apud se statuat patrare homicidium, vi luminis intellectualis efformantur notitiæ huiusmodi, non licet occidere quemquam, non est edenda cædes hominis innocentis: quę procul dubio verè ac propriè sunt praxes: At si de actuali directione agamus dictamina, circa finem ipsum non pendet ab actu voluntatis: pendent verò ea, quæ sunt circa media. Prior pars cōstat ex cap. 2. vbi probatum est ipsam finis appetitionem esse praxim: omnis autem praxis est posterior regula, cui commensurari debet

Quo

Quo magis miror, quomodo Bassolis, qui concedit praxim debere esse regulabilem à priore notitia, & amorem finis esse praxim, nihilominus vult vt omnis notitia practica supponat aliquam priorem praxim. Ex quo manifestè sequitur progressus in infinitum: nam vel standum erit vltimo in praxi, vel in notitia practica: non in hac, quoniam iuxta sententiam illius, semper ad eam supponitur antecedens praxis: non in praxi, quoniam hæc est regulata ac directa à notitia practica: ergò ante omnem praxim erit notitia practica, & ante omnem notitiam practicam erit praxis; & sic erit progressus in infinitum. Standum potius erit vltimò in notitia finis, ad quam si necessariò sequatur amor, nec hic praxis, nec illa erit practica. Si verò sequatur liberè ob rationem aliquam boni propositam per intellectus dictamen, & amor erit praxis & notitia, præcedens practica, in qua vltimo statur tanquam in primo principio praxeon. Et hæc, mea quidem sententia, est mens Aristot. c. citato 2. lib. 6. Ethic. Nam cùm dixisset electionem principium esse actionum, nempe imperatarum, subdit, *Electionis verò appetitus & ratio, quæ alicuius causa est.* Vbi videtur gradatim processisse ab immediatis principijs actionum humanarum ad vltimum, ante electionem statuens appetitionem finis, & ante hanc rationem practicam, hæc enim sola in genere notitiæ est alicuius causæ; & hoc modo etiam D. Thomas interpretatur hunc locum, vt patet ex verbis ipsius, *Electionis principia sunt appetitus & ratio, quæ est gratia alicuius, id est, quæ ordinatur ad aliquod operabile sicut ad finem.* Ne quis autem existimaret ipsum nomine rationis, quæ ordinatur ad operabile, tanquam ad finem, significare dictamina practica de medijs eligendis ad assecutionem finis, paulò post explicat mentem suam illis verbis, *Vnde ratio proponens finem, & ex eo procedens ad rationandum, & appetitus tendens in finem cõparatur ad electionem per modum causæ.* Ratio verò proponens prior est appetitione finis, qui non appetitur, nisi ab intellectu proponatur, atque ita constat ad rationem notitiæ practicæ moralis circa finem, non esse supponendam finis ipsius appetitionem.

Aristoteles.

IX. Secunda pars eiusdem assertionis facilè ostenditur: nam dictamina moralia circa media conducentia ad finem, non nisi per discursum & consultationem adhibentur ad dirigendas electiones: in quo discursu dictamina vniuersalia scientiæ moralis supponuntur, vt principia ad inferendam conclusionem concilij: omnis autem consultatio de medijs supponit appetitũ finis, ad cuius assecutionem inuestigantur media congruentia: ergò dictamina vniuersalia scientiæ moralis, quoad actualem directionem praxeos, quam regulant, necessario supponunt appetitionem finis. Et confirmatur, quoniam ipsa non regulant proximè, & adæquatè actiones singulares, sed remotè, quatenus sunt principia, & regulæ dictaminum prudentialium in singulari: hæc autem semper exigunt rectum appetitum finis, vt actu dirigant, & moderentur electiones voluntatis, vt statim ostendam: ergo etiam vniuersalia dictamina scientiæ moralis illum præsupponent ad actualem directionem.

X. Vltimò dico, omnis notitia practica prudentialis, non solùm quoad actualem directionem, sed etiam simpliciter, & absolutè pendet ab appetitione finis. Quoad actualem directionem res est perspicua: quomodo enim potest fieri directio, si non adsit dirigibile aut mensuratio sine mensurabili: electio verò est id, quod prudentiali dictamine dirigitur, & non potest esse absque præuio finis appetitu formaliter, vel saltem virtualiter, vt per se patet: ergo neque dictamen prudentiale potest actu dirigere electionem, non præsuppositа appetitione finis. Quod autem prudentia pendeat absolutè ab appetitione finis, probatur ex citato testimonio Aristot. dicentis veritatem notitiæ actiuæ esse illam, quæ appetitui recto sit cõformis, quod præcipuè de veritate prudentiali verum est, quæ considerat habitudinem mediorum ad finem, & vice versa; ita vt tota vis discursus prudentialis consistat in inuestigando media proportionata fini à voluntate intento: & ita necessario respicit finem, siue ipsius appetitionem tanquam regulam suę consultationis. Sed de his aliàs: hæc autem breuiter hoc loco perstringere oportuit, vt constaret quomodo se haberet notitia practica ad appetitionem finis, aut alium voluntatis actum antecedentem: queis positis, facilis est solutio rationum, quibus exposita sententia confirmatur.

XI. Auctoritas Aristot. primo loco inducta intelligenda est de notitia actiua in actu exercito, & maximè de prudentiali, quæ mores respicit: nam artificialis notitiæ regula non est appetitus rectus,

potest enim fieri opus egregium, iuxta regulas artis ob malum finem, vt per se patet, Aristot. autem eo loco nomine actiuæ nõ comprehendit artificialem, hanc enim factiuam appellat: & paulò infra docet bonam actionem, quam vtique dirigit notitia actiua, sine moribus nõ existere: atque ita ex hac sententia Aristot. nihil aliud colligitur, quàm quod à me paulò ante dictum est. Secundo testimonio Aristot. solùm vult finem, cuius est appetitus, esse finem practici intellectus, siue appetitus sit actu, siue virtute: practicus enim intellectus non considerat ea, quæ non sunt ordinabilia ad vllum finem, & hoc ipso quo versatur circa rem aliquam, vt ordinabilem ad finem, habet rationem practici, quamuis actu non ordinetur. Ad rationem respondeo dũobus modis notitiam versari circa contingens, præscribendo illi regulas, scilicet in commune, & in particulari: in commune versatur scientia moralis, in particulari prudentia: & neutra ex his habet obiectum, & non mensuratur ab illo, vt speculatiua: Ideoque danda est alia regula, qua eiusmodi notitiæ practicæ mensurentur: ea verò in prudentia est appetitus rectus, vt benè probat argumentum; in scientia verò vniuersali nequaquam: hæc enim nunquam habet admistam falsitatem speculatiuam cum veritate practica: scientiæ itaque moralis regulæ sunt principia moralia nota lumine naturæ, quæ pertinent ad Synderesim, & ad illa conclusiones morales reducuntur. At hæc ipsa principia, inquies, indigebunt alia regula. Indigebunt quidẽ sed nõ creata; nam quemadmodum principia prima speculatiua nõ dependent ex alijs principijs, sed solùm exemplariter, ex sapientia diuina, ita prima principia practica non pendent ex alia regula creata, sed ex prima regula omnium operationum, nempè scientia diuina practica; à qua per lumen rationis, in mentibus nostris sunt impressa, quo alluſit Vates sanctissimus, Psal. 4. cùm dixisset enim, *quis ostendit nobis bona?* respondet. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; quod de impressione legis naturalis, qua continentur prima principia moralia intelligit D. Thom. quæst. 16. de veritate art. 3. in corp. & alij.

Psal. 4.

D. Thom.

XII. Secundùm argumentum exigit, vt explicem diuersos modos, quibus notitia practica est gratia alicuius, seu propter finem: quod commodius fiet cap. sequente. Nunc autem respondeo propter finẽ quædam esse in actu exercito, quædam in actu signato: illa sunt in actu exercito, quæ sunt actu, vel fiunt ex vi appetitionis finis intenti, vt se habent omnia; quæ ex electione fiunt: in actu verò signato illa, quæ spectata propria natura respiciunt aliquem finem, ita vt abstrahendo ab existentia, verè de illis affirmari possit, quod vendicent habitudinem ad aliquem finem: quo modo de homine secundùm se spectato, abstrahendo ab actuali existentia, verè dixeris homo suaptè natura vendicat beatitudinem tamquam proprium finem; hæc verò eo ipso, quo existunt absque vlla alia ordinatione causæ secundæ, sunt ordinata ad suos fines. Hoc posito respondeo argumentum rectè concludere de ijs, quę priore modo sunt propter finem, & ita actus prudentiales, qui eo modo se habent, supponere debent appetitionem finis: nõ concludit autem circa alia, quæ sunt propter finem in actu signato, vt se habent dictamina practica legis naturalis, & conclusiones morales, quæ suaptè natura diriguntur ad praxim, quamuis in homine, qui eiusmodi scientia pollet, nullus præcedat appetitus finis, & hoc modo ipsa dictamina practica de amando fine sunt ordinata ad intentionem, siue appetitionem eius, vt ad finem suum proximum, ad assecutionem verò finis, vt ad remotum.

XIII. Verùm contra hanc solutionem obijciet aliquis relationem ad finẽ per ipsammet rei naturam, & non ex præcedente intentione finis, non sat esse ad rationem praxis: alioquin omnis omninò notitia esset practica, quod est absurdum. Sequela ostenditur, tum quia omnis notitia dirigitur ad aliquem finem, vtpote creatura, quæ est saltem propter bonum diuinum, tum quia omnis potest ordinari ad operationem aliquam tanquam finem: V. g. si quis studeat Mathematicis, vt eis vtatur ad architecturam. Ex quibus sic arguitur, habitudo notitiæ practicæ ad finem non sufficit, vt sit aptitudinalis; actualis autem semper exigit præuiam appetitionem finis, ergo hæc necessariò requiritur. Maior propositio ex dictis patet, id enim, quod aliquando dirigitur actu in finem, habet aptitudinalem habitudinẽ ad ipsum, sed Mathematica, Metaphysica, & aliæ scientiæ speculatiuæ dirigi actu possunt in finem: ergo habent aptitudinalem habitudinem ad ipsum, nec tamen proinde sunt practicæ: quare ad rationem notitiæ practicæ non sat erit aptitudinalis habitudo ad finem. Pro solutione obseruandum est, quando Philosophus, scientiam practicam distinguit à speculatiua, per habitudinem ad finem, loqui de ipsis, pro vt no-

titiæ non verò prout entia quædam sunt: nam quatenus entia creata conueniunt cum reliquis in communi habitudine ad supremum, atque vltimum finem, hoc est Deum: & ita hoc etiam modo scientia speculatiua est propter finem: nec proinde subit rationem practicæ, quoniam caret habitudine ad finem, cuius ipsa regula, & causa sit: Etenim habitudo notitiæ practicæ ad finem non consistit in ratione effectus, sed potius in ratione causæ: ideò enim Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 3. duo constituit principia actionum, siue praxeon: nempè appetitum, & rationem, quæ alicuius gratia sit. Est itaque notitia practica propter finem, cuius ipsa causa sit; quomodo speculatio non est propter finem: ipsa quippe non est per se alterius operationis principium, & nonnunquam est ipse vltimus finis formalis, vt est contemplatio Dei, in qua consistit vltima fœlicitas humana. Quare modus habitudinis ad finem quo discernuntur inter se notitia practica, & speculatiua, habere debet connexam rationem causæ, siue principij. Ex quo constat habitudinem ad Deum tamquam vltimum finem, respectu cuius non est vlla causalitas, non sat esse ad rationem notitiæ practicæ: & ita cessat obiectio prima, qua impugnabatur distinctio harum notitiarum penes finem ex eo quod omnes sunt propter vltimum finem. Ad secundum facilis est solutio: nam ad rationem notitiæ practicæ non sufficit quæuis relatio aptitudinalis in finem operantis, sed requiritur habitudo ad finem proprium, & per se ipsius artis: Metaphysica autem & Mathematica, quatenus notitiæ sunt, non habent per se ordinem ad vllum finem, & ideò, quamuis dirigi possint ad finem ipsis extrinsecum ex intentione scientis, non proinde habebunt rationem notitiæ practicæ, vt fusius, cap. sequenti explicabitur.

Aristot.

Ad rationem notitiæ practicæ non est satis quælibet relatio aptitudinalis in finem, sed ea sola, quæ fundatur in ratione mensuræ.

Caput IV.

I. NOtitia vtcunque ad praxim ordinabilis, aut est de obiecto non operabili, aut de operabili, circa quod tribus modis versari potest, vt notat D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 16. cum Caiet. ibidem & quæst. 3. de veritate art. 3. Capreol. quæst. 2. prologi, art. 1. conclusione secunda & 3. Sylvest. in conflato, quæst. 14. art. 21. notabili 3. Hispalens. quæst. 2. prologi, art. 3. notab. 3. primò si consideret ipsum in se quoad propriam naturam atque entitatem, non considerando simul vtrum vel quomodo sit operabile: quæ enim coniuncta sunt, abstrahi ab inuicem cogitatione possunt: qua ratione Philosophus naturalis contemplatur naturam, & ordinem vniuersi, quod à primo rerum molitore conditum est: eodemque modo quiuis artifex considerare potest opus aliquod artis propriæ non aduertendo simul ad regulas artis, quibus id fabricandum est, sed solùm mente contuendo mensuram, ac proportionem partium inter se & cum toto. Secundo modo considerando quidem regulas, & præcepta artis, quibus conformari debet artifex, si velit opus efficere, quamuis ipse non habeat animum operandi aliquid ex norma artis. Tertiò denique habendo, siue reuoluendo secum principia artis & dictamina practica, animo ijs vtendi, & applicandi ad opus. Ethicquidem vltimus modus, vt constat ex superiori cap. est maximè proprius, cùm supponat actualem relationem notitiæ ad opus ex intentione voluntatis, quæ tamen non necessariò requiritur, vt ibidē dictum est: de cæteris, qui ad virtualem ratione aliqua pertinere videntur, nunc est dicendum.

S. Thom. Caietan. Capreol. Sylvest. Hispalens.

II. Scot. quæst. 5. prologi in impugnatione 1. 6. & 7. opinionis cum interpretibus ibidem sentit, sufficere quamuis aptitudinem tendendi in finem, ac dirigendi operationes in illum: ideoque ait esse practicam simplicem ipsam cognitionem finis, & circumstantiarum ipsius, vel eorum, quæ sunt ad finem: Verbi gratia, hanc, Deus est Trinus, & vnus: Deus fecit

Scot.

mundum:

mundum: quoniam fieri potest vt vo-
luntas ignorantis ijs erret, amando finem
aliter, ac est, si ignoret primam: vel
non rependendo debitas gratias, & amo-
rem Deo, si ignoret secundam: & per
eiusmodi notitias reuocari potest ab eiusmodi errore, ac dirigi recta in finem: & simul indicat huiusmodi notitias ita esse practicas, vt nullo modo sint, aut esse possint speculatiuæ circa idem obiectum. Fundamentum eius est: quoniam notitia non definit esse practica, quamuis actu non dirigatur in finem, dummodo sit aptitudinaliter ordinabilis ad ipsum: omnis vero notitia de obiecto operabili potest in finem referri, & esse confirmatiua praxeos in finem relatæ, neque vnquam huiusmodi aptitudine exui potest: ergo semper est practica, & nunquam speculatiua. Maior propositio constat ex dictis. Assumptio ostenditur, quoniam omnis notitia practica mediata deducitur ex alijs principijs practicis, quæ tandem resoluuntur in ipsam cognitionem finis, vt primi principij in ordine scientiæ practicæ: ergo cognitio finis, quatenus apta nata regulare principia practica ex ipso desumpta, est aptitudinaliter ordinabilis in finem, & mensura prima praxeos, quæ immediatè dirigitur à regulis scientiæ moralis, ac prudentiæ: & consequenter est practica. Idem constat in Syllogismis omnis scientiæ practicæ, in quibus assumptio per se considerata non dirigit primo, ac per se vllam operationem: & tamen pertinet ad scientiam practicam, quatenus simul cum maiore est mensura conclusionis, quæ immediatè dirigit praxim: vt constat ex Syllogismis scientiæ moralis, atque artis medicæ, in quibus loco minoris adhiberi solent propositiones enunciantes definitionem, vel passionem aliquam de subiecto. Alterum fundamentum Scoti est, quoniam tota ratio notitiæ practicæ sumenda est ab obiecto; quando vero ipsum eiusmodi est, vt notitia ipsius saltem virtualiter includat rectitudinem operationis, siue mensuram illius, exui nequit aptitudinali relatione ad finem, & consequenter nulla de eo haberi potest notitia speculatiua: quoniam ipsum vt cognitum, semper habitudinem transfert in actum, quo cognoscitur.

III. Ocham. Bassol. Gregor.

Sententiam hanc Scoti ex instituto impugnat Ocham. quæst. 12. prologi litera H. Bassol. quæst. 7. §. *De primo*, circa sextam conditionem, Gregor. quæst. 5. art. 2. & Carthusianus quæst. 2. ad finem. Deinde oppositum tenent Doctores infra citandi, qui docent notitiam practicam debere esse complexam, tandem D. Thomas, quæst. 14. de veritate art. 4. Henric. quodlib. 8. quæst. 1. Capreol. quæst. 2. prologi, art. 1. conclusione 5. Caietan. & Syluest. paulò ante citati, Hispalens. art. 3. cit. notab. 5. & quotquot admittunt eiusdem obiecti notitiam practicam, & speculatiuam, hanc si mens solam, nudamque obiecti naturam intueatur, nihil de modo, ac regulis operandi cogitans: illam, si regulas agendi consideret, & obiectum vt operabile, & mensurabile per ipsas. Itaque ad rationem notitiæ practicæ, non sat est si extrinsecè per voluntatem applicari possit remotè ad opus, mediante aliqua notitia practica, quæ ex priore tamquam ex principio dependeat, nisi ipsa habeat pro obiecto immediato operationem, siue in generali, siue in speciali: contra verò notitia obiecti non operabilis, quæ vtcumque ab homine referri ad praxim potest, nullo modo est practica. Exempli gratia hæc propositio, *Deus est hominis conditor*, adhiberi potest in Syllogismo practico in hunc modum, omnis creatura rationalis debet cultum, & gratitudinem conditori suo: Deus est conditor hominis: ergo hic debet cultum illi, & gratiarum actiones offerre, quæ conclusio practica pendet ex assumptione illa, & ideò ex intentione discurrentis assumptio dirigitur vltimatè ad praxim. ratione conclusionis, cuius est principium. Dico itaque huiusmodi assumptionem secundum se sumptam, non esse propriam notitiam practicam, sed speculatiuam: fundamentum est, quoniam si similis relatio aptitudinalis in finem sat esset ad rationem notitiæ practicæ, nulla omninò erit scientia creata speculatiua: id verò est contra Philosophum, & communem scientiam, quam ipse etiam Scot. sequitur: ergo non sufficit quæuis relatio aptitudinalis in finem ad rationem notitiæ practicæ: sequela ostenditur, quoniam omnis omninò notitia speculatiua eo modo est ordinabilis in praxim, vt patet in Mathematicis, quæ sunt maximè speculatiuæ: etenim vt habet Philosophus lib. 1. poster. text. 30. multæ scientiæ practicæ subalternantur speculatiuis, vt Chirurgia Geometriæ, nautica Astrologiæ, musica practica Arithmeticæ: atque adeò principia, vel conclusiones subalternantium, quæ specula-

Carthusian.

S. Thom. Henric. Capreol. Caietan. Syluest. Hispalens.

tiuæ sunt, adaptari possunt ad inferendas conclusiones practicas in subalternatis. Hoc posito ostenditur institutum; Cognitio conclusionis Mathematicæ, vt demonstrata à priore ex principijs speculatiuis, verè est speculatiua: sed eadem prorsus applicari potest, ad eruendas conclusiones practicas, & regulandum aliquod opus in singulari: ergo si hoc sat est ad rationem notitiæ practicæ, eadem erit practica, & speculatiua.

IV. Colligitur secundo notitiam obiecti operabilis primo ex tribus modis initio numeratis non esse practicam, licet interdum ab habente referatur ad praxim; Verbi gratia, Mathematicus potest ad agriculturam, vel Medicinam referre scientiam, qua præuidit, vel intuitiuè conspexit Ecclypsim, quæ est opus à Deo operabile: nec tamen illa notitia est propriè practica. Probatur, quoniam notitia de huiusmodi obiectis potest esse intuitiua, vel abstractiua posterior operatione, & opere: neutra vero harum est practica: quoniam notitia practica est prior obiecto, & mensura ipsius, illæ verò notitiæ sunt posteriores, & ab obiecto mensuratæ, vt rectè ex sententia Aristot. & comment. notat Ægyd. in 1. d.19. 2. p. d.11.quæst.1. ad finem corporis. Et quamuis interdum possint esse priores tempore, nullo modo sunt mensuræ, & regulæ obiecti, quod necessariò requiritur ad notitiam practicam: Respondebit aliquis pro Scoto, ad notitiam practicam non requiri, vt sit mensura obiecti proprij, sed alterius: ideoque non repugnare, vt sit intuitiua obiecti proprij, directiua alterius, quomodo ideæ diuinæ practicæ sunt rationes scientiæ diuinæ essentiæ, vt imitabilis à creaturis, ipsius essentiæ diuinæ sunt simplex intuitus, notionis verò factiuæ creaturarum. Hæc responsio in doctrina Scoti non habet vim; non enim credit scientiam diuinam esse practicam, sed admissa hac suppositione, dico notitiam diuinam, aut considerari, vt præcisè terminatur ad essentiam Dei, aut prout etiam extenditur, & habet habitudinem aliquam ad creaturam, vt factibilem ad exemplar essentiæ diuinæ: & priori modo non est idea practica, posteriore vero maximè: sic autem non est cognitio puræ essentiæ, sed etiam factionis ipsius: & ita non est congrua instantia. Nam idea diuina sicut est ratio producendi creaturam, ita & cognoscendi: quare nulla omninò notitia, quæ præcisè terminatur ad obiectum in se, non considerando simul modum, siue normam aliquam operationis, potest esse practica, quantumuis ex illa sumi possit occasio referendi operationem aliquam ad finem, eamque secundùm rectam rationem regulandi.

Ægyd.

V. Sententia Scoti reiecta, vt iuxta mentem D. Thomæ explicem, in quo consistat aptitudinalis, seu potius habitualis relatio in finem sufficiens, ac necessaria ad rationem notitiæ practicæ, suppono actualem relationem moraliter non fieri nisi à voluntate, actu vtente notitia practica ad exercendas operationes illi conformes. Ex quo sequitur eam notitiam habere virtualem, siue aptitudinalem habitudinem: quæ per se, & formaliter respicit operationem, vt proprium mensurabile, ad quod actu mensurandum adhiberi potest à voluntate ex appetitu talis finis. Etenim notitia practica ideò à Philosopho dicitur esse propter finem, quia aliquid conducit ad ipsum, non inseruit autem alia ratione, quam ostendendo modum quo finis est assequendus, & tradendo normam sequendam in operationibus, quæ ad finem tendunt: id verò præstare nequit, nisi sit propria, ac per se mensura operationis: quare ea sola notitia, quæ respicit operationem, vt proprium mensurabile, habet relationem aptitudinalem sufficientem ad finem, vt sit practica. Et ita quidquid intellectus absolutè concipit, considerando præcisè naturam ipsius, nec aduertendo simul formaliter, aut virtute ad regulam, vel modum in operatione tenendum, concipit modo speculatiuo, non autem practico, quantumuis ex illa consideratione postea deduci possint notitiæ practicæ. Verbi gratia, si quis formam nauis, & singulas eius partes, earumque proportionem, considerans naturam eius, ac proprietates quodammodo rimetur, nihil tamen de modo ipsam fabricandi cogitet, habebit puram notitiam speculatiuam, ex qua postea tamquam ex principio deducere potest regulas operandi, quamdiu tamen illas actu non elicit, nondum est notitia practica, quam doctrinam expressè tradunt Richard. quodlib. 2. art. 1. quæst. 1. art. 3. Heruæus quodlib. 1. q. 3. art. 1. Ocham. sæpius, quæst. 10. 11. & 12. & in 1. d. 35. quæst. 6. Gregor. art. 2. cit. &

Richard. Heruæus. Ocham. Gregor.

cit. & art. 3. ad primum contra primam conclusionem; Maior. quæst. 6. Gabriel. quæst. 11. art. 1. notabili 1. & fusius Guilielmus de Rubione, quæst. 10. art. 3. conclusione prima, quatenus docent notitiam practicam necessariò debere esse complexam, scilicet iudicium enuncians qualiter, & per quæ aliquid est agendum, & est de mente Bonauent. in 3. d. 39. art. 1. quæst. 1. in corp. docentis intellectum, in quantum est practicus, habere rationem motiui, non quia efficiat motum, sed quia dictat, & inclinat ad motum: est etiam doctorum, quos retuli num. 3.

Maior. *Gabriel.* *Rubion.*

VI. *Aristot.*

Ostenditur verò primum ex Aristot. lib. 3. de anima text. 46. vbi indagans causam motus localis ait, speculatiuum nõ esse illius causam, quoniam nihil agibile considerat, nec dictat, fugiendum aliquid, aut sequendum: deinde verò subdit, *sed neque cum speculatur aliquid huiusmodi iam præcipit aut persequi, aut fugere: quemadmodum sæpè intelligit terribile aliquid, non iubet autem timere:* quibus verbis admittit speculationem obiecti; circa quod potest esse praxis, vt notat ibi D. Thomas lect. 14. qui ita interpretatur hunc locum; *cùm speculatus fuerit*, vt ipse legit, *hoc est speculatiuè considerauerit*, aliquid huiusmodi, *id est, aliquid agibile.* Idem probat Gregor. ex Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 2. vbi sic habet, *Oportet si modo electio proba est, vt & ratio sit vera, & appetitus rectus, & eadem, & illa dicat, & hic persequatur: atq; hæc cogitatio, seu mens, & veritas actiua est.* Ex quibus patet mentem Aristot. esse, quod intellectus speculatiuus versari potest circa obiectum agibile, quare cum ex omni cognitione obiecti agibilis per aduertentiam, ac ratiocinationem intellectus elici possit ratio aliqua, & regula agendi, hoc non erit satis ad rationem notitiæ practicæ, nisi ipsamet saltem habitu sit operandi regula: qua ratione se habent dictamina vniuersalia moralia, seu artificialia, quibus intellectus dictat de modo operandi in vniuersali, non in singulari, quod contingere potest sine actuali volitione operandi iuxta eiusmodi regulas vniuersales, quæ proinde dicuntur à D. Thoma, quæst. 3. de veritate art. 3. esse habitu, siue virtute propter finem: quoniam in se habent sufficiens principium, vt ex imperio voluntatis applicentur ad opus. Ea vero sub hac etiam consideratione habere veram rationem notitiæ, siue scientiæ practicæ patet; quandoquidem potentiæ non pereunt eo ipso, quo cessant ab actu, vt contra Philosophos Megaricos probat Aristot. lib. 9. Metaph. text. 5. artes vero omnes, & factiuæ scientiæ potentiæ actiuæ sunt, vt auctor est idem Aristot. ibidem text. 3. quare cessante etiam omni operatione artificis remanet in ijs ratio actiua, quæ non est alia, quam scientia practica. Ex quo patet secundum modum notitiæ obiecti operabilis supra traditum habere veram rationem notitiæ practicæ, quia habet veram, ac propriam rationem aptitudinalem ad finem. Quæ non competit primò, nec vniuersaliter alij, quo intelligitur obiectum non operabile: atque adeò omnis propositio, quæ solùm enunciat formam aliquam de subiecto, etiam operabili, vel terminatiuo operationis non præscribendo operandi modum, est solùm speculatiua; huiusmodi sunt illæ, *Deus est trinus, & vnus. Mundus est à Deo conditus*, quas Scot. existimat ad notitiam practicam pertinere.

Aristot.

D. Thom.

Gregor.

D. Thom.

VII.

Ad primum Scoti fundamentum respondetur, sat quidem esse aptitudinalem ordinationem notitiæ ad finem, non tamen eam, quam ipse fingit, sed eam, quàm paulò ante explicaui, quæ nimirum sumitur ex intrinseca habitudine notitiæ ad operationem, non vero quæ occasionaliter, atque extrinsecè habetur ex actu voluntatis, & remote, ac per aliud, non verò per se dirigit operationem. Itaque neganda est assumptio intellecta de propria habitudine aptitudinali ad finem: ad cuius confirmationem respondeo conclusionem practicam semper indigere aliquo principio practico, ex quo inferatur: Verum non opus esse, vt omnia sint practica: sed plerumque alterum esse speculatiuum, vt benè notat Ocham, quæst. 11. prologi conclusione 3. & Gregor. quæst. 5. art. 2. corollar. 3. & patet in hoc Syllogismo. *Malum omne est declinandum: mendacium est malum, ergo declinandum*, cuius assumptio speculatiua est: imò ipsa notitia finis non necessariò est speculatiua: nam si solùm apprehendatur intellectu, & proponatur voluntati vt bonum, non sub ratione directionis, sed ostensionis, ipsemet Scot. admittit eiusmodi notitiam non esse practicam: ea vero sufficiens est, vt deinde deducantur prima principia practica de assecutione talis finis: & ita fieri potest, vt notitia practica resoluatur in simplicem

Ocham. *Gregor.*

apprehensionem finis, & aliorum terminorum vniuersalium, quæ potius est notitia speculatiua, quam practica. Alterum exemplum, quo confirmatur assumptio, eodem modo refellitur; omnes enim eiusmodi minores speculatiuæ sunt vt iam probaui; & sumitur ex Auicenna, quem refert Gregor. art.2. citato, qui scientiam medicam vult partim esse practicam, partim speculatiuam: & tamen nulla est propositio in tota Medicina speculatiua, quæ non referri eo modo possit ad praxim, si assumatur in Syllogismo aliquo practico ad colligendum conclusionem practicam. Alterum fundamentum Scoti tangit nouam difficultatem, nimirum ex quonam sumatur propria, ac formalis notio practicæ notitiæ, ex obiectione, an ex fine: quæ in sequenti cap. elucidanda est. Nunc tamen breuiter respondeo, esto, ab obiecto sumatur ratio notitiæ practicæ, non tamen completè, & vltimatè sumi ab ipso materialiter considerato: quandoquidem, vt vidimus, idemmet obiectum practicè, ac speculatiuè cognosci potest, & propterea non semper notitia ipsius continet mensuram practicam operandi: sed sumi ab ipso formaliter, vt operabile est: quæ ratio non semper consideratur: & idcirco ex obiecto materialiter sumpto nó semper redundat in actum, quo agnoscitur, habitudo in finem à contemplatione distinctum.

Auicen. *Gregor.*

Ratio formalis notitiæ practicæ sumitur radicaliter ab obiecto materiali, completè verò ab obiecto mali in ordine ad finem.

Caput V.

I. Explicata habitudine notitiæ practicæ ad finem, & eius appetitum. Restat vt explicetur habitudo eius ad obiectum, & comparetur cum habitudine ad finem, vt ita constet vtra ipsarum sit illi magis propria, intima, & vltimò complens rationem illius. Porrò notitia practica, vtpote directiua operationum, duo semper habet obiecta, alterum proximum, & immediatum, alterum remotum: proximum sunt operationes ipsæ, quas regulat: remotum id, ad quod operationes terminantur. Exempli causa dictamen illud naturale: *Deus est amandus, & colendus*, habet pro obiecto immediato cultum, & amorem Dei, pro remoto autem ipsum Deum, in quem amor, & cultus immediatè tendunt. Scot. quæst. 4. prologi. §. *Contra istam positionem*, & sequente contendit ab obiecto secundum se, & non à fine sumendam esse notionem notitiæ practicæ: In obiectum verò dupliciter potest tendere notitia, vel formaliter dictans de operatione circa illud, vel vtcumque in illud tendens, ita tamen, vt eiusmodi notitia modo aliquo referri possit ad operationem circa idem obiectum: Scot. autem existimat rationem notitiæ practicæ sumi ab obiecto non solùm priore, sed etiam posteriore modo vt constat ex illo. §. *Sed obijcitur*, in solutione ad argumenta: nam ad 1. docet respectum finis non esse id, vndè sumuntur principia in aliqua scientia, sed ipsum absolutum, in quo fundatur respectus, *& illud*, inquit, *est essentia hæc*: essentia vero, in qua fundatur ratio finis, est obiectum remotum, non proximum notitiæ practicæ: & infra in solutione 2. admittit principium virtualiter continens cognitionem conformem, esse etiam virtualiter conforme, & consequenter notitiam eius esse practicam. Quod ideò dicit vt defendat notitiam propositionum illarum, *Deus est Trinus* vel *Pater generat filium*, quæ in argumento adductæ fuerant, esse practicam, quod expresè concedit inferius: obiectum autem illarum, vt præcisè illis respondet, non cognoscitur vt operabile, aut terminatiuum operationis, atque ita constat Scotum sentire notitiam esse practicam quotiescumque ita attingit obiectum, vt proximè, vel remotè, formaliter, vel virtute contineat aptitudinalem conformitatem ad praxim rectam, vel principium regulandi: cùm verò hoc habeat ex obiecto remoto ex ordine ad illud debere sumi distinctionem notitiæ practicæ, & speculatiuæ. Et in hoc sensu Impugnatur à Ioanne Bassol. quæst. 8. prologi, art. 1. §. *Contra istam opinionem*, & alijs. *Scot.* *Bassol.*

II. Probat autem Scotus suam sententiam primo: quoniam, vt dictum est cap. superiore notitia practica distinguitur ab speculatiua aptitudinali relatione ad finem: hæc verò aptitudo non conuenit vni naturæ, & repugnat alteri, nisi propter conditionem aliquam intrinsecam, quę insit, vni non alteri. Hæc conditio debet esse ab aliqua causa priore, comparatione autem notitiæ non est alia causa prior,

quam

quam obiectum & intellectus: Intellectu esse nequit causa adæquata illius,tũc enim omnis notitia intellectualis esset practica, ergo erit obiectum? si quis respondeat causam esse finem, qui auctore Auicenna 6. Metaphys. capit. vlt. est prima omnium causa,obijcit secundo. Quoniam finis non mouet, nisi amatus, ac desideratus: notitia verò est practica in intellectu, quamuis non præcedat, in voluntate actualis appetitio finis, vt iam dictum est: ergo talis conditio haberi nequit ex causalitate finis. Nec declinatur argumentum, si quis dicat finem esse aptum natum amari, priusquam aptitudo illa cognitioni competat: namque effectus, non est à causa apta nata causare, nisi actu causet: parum ergo conducit ad institutum,quod finis sit aptus gignere eiusmodi conditionem notitiæ practicæ: quandoquidem non causat actu nisi intentus: & antè huiusmodi intentionem potest esse notitia practica. Tertiò, vel ratio notitiæ practicæ sumitur à fine, vt obtento & habito: aut vt intento per voluntatem operantis, aut denique cognito per intellectum. Non primo modo quoniam sub illa consideratione est posterior ipsa notitia, & quasi effectus eius. Id vero quod est posterius, & effectus non distinguit causam. Non secundò, vt probatum est superiore argumento, quoniam ante intentionem voluntatis iam est notitia practica. Si tertiò, habet rationem obiecti: ergo ab obiecto sumitur ratio notitiæ practicæ, si quis autem respondeat ipsam praxim, quæ immediatè dirigitur à notitia practica, esse finem, à quo illa sumit speciem, obijcit quarto; quoniam finis semper est præstantior ijs, quæ sunt ad finem: pleræque vero praxes sunt minus perfectæ, quam ipsa notitia practica, vt patet in prudentia, quæ est practica dirigens operationes virtutum moralium, quarum est præstantissima: ergo non potest referri ad eas tanquam ad finem. Accedit vltimo quod Deus, vt constabit in materia de scientia Dei habet notitiam practicam rerum creatarum: & tamen diuina scientia, vt pote summum bonum non est propter aliquem finem extra se: ergo ratio practicæ notitiæ non sumitur à fine.

Auicenna.

III. Dico primum obiectum praxeos secundum propriam naturam præcisè spectatum non est sufficiens specificatiuum, ac distinctiuum notitiæ practicæ à speculatiua est tamen prima radix distinctionis. Priorem partem expresè docent Henricus prima parte sum.art.36.quæstio. 4.in c.& ad primum,& quodlib.8. quæ. 1. Ocham.quæstion. 11. prolog. conclusio.3. Argent.quæstio.4.art. 1. Marsil.quæsti.3. artic.3.notab.3. Gregorius quæst. 8. art. 3. conclusione 1. Lychet.quæstion.5. §. *Ad istas rationes.* Gabriel. quæstion. 11.artic.2. conclusione 3. Bassol.quæstion. 7. artic. 3. & quæstion. 8. art. 1. §. *Contra istam opinionem.* Maior. quæstion. 6. post 1. conclusionem ad 1. dubium, & eiusdem sententiæ sunt reliqui Doctores citandi numero 5. fundamentum est, quoniam, ab eodem sub eadem omninò consideratione non possunt sumi diuersæ rationes formales specificantes scientiam: sed circa idem obiectum materiale versari possunt plures scientiæ, tam practicæ, quam speculatiuæ: ergo ab eo secundum naturam præcisè considerato, non potest sumi earum distinctio. Assumptio, quæ sola videtur indigere probatione, ostenditur: nam de homine habetur scientia speculatiua, nempe pars quædam Philosophiæ naturalis: item duplex practica scilicet scientia moralis, & ars medica? Ex quo texitur secunda confirmatio assertionis propositæ: completum & adæquatum distinctiuum notitiæ siue scientiæ alicuius distinguit ipsam ab omni alio à se, atque homo præcisè consideratus secundum naturam non potest distinguere scientiam moralem à Medicina, vel à parte Philosophiæ naturalis: Ergo ad huiusmodi distinctionem opus est ratione alia formali superaddita. Assumptionem ostendo, quoniam in notitia simplici hominis,non minus continentur virtute principia speculatiua pertinentia ad Philosophiam naturalem, quam practica moralia, pertinentia ad scientiam de moribus, quam practica medicinalia pertinentia ad artem medicam,si ergo ex obiecto, quia eius notitia continet virtute principia, & conclusiones practicas, sumitur ratio notitiæ practicæ,sumetur etiam ratio huius notitiæ practicæ,quia continet hæc principia, & conclusiones practicas: & speculatiuæ, quia continet principia, & conclusiones speculatiuas: & ita homo secundum naturam consideratus non est sufficiens distinctiuum harum scientiarum. Deinde

Henricus.
Ocham.
Argent.
Marsil.
Gregorius.
Lychet.
Gabriel.
Bassolis.
Maior.

ipsimet actus, siue praxes, quæ versantur circa obiectum, specificantur ab eo non materialiter sumpto, sed sub alia, atque alia ratione: si enim nulla omnino sit distinctio ex parte obiecti, neque in actibus erit: ergo & notitia practica, quæ per ipsas praxes tendit in obiectum, non sumit rationem suam formalem ab eo materialiter considerato, secundum propriam naturam, sed sub ratione aliqua superaddita.

IV. *Durand. Heruæus.*

Posterior pars traditur à Durando quæstion. 6. prologi numer. 6. & Heruæo quæstion. 2. conclus. 2. & supponitur ab omnibus, & ad sensum ipsius vera est sententia Scoti. Ostenditur autem quoniam nisi obiectum remotum esset operabile, aut terminatiuum praxeos, nequaquam posset haberi notitia practica de operatione circa ipsum exercenda: atque adeò licet obiectum in se absolutè consideratum non sit sufficiens dare speciem notitiæ practicæ, tamen, si consideretur quatenus aptum est terminare singulas praxes sub proprijs rationibus, poterit esse ratio radicalis obiectiua notitiæ practicæ remota, non proxima: proxima enim est ipsa praxis. Probatur quoniam eo ordine se habent obiecta in specificando notitias, quo ab ijs respiciuntur: notitia vero practica primò, ac per se respicit operationem, remote obiectum ipsius: ergo etiam remote, ac radicaliter sumit speciem ab obiecto operationis, ab ipsa verò proximè, & complete. Accedit, quod mensura per se non nisi mensurabile respicit, notitia autem practica proprie, ac per se est mensura praxeos, obiecti vero non semper: nam quando obiectum non fit, sed attingitur solum per praxim, ipsum non mensuratur à notitia practica, sed sola operatio, quæ in ipsum tendit: qualia sunt maiore ex parte obiecta virtutum. Verum quoniam operationes ipsæ sumunt speciem, ac distinctionem ab obiecto, ipsa quoque notitia practica, quæ specificatur ab operatione per ipsam, trahit etiam rationem suam formalem radicaliter ab obiecto illius operationis.

V.

Dico secundum. Notitia practica proximè, atque immediatè sumit speciem, & distinctionem à suo obiecto immediato sub propria ratione formali. Hæc est doctorum, qui affirmant eo distingui notitiam practicam ab speculatiua, quod illa versetur circa obiectum vt operabile, hæc verò circa non operabile, vel circa operabile, non tamen vt operabile. Ita Diu. Thomas 1. parte quæstion. 14. artic. 16. super Boet. de Trinitat. quæstion. 5. artic. 1. & quæstio. 3. de veritate artic. 3. Henricus vbi supra, Heruæus quæstion. 2. prologi, & quodlib. 1. quæstion. 3. artic. 1. dub. 3. ex primo loco positis, Ocham. quæstion. 11. prologi conclusione 4. Gregorius artic. 3. citat. conclusion. 2. Marsil. quæstion. 3. artic. 3. Capreolus quæstion. 2. prolog. artic. 1. Antonius Andreas quæstion. 4. artic. 3. Gabriel. quæstion. 11. articulo 2. conclusione 4. Syluester in conflato quæstion. 1. artic. 13. Lychetus quæstion. 4. §. *Concedo ergo.* Maior. quæstion. 6. conclusion. 1. Ferrariens. libr. 3. contra gent. capit. 25. §. *Ad euidentiam.* Augustinus Nyphus 6. Metaphys. d. 1. capite 4. & 5. Hispalens. quæstione 2. prologi artic. 1. conclusione prima. Est etiam sententia Aristotelis libr. 6. Metaphys. text. 1. & libr. 11. summa 3. capit. 1. & libro primo magnorum moralium capite trigesimo secundo & trigesimo tertio, docentis practicum, & speculatiuum in eo differre, quod illud versetur circa operabile ab agente, hoc verò circa non operabile. Ex quibus verbis constat, quæ ratio, vel conditio esse debeat ex parte obiecti remoti, vt ab eo sumatur distinctio notitiæ practicæ ab speculatiua, nempe vt obiectum practicæ sit operabile, vel terminatiuum praxeos, obiectum verò speculatiuæ, non operabile, quod non ita intelligi debet, quasi repugnet illud sub alia ratione esse obiectū operationis, hoc enim falsum est: sed simul dicatur operabile quatenus concipitur sub aptitudine terminandi praxim, non operabile verò quatenus secundum se spectatur abstrahendo ab hac aptitudine. Ostenditur autem propositio, quoniam fieri potest, vt circa idem obiectum versentur notitia practica, & speculatiua, vt cap. superiore ostendi: non potest autem alia esse practica, alia speculatiua, nisi notitia practica sumi debeat in ordine ad obiectum proximum: nam in remoto conuenire potest cum speculatiua, atque adeò cùm actus non distinguantur per id, in quo conueniunt, necessariò dandum est aliud, quo differant, nempe obiectum proximū vtriusq;, quod semper est diuersum: & cōfirmatur, quoniā si ratio notitiæ practicæ, & distinctio ab speculatiua non necessariò sumitur ab obiecto proximo, sed potest complete

S. Thom. Henricus. Heruæus. Ocham. Gregorius. Marsil. Capreolus. Anton. Andr. Gabriel. Sylvest. Lychet. Maior. Ferrarien. Nyphus. Hispal.

sumi à

sumi à remoto, etiam distinctio singularum notitiarum practicarum inter se sufficienter sumeretur à remoto, non à proximo: hoc autem est falsum: ergo & illud. Sequela ostenditur, quoniam diuisio, & distinctio specierum debet fieri sub eodem modo, ac ratione generis, atq; adeò si ratio notitiæ practicæ per se non pendet ab obiecto proximo, neque ratio singularium ab illo pendebit. Assumptio ostenditur: circa idem obiectum remotum dari possunt plures notitiæ practicæ inter se distinctæ, verbi gratia, circa DEVM, namque alia est notitia practica, quæ dictat Deum esse colendum, alia quæ amandum. Dictum est sub propria ratione formali, quoniam vt præ cæteris fusius docuit Guillielmus Rubionius quæstion. 10. prologi artic. 1. §. *Hoc præmisso*. Operatio ipsa materialiter sumpta sub diuersis rationibus formalibus potest esse obiectum notitiæ practicæ, & speculatiuæ, vt videre est in plerisque operationibus artium liberalium, actus enim canendi, psallendi, orandi, & similes, quatenus exercentur à peritis illarum artium, sunt praxes & consequenter obiecta proxima notitiæ practicæ artificicum ipsorum, respectu verò audientium, vel videntium sunt obiecta immediata notitiæ speculatiuæ: vt ergo ab ipsa desumatur ratio scientiæ practicæ, considerari debet, vt mensurabilis ab illa, in quo consistit propria, ac formalis ratio obiectiua notitiæ practicæ.

VI.

Dico tertium notitia practica fine distinguitur ab speculatiua. Hæc est sententia Aristotelis citati capit. 3. & communis Doctorum. Ita docent Henricus vbi supra, Richardus quæstion. 4. prologi. Durand. quæstion. 6. numer. 5. Hertæus quæstion. 2. concl. 1. Bassolis quæstion. 7. artic. 3. Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 2. artic. 1. p. 2. difficultate 3. Tolentanus quæstion. 10. prologi artic. 1. Gregorius art. 3. cit. concl. 3. Maior. quæstio. 6. conclu. 2. ad 1. dubium, Capreol. Ferrariensis. & Augustt. Nyphus vbi supra, Argentin. quæstion. 4. prologi artic. 1. Marsil. quæstion. 3. artic. 3. Hispalensis. quæstion. 2. a. 1. concl. 1. & a. 3. notabili 1. Non indiget autem probatione, sed explicatione. In primis verò non ita debet intelligi, vt explicat Bassol. qui per hoc tantum constitui formaliter putat notitiam practicam, quia actualiter ab addiscente dirigitur in finem, id enim iam superius capit. 3. impugnaui. Neque ita vt finis ipse sit, à quo proximi notitia distinguatur: hoc enim habet à ratione formali obiecti, quæ desumitur ex ipsa habitudine ad finem: namque eo ipso quo operatio subire potest rationem finis intenti ab agente per intellectum, dependet in genere causæ efficientis ab operante, & ab eius scientia, tanquam à mensura; ex quo resultat proprium, ac formale obiectum scientiæ practicæ, quod est operatio mensurabilis per intellectum. Atque ita ratio finis est proxima radix, ex qua nascitur discrimen notitiæ practicæ ab speculatiua, non est autem ipsamet ratio formalis. Scientia enim practica tanquam potentia respicit operationem, vt effectum à se regulabilem. Ex eo etiam, quod habeat modum potentiæ, habet suaptè natura habitudinem ad operationem tanquam ad finem, sicut omnes potentiæ actiuæ, hæc autem habitudo necessario comitatur ipsam, etiam quando non dirigitur actualiter ad finem: quia scilicet habet talem naturam ex eo, quod ordinatur ad talem finem. Vndè non supponit naturam ipsius constitutam, sed potiùs est causa radicalis constitutionis ipsius: & in hac priore habitudine nititur aptitudo vt possit in actu exercito referri ad finem operationis ab eo, qui habet scientiam, quam Scotus & alij appellant relationem aptitudinalem ad finem, quæ iam supponit naturam constitutam per ordinem ad suum obiectum formale, scilicet operationem, vt mensurabilem. Hæc assertio, si intelligatur de fine, cuius gratia veritatem habet, saltem in notitia practica naturali, si verò de fine vt significat aliquid posterius, ad quod notitia habeat habitudinem, siue tanquam ad proprium finem, siue tanquam ad effectum, habet locum in omni prorsus notitia practica, etiam diuina, quoniam hæc etiam habet respectum ad operationem à se regulandam, saltem tanquam ad effectum, quo respectu scientia speculatiua omnino caret.

VII.

Ex quibus patet solutio ad argumenta Scoti, quatenus prædictas conclusiones impugnant. Ad primum dicendum est, illam priorem habitudinem ad finem, non supponere naturam habitus practici constitutam, posteriorem vero consequi quidem eum iam constitutum, non tamen per ordinem ad obiectum remotum, sed proximum, vt probatum est. Ad secundum Respondeo,

obiectum,

obiectum, quatenus concipitur vt finis aptitudinalis, causare in genere causæ finalis specificationem, ac distinctionem notitiæ practicæ, vt rectè etiam probant argumenta Scoti: requiri tamen rationem finis aptitudinalis ex parte obiecti, vt notitia practica propter illum sit talis naturæ: quemadmodum cætera quæ sunt propter finem in ordine ad ipsum, habent proprium esse: quod cum à Deo sit, hoc ipso est propter eiusmodi finem, licet à voluntate creata actu ad illum non referatur. Quod in alijs etiam patet: nam intellectus, & aliæ potentiæ vitales in ipso generationis momento sunt propter suas operationes: quamuis actu eas non exerceant, neque ad ipsas tanquam ad finem referantur ab ipso viuente: Vnde non sunt audiendi Ocham. quæstion. 11. prolog. liter. F. & Gabriel. quæstion. etiam 11. artic. 2. conclus. 5. dum negant praxim esse causam finalem notitiæ practicæ, nisi actu ab addiscente intendatur. Tertium argumentum supponit id, quod paulò ante negatum est, nimirum ab aptitudinali ratione finis, modo superius explicato non trahi radicaliter propriam rationem formalem obiecti proximi notitiæ practicæ, & ideò hac suppositione facilè negata eluditur argumentum. Sed claritatis gratia. Respondeo nullum ex tribus membris, in argumento numeratis, esse dandum: non primum, aut secundum, vt rectè argumento conuincitur. Non tertium, quoniam obiectum cognitum absolutè abstrahit à ratione operabilis, & ita non potest esse ratio obiectiua notitiæ practicæ. Et ita assignanda est alia finis consideratio, nempe quando est possibilis intendi ab operante per intellectum, & voluntatem: ex hoc enim habet, vt operatio regulari possit à notitia practica, & vt sit proximum, & formale obiectum illius, vt dictum est. Ad obiectionem verò, qua hoc impugnatur, Respondeo, non semper finem cuius gratia, debere esse perfectiorem re, quæ est ad ipsum: etenim autore Philosopho libr. 1. Ethic. cap. 7. vnumquodque est propter suam operationem, planum verò est substantias, quæ sunt prima operandi principia, longè perfectiores esse operationibus ipsis; dicuntur tamen esse propter ipsas tanquam propter perfectionem suam, qua magis perficiuntur; ita quamuis interdum notitia practica sit excellentior praxi, non proinde repugnat, vt sit gratia illius. Ad vltimam confirmationem: respondent aliqui recentiores, de ratione scientiæ practicæ in tota sua amplitudine, vt creatam, & increatam amplectitur, non esse habitudinem ad finem: sed solummodo rationem mensuræ siue regulæ operandi: quæ conuenit etiam scientiæ diuinæ, cùm prior illa habitudo ad finem soli creatæ conueniat. Quæ solutio quantum attinet ad præsens institutum, sufficiens est. An verò, & quomodo actiones Dei immanentes in operando, aut dirigendo operationes finem respiciant, non est huius loci explicare. Hoc vnum est certum, scientiam Dei practicam non esse contentam ipsa obiecti contemplatione, sed actionem quoque respicere. Neque opus est, vt conditiones omnes repertæ in creatis perfectionibus insint Deo, quoniam plurimæ important aliquem modum imperfectionis, vt importare videtur ordo ad finem. Sed de hoc aliàs.

Ocham. Gabriel.

Aristot.

Notitia practica non necessariò determinat voluntatem; vt sibi conformetur: non item vendicat subiectum, quod sit causa principalis, aut potens operationem edere.

Caput VI.

1. Circa prædicta, tria supersunt dubia, duo ex parte subiecti, vnum ex modo regulandi, aut determinandi appetitum. Est verò, vt ab eo incipiam, vtrum scientia practica debeat necessariò determinare voluntatem, vt sibi conformetur in eligendo, & operando. Primum ex parte subiecti est, vtrum oporteat, vt id sit causa principalis praxeos. Secundum verò, vtrum possit esse scientia practica de re non agibili ab ipso sciente; Et quidem primo dubio affirmatiuè respondet Henricus 1. p. summæ artic. 8. quæstion. 3. in fine corporis & artic. 36. quæstion. 4. Scotus quæstion. 5. prolog. art. 2. cum Lychet. ibidem & 1. d. 38. quæstion. vnica. Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 2. art. 2. conclu. 4. Bassol quæstion. 8. prolog. §. *Secundus articulus*, qui id circo negant scientiam practicam in Deo, quoniam voluntas diuina respectu creatarum rerum non habet vllam regulam necessitantem: liberè enim operatus est omnia, quæ voluit in cœlo, ac in terra: & si operari noluisset, nó proinde voluntas ipsius à rectitudine declinasset.

Henricus. Scotus. Lychet. Mayron. Bassol.

clinasset. Huius sententiæ nullum video fundamentum nisi fortè testimonium Aristotelis libr. 3. de Anima. t. 46. qui vult præceptum esse de ratione intellectus practici, imperium vero videtur inducere necessitatem operandi.

II. Nihilominus dico. Ad rationem notitiæ practicæ non requiritur vt necessariò determinet voluntatem ad operandum: sed solum, vt sit directiua operationis, siue voluntas obligetur sequi eius regulam, siue non. Ita Richardus quodlib. 2. art. 1. q. 1. art. 7. Henric. quodlib. 8. quæstion. 1. vbi videtur sententiam suam saltem ex parte retractasse. Heruæus quodlib. 1. quæstion. 3. artic. 4. Ocham. quæst. 11. prolog. coroll. 2. Gabriel. quæstion. 11. art. 2. concluf. 5. Caietan. 1. p. quæstio. 14. art. 16. ad obiect. Scoti contra primam conclusionem. Probatur vero in arte, cuius præcepta neminem absolutè obligant ad operandum, potest enim quis præcepta artis callere, & absque vllo vitio, aut peruersitate ordinis nunquam ex arte operari. Henric. tamen vbi proximè distinguit duplicem notitiam practicam, scilicet ostensiuam, & directiuam: illam ait versari circa artificialia, & non necessitare voluntatem: hanc circa moralia, & necessitare. Hanc tamen distinctionem bene impugnat Heruæus citatus, quoniam consilia sunt dictamina practica, nec tamen inducunt moralem operandi necessitatem. Itaque notitia omnis per se regulans operationem habet ordinem ad finem, & consequenter est practica, & tamen non omnis inducit obligationem moralem operandi secundum ipsam. Illud libenter Henrico, & alijs dederim, exceptis consilijs, quæ non nisi ex propria voluntate obligant, cætera [illegible]mina practica eiusmodi esse, vt si operandum aliquid sit circa materiam ipsorum, inducant necessitatem, saltem ex hypothesi: ita vt sequatur priuatio rectitudinis, & difformitas vel moralis, vel saltem artificialis, nisi secundùm regulas notitiæ practicæ fiat opus. Quod etiam locum habet in voluntate diuina circa opera ad extra: posito enim quod operetur, non potest conformari notitiæ practicæ, quam habet, quatenus est agens morale, & artificiale operando, vel secundum virtutem, vel rerum naturas procreando iuxta ideas practicas, quas habet. Porrò præcipere mentale, quem actum proprium esse intellectus practici sentit Aristoteles, non semper accipitur pro actu proprio imperandi inducente obligationem, aut necessitatem, sed etiam pro quauis directione ad opus.

III. Quod attinet ad secundum dubium, Argentin. quæstion. 4. prolog. a. 2. ad finem agens contra Scotum vult ad rationem praxis requiri, vt sit in nostra potestate tanq; in causa principali, & cõsequenter idem exigit ad rationẽ notitiæ practicæ ex parte subiecti. Quamuis enim expressè non vtatur distinctione causæ magis, vel minus principalis, tamen satis indicat, cum dicit directionem eorum actuum non cadere sub facultate humani intellectus, & requirere directiuum supernaturale: quæ supponunt hominem non esse causam principalem illorum: ideò enim probat dilectionem Dei non esse praxim, quia non est in potestate nostra: sic enim rediret error Pelagij: non est autem error Pelagij asserere, non esse causas minus principales talium actuum. Probat autem, quoniam ad eos actus requiritur directiuum supernaturale, iuxta illud Apostoli ad Romanos 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Et confirmari potest, quoniam agentis principalis est dirigere, ac regulare operationes minus principalium agentium, vt patet in duce & architecto.

IV. Oppositum tamen expressè docet Durand. quæstion. 6. prolog. numer. 21. Heruæ. quæstion. 4. §. *Quantum ad tertium*, ad secundum. Bassolis quæstion. 8. prolog. a. 1. §. *Tertiò dicunt.* Ad primum & Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 2. a. 2. difficultate 3. & consentiunt omnes, qui dicunt Theologiam esse practicam in ordine ad dilectionem Dei, & alios actus supernaturales ex virtutibus infusis elicitos perducentes hominem ad beatitudinem. Ita Albert. in summa tractat. 1. q. 3. in 3. Scot. qu. 5. prologi dum impugnat primas quatuor operationes. Aureol. quæst. 3. a. 1. dum impugnat secundam & quintam opinionem. Ocham. q. 12. sæpiùs, Bassol. quæst. 8. a. 1. § *Contra secundam.* Mayron. q. cit. a. 2. concluf. 1. Gregor. qu. 5. prologi a. 4. Maior. q. 6. Fundamentum est, quoniam non semper causa principalis ita dirigit operationem minus principalium, vt hæ instar inanimi instrumenti moueantur ad solum nutum, & impressionem principalis agentis, sed interdum ipsos proprios motus agere sinit per regulam proprij intellectus liberè applicatam ad operationes: & hoc modo fabri, quo-

Aristot. *Richardus. Henricus.* *Heruæus.* *Ocham. Gabriel. Caietan.* *Henricus.* *Heruæus.* *Argent.* *Ad Rom. 8.* *Durand.* *Heruæus.* *Bassol.* *Mayron.* *Albertus. Scotus. Aureolus.* *Ocham. Bassolis. Mayron. Gregorius. Maior.*

rum operationes diriguntur ab architecto, ad consummationem totius ædificij operantur ex arte fabrili, & eius regulis practicis: item milites, quorum militia refertur à duce ad finem victoriæ, singuli vtuntur peritia militari practica: itaque ex discrimine causæ purè instrumentariæ naturaliter operantis,& minus principalis liberè operantis colligitur in hac semper dari aliquam notitiam practicam, qua vt rationabiliter operetur,mensuret operationes proprias. Secundo quicunque liberè elicit operationes supernaturales studiosas,est causa minus principalis ipsarum: ad eas autem studiosè eliciendas indiget notitia practica:ergo ad rationem praxis, vel notitiæ practicæ non requiritur, vt illa vtens sit causa principalis. Maior propositio est verissima,& admittitur ab ipso Argentinate. Assumptio probatur,quoniam omnem operationem studiosam præcedit actus prudentiæ, cui illa cõformatur, prudẽtia vero notitia practica est. Deniq; nisi homo ipse posset, ac deberet operationes suas actu dirigere, & mensurare singularibus notitijs practicis,deductis ex regulis vniuersalibus circa operationes supernaturales, frustra in sacris literis propositæ fuissent tot regulæ generales, circa operationes eiusmodi: nam regulæ generales non regulant per se, & immediatè,nisi explicatæ per iudicium prudentiale ad singulares euentus. Nec soluit argumentum responsio eiusdem ibidem ad 1. dum ait, non sat esse conformitatem rationis nostræ ad directionem actus supernaturalis; etenim quamuis sola ratio naturalis nequeat præfigere certam normam actionibus supernaturalib⁹,potest tamẽ,quatenus nititur regulis vniuersalib⁹ à Deo reuelatis, & applicatis, per prudentiã infusam ad singulos casus. Ad fundamentum Argentin. Respondetur,ex illo loco solum haberi spiritum sanctum esse præcipuum auctorem operationum supernaturalium: cui etiam tanquam causæ præcipuæ adscribenda est ipsa quoque directio supernaturalis, ad opera superioris ordinis. Id vero non impedit, quominus ipse quoque homo, tanquam causa minus præcipua dirigat opera sua secundum regulas supernaturales. Ad confirmationum respondeo, directionem principalis agentis relinquere locum directioni causæ minus principalis liberæ, vt patet ex dictis, etiam in ipsis exemplis, quæ adducuntur in argumento.

V. Quod attinet ad tertium dubium multi existimant non posse haberi notitiam practicam eorum,quæ non sunt operabilia ab eo ipso, qui habet scientiam. Ita Heruæus q. 4. prologi. §. *Quantum ad secundum.* Aureol. q.3.a.2. Bassol. q.8.§ *secundus articulus.* Capreol. q. 2. a. 2.ad primum contra secundam conclusionem,& ad primum,& secundum Aureoli contra sextam concl. Lychet. q 5. initio,& probabile existimat Anton. Andr. q. 4. & sequuntur non pauci recentiores. Id vero, vt notat Capr. vbi supra ad 1.contra secundam conclusionem, intelligendum est suapte natura, & per se, nam si per accidens redditus sit impotens ad operandum, non propterea scientia desinet esse practica: vt si cui eruantur oculi, aut truncentur manus, quibus indiget ad artis suæ exercitium, nõ proinde hoc ipso amittet artem; quare infirmo nituntur fundamento, qui hocargumento hanc sententiam impugnant: neque enim in eo sensu asseritur ab auctoribus: sed quando sciens, suapte natura impotens est ad exercendam operationem: Verbi gratia, Philosophus naturalis scit quomodo ex eleuatione, & congelatione vaporum in media aeris regione pluuiæ decidant, quia tamen eleuatio vaporum, congregatio nubium, & imbrium effusio non subest potentiæ actiuæ ipsius, non dicitur habere scientiam practicam harum, & similium actionum naturalium. Hæc scientia videtur de mente Diu. Thomæ, nam quæst. 3. de verit.a.3. ad 4. docet practicum intellectum esse de his, quorum principia sunt in nobis: non quoquo modo, sed in quantum sunt per nos operabilia: pro quo stare etiam videtur Aristoteles lib. 6. met.t.1.lib. 7. t.23. libr.9.t.2.& sæpè alibi, qui in eo distinguit arte & alios habitus practicos à contemplatiuis, quòd principia rerum, quæ ab arte tractantur, sunt in artifice, rerum autem, quas contemplatiui considerant, sunt extrà. Suadetur autem ex conditionibus scientiæ practicæ iam constitutis,quarum præcipua est ratio ordinis, saltem habitualis ad finem, quæ nullo modo conuenit tali scientiæ, nam cui repugnat actualis operatio, repugnat etiam ordo ad finem, qui non nisi operando acquiritur: sed vt supponitur scientiæ, de quo sermo est,repugnat operari actu: ergo etiam repugnat aptitudinalis habitudo ad finem,& consequenter ratio notitiæ practicæ. Et confirmatur, quoniam idem subiectum non potest esse simul potens, ac impotens, comparatione eiusdem: is vero, qui habet scientiam practicam, habet potentiam, vt

Heruæus. Aureolus. Bassolus. Capreolus. Lychet. Anton. And. S. Thom. Aristoteles.

constat

constat ex Arist.9.met.t.3. vbi scientiam practicam appellat potentiam, & consequenter, qui illa præditus est, erit potens, ergo scientia eius, qui est impotens ad operandum, non est practica.

VI. Bonauent.

Oppositam sententiam sequitur Bonauentura in 3. d. 14. a. 3. quæstion. 3. ad penultimum argumentum, dum concedit Christo Domino datam fuisse scientiam operum diuinorum, cui non poterat cooperari. Gregorius quæstion. 5. prologi a.2. dum impugnat Aureol. Mayron. in 1. d. 48. quæstio. 4. ad tertium, & quartum. Quæ suaderi potest his argumentis primo, Deus optimus maximus habet scientiam practicam de rebus nulla ratione operabilibus, à se ipso in propria natura diuina; ergo non est omninò requisitum ad rationem notitiæ practicæ, vt sit in subiecto habente suapte natura facultatem vtendi illa. Assumptum ostenditur, quoniam actus virtutum moralium, quæ supponunt naturalem aliquam imperfectionem in subiecto; verbi gratia, obedientia, religio, temperantia, nullo prorsus modo in Deum cadunt: & tamen in mente diuina scientia practica mensurans, ac dirigens actus eiusmodi: ergo verum erat assumptum. Minorem ostendo: quoniam dictamina practica naturalia insita mentibus nostris, sunt participationes quædam scientiæ diuinæ practicæ: quemadmodum ergo in nobis sunt dictamina practica illarum virtutum, ita etiam sunt in Deo ideæ, atque exemplaria nostrorum. Et confirmatur, quoniam nihil scibilitatis est in rebus, quod non sit actu scitum scientia diuina, sed in obiecto harum propositionum Deus est colendus, parentibus est obediendum est, scibilitas practica: ergo huic scibilitati obiectiuæ respondet in mente diuina scientia formalis practica. Secundò ratio scientiæ practicæ non est sola denominatio extrinseca accidentaria subiecto, quæ manente scientia ipsa possint vicissim adesse, & abesse, si vero sola impotentia subiecti ad operandum impediret rationem notitiæ practicæ, eadem scientia modo esset practica, modo non: ergo impotentia eiusmodi est conditio peraccidens. Assumptionem probo, fieri potest saltem diuina virtute, vt eleuetur homo ad operationem, ad quam suapte natura est impotens: verbi gratia, si conferat illi Deus potentiã cõgregandi nubes, & gignẽdi pluuias, aut aliquid eiusmodi operãdi: hoc supposito, iam scientia, quam habebat, incipiet esse practica, quando quidem tollitur impedimentum, quod obstabat, & tamen antea non erat practica iuxta oppositam sententiam: ergo sequitur eandem scientiam modò esse practicam, modò speculatiuam, quæ erat assumptio probanda, quod licet admittant aliqui doctores oppositæ sententiæ, tamen falsum est, vt magis constabit cap. sequenti. Tertiò illa notitia est verè practica, quę inuariata in se, & absque additione alterius notitiæ potest esse principium directiuum operandi, sed notitia illa, quæ ex sola impotentia subiecti ad operandum desinit esse practica, si Deus illi suppeditet vim operandi, supra propriam illius naturam, inuariata, & absque adminiculo nouæ notitiæ potest esse principium directiuum operationis: ergo est practica. Maior propositio per se patet. Assumptio colligitur ex suppositione, secundùm quam procedit hæc difficultas: nempè quod scientia talis sit, vt per eam sciens agnoscat modum, & normam operandi, non sit tamen suapte natura potens exercere operationem ex defectu naturalis potentiæ: nam hac suppleta, vel collata diuinitus, nihil deerit ad operandum: Et ita notitia illa poterit esse principiũ directiuum operationis: ergo secundum se est practica, etiam antequam subiectum sit potens operari.

VII. Gregorius. Mayron.

In hac dubitatione, vt benè notat Gregor. & Mayron. vbi proximè, aut loqui possumus de facto, aut de possibili: si de facto loquamur in rebus creatis, siue in hominibus, quorum experientiam habemus, vera est prior sententia: nullus quippe est, qui verè, ac propriè habeat scientiam practicam eorum, quæ suapte natura, vel saltem de lege operari nequit; dico saltem de lege, quandoquidem ad actiones supernaturalis ordinis gratiæ, quemadmodum habet de lege auxilium sufficiens, ita habet ex fide, & prudentia infusa dictamina practica, quibus eiusmodi actiones regulantur. Cæterarum verò, quæ superant naturalem facultatem, non habet scientiam practicam, verbi gratia, quomodo generari debeat imber, grando, nix, glacies, quomodo germinet terra herbam virentem, adolescant sata, frutices, & arbores foliis, ac floribus vestiantur, & eiusmodi alia: quæ diuinæ potentiæ, & scientiæ, practicæ subiecta sunt. Idque adeò verum est, vt quamuis homini cõmunicaretur à Deo vis actiua patrandi similia opera, & sibi relinqueretur, cum solo generali concursu, & tali potentia non infusa simul scientia practica ad operandum requisita, nihil omni-

hil omnino faceret, & similis omninò esset homini artis musicæ ignaro, cui non deessent membra habilia, & instrumenta musica apta ad concentum edendum, & nihilominus illum edere nequaquam posset, ex defectu artis dirigentis motum manus tacturæ cordas, itaque omnis scientia, quam de his rebus habent Philosophi, est merè speculatiua instar eius, quam homines expertes artis habent, cum vident pictores pingentes, vel audiunt musicam harmoniam: vident enim quo modo vel hi, vel illi manus, & labra moueant, quo modo pingant, & canant: at qua methodo, qua symmetria, qua proportione seruata id præstent, omninò ignorant. Ita Philosophi quo modo Deus, & natura effectus suos operentur, vtcunque experientia, & ratione magistra cognoscunt: at quas in operando regulas, quam mensuram sequatur nequeseiũt, neque scire naturaliter possunt. Quare etiam ignorant quomodo ipsi operari deberent, si vis actiua sibi à Deo tribueretur. Itaque earum rerum, quæ suapte natura excedunt facultatem naturalem, nullam prorsus habent notitiam practicam, præcipuè cum etiam ad ea, quæ de facto supranaturaliter eleuantur, non semper habeant eiusmodi scientiam, vt constat in miraculosa operatione per sacramenta, posita opinione, quæ physicam efficientiam ijs tribuit: non enim sacerdos, qui consecrat, aut absoluit à culpis, habet practicam scientiam constituendi corpus Christi sub speciebus panis, aut gratiam in animo producendi. Vnde patet non rectè existimasse Aureol. & Capreolum vbi supra, dicentes scientiam, quam habet Philosophus de generatione rosæ, modo ex defectu potentiæ esse speculatiuam, si verò illi adderetur, futuram esse practicam.

Aureol. Capreolus. Scot. Hispal.

In Deo verò, & quauis causa superiore dirigente causas sibi subordinatas, est de facto scientia practica operationum, quas ipsa per se sola non posset efficere. Hæc asseritur ab Scot. quæstion. 5. prolog. §. *Secundus art.* vbi asserit, si superioris causæ cognitio aliquid facit ad praxim inferioris operantis, iam superiorem habere aliquam praxim, respectu cuius sua cognitio, sit practica. Idem censet Hispal. quæstion. 2. a. 3. notab. 2. & a. 4. ad primum contra primam conclusionem, docens artes architectonicas esse practicas, quatenus dirigunt operationes artificum sibi subordinatorum. Et satis confirmatur primo argumento, pro Scoti opinione proposito: cui accedit commune axioma philosopho rum, nempe opus intelligentiæ non errantis. Ex quo ita deducitur proposita assertio. Omnis operatio, quæ non à casu, & rarò, sed semper, vel plerumque ordinate fit, dirigitur à priore aliqua regula dirigente: opera naturæ sunt ordinatissima, non fortuitò, aut temerè edita: ergo habent regulam dirigentem: hæc non est in ipsis agentibus naturalibus, vt pote maiori ex parte cognitionis expertibus: ergo in aliqua superiore causa, quæ dirigit, & gubernat agentia inferiora: quare notitia, qua ita dirigit, practica omninò est: nam cum respiciat finem alium à se, speculatiua esse non potest. Respondeti ad hanc argumentationem potest dicendo, in operatione Dei, & causarum secundarum duo considerari posse, alterum directionem, & actionem ipsam Dei, qua simul cum omnibus operatur, alterum actionem ipsam creaturæ, prout ab ea immediatè egreditur, & respectu prioris scientiam diuinam esse practicam, non autem respectu posterioris, atque ita non probari hoc argumento, habere Deum scientiam practicam rerum, siue operationem, quas ipse non efficiat. Et ita sentit Gregorius quæstione 5. prolog. a. 1. & Bassol. vbi supra. *Gregorius. Bassol.* Verum omissa actione Dei, & considerato solum influxu creaturæ ostendo scientiam Dei regulantem hanc ipsam actionem, prout à creatura egreditur, esse practicam: etenim scientia diuina non intuetur hanc actionem purè speculatiuè, sed præscribẽdo modum, ac normam illius, quod non nisi ad scientiam practicam spectat, & est similis scientiæ, vel prudentiæ architectonicæ: qua architectus dirigit operationes inferiorum artificum ad finem totius fabricæ, Rex ciuium ad finem cõmunem reip. dux supremus inferiorum ducum, & militum ad victoriam: quamuis enim in his interueniat aliqua operatio superioris agentis, nempe, gubernatio, tamen per hanc ipsam sciẽtiam, quæ in ipso est, mensurat, ac regulat operationes inferiorum, quarum respectu sub hac consideratione non est speculatiua, sed practica.

IX. Tandem si loquamur de possibili potentia scientis ad operandum, non est per se requisita ad scientiam practicam. Hanc positionem probant 2. & tertium argumentum pro secunda sententia adductum, quibus addo modum intrinsecum, vel proprietatem inseparabilem à qualitate, vel scientia separabili, à subiecto non dependere per se à tali subiecto, sed in quouis subiecto ponatur illam necessario comitari. Patet, quoniam alias non esset

modus

modus,vel proprietas, sed accidens separabile ab eiusmodi qualitate: fieri autem non repugnat vt Deus infundat homini habitum notitiæ practicæ,quam habet angelus de re operabili ab ipso angelo nõ ab homine;ergo cũ ratio practica vel sit modus intrinsecus, vel saltẽ proprietas talis habitus, non tollitur ab ipso per infusionem in intellectum humanum,& ita per se loquendo potentia scientis ad operandum non tollit rationem practicæ scientiæ. Dicet aliquis,non eandem esse rationem habituum,& actuum,ideoque quamuis habitus practicus esse queat in subiecto suapte natura inepto ad operandum, actum nullo modo posse: siquidem actus practicus est actualis directio, quæ dari nequit absque appetitu,& intentione finis, quæ in subiecto impotente non datur, impossibilium enim nõ est appetitio. Verùm ego non video cur repugnet eum, qui habet habitum sciendi, elicere actum, cum nihil dicit ex parte causæ, nulla sit contrarietas ex parte intellectus, nam actuum practicorum, vt in superioribus demonstratum est, & in artificialibus patet, non omnes pendent ab actuali appetitione finis; si ergo artifex ad operandum ineptus ex casu potest actu mente reuoluere dictamina practica artis suæ sine absoluta voluntate operandi,cur non poterit is, qui habet habitum practicum,tametsi ex propria natura sit destitutus potentia ad operandum secundum regulas scientiæ habitualis,quam habet?

X. Neque Aristoteles huic sententiæ aduersatur,loquitur enim de facto. Non enim homines eorum,quæ ab ipsis non sunt operabilia, scientiam habent, aut principium illam acquirendi: esset enim superfluanatura,tribuendo scientiam agendi ijs, qui carẽt vi actiua. D. Tho. multò faciliùs exponi potest, nam cum scientiam practicam actu solam illam appellet, q̃ supponit operandi voluntatem, consequenter rectè existimat ad hunc modũ sciẽtiæ requiri in sciente operandi facultatem,sine qua haberi nequit voluntas. Qui verò non requirunt potentiam considerant id, quod solum per se est de ratione notitiæ practicæ,nempe vt non sola veritatis cognitione contenta sit, sed vlteriùs respiciat praxim, cui regulas præscribit; & ita notitiam omnem directiuam suaptè natura censent esse practicam, quamuis per accidens ratione subiecti directio hæc habere nequeat effectum. Et ita ad primum argumentum prioris sententiæ quatenus dictis repugnat, respondendum est, adhuc in eiusmodi scientia quantum de se est, dari aptitudinalem habitudinem ad finem, cui actualis operatio non repugnat per se, sed per accidens ratione subiecti, quod non impedit rationem intrinsecam scientiæ. Ad confirmationem respondeo eadem ratione: concludi posse artificem, cui præcisa sunt membra ad operandum necessaria, simul esse impotentem, ac potentem: impotentem ratione defectus membrorum, potentem ratione artis,qua pollet.Quemadmodum autem ex hoc non sequitur notitiam, quam habebat antea, desinere esse practicam, ita neque concluditur eam,quæ infunderetur homini de operationibus suaptè natura illi impossibilibus, non esse practicam. Respondeo itaque,Aristotel. non dixisse simpliciter eum, qui pollet arte, esse potentem, sed solum numerasse artem inter potentias. At verò non omnis potentia reddit subiectum simpliciter potens, nisi ea, quæ est completa, & in actu prima, quæ verò exigunt concursum alterius principij, nequaquam. Quo pacto intellectus est potentia intelligendi, quia tamen nudè sumptus absque spe non potest exire in actum secundum, verè dicimus hominem, quamdiu intellectus eius manet, vt tabula rasa nulla specie figurat, non posse intelligere.Similiter ars potentia quidem suo modo est,verum non sola sufficiens ad operationem absque concursu potentiæ executiuæ, quam dirigat: id circo qui carens potentia executiua haberet scientiam practicam, simpliciter esset impotens ad agendum, secundum quid potens ratione principij directiui: accedente verò potentia executiua esset simpliciter potens. Argumenta pro secunda opinione adducta non indigent solutione,nam primum procedit de notitia Dei regulante operationes creatas, quæ verè est practica, vt constat ex dictis, posteriora duo procedunt de possibili considerando id, quod per se est de ratione notitiæ practicæ;nempe, vt per se,ac propriè sit directiua operationis à se ipsa diuersę.

XI. Ex dictis toto hoc tractatu elici potest vera notio scientiæ practicæ, & speculatiuæ,& proprium discrimen ipsarum inter se, namque scientia practica nempe actualis, de qua hactenus sum locutus, ita describi potest : est notitia obiecti operabilis præscribens modum, & rationem operandi. Nomine obiecti operabilis, per se, ac propriè intelligi-

tur ipsa praxis, quæ est immediatum obiectum notitiæ practicæ: semper enim, vt benè notant Doctores relati capit. 4. numer. 5. praxis ipsa est saltem pars obiecti notitiæ practicæ, si verò nomine obiecti intelligatur obiectum attributionis, circa quod scientia versatur, tunc non semper est opus, vt ipsum sit aliquid operabile, sed sat est, vt sit terminatiuum praxeos, quam scientia dirigit; quia vero etiam de obiecto operabili potest esse notitia speculatiua, additur propria ratio quæ consistit in directione, qua præscribitur operandi modus: vel imperatiuè inducendo necessitatem obligationis, vt plerumque accidit in dictaminibus moralibus, vel ostensiuè, vt in artificialibus. Et hac ipsa præceptione indicatur ordo ad finem, qui enim operationem dirigit, finem intendit: scientia verò speculatiua sic describi potest: est actus intellectus tendens in solam obiecti veritatem sine habitudine ad alium finem, sine dictamine, aut regula operandi. Quæ descriptio patet ex declaratione notitiæ practicæ. Ex cognitione verò actuũ facilè dignoscitur natura habituum, est enim scientia practica, habitualis inclinatio ad actum directiuum praxeos: speculatiua vero habitus inclinans ad solam speculationem, quibus positis pro huius materiæ complemento, superest indagandum, quomodo hæ differentiæ se habeant ad singulas scientias.

Practicum, & speculatiuum non sunt differentiæ essentialis diuidentes omnes habitus intellectuales, sed solum scientias naturales.

Caput VII.

I. IN controuersia est apud Authores, vtrum practicum, & speculatiuum sint differentiæ essentiales scientiarum, an verò solum accidentales: quæ quæstio potest intelligi dupliciter, primum quidem vtrum semper arguant distinctionem specificam. Deinde verò vtrum ipsæ sint veræ differentiæ essentiales, quod attinet ad priorem sensum quæstionis, plurimi è recentioribus censent esse differentias accidentales, ex varijs tamen fundamentis. Nam qui credunt scientiam non esse practicam ex solo defectu potentiæ exercendi operationem, admittunt accedente, vel recedente eiusmodi potentia eandem sententiam, modo esse practicam, modo speculatiuam, ex quo fundamento id docet Aureolus quæstion. 3. prolog. art. 2. & tanquam probabile admittit Capreol. quæstion. 2. prolog. a. 2. ad 1. & 1. contra 6. conclusionem. Item qui existimant ad rationem scientiæ practicæ requiri actualem relationem eius in finem, eodem modo dicent, eandem conclusionem moralem cognitam, absque eo quod actu voluntas intendat operationem esse speculatiuam, cùm vero voluntas intendit finem, & cognitionem applicat ad directionem operationis volitæ inducere rationem practicæ. Tertium fundamentum est aliorum, qui censent eas conuenire simul eidem habitui naturali, qui diuersarum conclusionum respectu, & est speculatiuus, & practicus: cuiusmodi aiunt esse logicam & scientiam moralem: quæ modo considerant naturam, & proprietates subiectæ materiæ, modo regulas operandi tradunt, & consequenter habent simul rationem practici, & speculatiui. Id verò probant, quoniam duæ illæ scientiæ plurima demonstrant de suis subiectis, quæ merè speculabilia sunt: neque vllam praxim immediatè regulant. *Aureol.* *Capreolus.*

II. Verum opposita sententia multò communior est apud doctores, qui saltem in scientijs naturalibus docent practicum & speculatiuum elicere vel differentias essentiales, vel proprietates ab illis procedentes, quos inferius referam. Et nullum ex allatis fundamentis sufficiens est ad stabiliendam sententiam oppositam. Nam primum, quoniam, vt iam ostendi, notitia, quæ suaptè natura est directiua praxeos & proxima mensura illius, siue subiectum sit potens ad operationem exercendam, siue non, habet veram rationem notitiæ practicæ: quæ non variatur per mutationem subiecti penes solam potentiam operandi: & ita negandum est accessu, vel recessu potentiæ transire notitiam de practica in speculatiuam, aut vice versa. Item superius ostendi rationem notitiæ practicæ non consistere in actuali, sed aptitudinali relatione ad finem, atque adeò siue voluntas intendat opus per eam regulandum, siue non, retinet veram rationem notitiæ practicæ, dummodo sua-

pte na-

pte natura sit regulatiua praxeos, ex quo patet falsitas secundi fundamenti. Tertiũ similiter est falsum: namque ex habitibus naturalibus communiter à Philosophis numeratis nullum vtramque rationem participat, neque scientia moralis, quatenus est vna, siue re, siue ordine, est simul practica, ac speculatiua, sed solum practica, & inter habitus practicos recensetur libr 6.Ethic.capit. 2. & supponitur à Diu. Thoma 1. part. quæstion. 1.a. 4. dum contraponens Theologiam scientijs Philosophicis, ait, licet harum alia sit speculatiua alia practica, Theologiam tamen comprehendere, sub se vtramque. Inter philosophicas autem scientias non est alia practica, quàm moralis, & ita in sententia D. Thomæ hæc non est simul practica, & speculatiua: aliàs perperam quoad hoc statuisset discrimen inter eam, & Theologiam. Dicit aliquis non solam Philosophiam moralem ex Philosophicis esse practicam: nam Medicina practica est, ideoque non necessario eo loco intelligi debere moralem. Hæc tamen euasio non habet exitum, nam medicina non solet appellari scientia Philosophica: si quis autem contendat posse ita dici, eadem de illa ratio erit, ac de scientia morali: non minus enim contemplatur naturas herbarum, & rerum aliarum, quam Philosophia moralis naturam virtutum. Et ita qui hanc dixerit simul practicam, & speculatiuam, idem de Medicina dicere tenetur: & tamen Diu. Thomas vult ex scientijs philosophicis aliam esse purè speculatiuam, aliam solummodo practicam. Similiter moralem scientiam esse solum practicam docet Albertus in sum.tract.1.quæstio.3.in 3.Bonauentur. quæstion.3. prolog. Henricus in sum. art. 8.quæstion.3.& alij communiter. Deinde scientia strictè sumpta sumitur pro habitu conclusionum: nam habitus principiorum, & quædam aliæ prænotiones requisitæ non pertinent ad ipsam formalem rationem intrinsecam scientiæ, & ita si quæ speculatiuo modo considerantur in philosophia morali, hæc non pertinent ad ipsam, vt est propria scientia, sed magis pertinent ad scientiam naturalem de homine, considerantur tamen in morali, tanquam principia eiusdem: nam ex cognitione virtutum, ac vitiorum eliciuntur propositiones quædam speculatiuæ, quæ sumuntur, vt principia ad deducendas conclusiones practicas; quod non sufficit, vt scientia moralis vllo modo speculatiua dici queat, etenim prudentia, quam ijdemmet Authores merito concedunt purè practicam, adhibere solet in suis syllogismis propositiones aliquas speculatiuas, ad eruenda dictamina practica: quare consideratio speculatiua principiorum, quæ deinde intermista alijs principijs practicis subsumuntur, ad colligendam conclusionem practicam, non dat rationem, aut denominationem speculatiuæ scientiæ illi, quæ versatur solum circa conclusiones practicas. Quod vero attinet ad Logicam, eadem ratio est, nam quamuis inter Doctores sit controuersia, sitne practica, an speculatiua: qui tamen dicunt esse practicam, negant habere rationem speculatiuæ, & vice versa.

Aristotel. & Thom.

Albertus. Bonauent. Henricus.

III.

Quæstio deinde est, an practicum, & speculatiuum sint differentiæ essentiales, vel proprietates diuidentes adæquati omnem habitum intellectualem: ita, vt vtraque ratio in vno habitu simul reperiri nequeat. Affirmant Henricus in sum. artic. 8. quæstion. 3. Aureolus quæst. 3. prolog.a.1.dum agit contra 8.propositionem. & articulo 2. §. Vltimo. Scotus quæstion.5.artic.1. §. *Alia opinio.* Ex Lychet. ibidem Mayron. in 1. d. 48. quæstion. 4. Bassol. quæstion. 7. prolog. articul. 4. & quæstion.8. art.1.§. *Contra primam viam arguo*, & art.2. §. *Sed de Theologia.* Toletanus quæstion.10.art.2.conclusion. 3. & a. 4.ad argumenta contra eandem conclusionem Argentin.quæstion.4.artic.4.dum impugnant quartam opinionem, quæ est Godfredi, & Aquilani quæstion. 4. artic. 4. Probatur primo: quoniam impossibile est differentias oppositas contradictoriè, vel saltem habentes contradictionem necessario annexam, & adæquate diuidentes aliquod genus, cõcurrere in vna, eademq; specie: ratio practici, & speculatiui sunt differentiæ eiusmodi comparatione habitus & actus latè sumpti: ergo fieri nequit, vt in eadem conueniant. Maior propositio ostenditur exemplo, & ratione exemplo differentiarum, quibus animal in hominem, brutumque diuiditur, quæ nulla prorsus potentia conuenire possunt in vnam speciem animalis, vt per se patet. Ratione, quoniam in coniunctione differentiarum eiusmodi in eadem specie sequitur aperta contradictio, nam cum vtraque sit forma essentialis subiecto communicabit ille suum effectum formalem, ac denominationem, & cum vtraque inuoluat negationem alterius, ex vnius positione necessariò infertur negatio alterius.

Henricus. Aureol. Scotus. Lychet. Mayron. Bassol. Toletan. Argent. Aquilan.

Assumptio vero est quoque euidens: inprimis enim practicum, ac speculatiuum diuidunt adæquate habitus, vt colligitur ex Aristotele citando capit. sequenti n.6. Deinde vnum continet negationé alterius, siquidem habitus practic⁹ ordinatur ad finem distinctũ à proprio actu, speculatiuus nequaquam; speculatiuus est sola veritatis cognitione contentus, practicus vero totus in praxi mensuranda consumitur. Secũdò idem suadetur, quoniã vnius habitus vnus est finis adæquatus, vnum subiectum attributionis, & formale: Obiectum autem stare simul nequit respectu eiusdem scientiæ sub ratione operabilis, & non operabilis, regulabilis, & non regulabilis: quę sunt conditiones necessariæ ex parte ipsius ad specificationem rationis practicæ, & speculatiuæ: fieri etiam nequit, vt finis habeat annexas conditiones oppositas, verbi gratia, vt sit sola speculatio, & non sola, sed etiam praxis: repugnat quoq; eundem actum esse elicitum à scientia, ac puram cognitionem obiecti, & simul imperatam & regulatam ab eadem. Præterea finis non subordinati, sed singuli seorsim per se intenti non possunt cadere in habitum vnum per se: praxis, & speculatio sunt eiusmodi: Non ergo venire possunt in considerationem vnius scientiæ.

IV. Communior tamen sententia inter Doctores est practicum, & speculatiuum absolutè quoad omnem suam latitudinem non esse differentias essentiales, sed accidentales: si vero sumantur comparatè in ordine ad aliquas scientias, arguere differentiam essentialem. Et quidem Caietanus 1.part. quæstion. 1. art. 4. §. *Antequam*, ait respectu scientiarum de obiecto finito esse essentiales, respectu vero scientiarum de obiecto infinito accidentales. Fundamentum esse potest, quoniam obiectum infinitum ratione suę amplitudinis, ac scibilitatis sub eadem ratione formali continet virtualiter veritates practicas, & speculatiuas: quod obiecto finito ratione suæ limitationis non conuenit. Capreolus verò vbi supra censet esse differentias essentiales respectu scientiarum, quæ naturali lumine acquiruntur, accidentarias vero respectu earum, quæ acquiruntur diuino. Verum hi Authores non assignant adæquatam causam suæ distinctionis: nam finitas, vel infinitas subiecti non mutat rationem eius in genere scibilis, nisi respectu cognitionis adæquatæ, de qua modo non loquimur: & quemadmodum subiectum iufinitum virtute continet veritates practicas, & speculabiles: Sic etiam finitum suo modo continet: ex natura enim, ac diffinitione hominis colliguntur pleræque veritates morales practicæ: contra vero de Deo obiecto infinito sunt scientiæ naturales diuersæ specie secundum rationem practici, & speculatiui, nimirum Metaphysica, & ea pars scientiæ moralis, qua instruimur ad operationes morales, quæ versantur erga Deum. Item diuersa ratio luminis, ad quã recurrit Capreol. etiam non sufficit. Nam prudentia moralis infusa supernaturali lumine nititur: & nihilominus secundum rationem practici differt essentialiter à Theologia, ex parte qua speculatiua est: & præterea non assignat rationem, cur sub lumine naturali ratio practici, & speculatiui constituant differentiam essentialem, non vero sub lumine supernaturali. Verum responderi huic obiectioni potest ex doctrina eiusdé Capreoli vbi supra, ea, quæ sunt ordinis superioris, non specificari similiter ac ea, quę sunt inferioris: nam color, & sapor, qui comparati ad sensus externos cõferunt essentialem differentiam duab. potentijs, conueniunt in vnica ratione obiectiua sensus cõmunis: & ita respectu eius nõ differunt secundum speciem obiecti scibilis. Ita licet speculatiuum, & practicum respectu scientiarũ naturalium sint essentiales differentiæ, non erunt respectu scientiæ supernaturalis habitæ ex lumine diuino. Quę quidem ratio indicatur à D. Thom. 1. p.q.1.ar.4. Et quamuis verisimilis sit, nondum ostendit in quo consistat ratio discriminis. Nam sapor, calor, & alia accidentia sensilia respectu sensus communis habent vnicam rationem communem mouendi sensum, à qua sumitur specificatio illius, ipsa vero accidentia habent se materialiter. At cur ratio practici, & speculatiui sub lumine diuino non variet rationé motiuam obiecti, & habeat se tantum materialiter non explicatum est.

Caietan. *S. Thom.*

Capreolus.

V. Dico primum. Ratio practici, & speculatiui in tota sua latitudine nec sunt differentiæ essentiales, nec arguunt differentiam specificam. In hac conueniunt omnes, qui docent Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam, quos referam cap. 11. Videbitur autem alicui probari posse hanc conclusionem, ex eo, quod scientia diuina vnica existens vtramque illam rationem habet. Verũ ego non vtor hoc fundamento: tum quia licet in materia de scientia Dei hanc sententiam amplectar: non dum tamen probata, & inter Authores controuersa est, tum quia ex eo, quod dua-

aliquæ

aliquæ rationes in conceptu analogico communi Deo cum hominibus non arguant distinctionem specificam, non rectè colligitur in creaturis posse concurrere in eandem speciem. Etenim ratio intellectus, ac voluntatis in Deo non infert distinctionem essentialem, vt patet: & tamen in creaturis sunt potentiæ vitales specie distinctæ. Eodem modo, licet ratio practici, & speculatiui conueniant in eandem numero scientiam diuinam, non obstabit, quo minus in creatis importent differentias essentiales. Fundamentum autem præcipuum est, quoniam eiusmodi rationes sumptæ in tota sua latitudine habent se ex parte obiecti materialis: Conditiones vero, quæ ita se habent, possunt conuenire sub vna ratione formali: atque adeò pertinere ad eandem specie scientiam, vt constat ex dictis in tractatu de subiecto, & obiecto Theologiæ. Pertinere verò ad obiectum materiale constat, quoniam eadem Conclusio practica, vel eadem speculatiua pertinet ad diuersas scientias: Nam Philosophus, ac Mathematicus ex diuersis medijs demonstrant hanc propositionem speculatiuam, *terra est rotunda*. Item hæc practica, *pauperibus subueniendum est in necessitate*, demonstrari potest ex principijs naturalibus scientiæ moralis, & ex principijs fidei discursu Theologico: & ita subesse debent rationi formali obiecti Theologiæ, ac scientiæ moralis. Ratio verò obiectiua, quæ eadem manens pertinet ad habitus diuersos, non est formalis, sed materialis: nam si formalis esset, non pertineret ad duas rationes formales, neque vlterius compleretur in ratione formali. Responderi poterit rationes formales obiectiuas alias esse specificas, & has non posse ad plures scientias pertinere, aut compleri nouæ rationis formalis accessu: alias verò esse genericas, quæ quodammodo per superuenientes contrahuntur ad constitutionem vnius rationis formalis specificæ completæ: Et priores quidem non arguere distinctionem specificam, posteriores autem maximè. Exempli causa, ratio obiectiua scientiæ in communi non est specifica, sed generica, & completur sub hac, vel illa ratione formali scibilis: & tamen est essentialis importans essentiale discrimen scientiæ ab habitibus incertis, & ineuidentibus: eodem modo practicum, ac speculatiuum, licet compleantur accessu nouæ rationis formalis, adhuc esse possunt rationes genericæ importantes essentiale discrimen. Quæ solutio satisfaceret argumento, si duæ hæ rationes nunquam subesse possent eidem rationi formali specificæ. Verùm cum possint, adhuc manet vis argumenti, si proponatur in hunc modum. Differentiæ, siue rationes formales genericæ essentialiter oppositæ substare nequeunt eidem rationi formali specificæ. Practicum, & speculatiuum substant eidem rationi formali specificæ: ergo non sunt rationes formales communes essentialiter oppositæ. Omnia sunt perspicua præter assumptionem; quæ probatur: nam fides supernaturalis habet vnicam rationem formalem, specificam, & tamen inclinat ad assensus mere speculatiuos, & practicos iuxta diuersitatem obiectorum: item fides humana eadem ratione mouet nunc ad assensus practicos, nunc ad speculatiuos: ij verò sunt eiusdem speciei sub eadem ratione formali specifica: quandoquidem, vt Doctores communiter admittunt, assensus sumunt speciem à ratione motiua: motiuum autem fidei humanæ respectu omnium credibilium est auctoritas, & testificatio humana, quæ est eiusdem speciei in ratione motiui: & proinde nulla alia diuersitas obiecti sub eo motiuo variat speciem.

VI. Dico secundùm, practicum, & speculatiuum presse sumpta, vt sunt differentiæ scientiarum, vel virtutum intellectualium, sunt differentiæ essentiales, vel saltem proprietates annexæ veris differentijs. Hæc est de mente Doctorum, quos deinceps referam: quorum alij docent practicum, & speculatiuum esse differentias essentiales, alij esse proprietates ex essentia procedentes, & indicia differentiæ specificæ. Hanc probare nititur Aureol. vbi supra ex sententia Aristotelis lib. 1. Metaphys. t. 2. diuidentis scientias per practicum, & speculatiuum, non enim tradere debuit diuisionem per differentias per accidens. Vbi notandum Philosophum non diuisisse habitum intellectiuum in commune per eiusmodi differentias, quoniam tunc esset diuisio per accidens: siquidem hæ differentiæ in commune sumptæ respectu cuiusuis habitus, vel notitiæ non sunt per se, & conuenire possunt habitibus, & actibus eiusdem speciei, vt constat ex dictis: sed diuisit scientias, nempè naturales, in quibus diuersitas penes practicum, & speculatiuum semper arguit distinctionem specificam: & in hoc sensu intelligi debet id, quod ex Diuo Thoma ait *Aureol.*

Capreol. Capreol. vbi supra, nimirum practicum, & speculatiuum diuidere essentialiter scientiam naturali lumine genitam. Fundamentum est, quoniam ea diuisio, cuius differentiæ sub genere diuiso reperiri nequeunt in indiuiduis eiusdem speciei, traditur per differentias essentiales, vel proprietates his necessariò coniunctas: practicum verò, & speculatiuum presè sumpta in scientijs, ita se habent: quare arguet distinctionem specificam. Maior propositio est per se nota: id enim quod semper conuenit, per se, & non per accidens conuenit: atque adeò differentiæ, quæ semper in suis subiectis supponunt diuersitatem essentialem, vel ipsæ sunt essentiales, vel essentialibus necessariò annexæ. Assumptio probatur à partium enumeratione, omnes enim scientiæ naturales speculatiuæ essentialiter distinguuntur à practicis: sed cur practicum, & speculatiuum in scientijs inducunt distinctionem specificam, non verò in cæteris omnibus habitibus?

VII. Quidam recentiores respondent causam esse, quoniam habitus scientiarum naturalium vel sunt adæquatè practici, vel adæquatè speculatiui: & ideò habent diuersa obiecta, sed cur, quando habitus sunt inadæquatè practici, & speculatiui, non idem sibi vendicant? Respondent has differentias non distinguere speciem habituum nisi supposita distinctione reali ipsorum, quoniam tunc habent obiecta adæquata diuersa sicut color, & sonus: qui facultatem sensus communis non possunt distinguere secundum speciem, quoniam eadem vis secundum eandem rationem vtramque complectitur: sunt vero causa distinctionis secundum speciem sensuum externorum, quia supposita distinctione reali potentiarum, habent rationem adæquati obiecti. Noquaquam tamen probanda est hæc regula: quoniam potentiæ sumunt ab obiectis propriam rationem formalem, ac distinctionem. Ideoque fieri nequit, vt sint iam distinctæ prius natura, quam intelligantur sub habitudine ad obiectum: etenim, si supponenda est distinctio realis habituum, vel potentiarum, vt obiecta possint conferre illis distinctionem specificam, iam potentiæ dictinctæ sunt specie: quæcumque enim re distinguuntur, oportet, vt differant genere, vel specie, vel numero: potentiæ verò illæ, quarum exemplo vtuntur, nempè visus, & auditus, si supponuntur distinctæ secundùm rem, nõ possunt considerari sub distinctione generica, quam non habent: non sub numerica solùm, quoniam non conueniunt specie, ergo sub specifica: quare iam non opus est, vt eam accipiant ab obiecto. Et ita doctrina illa repugnantiam continet, & aduersatur communi sententiæ Doctorum, qui ab obiectis sumunt distinctionem potentiarum, & habituum. Neque exemplum, quo vtuntur, eorum opinioni suffragatur: non enim color, & sonus, licet sint perceptibiles eodem sensu communi, propterea sunt inepti, vt seorsim sumpti sub alia ratione formali ab ea, secundum quam mouent sensum communem, possint dare per se speciem potentiæ ipsis adæquatæ, quin illam supponant: etenim eadem omninò res sub diuersa ratione formali manet obiectum sufficiens, ad constituendum essentiale discrimen inter varias potentias, & inter habitus, vt ens quatenus verum, dat speciem intellectui, quatenus bonum voluntati, eadem propositio, vt cognoscibilis per diuersa media dat speciem diuersis actibus, & habitibus: ergo etiam diuersa obiecta materialiter, quamuis, quatenus conueniunt sub vna ratione formali, pertineant ad vnam numero potentiam, vel habitum; tamen quatenus sumi possunt sub diuersa ratione formali obiectiua, possunt consequenter dare speciem diuersis potentijs, & habitibus, quin supponant realem distinctionem ipsorum, quemadmodum color, & sonus non supponunt distinctionem realem visus, & auditus: nec medium demõstratiuum, aut opinatiuum distinctionem scientiæ, & opinionis: sed illam causant.

VIII. Fundamentum vero solidum est, quo communiter vtuntur Doctores ad inuestigandas rationes formales potentiarum, & habituum ex obiectis. Nempè, vt ex eo, quod accidit obiecto, quatenus obiectum formale est, nunquam sumatur ratio aliqua essentialis potentiæ, vel habitus, sumatur autem ex eo, quod per se conuenit obiecto formali: exemplum est in intellectu, qui non sumit speciem ab obiecto agibili, vel speculabili: quoniam hæ duæ rationes accidunt vero, quod est obiectum dans speciem intellectui: neque item ab opinabili, vel demonstrabili ob eandem rationem: fieri tamen potest, vt ratio aliqua, quæ per accidens se habet ad rationem communem potentiæ, sit per se requisita ad habituum distinctionem, vt in hoc vltimo exemplo patet: siquidem opinabile, & demonstrabile accidunt obiecto intellectus,

sunt

sunt tamen differentiæ per se obiecti formalis habitus opinatiui, ac demonstratiui. Ex quo, vt hoc per transennam dicam, patet non benè colligi practicum, ac speculatiuum non esse differentias per se habituum, propterea quod sunt differentiæ accidentariæ intellectus: nam opinatiuum, & demonstratiuum, sunt etiam differentiæ per accidens intellectus, per se verò habituum. Ex eo verò colligendum est conditionem aliquam obiectiuam per se conferre ad specificationem potentiæ, vel habitus, quando ea præcisa tollitur specificatio, non semper autem requiritur vt ea posita ponatur: Nam fieri potest, vt ad rationem formalem obiecti concurrant plures conditiones per se requisitæ, quarum quauis deficiente dissoluatur, non vero quauis posita ponatur.

IX. Ex hoc fundamento facilè deducitur institutum. Rationes practici, & speculatiui adæquatè sumptæ in scientijs naturalibus requiruntur per se ad rationem obiectiuam eiusmodi habituum: ergo dant ijs essentialem distinctionem. Consequentia patet ex posito fundamento: quoniam si ab obiecto habituum naturalium, qui sunt adæquatè practici, aut speculatiui, cognitione præscindatur ratio agibilis, vel speculabilis, hoc ipso dissoluitur ratio formalis obiectiua ipsorum: Ergo per se pertinent ad illam: consequentia euidens est ex eodem fundamento. Antecedens probari potest discurrendo per singulos habitus: nam si à rebus abstractis ab omni materia cognitione separemus aptitudinalem rationem speculabilitatis, iam de se manent indifferentes, vt possint pertinere ad aliam scientiam, quàm Metaphysicam, si considerentur, vt terminatiuæ alicuius operationis: verbi gratia, Deus, vt à nobis amandus, & colendus, item Angulus, triangulus, & aliæ figuræ si abstrahant à ratione factibilis, iam destruetur ratio formalis obiectiua artis fabrilis: Contra verò si considerentur non vt speculabiles, sed vt agibiles, iam tollitur ratio formalis obiectiua geometriæ: quare adæquata ratio agibilis, & speculabilis per se pertinet, ac requiritur ad obiectum formale specificans habitus naturales adæquatè practicos, vel speculatiuos: & consequenter practicum, & speculatiuum adæquatè sumpta, sunt differentiæ essentiales habitus intellectiui naturalis, non quidem vltimæ, ac specificæ, sed genericæ. Alia quoque ratio fundamentalis sumitur ex principijs, quoniam motiuum specificans consistit in assensu principiorum: qui in scientijs naturalibus est euidens, & perinde resoluitur in terminos simplices: atque adeò, quoties ex notitijs terminorum simplicium eliciuntur diuersa iudicia penes rationem practici, & speculatiui, sumuntur ex ratione formali obiecti, quæ vltimo consistit in diuersa apprehensione terminorum, semper autem termini principiorum speculabilium, saltem altera ex parte sunt essentialiter diuersi, & continent virtualiter veritates complexas specie distinctas: at quando assensus non resoluitur in terminos, sed in medium extrinsecum, quale est testimonium alterius, ratio assentiendi est eadem specie, quoad omnia genera enunciationum, & quo ad omne obiectum: & idcirco ratio practici, & speculatiui in scientijs, quæ per assensus euidentes principiorum resoluuntur in terminos simplices, arguit distinctionem specificam, non verò in alijs assensibus genitis ex medio extrinseco.

X. Ex dictis facilè soluuntur argumenta sententiæ asserentis practicum, & speculatiuum esse differentias, vel proprietates diuidentes habitus omnes intellectuales. Primum quidem negando assumptionem: ad cuius probationem respondetur practicum, & speculatiuum sumpta adæquatè in ordine ad propria obiecta, non diuidere adæquatè habitus intellectuales, sed tantùm scientias naturales, & hoc solùm voluit Aristoteles. In alijs verò, quæ habent rationem motiuam extrinsecam, nihil prohibet dari habitum, qui non sit adæquatè practicus, aut speculatiuus, sed inadæquatè simul practicus, ac speculatiuus. Ad probationem eiusdem assumptionis adhibenda est eadem distinctio; sola enim scientia practica adæquatè sumpta continet negationem speculatiuæ, & viceuersa hæc negationem illius: at ratio practica simul, & speculatiua inadæquatè solùm admittit eiusmodi negationem reduplicatiuè, ita vt sub ea ratione, quæ est practica, non sit contenta sola veritatis agnitione, sed ad vlteriorem finem dirigatur: sub ea vero qua est speculatiua, non referatur ad alium finem, sed vltimo sistat in ipsa veritatis contemplatione: vt verò est vna ratio totalis vtramque illam complectens, habet vtrumque positiuum, nempè relationem ad finem, & puram speculationem veritatis: negationes tamen op-

positas

positas verbi gratia non dirigi ad finem, non habere puram speculationem non admittit simpliciter, sed cum reduplicatione, vt dixi. Ad secundum respondetur fieri posse, vt vnum, idemque obiectum sub ratione formali indifferenti, quantum est de se, ad practicum, & speculatiuum pertineat ad eundem habitum sub ratione operabilis, vel saltem terminatiuæ operationis, & simul sub ratione speculabilis: Nam ex obiecto, vt continet principia speculabilia, & cognoscibile est per actum puræ contemplationis, sumi potest ratio scientiæ speculatiuæ: Ab eodem verò, vt est terminatiuum operationis per antecedentem notitiam regulabilis, sumi potest ratio practicæ: & ideò ex obiecto moraliter sumpto non oritur vlla repugnantia: quod si ratio formalis est eius naturæ, vt ad vtramque considerationem se extendat, non repugnat in eundem habitum vtraque illa ratio quadret. Ad rationem verò sumptam à fine, siue actibus scientiæ, respondeo, vt scientia aliqua sit simul practica, & speculatiua, non requiri, vt idem actus scientiæ sit simul pura cognitio, & praxis per se ipsam regulata, quod repugnat: sed sat esse vt simul sit pura cognitio obiecti, & qua talis præscindens ab operatione: & simul notitia practica dirigens operationem, & qua talis non persistens in sola obiecti cognitione, quod non repugnat, vt explicatum est in solutione primi. Quin verò id non semper requiritur, sed solùm quando actus est adæquatus scientiæ, tunc enim debet vtramque rationem habere, vt habet vnicus actus scientiæ diuinæ: quando verò actus sunt inadæquati habitui, vt in nobis, idem actus non est simul speculatio, & notitia practica, sed pro varietate obiectorum immediatorum: vt videre est in actibus fidei, modo enim credimus agibilia actu practico: modo speculabilia, & & hic est speculatiuus: & ideò non est vndè colligatur repugnantia coniunctionis rationis practicæ, ac speculatiuæ in eodem habitu. Ad vltimam confirmationem respondeo, tunc fines disparatos arguere diuersitatem habituum, quando ex ipsis sumitur aliquo modo ratio formalis habitus: & ita non possunt conuenire in vnam rationem formalem: quando verò ab ipsis non sumitur ratio formalis, nequaquam arguere diuersitatem scientiæ, sed posse ad vnam pertinere.

XI. Quod attinet ad quæstionem in secundo sensu, nimirum vtrum practicum, & speculatiuum in scientijs naturalibus sint differentiæ essentialis; Negantem partem amplectitur Scotus, quæst. 4. prologi. §. *Contra de necessitate*, Mayron in 1. d. 48. quæst. 3. & 4. Bassol. quæst. 7. prologi, art. 4. Anton. Andreas, quæst. 4. Petrus de Aquilan. quæst. 4. art. 2. Conrad. 1. 2. quæst. 3. art. 5. in corpore circa primam rationem, Hispalens. quæst. 2. prologi, art. 3. notabil. 6. Fundamentum præcipuum eorum est, quoniam ratio formalis consistens in habitudine non potest esse essentialis enti absoluto, ratio practici consistit in habitudine, scientia est qualitas absoluta: quare illa non potest esse ratio huius essentialis. Secundò nihil posterius est de essentia prioris, practicum, & speculatiuum sunt posteriora scientijs, quibus competunt: ergo non sunt differentiæ essentiales. Tertiò idem genus diuidi nequit duabus diuisionibus adæquatis quidditatiuis, & per differentias non subalternatim positas: scientia diuiditur adæquatè per euidens, & ineuidens; practicum, & speculatiuum: per scientiam quia, & propter quid, addunt aliqui similiter habitum intellectiuum diuidi immediatè in habitum principiorum, scientiam, & opinionem, qui etiam diuiditur per practicum, & speculatiuum, membra vero harum diuisionum non sunt subalternatim posita, & prior diuisio est essentialis; ergo posterior est accidentalis. Vltimo, quoties commune aliquid diuiditur per essentiales differentias, quidquid continetur sub perfectiore, est perfectius omni contento sub imperfectiore. Hoc autem non cernitur in eiusmodi diuisione: non enim omnis habitus practicus est nobilior speculatiuo, vt patet, nec viceuersa.

Scot. Mayron. Bassol. Anton. And. Aquilan. Conrad. Hispalens.

XII. Oppositam sententiam saltem respectu humanarum scientiarum tuentur Capreolus, & Caietanus vbi supra, Chrysostomus Iauellus 6. Metaphysicæ quæst. 6. Augustin. Nyphus disput. 2. Bonertus lib. 2. cap. 4. Fundamentum est quoniam hæ differentiæ non concurrunt in habitum eiusdem speciei, & sumuntur à ratione obiecti contracta per proprium modum scibilitatis, siue potius à differentia ipsius obiecti scibilis, vt hoc cap. num. 10. & cap. 5. ostendi: ergo est per se differentia essentialis. Ad primum Mayron. respondet Aureol. quæst. 3. prologi, art. 2. ad finem, scien-

Capreol. Caietan. Iauellus. Nyphus. Bonertus.

tiam

tiam considerari posse secundùm rationem absolutam, & sic practicum, & speculatiuum esse differentias eius per accidens: vel quatenus est virtus intellectualis, quæ includit respectum debiti, congruentiæ, vel conuenientiæ in ordine ad naturam, in qua est: & hoc modo diuidi essentialiter per practicum, & speculatiuum. Quoniam, inquit, alio modo se habet intellectus ad obiectum, quod est scibile tantùm, & alio ad id, quod potest ab eo fieri: modus enim sumendi principia, ac sciendi est alius omninò, quando obiectum est operabile, ac quando non est. Quæ responsio non satisfacit: Nam, quemadmodum virtus appetitiua non est aliud ab habitu absoluto, quo appetitus inclinatur ad suos actus, ita nec virtus intellectiua erit aliud; & quemadmodum virtus appetitiua distinguitur à per se ratione obiecti voluntatis, nempè ab hac, vel illa ratione boni: ita virtus intellectualis distingui debet à propria, ac per se ratione obiectiua ipsius intellectus, nempè à determinata ratione veri: sed ratio per se obiectiua distinguit habitus secundùm rationem absolutam, alioquin non sumeretur distinctio scientiarum, quatenus scientiæ sunt, à proprijs obiectis: imò in his habitibus intellectus, qui virtutes intellectuales dicuntur, ratio virtutis, etsi fortè connotet aliquem respectum rationis, consistit tamen in ipsa ratione habitus absoluti: Respondetur itaque qualitates, & alia entia absoluta à respectu secundùm esse, non esse prorsus absoluta à respectu transcendenti, & hunc includi in scientia creata: & ideò mirum non esse, si ea essentialiter distinguatur per differentias respectiuas transcendentaliter. Ad secundùm neganda est assumptio, quandoquidem nulla scientia in particulari concipi potest, quin in eius conceptu includatur ratio practici, aut speculatiui. Tertium argumentum ex æquo pugnat cum sententia Mayron. nam, si practicum, & speculatiuum sunt proprietates necessariæ consequentes diuersas species scientiæ, vnumquodque ipsorum in communi vendicabit suam speciem, vel genus immediatè contentum sub scientia, à quo necessario profluat; & tunc de differentijs essentialibus per se constitutiuis earum speciorum, vel generum fieri potest idem argumentum comparando illas cum differentijs illis, *euidens, & ineuidens*; Secundo respondetur etiam argumentum supponere, *euidens, & ineuidens*, esse differentias essentiales, quod negabit, qui dicere voluerit practicum, & speculatiuum eiusmodi esse. Respondeti tertiò poterit non esse absurdum fieri plures diuisiones adæquatas eiusdem generis communis, vel analogi per differentias essentiales, non vniuocas, qua ratione diuidi potest immediatè substantia in corpoream, & materiæ expertem in incorruptibilem, & corruptioni obnoxiam, in intellectiuam, & non intellectiuam: quarum diuisionum membra non sunt subalternatim posita, vt consideranti constabit. Itaque est nouum idem genus adæquatè diuidi per plures differentias essentiales analogicas, non subalternatim positas, vt patet in corporali, ac spirituali, dicuntur enim essentialiter de substantijs, & accidentibus, item in naturali, ac supernaturali, quæ dicuntur de qualitatibus contentis sub generibus non subalternatim positis, nempè sub habitu, ac potentia: & huius generis est differentia penes practicum, ac speculatiuum. Ratio verò cur non repugnet dari plures differentias essentiales analogicas non subalternatim positas, cùm repugnet dari vniuocas, est, quoniam vniuocæ constituunt aliquod genus, vel speciem determinatam, nec possunt essentialiter competere nisi contentis sub tali genere, vel specie: at vero analogicæ non constituunt determinatum genus, ac speciem, sed aliquid analogum, quod non repugnat competere pluribus non subalternatim positis. Vltimum argumentum similiter militat contra sententiam Mayron. nam species, cuius proprietas erit ratio speculatiua, in communi perfectior erit ea, cuius proprietas erit ratio practica. Respondetur deinde negando maiorem propositionem; nam substantia corporea diuiditur substantialiter per corruptibile, & incorruptibile, & hoc est perfectius corruptibili, & tamen homo, qui subest corruptibili, est perfectior Cœlo, quod sub incorruptibili collocatur.

(·.·)

Theologia non est dicenda affectiua solùm, excluſa omninò ratione practici, & speculatiui.

CAPVT VIII.

I. VAriæ ſunt diſcrepantesque ſententiæ Theologorum de natura Theologiæ in ratione practicæ, vel ſpeculatiuæ ſcientiæ: omnes tamen ad quatuor capita reduci poſſunt: & ſingula ſuos habent aſſertores. Quidam dicunt non eſſe practicam, aut ſpeculatiuam, ſed affectiuam: alij eſſe ſimpliciter practicam: alij ſpeculatiuam; alij practicam & ſpeculatiuam ſimul: qui etiam quò ad modum explicandi in duas ſententias diſtrahuntur. Ego claritatis gratia ſingulas ſeorſim expendam eo ordine, quo propoſitæ ſunt, vt tandem veram ſententiam ſtatuam. Quidam relati à Durando q. 6. prologi num. 14. Theologiam dicunt eſſe affectiuam: quorum duplex ſenſus eſſe poteſt, alter vt non negetur eſſe practica, vel ſpeculatiua, ſed affectiua appelletur propter excellentiam ipſius, quia dirigit ad effectum, & amorem Dei: alter vt neget eſſe practicam, & ſpeculatiuam, & quidem, vt rectè notant Durand. quæſt. citata num. 18. 19. & 22. Scot. q. 5. prologi. §. *Quarta via*, & Baſſolis, quæſt. 8. art. 1. in fine: Hæc opinio in priori ſenſu nihil abſurdi continet, & ſolo nomine, non re differt ab alijs, quæ quouis modo Theologiam practicam, vel ſpeculatiuam dicunt. Nam, quemadmodum ſcientia moralis dicitur à moribus, quibus dirigẽdis inſeruit: nec idcirco negatur practica: ita Theologia appellabitur affectiua ab affectu animi erga Deum, cui excitando, atque inflammando idonea eſt: nec proinde excludetur à ratione ſcientiæ practicæ, vel ſpeculatiuæ, iuxta modum propriæ cognitionis. Ægydius tamen 4. p. prologi q. vnica, & Argentinas, q. 4. prologi, art. 3. & Toletanus, quæſt. 10. art. 2. concluſione 1. 2. & 4. & art. 4. ad argumenta contra eaſdem Concluſiones poſteriore ſenſu loquuntur, Theologiam ita affectiuam nominantes, vt tamen negent eſſe practicam, aut ſpeculatiuam: exiſtimant enim has differẽtias nõ diuidere ſcientiam adæquatè. Quorum ſententiam probabilem iudicat Richardus in 4. d. 49. art. 1. q. 8. ad finem corporis. Ea verò erit hoc capite examinanda, vt fiat aditus ad alias.

Durand. *Baſſol.* *Ægyd.* *Argentin.* *Toletan.* *Richard.*

II. Præcipuum fundamentum horũ Doctorum eſt, quoniam, vt in ſuperioribus ſtatui ex Philoſopho, & communi ſententia Doctorum; ſcientiæ diſtinguuntur, ac denominantur à fine: Theologiæ verò finis eſt amor Dei: ergo ex hoc diſtingui, & nominari debet. Aſſumptionem latè confirmant Argentinas q. citata art. 2. & Toletanus q. 9. art. 2. concluſione 3. auctoritate, & ratione: auctoritas ſumitur ex ſacris literis, ac Patribus, primò ex illo Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. *finis præcepti charitas*: ſed quoniam reſponderi poteſt, non dici hoc loco charitatem finem vniuerſæ ſcientiæ reuelatæ, ſed ſolùm præcepti, clarius colligitur ex illo Chriſti Domini, Matth. 22. *in his duobus mandatis*, dilectionis ſcilicet Dei, & proximi, *vniuerſa lex pendet, & prophetæ*: qui vniuerſa dicit, nihil excipit, & ex illo Apoſtoli ad Rom. 13. *plenitudo legis eſt dilectio*, ita vt quidquid in vniuerſa ſcriptura ſacra traditur, ad amorem dirigatur, vt tradit D. Auguſtinus in Enchir. cap. vltimo. *Omnia*, inquit, *præcepta diuina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apoſtolus, finis præcepti charitas*: & infra, *charitas quippe iſta Dei, & proximi eſt: & vtiq; in his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ: adde Euangelium, adde Apoſtolos.* Idem docet lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 41. & lib. 2. cap. 7. & lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4. & Gregor. homil. 10. in Ezech. *Ad hoc ſolum*, inquit, *Deus per ſacram Scripturam nobis loquitur, vt nos ad ſuum, & proximi amorem trahat.* Ægydius etiam probat ex Auguſtino in tractatu de laude charitatis vbi ita dicit, *Si ergo non vacat omnes ſacras paginas perſcrutari, omnia volumina ſermonum euoluere, omnia Scripturarum ſecreta aperire, & penetrare, tene charitatem vbi pendent omnia, ita tenebis, quod ibi didiciſti, tenebis etiam quod non didiciſti: in eo, quod in Scripturis intelligis, charitas patet; in eo quod non intelligis, charitas latet: ille itaq; tenet, quod patet, & quod latet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus.*

Argentin. *Toletan.* *1. ad Tim. 1.* *Matth. 22.* *Ad Rom. 13.* *Auguſtin.* *Gregor.* *Ægyd. Auguſt.*

III. Ratione verò probant primò, quidquid in ſacra Theologia conſideratur vel eſt vtendum, vel fruendum: id verò vel eſt obiectum amoris, vel dilectionis: quare tota Theologia ad amorem refertur. Secundo ad hunc finem reuelatæ ſunt nobis veritates ſupernaturales, quæ in ſacris literis, & Theologia continentur, vt Deo perfectiſſimo coniunctionis genere copulemur, perfectiſſima verò coniunctio eſt per voluntatem: non enim eſt ſtatus in apprehenſione intellectus, niſi ſit quies in voluntatis affectu: & quidquid in patria ſit, ſaltem in via perfectius, atque arctius

coniun-

coniungimur Deo per amorem,quàm per cognitionem. Tertiò is est finis Theologiæ proprius,ac præcipuus, cui cæteri subordinantur,& quo per se,atque immediatè ordinamur ad beatitudinem, vt sumitur ex D. Augustino lib. 14. de Trinitate cap.6. vbi ea solum vult ad Theologiam pertinere,quibus fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur,defenditur,& roboratur: huiusmodi autem finis est amor, sine quo nihil conducit ad beatitudinem, siue speculatio, siue operatio sit: vt colligitur ex Paulo, 1.ad Corinth.13. de speculatione quidem: *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia,& omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam,nihil sum*; de operatione verò, *Si distribuero omnes facultates meas, si tradidero corpus meum,ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* Quamuis autem diuersis Theologiæ partibus fines alij intendantur, modo speculatio,modò operatio,omnes tandem ad amorem referuntur. Denique nobilissimæ scientiæ nobilissimus finis esse debet: Theologia est nobilissima scientia, amor nobilissimus finis, quo nullũ donum Dei est excellétius:ergò amor est Theologię finis.

IV. Sed quoniam responderi poterat,esto charitas sit Theologię finis,quia tamen est extrinsecus,adhuc fieri posse vt ab illo quidem dicatur Theologia affectiua: & nihilominus possit esse practica, vel speculatiua,adhibet Argentinas secundũ fundamentum,quo probat ad neutrum genus pertinere. Habitus cuius proprius finis reduci nequit ad speculationem vel praxim, nec est speculatiuus nec practicus, sed necessariò continetur sub tertio aliquo genere. Theologia est huiusmodi:ergo ita est affectiua, vt nullo modo sit practica aut speculatiua. Maior propositio est euidẽs: practicum enim ac speculatiuũ dicitur à proprio fine. Assumptio ostenditur,quoniam dilectio,quæ finis est Theologiæ, non est speculatio,vt per se patet: nõ est item praxis,q̃ multipliciter ostendit. Primò quoniam praxis debet esse operabilis à nobis: qualis nõ est dilectio diuina, cõpleciendę non est natura sufficiens. Deinde quia praxis debet esse talis,vt eius directio cadat sub facultatem humani intellectus: dilectio verò non est huiusmodi, quandoquidem requirit directiuum supernaturale, iuxta illud Apostoli ad Rom.8. *Qui spiritu Dei agumtur,hi filij Dei sunt.* Deniq; omnis praxis vel est electio, vel sequitur ad electionem: vt enim ait Comment.1.& 6.Ethic.praxis est operatio secundùm electionem,amori Dei neutrum horum conuenit,ergo nõ est praxis.Probatur assumptio, quoniam electio est circa media:amor Dei circa finem, electio est conclusio consilij, quod est de contingentibus,& ijs quæ sunt ad finem:amor Dei est de vltimo fine:& prior cõsilio,quod semper supponit intentionem finis. Probat autẽ Toletan.qu. 9.ar. 2. concluſ.2.primò,quia nulla operatio, quæ est simpliciter perfectio quacunq; speculatione,est propriè praxis, quia quacunq; notitia practica aliqua speculatio est perfectior, & quacunq; praxi aliqua speculatio ex proœmio Metaphysicæ, sed dilectio Dei meritoria,est simpliciter perfectior quacunq; speculatione saltẽ pro statu viæ: ergo secundò,quia omnis actus virtuosus, qui habet rationem praxis, est in potestate voluntatis,quãtum ad illud, per quod formaliter est virtuosus, sed dilectio Dei meritoria, vt talis nõ est in potestate voluntatis,quia est meritoria ex sola acceptatione Dei,quæ non est in potestate nostrà.

V. Hæc sententia,quatenus remouet à Theologia rationem scientiæ practicæ & speculatiuæ, est contra communem sententiam Theologorum, quos deinceps suis locis referam pro oppositа:quam tres præcipuæ scholæ,Thomistica,Scotica, & Nominalis vnico consensu recipiunt. Quamuis enim dissentiant inter se, vtrum sit practica vel speculatiua, omnes tamen cõsentiunt non esse vtriusque rationis expertem. Priorem illam specialiter impugnant Durand.q.citata num.15.16.& 17. Scotus vbi proximè cum interpretibus Aureol.q.3.art.1. ad finem.Heruæus q.4.Bassolis vbi supra, Ioannes Bachonus q.4.ar.3.Aquilan.q.4.ar. 4.à sufficiente diuisione scientiæ in practicam & speculatiuã, primò ex parte actuũ, quoniam scientia omnis attingit suum obiectum per actum, qui vel sit sola veritatis cognitio, vel vlterius ad operationem dirigatur: si priori modo,est speculatiua:si posteriore est practica:nec datur medium, cùm membra diuisionis cõtradictoriè opponantur; deinde ex parte obiecti, quoniam scientia aut habet obiectum agibile, vel attingibile à nobis,& ipsum sub hac ratione considerat,& est practica: vel nõ habet,& est speculatiua: ergò si Theologia inter scientias numeranda est, vel est practica vel speculatiua. Quod etiam ex proprijs terminis ostenditur: nam si Theologia sumere debet denominationem à fine formaliter, is aut erit sola cognitio veritatis circa charitatem, & animi affectum erga Deum,aut cognitio modi ac regulæ, se

Durand. Scotus. Aureol. Heruæus. Bassol. Bachonus. Aquilan.

Augustin. *1.ad Cor.13.* *Argent.* *Ad Rom.8.* *Sylvest.*

cundùm quam haberi à nobis debet: priore modo est speculatiua : posteriore verò practica, & ita cùm inter hæc non sit medium,alterum ipsorum Theologiæ necessariò conuenire debet. Quibus argumentis æquè efficaciter impugnatur opinio aliquorum apud Aureol.q.4.prologi,ar.1. in 2.opinione dicentium, Theologiam esse contemplatiuam, quia eius finis est contemplatio,quę dicit actum intellectus cum complacentia voluntatis, nec sub speculatione, aut sub praxi secundùm illorum sententiam comprehenditur,quod falsum esse constat ex rationibus allatis.

VI. *Argentinas.*

Quas,& similes alias dissoluit Argentinas illo art.3.negando diuisionem illam esse adæquatam,&assignando tertium membrum, vt in secundo eius fundamento apparet,est autem scientia,quæ nec sola veritatis cognitione contenta est , nec dirigit operationem siue praxim , sed solum habet pro fine amorem summi boni,qui non est praxis. Verùm hæc solutio est in primis contra Aristotelem,qui prædictam bimembrem diuisionem tãquam adæquatam tradidit,2.Metaphys.t.3.& lib.6.t.1.& lib.11. sum.3. cap.1.& lib.3. de anima. t.49.& 6. Ethic.cap.1.& lib.1. magnor.moral.cap. 32. quem Theologi communiter sequuntur. Deinde amor Dei à viatore elicitus habet omnes conditiones praxis superius traditas: est enim actio contingens apta fieri conformiter ad regulam rationis dirigentis:ergò Theologia,quę huic amori regulas præscribit, erit ex ea parte practica. Alia verò ex parte non omnis cognitio Theologica,qua cognitio est,dirigitur ex seipsa ad amorem : sed magna ex parte sola veritatis diuinæ contemplatione contenta est:quamuis occasionaliter,& ex fine sciẽtis ad amorem Dei referri possint,denominatio autem & specificatio sumitur ex eo,quod conuenit scientię per se,& non ex occasione: ergò Theologia potius vendicabit sibi rationem, nomenve practicæ vel speculatiuæ,quàm affectiuæ: Respondebit Argent. vt ipse in quodam argumento perstringit , tametsi particulares conclusiones à fine proximo possint esse practicæ vel speculatiuæ, ipsam tamen Theologiam totalem dici affectiuam ab vltimo fine,cui particulares fines subordinantur. Quæ solutio destruit Autoris sententiam: nam si particulares conclusiones, ex quarum aggregatione totalis sciẽtia coalescit, practicæ sunt vel speculatiuę,profectò scientia ipsa participat rationem practici vel speculatiui, fieri enim nequit, vt habitus expers rationis practicæ & speculatiuæ inclinet ad actus practicos vel speculatiuos. Præterea naturales scientiæ, vt etiam ipse Argentinas admittit, necessariò continentur sub altero ex his membris, & nulla excluditur ab vtroque, igitur neq; Theologia excludi debet. Nam similiter dicere qs posset scientias naturales, maximè Metaphysicã, & moralẽ philosophiã, vltimò dirigi ad amorem, à quo proinde affectiuæ, non speculatiuæ aut practicæ dici deberẽt. Cui argumento satisfacere conatur Argentinas ar.3. ad primum , assignando disparem rationem , quoniam amor naturalis,de quo locuti sunt Philosophi,est amor creaturæ , qui non est tantæ dignitatis & excellentiæ, vt ab habitu scientiæ humanæ finaliter intendatur , at amor Dei propter eximiam dignitatem suam finaliter intendatur , ideoque ab ipso potest scientia denominari. Verùm hæc solutio non tollit difficultatem : nam ita se habent scientiæ de Deo,& moribus naturali lumine acquisitæ ad amorem Dei naturalem,sicut scientia supernaturalis ad dilectionem supernaturalem:sed illæ nõ sumunt ab amore Dei specificationem aut denominationem, nec desinunt esse practicæ, vel speculatiuæ iuxta proprium atque intrinsecum finem: ergò neque Theologia erit expers rationis practicæ & speculatiuæ. Denique finis non dat speciem aut denominationem scientiæ , nisi sub ratione formali pertinente ad intellectum. Deus autem vt amabilis non pertinet ad rationem intellectus, sed voluntatis:quare nõ sumitur ex hac ratione propria differentia actuum , siue habituum intellectus : & consequenter scientia Theologiæ ex hoc capite non distinguitur per se ab alijs scientijs.

Aristoteles.

Argentinas.

VII.

Fundamenta Argentinatis facilè diruuntur,primum quidem supposita distinctione finis in proximum & remotum, qui est finis scientis : etenim cùm Aristoteles ait scientiam practicam fine distingui, loquitur de proximo ac proprio , non verò de remoto,& eo,qui est finis scientis. In forma itaque respondendum est negando primam propositionem fundamenti, si intelligatur de fine remoto,& fine scientis; cõcedendo autem si intelligatur de proximo ac proprio fine scientiæ. Assumptio verò neganda,si intelligatur eodem modò: etenim quamuis dilectio Dei, quatenus mensuratur notitia aliqua particulari Theologica,quæ proximè, ac propriè circa ipsam versatur, sit proprius & immediatus finis particularium conclusionum, tamen quatenus consideratur,vt scopus totius Theologię non est proprius ac immediatus finis

ipsius:

ipsius:plurimæ enim cõclusiones sunt,quæ non habent amorem pro obiecto, sed vel Deum ipsum,vel creaturas,vel actiones alias studiosas; quia tamen Deus hæc omnia eo præcipuè fine reuelauit,vt à nobis amaretur,potest amor dici finis extrinsecus,ac remotus vniuersæ Theologiæ,à quo tamẽ specificari non debet:nam etiam hanc eandem ob causam hominibus indidit lumen naturale, quo acquirerent notionem primorum principiorum,& scientiarum tam practicarum,quàm speculatiuarum,vt scientia ipsa manuducerentur ad cultum & amorem Dei;nec tamen hæc ratio finis variat naturam scientiarum, quæ sumitur ex fine proprio atque immediato. Porrò probationes oẽs, quibus assumptio cõfirmatur solum probant amorẽ esse finem remotũ, atque extrinsecum Theologię,vt rectè notat Canus lib.12.de locis Theologiæ, cap. 2. Et prima quidem facilè diluitur dicendo,quamuis quidquid in Theologia consideratur, sit fruendum vel vtendum,non proinde oportere, vt consideretur sub his rationibus, sed posse sub alijs considerari, vt de facto consideratur,& ideò ex hoc nõ sequi amorem esse proximum, & intrinsecum finem adæquatum Theologię. Secunda solùm probat vnionem hominis cum Deo in via per amorem esse vltimum,atq; extrinsecum finem Theologiæ: idemq; tantum concluditur tertia & quarta cõfirmatione. Nam quando dicitur nobilissimã sciẽtiam habere nobilissimum finem,intelligi debet comparatè ad alias scientias,non verò absolutè:at Theologia habet nobilissimum finem inter omnes scientias acquisitas, nempe qua practica exercitium virtutum Theologicarum ac moralium infusarum,qui inter fines practicarum sciẽtiarum est præstantissimus: qua speculatiua cognitionem veritatum spectãtium ad diuinitatem sub lumine naturali, qui inter fines scientiarum acquisitarum speculatiuarum est excellentissimus. Et ita non debet secundum omnes sui partes habere pro fine proprio & intrinseco amorẽ,qui inter fines in via cõparabiles est perfectissimus.

VIII. Secundi argumenti assumptio neganda. Ad cuius cõfirmationem dicendum, amorem viæ esse praxim,vt probaui cap. 1. Ad huius primam impugnationẽ respondetur amorẽ Dei supernaturalem,quanuis nõ sit operabilis, siue producibilis à nobis quasi ex nobis,verè tamẽ germinari à voluntate nostra supernaturaliter eleuata, eodemq; modo dirigi etiam à nobis ipsis per iudiciũ practicum elicitum ab intellectu illustrato lumine diuino:quamuis enim in actionib. supernaturalibus Deus sit principalis causa agens ac dirigens, nos tamen sumus minus principales:non enim mouet ac dirigit nos vt res insensatas per formas ad vnũ determinatas,nec vt ratiões expertes per instinctum & apprehensionem determinati obiecti,sed per illustrationem mẽtis, qua intellectus noster vsus operationes suas supernaturales dirigat,& per motionem voluntatis,qua illa vti possit,si velit. Vltimæ confirmationis neganda est maior propositio, vt constat ex dictis cap.1.vbi omnem omninò actionem suapte natura regulabilem ab intellectu praxim esse dixi:& explicaui cõmẽtatorem de praxi in stricta acceptione sumpta,quæ minus latè patet,quã praxis,quæ est obiectum notitiæ practicæ. Ex his etiam patet solutio ad rationes Toletani. Ad primam quidẽ respondetur dari speculationem aliquam perfectiorem charitate,hoc est visionẽ beatam: quod sat est vt verificẽt axioma Aristot. maximè quia charitas viæ ac patriæ sunt eiusdem rationis:& ideò ex eo, quòd charitas sit praxis, non est opus vt aliqua contemplatio vię sit perfectior illa. Ad secundam respondetur opus meritorium non esse in potestate nostra,quoad suum principium,hoc est quoad gratiam & acceptationem Dei, tamen posita lege ordinaria, & concursu gratiæ prẽuenientis supposita habituali,in nostra libertate est gratiæ consentire, & cooperari, & ideò operationes etiam meritoriæ sunt praxes mensurabiles per dictamina supernaturalia.

Theologia non est purè practica, sed dici potest speculatiua simpliciter.

Caput IX.

THeologiam esse solum practicam,po I.
test intelligi dupliciter, primò, ita vt sit omninò practica, nullam prorsus cognitionem speculatiuam includẽs, quomodo dici potest purè practica. Secundò ita, vt licet admittat notitias aliquas speculatiuas,eæ tamen satis non sint ad tribuendam illi denominationẽ scientiæ practicæ,quẽ admodum medicina, & scientiæ morales vtuntur multis principijs speculatiuis, nec tamen propterea dicuntur simpliciter speculatiuæ. Quare duo hic videnda sunt,alterum vtrum Theologia habeat verè rationem aliquam scientiæ speculatiuæ:alterũ, si habeat,vtrum simpliciter speculatiua dici possit:simpliciter autẽ speculatiua, multipliciter intelligi potest, primò ita,vt excludat omnem rationem practicę:secundò

vt sit principaliter speculatiua, min⁹ principaliter practica: tertiò, vt possit verè ac propriè speculatiua denominari, siue simul sit practica, siue non, siue magis, aut æquè principaliter: de primo, ac secùdo modo dicam inferius, nũc verò solum de tertio. Quod attinet ad primum sensum: Scotus q. 5. prologi, §. *Ad quæstionem igitur*, & sequentibus, cùm Lycheto, & alijs interpretibus ibidem docet Theologiam, quatenus versatur circa obiecta necessaria esse purè practicam: quam opinionem sequuntur etiam Antonius Andreas q.4.art.3. & Petrus de Aquila q.4.art.4. quid autem Scotus doceat de Theologia, quę versatur circa contingentia, videbimus cap. sequenti. Potissimum fundamentum est id, quod aliqua ex parte tractatum est in superioribus. Nimirum, quòd cognitio prior praxi, & apta nata conformari appetitui recto, est practica: Theologia verò de obiecto necessario in intellectu humano est huiusmodi: ergò est practica. Assumptionem ostendit, quoniam primum subiectum Theologiæ est virtualiter conforme volitioni rectæ, hoc est aptum natum conformare ac dirigere actiuè volitionem rectam: quia à ratione, siue à natura & essentia ipsius sumuntur principia prima rectitudinis in volitione, hoc est prima dictamina practica rectificantia volitionem rectam, deinde verò ipsum determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatè, huius potius praxis, quàm illius, prius natura, quàm voluntas aliqua creata velit: ergò ex primo Theologiæ subiecto nascitur tum conformitas, tum prioritas scientiæ Theologiæ ad volitionem, & consequenter extensio ad praxim, à qua Theologia debet dici practica. Confirmat idem secundò, quoniam primum obiectum Theologiæ est vltimus finis: principia verò sumpta à fine vltimo sunt practica in intellectu creato: ergò & conclusiones, quæ sequuntur naturam principiorum. Eandem opinionem sequitur Bassolis q.8.prologi, art.2. §. *Sed de Theologia*, ex alio tamen fundamento: quia nimirum illa scientia secundùm se totam, & quamlibet sui partem est practica, quæ addiscitur ex intentione finis, cuius est directiua; sed omnis, qui addiscit Theologiam, si operetur secundùm quod natura Theologiæ exigit, mouetur ex intentione dilectionis Dei: ergò Theologia est secundùm omnem sui partem practica.

Scotus. *Lychet.* *Anton. Andr.* *Aquilan.* *Bassol.*

II. Dico primum, Theologia non est purè practica. Hæc est inprimis Doctorum impugnantium sententiam Scoti, Ochami, q.12.prolog.litera H. Argentin.q.4.art.4. item eorum, qui asserunt Theologiam esse simpliciter practicam & speculatiuã, quos referam cap.11. imò etiam aliorum, qui negant esse simpliciter speculatiuam, concedunt enim quòad aliquam sui partem esse speculatiuam: ita Albert. loco maximè citando, Aureolus q.3.prologi, art.1. dum impugnat nonam opinionem. Durand.q. 6.num.25. Gregor.q.5.art.4. concluſ.1. Marsilius q.3. art.5.concluſ.1.Maior.q.6. concluſ.2. Fundamẽtum est, quoniam obiectum Theologiæ est Deitas, quæ nõ magis continet veritates practicas, quàm speculatiuas: lumen & reuelatio diuina non magis has, quàm illas manifestat: ratio, ac discursus mẽtis non magis vnas quã alteras indagat: ergò si à practicis sumit nomen ac rationẽ practicæ, vt volũt Autores citati, à speculatiuis sortiẽt nomẽ ac rationẽ speculatiuę. Cõsequentia patet à paritate rationis: antecedens ostẽditur euidenter quòad oẽs partes, posito Deitatem esse obiectum, vt supra iã probatũ est: quòad primã ita colligitur: Deitatis est aliqua notitia speculatiua, saltẽ ea, qua Deus se ipsum agnoscit: ergò Deitas cõtinet veritates speculatiuas: nã sciẽtia Dei infallibilis nõ est de obiecto falso: & consequẽter ex parte obiecti respondere debent speculationi diuinæ veritates speculabiles. Quod argumentum tetigit Scotus vbi supra, nec dissolui: nam, vt probatio, qua nititur eius sentẽtia, vim habeat, opus est obiectum, ex quo ipse vult sumi solum rationem notitiæ practicæ, non cõtineat etiam virtute veritates speculabiles: secunda & tertia pars ab eodem Scoto supponitur, quatenus quòad aliqua vult Theologiam esse speculatiuam, nempè in contingentibus: & ratio suadet, quoniã lumen fidei est participatio luminis diuini, quod non minus illustrat obiecta speculabilia, quàm practica: nihil ergò desideratur, quo minus Theologia habeat aliquam rationẽ speculationis. Duo responderi possunt ad hoc argumentũ, alterũ est, cùm practicũ & speculatiuũ sint differentiæ oppositæ: quarum posterior inuoluit negationẽ prioris, fieri non posse, vt si prior conuenit subiecto, quemadmodum ratio practica reipsa conuenit Theologię, posterior etiam conueniat, nè concedantur opposita inesse eidem: alterum est, quod citati Autores dicunt, veritates ipsas alioquin speculatiuas ad praxim referri, quatenus oẽs ordinãtur ad rectitudinẽ volũtatis p dictamina practica discursu Theologico ex ipsis elicita.

Ochami. *Argentinus.* *Albert.* *Aureolus.* *Durand.* *Gregor.* *Marsil.* *Maior.*

III. Neutra tamen responsio satisfacit argumento. Non prima, quoniam Scotus ipse

con-

concedit eam partem Theologię, quę versatur circa contingentia, esse speculatiuam, & ita non debet absurdum reputare scientiam aliquam totalem respectu diuersorũ obiectorum partialium, esse simul practicam & speculatiuam: sed huius difficultatis vberius explicandæ inferius redibit occasio: nunc satis sit, vti communi medio, quo ostenditur non repugnare, vt de eodẽ subiecto respectu diuersorum opposita verè enuncientur: secunda quoque responsio in doctrina Scoti non est solida, etenim non minus ex veritatibus speculabilibus cõtingentibus deduci possunt conclusiones practicæ, quam ex necessarijs: Nam ex tota vita Christi speculatiuo modo considerata, adiuncto principio aliquo practico cõcludi possunt multæ veritates practicæ: vt idẽmet Christus interdum præstitit: sat est exemplum illud, Ioan. cap. 13. *Si ego Dominus & magister laui pedes vestros, quanto magis vos debetis alter alterius lauare pedes*, vbi ex illa veritate contingenti speculatiua, *Ego laui pedes vestros*, infert illam practicam, *vos debetis alter alterius lauare pedes*. Si ergò contingentium veritatum scientiam Theologiam Scot. speculatiuam existimat, nõ obstante prædicta ratione, etiam eam, quæ habetur de necessarijs, speculatiuam concedere debet, quamuis conclusiones eius assumi deinde possint ad inferendas conclusiones practicas. Hæc responsio fuit ad hominem, nunc absolutè impugnanda est eadem responsio ex principio superius posito, nempe quòd scientia non dicenda est practica ex directione remota, & quasi per accidens, quę fit per conclusionem illatam ex altero principio practico, altero speculatiuo: nam directio notitiæ practicæ debet conuenire per se, ac ratione sui, non alterius: Cognitio autem speculatiua, ratione sui nullam operationem mensurat, ac dirigit, nec illam habet pro obiecto immediato: quæ duo necessariò conueniunt notitiæ practicæ, vt patet ex dictis cap. 4. Cognitio theologica veritatum purè speculabilium, quales sunt; *Deus est trinus, & vnus, impij sunt æternis cruciatibus torquendi*: per se non est operandi mensura, nec habet praxim pro obiecto, sed puram, sinceramque veritatem: ex eo verò, quod adiuncta alia propositione practica inferri possit cõclusio practica, principia ipsa nõ manent practica; igitur quemadmodum principia mathematica nõ desinũt esse speculatiua, quãuis adhiberi possint ad inferendam cõclusionem practicã, neq; etiã Theologia, quæ versatur circa obiecta speculabilia non sub ratione agibilium, desinet esse speculatiua, quãuis cõclusiones ei⁹ subsumi deinde possint ad cõstruẽdos syllogismos practicos.

IV.

Primum argumentum Scot. facilè dissoluitur ex dictis cap. 5. nempe ex obiecto materiali, quod cõtinet veritates practicas & speculatiuas, non magis sumi rationem practicam, quàm speculatiuam: & ita, quãuis Deus cõtineat virtute veritates practicas, non minus continere speculatiuas: & prout consideratur vt radix harum, posse transfundere in actũ & habitũ sciẽtificum rationem speculationis, vt reuera trãsfundit in Theologiam viatorũ; qua cognoscũtur plurimæ veritates de Deo nõ ordinatę per se ad praxim, nec methodũ illi præscribentes. Ad secundũ respõdetur primo, obiectum Theologię nõ esse vltimum finem sub ratione vltimi finis, alioquin Deus, vt omnipotens, vt sapiens non pertineret ad primariũ obiectũ Theologię, sed esse Deũ sub adæquata ratione Deitatis: ad quã non minus spectat ratio primæ causæ efficientis & exemplaris, & aliarũ perfectionũ diuinarum, quã ratio vltimi finis. Ideoq; quãuis principia, quæ sumũtur ex Deo, quatenus est vltimus finis, sint practica, & cõclusiones ex ijsdem deductæ, sub alijs tamen rationib. considerati cõtinere multa principia speculatiua, quæ in scripturis sanctis reuelata sunt nobis: ex quibus Theologus elicit cõclusiones etiã speculatiuas. Ad fundamentũ Bassolis patet responsio ex dictis cap. 3. non. n. constituitur ratio notitię practicæ in eo, quod eliciatur ex intentione actuali alicuius finis, sed quod ex natura sua sit directiua talis finis: q̃ non habẽt multæ notitiæ in Theologia, quæ nihil dictant de opere aliquo exercendo. Ex quo apparet quàm improbabilis sit sentẽtia Bassolis art. cit. §. *Ad primum istorum*, concedentis, si quis addiscat eandem Theologiam sine intentione amoris Dei, acquirere aliam theologiam speculatiuã specie, imò & genere differentem à Theologia sanctorũ Doctorũ, quæ est practica, quis enim dicat ex dicto fine ad libitum addiscentis intento variari specie, imò & genere, scientias & artes.

Bassolis.

V.

Quod attinet ad secundam quęstionem propositam, aliqui Doctores volunt Theologiam non dicendam esse simpliciter speculatiuam, sed solum practicã, ita Durand. q. 6. prolog. num. 20. 24. & 25. Albert. 1. p. sum. tractat. 1. q. 3. m. 3. & q. 5. m. 1. (vnde quando in 1. d. 1. ar. 4. docet theologiã esse affectiuam, nõ sumit in sensu superius impugnato, sed prout affectiua coincidit cũ practica.) Mayron. in 1. d. 48. q. 2. ar. 2. cõcluſ. 1. Maior. q. 6. prologi, concluſ. 3. Aureol. q. 3. ar. 3. prima propositiõe. Gregor.

Durand. *Albertus.* *Mayron.* *Maior.* *Aureol.* *Gregor.*

q.5.art.4.concluſ.2. Marſilius q.3.art.5. concluſ.8. quatenus docet,ſi dilectio dicatur eſſe praxis, Theologiam eſſe practicam.Fundamẽtum Durandi eſt, quoniam ſcientia, quæ habet pro obiecto opus,eſt practica ſimpliciter:obiectum verò Theologiæ traditæ in ſacris literis eſt opus meritorium: ferè enim ſemper ad virtutem, & opera bona exhortãtur homines:ſi quæ verò veritates ſpeculatiuæ docentur, quod rarò fit, ad praxim tandem ordinantur, verbi gratia illa,Chriſtus pro hominibus natus & mortuus eſt, ad imitationem proponitur,vt conſtat ex diſcurſu Diui Petri, Epiſtol.1.cap.2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*: ergò Theologia reuelata practica eſt. Vtitur etiam argumento à fine,quoniam ratio practici ſumitur à fine, ad quẽ notitia dirigitur: tota verò ſcientia Theologię ordinatur ad praxim, hoc eſt, ad amorem Dei & proximi: qui,quatenus eſt aptus natus fieri ſecundum menſuram rectæ rationis,eſt praxis: ergò verè eſt practica. Aſſumptio patet ex dictis cap.præcedent.in 1.argumento. Argentin.vbi ex Auguſtin. & alijs conſtat, vniuerſam ſcripturam reuelatam ad gignendum amorem Dei in nobis: ea verò,quæ in ſacris literis continentur,ſunt principia ſcientiæ Theologiæ, quæ,quia ordinata ſunt ad praxim, erunt neceſſariò practica. Ex quo ſic concluditur inſtitutum: Ex principijs practicis non niſi concluſiones practicæ inferuntur, imò ſufficit alterum ex principijs eſſe practicum, vt ſcientia concluſionis practica cenſeatur, vt benè notat Gregorius q.5. prologi,art.4.& Maior.q.6.ad 3.dubium, & patet per ſingulas ſcientias diſcurrendo,plerunque enim propoſitiones,quę ſecundo loco ſubſumuntur, ſunt ſpeculatiuæ:principia autem Theologiæ ſacris literis contenta ſunt practica:ergò Theologia ipſa practica eſt. confirmat Gregorius, quoniam ſcientia totalis, quamuis intermiſceat propoſitiones aliquas ſpeculatiuas,ſi tamen his vtitur ad practicas, quarum eſt maior ac præcipua pars in ea ſcientia,ſimpliciter eſt dicenda practica, non ſpeculatiua, vt videre eſt in ſcientia morali,& arte medica: illa enim cognoſcit ſpeculatiuè virtutum,vitiorumq́; naturam & proprietates,hęc corporis humani,herbarum,metallorum, & plurium rerum aliarum,quibus vtitur ad conficienda medicamenta:quia tamen vtraq; vtitur huiuſmodi notitijs ſpeculatiuis ad eliciendas cõcluſiones practicas circa proprium obiectum, dicitur ſimpliciter practica: eodem verò modo ſe habet Theologia, vt patet ex argumento Durandi, quare practica ſimpliciter appellanda eſt.

1.Pet.2.

Gregor. Maior.

VI. *Henricus.*

Dico ſecundum.Theologia eſt ſimpliciter ſpeculatiua tertio modo ſupra explicato.Hæc aſſeritur ab Henrico citãdo cap. ſequent.& Doctoribus aſſerentibus Theologiam eſſe ſimpliciter practicam & ſpeculatiuam,quos referam cap.11. Fundamentum eſt,quoniã principia Theologica maiore ex parte ſunt ſpeculatiua: & Deus,qui eſt obiectum attributionis,ſimpliciter cõſideratur ſub ratione ſpeculabili, vt facilè conſtabit cuiuis per ſingulas materias partiales Theologię diſcurrenti:nam tota cõſideratio de Deo Trino,& Vno,creatore, gubernatore,redemptore, iuſtificatore, punitore,ac præmiatore,ſpeculatiua eſt,ſi igitur à ſubiecto attributionis ſumẽda eſt ratio ſciẽtiæ,erit profectò Theologia ſimpliciter ſpeculatiua: ſecundò obiecta immediata concluſionum Theologicarũ maiore ex parte, vel non ſunt operabilia,vt ea,quæ pertinent ad Deum,Angelos,animam rationalem,incarnationem, ſupplicia,& præmia,ac ſimilia, vel non conſiderantur modo operabili, vt pleraque ſpectantia ad vitia & virtutes, iuſtificationem & gratiam,imò & ſacramenta:de his enim pleraque inueſtigantur ſpeculatiuè, ita vt concluſiones circa ipſa allatæ, nec habeant pro immediato obiecto operationes, nec contineant regulas operandi:vt autem ſcientia dicatur ſimpliciter ſpeculatiua, ſatis eſt,vt concluſiones ipſius ſola veritatis cognitione cõtentæ ſint in magno aliquo numero,præſertim eæ,quæ verſantur immediatè circa obiectum primarium.

VII.

Fundamentum primum Dur.ſumptum ab obiecto Theologiæ falſum ſupponit, ſcilicet opus meritorium eſſe obiectum illius,cuius oppoſitum ſuperius oſtendi. Secundum ſoluitur adhibita diſtinctione finis in intrinſecum, & extrinſecum, in finẽ ſcientis & ſcientiæ. Nam cõcluſiones Theologicæ ſpeculatiuę,quatenus notitię quędam ſunt, nõ habent vllum alitũ finem,qui ſit operatio per ſe ab ijs menſurabilis, quãuis ex intentione Dei reuelantis, vel hominis ſcientis ad praxim ordinari poſſint adhibito aliquo principio practico. Diſtinguẽda eſt itaq; propoſitio:etſi intelligatur de fine ſiue ſciẽtiæ,ſiue ſcientis,ſiue intrinſeco,ſiue extrinſeco neganda:ſi verò intelligatur de fine ipſius ſcientiæ,atq; intrinſeco concedenda:ſed in eodem ſenſu neganda aſſumptio. Probatio verò ſumpta ex teſtimonijs ſacri inſtrumenti, & Patrũnõ concludit omnia,quæ tradũtur in ſacris literis,

esse propter amorẽ Dei tanquã finẽ intrinsecũ,ac proprium omniũ veritatum in illis contentarum : aliter non posset Deus aliquid eorum reuelare propter solam cognitionem, non referendo simul ad alium finem, quod tamen est falsum : itaque Deus quidem omnia à se reuelata ordinauit ad hunc finem, vt homo ipsum diligeret, vt benè probant testimonia adducta : sed hic est finis reuelantis, qui tamen est extrinsecus veritatibus reuelatis. Ex quo non sequitur omnes eas esse practicas, cùm solùm occasionaliter moueant ad operandum, non tamen per se, ac directiuè quod requiritur ad scientiam practicam. Fundamentum Gregorij falsum est, Theologus enim non solùm considerat obiecta speculabilia, vt hac cognitione vtatur ad conclusiones practicas inferendas, vt facit Philosophus moralis,& medicus : sed pleraque cõtemplatur,vt sciat,& cognitione ipsa formaliter perficiatur. Nec tamen exiguus est numerus cõclusionum huiusmodi, vt simpliciter dici debeat Theologia totalis practica, non speculativa : cum magna pars Theologiæ in sola rerum diuinarum contemplatione versetur. Quare si Medicis licet Autore Auicenna scientiam Medicam non solùm practicam, verum etiam speculativam dicere, eo quod consideret naturam corporis humani, & quarundam aliarum rerum, quarum notitia tandem refertur ad curationem corporum, cur non licebit Theologo appellare Theologiam simpliciter speculativam, ob notitiam plurimarum veritatum speculabiliũ, quæ de facto ex vi ipsius nõ referũtur ad praxim.

Theologia non est purè speculativa.

Caput X.

I. Marsil.

POstquam statutũ est Theologiam esse speculativã, sequitur vt videamus, sitne solùm speculativa. Marsilius. q.3.prologi artic.5.conclusione 4.5.& 7.affirmat. Probat autem quia principaliter dirigitur ad dilectionem Dei, quæ non est propriè actio,& praxis. Sed iam cap.1.ostendi dilectionem Dei, propriè esse praxim, & cap. proximo nõ esse præcipuum finem Theologiæ. Et ideò ex hoc fundamento Theologia non est dicenda solùm speculativa. Idem sentiunt alij nonnulli apud Durandum q.6.prologi,numero 7. & Argẽtinam q.4.art.4.inducti hoc argumento. Scientiæ dicuntur practicæ, ac speculativæ à fine: si enim is sit praxis,erit scientia practica,si vero pura contemplatio,erit speculativa : at Theologiæ finis est æterna felicitas, quæ consistit in ipsa Dei contemplatione,quæ est pura speculatio. Verùm hoc fundamentum facilè euertitur à Durando vbi suprà vsq; ad nu.13. Aureol. mox citando,& Hernæo q.3.prologi, iuxta doctrinã sæpius repetitam, nimirum quod scientia non dicitur speculativa, vel practica à fine extrinseco,ac remoto, sed à proximo, ac per se intento : æterna verò felicitas nõ est finis proximus Theologiæ viatorum : Sed actiones aliquæ supernaturales,ac meritoriæ habent rationem finis nõ exiguæ partis Theologiæ, quæ ipsis regulandis incũbit: & ex reuelatis principijs elicit modũ,ac rationem operandi erga Deum, ac proximũ iuxta regulas ordinis diuini, ac supernaturalis. Sed omisso hoc fundamento, quod infirmum est,ad alia veniamus.

Durand. Aureol. Hernæum

II. Henricus

Henric.1.p. sum.art.8.q.3.& artic.36.q. 4.ad 2. idem sentit, ex alio tamen fundamẽto,nempè quia Theologia, licet habeat notitias practicas, tamen ordinatur ad speculationem,vt ad finem : sicut è contrario moralis scientia speculatur verum in ordine ad praxim : cum igitur notitia speculativa,& practica fine differant, cõsequens est, vt Theologia, cuius finis est sola veritatis cõtemplatio, sit solùm speculativa. Et confirmatur, quoniam eiusdem rei nõ possunt esse duo fines principales, sed vel vnus tantùm, vel duo, alter principalis, alter minùs principalis: atqui finis minùs principalis ordinatur ad præcipuum : ergò etiam operatio, quæ mensuratur à Theologia, dirigitur ad sanandum mentis oculum, vt clãrius speculetur veritates diuinas : & ità contemplatio est vnicus finis vltimus vniuersæ Theologiæ : non solùm ea ex parte, qua speculatur non tradendo regulas operandi, sed ex ea etiam, qua mensurat operationes.

III.

Oppositum dicendum cum communi sententia Doctorum : tum eorum, qui dicunt solùm esse practicam, quos retuli capite præcedente : tum asserentium esse simpliciter practicam, & speculativam, quos afferam capite sequente : inter quos hanc Henrici positionem ex professo impugnant Aureol. quæst. 3. prologi artic.1. circa primam opinionem,& Ocham.q.12. lit.D.& E.suadetur autem proposita assertio; quoniam scientia non dicitur speculativa à fine remoto, sed proximo : hoc est ab actu sciendi, quem elicit, qui si sit pura speculatio habitus, à quo procedit, erit speculativus : si verò sit etiã regulatio operis, non erit solùm speculativus : ergò tametsi

Aureol. Ocham.

Durand. Argentin.

cognitio omnis Theologica dirigeretur vltimo ad purgandum mentis oculum, & speculationem veritatis, non proindè esset solùm speculatiua, quia habet dictamina aliqua practica immediatè regulantia operationes. Et confirmatur, quoniam ipsæ quoque scientiæ morales sunt à natura ordinatæ ad animi tranquillitatem gignendam, & remouenda impedimenta contemplationis Dei, in qua sita est fœlicitas naturalis: nec tamen proinde sunt speculatiuæ. Secundò conclusionum practicarum Theologiæ finis vltimus non est ipsa veritatis cognitio, quæ habetur in hac vita: nam finis vltimus cognitionis viæ est charitas vt constabit capite sequenti: non enim dictamina practica Theologica referuntur vltimo ad cognitionem habendam ex fide, sed ad diligendum Deum ex charitate: quare ex hoc capite non erit solùm speculatiua. Si quis respondeat, etsi in via non sit finis vltimus Theologiæ pura Dei speculatio, sed charitas, tamen visionem patriæ esse absolutè finem vltimum Theologiæ: & ideò cum sit pura contemplatio, Theologiam esse solùm speculatiuam simpliciter. Non satisfacit argumento, quia contemplatio, à qua dicitur scientia solùm speculatiua, debet esse finis attingendus ipso habitu speculatiuo, non verò remotè comparandus per media regulata à scientia. Ex quo patet infirmum esse fundamentum Henrici. Ad confirmationem dicendum est Theologiam vel considerari in ratione rei, vel in ratione scientiæ: & sumptam in ratione rei dirigi ad vnicum finem vltimum, qui est Deus, sicut omnes aliæ res: sin verò consideretur in ratione scientiæ totalis, non repugnare vt habeat duos fines disparatos: nam quamuis scientiæ naturales non nisi vnum finem habeant, id prouenit ex limitatione ipsarum, quandoquidem nulla est simul practica, & speculatiua: at Theologia propter suam perfectionem includens vtramq; rationem necessariò vendicat duos fines non subordinatos: nam quamuis operatio sit minùs principalis, non eo ipso refertur ad contemplationem Theologicam, sicut ad finem vltimum, vt patet ex dictis: nec propterea dicitur minùs principalis, sed quia quatenus practica est, versatur circa operationes humanas, quæ continentur ab secundario, & minùs principali subiecto Theologiæ, quod est ens diuinum per attributionem, quatenus verò speculatiua versatur circa Deum, quod est primarium, ac præcipuum.

IV. Durand.

Durandus, quamuis fidem, & Theologiam deductiuam velit esse practicam, vt in superiore capite visum est, quæstione tamen illa 6. prologi. numero 23. 24. & 25. Theologiam, quæ defendit, ac declarat fidei articulos, simpliciter speculatiuam appellat. Probat, tum quia obiectum eius non est aliquid agibile, nec per operationem nostram ipsum contingit aliter se habere, est enim Deus sub ratione Saluatoris: tum quia tota versatur in manifestanda veritate fidei, aut vindicanda, à calumnijs, & erroribus aduersariorum, hoc autem nullam habet habitudinem ad praxim, sed solùm spectare videtur ipsam veritatis agnitionem. Verùm hæc opinio non est admittenda: nam vel declaratio, de qua loquitur, fit sola expositione terminorum, & hæc propriè non est scientia, sed sola cognitio quid nominis: qualis præmittitur in Mathematica, & in quauis alia scientia tam practica, quam speculatiua: & pertinet ad idem genus scientię tanquam minùs perfectum ad perfectum: & proindè si in opinione Durandi Theologia primo, & tertio modo dicta est practica, etiam secundo modo sumpta, quatenus declaratiua est, reuocabitur ad practicam: sin autem declaratio fiat per modum scientificũ rationibus à priore, vel posteriore ostendendo veritatem Theologiæ, primo vel tertio modo sumptæ, fieri nequit, vt habitus declaratiuus sit purè speculatiuus, si conclusio, quæ declaratur, est practica: nam eiusmodi declaratione concluditur, ac manifestatur eadem veritas, ad quam inclinat Theologia primo & tertio modo dicta: ergò si illa est de re operabili, siue praxi, quam dirigit, & consequenter practica, ipsa etiam declaratio eiusdem rationis erit. Neque verum est, quod docet Durand. Theologiam declaratiuam, & defensiuam versari solùm circa articulos de Deo, qui sunt speculatiui: non circa alios, qui sunt practici, iam enim superius tractatu 3. capite. 3. notaui, non minùs hos, quam illos indigere expositione, & defensione. Eadem ratione ostendi potest habitum, quo defenditur non esse pure speculatiuum, quoniam si talis habitus est necessarius, etiam inclinat ad easdem veritates, & quemadmodum fides, & Theologia deductiua in sententia Durandi sunt practicæ: ille quoque habitus erit practicus: præsertim cum scientia moralis, quatenus positiones suas tuetur, non sit, aut dicatur speculatiua. Porrò primum fundamentum Durandi

non

non est solidum, quoniam vt aliqua cognitio sit practica,non opus est vt eius obiectum, ad quod vltimatè terminatur, sit agibile : sed satis est vt attingi possit tanquam obiectum alicuius operationis per notitiam practicam dirigibilis , vt sæpius in superioribus notaui. Secundum quoque non conuincit. Nam scientia speculatiua non distinguitur à practica , quasi ipsa sola veritatem obiecti consideret: id enim falsum est , cùm practica veritatem quoque consectetur : sed quia illa non respicit alium finem distinctum à veritate obiecti, hæc per hanc ipsam veritatis agnitionem respiciat operationem ab ipsa mensurabilem. Pars autem illa Theologiæ , quam Durand. declaratiuam , vel defensiuam appellat, fertur quidem in veritatem , quam manifestat,ac tuetur , sed cum veritas illa sit practica , vtpotè eadem cum veritate fidei,ac Theologiæ,ipsa quoque cognitio, quæ defenditur, & declaratur, est practica. Et ita constat Theologiam non esse purè speculatiuam , sed simul habere rationem practicæ respectu diuersarum conclusionum.

V. Scot. Aquilanus.

Scotus quæstion. 5. prologi §. *Si quæris*,cum Lycheto , & alijs interpretibus ibidem, & Aquilano,quæstion.4.artic.4. concluſ.2. &3. tametsi Theologiam de obiectis necessarijs sentiat esse simpliciter practicam , de ea tamen , quæ versatur circa contingentia , aliter Philosophatur : De qua tria asserit: primum est, non esse practicam, sed speculatiuam ex obiecto : Secundum in Deo esse simpliciter speculatiuam , tertium in homine esse practicam per accidens. Primum probat, quoniam Theologia de contingentibus ex obiecto non est conformis praxi antè omnem praxim , id est, de se, & ex obiecto non est rectificatiua alicuius praxis , nisi supposita praxi alicuius voluntatis , ad rationem verò practicæ notitiæ Scot. requirit , vt sit conformis electioni , siue volitioni rectæ , & prior ipsa : ex quo concludit Theologiam de rebus contingentibus ex obiecto esse speculatiuam. Antecedens verò ostendit , quoniam ex obiecto contingenti nulla nata est haberi notitia determinatæ rectitudinis contingentis, quæ suaptè natura est indifferens ad oppositum , tunc enim voluntas diuina operans ad extra, non esset recta ex se , sed ex obiecto contingenti , quasi mensurante , seu causante rectitudinem illius. Ex quo argumento concludit etiam secundum dictum, & ex ipso corroborat primum. Nam talis est res secundùm se absolutè, qualis est in perfecto eiusdem generis, non in imperfectis ; Theologia verò contingentium in Deo est speculatiua: ergò ex proprio genere, atque obiecto est speculatiua. Tertium probat, quoniam in nobis notitia Theologica contingentium ex determinatione voluntatis diuinæ,est apta nata determinare rectitudinem praxis : ex eo enim quod Deus voluit statuere sacramentum Baptismi, & lege lata obligare homines in statu legis Euangelicæ ad illud suscipiendum , resultat dictamen practicum determinans rectitudinem voluntatis humanæ, vt sit ipsi conformis : hoc autem non habet ex ipso obiecto , alioquin in omni tempore , ac statu illud haberet , ergò habet à causa extrinseca,nempè à voluntate diuina , & consequenter in nobis habet quidem ipsa volitio rationem praxis,& Theologia illam dirigens,rationem notitię practicæ , sed per accidens tantum , non verò per se, & ex obiecto.

VI. Scotus.

Vt expendatur quid probabilitatis hæc opinio contineat , oportet intelligere quid Scot. nomine contingentium intelligat : nam, si absolutè loquamur,omne operabile est contingens , imò omnis notitia practica est de obiecto contingenti, quod potest benè , vel malè fieri, vt suprà ex Philosopho dictum est : & ita videbitur Scot. inepta distinctione vsus, dum Theologiam circa necessaria vocat practicam , circa contingentia speculatiuam, quandoquidem practica non nisi circa contingentia versatur. Verùm Scotus hac ex parte aptè loquitur , non enim considerat obiecta ipsa , vt actu fiunt, hoc enim modo omnia possunt esse absolutè contingentia , vt indicat.§. *Ad argumenta principalia*, sed vt subsłant dictamini practico scientiæ, & hoc modo vsus est illa diuisione , & verè quidem ; nam circa obiecta contingentia possunt esse multæ veritates necessariæ , vt notat loco proximè citato, verbi gratia exercitium religiosi cultus contingens est, & tamen circa illud sunt in sacris litteris reuelatæ veritates necessariæ : nempè *Deum tuum timebis, & illi soli seruies*, Deuteron.6. *Non habebis Deos alienos*. Deuteron.5. quæ, vt practicæ sunt , continent perpetuam veritatem ex necessaria connexione terminorum. Aliæ verò non sunt necessariæ, quando scilicet ex terminis proprijs & obiecto non sequitur necessaria connexio:

Deut.6.

Deut.5.

nexio: & ita considerato solo obiecto non sunt rectificatiuæ praxeos, cùm nihil interfit ad vllam rectitudinem hoc, vel illo modo fieri, verbi gratia antè institutionem Baptismi propositio illa Actor. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum*, non habebat vim directiuam, aut rationem dictaminis practici, posteà verò ex voluntate, & lege Dei determinantis Baptismum tanquam medium necessarium ad salutem, & ad eum suscipiendum cunctos obligantis cœpit esse dictamen practicum: & Theologia, quæ disputat de Baptismo, ac de alijs sacramentis dicitur hoc modo versari circa contingentia, & de his intelligitur Scot. & eiusmodi Theologiam vult esse practicam per accidens, hoc est ex voluntate Dei conferentis obiecto pro vt stat sub illo dictamine, vim directiuam, & determinatiuam voluntatis humanæ.

Actor. 2.

VII. *Bassol.* Hæc opinio Scoti ita ad eius mentem explicata displicet Bassoli q. 7. prologi art. 4. & mihi nõ probatur, censeo enim Theologiam de contingentibus hoc modo secũdùm se sumptis esse propriè, ac per se practicam, & ideò in nobis nõ esse practicam per accidens; fundamentum est oppositum fundamento Scoti; nempè ad rationem notitiæ practicæ sat esse obiectum operabile sumptum sub aptitudinali habitudine finis, in ordine ad quem possint esse operationes regulabiles aliqua priore notitia, vt in superioribus ostendi, & magna ex parte consentit idem Scot. circa vnum tamen dissentit, nimirum in expositione vltimæ cõditionis, vult enim notitiam practicam regulantem debere esse priorem omni actu voluntatis, ita quod ex se nullo eiusmodi actu supposito, sit determinatiua rectitudinis praxeos, cuius est norma. Ego verò existimo opus quidem esse, vt notitia practica sit talis ante praxim, quam regulat, non enim potest esse directiua, nisi habeat vim dirigendi antepositionem operationis, quam dirigit, non tamen requiri, vt huiusmodi vim habeat antè omnem prorsus actum voluntatis. Quod facilè ostenditur ex Philosopho, qui 6. Ethic. cap. 2. actus prudentiales, qui verè sunt notitiæ practicæ vult habere pro mensura appetitum rectum circa finem, nam, cum voluntas ex appetitione finis moueat intellectum ad consultandum de medijs, iudicium intellectus, post cõsultationem de medio aliquo eligendo, est practice verum in ordine ad rectam appetitionem finis, qua posita habet vim dirigẽdi voluntatem determinatè ad hoc potiùs obiectum, quam illud: at verò antè illam non habet hanc vim: non ergo per se requiritur ad rationem notitiæ practicæ, vt antè omnem omninò actum voluntatis habeat vim determinandi voluntatem ad rectitudinem, sed satis est, vt eam habeat antè actum, quem dirigit, siue supponat alium actum voluntatis, siue non. Quod etiam constat in legibus positiuis, quas esse quosdam fœtus notitiæ practicæ, siue prudentiæ architectonicæ docet Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 8. & cum ipso D. Thom. & alij communiter: Et tamen antè actum voluntatis legislatoris non habet determinatam, & actualem vim directiuam, ac rectificatiuam actuum humanorũ: nã circa obiecta suaptè natura nõ necessaria, qualia sunt ea, de quib. ferũtur leges positiuæ, liberum est antè legem pro libito operari, nisi aliundè adsit circumstantia iure naturali prohibita, non enim requiritur ad propriam rationem notitiæ practicæ, vt sit prior omni actu voluntatis, & independenter ab eo habeat vim dirigendi, sed sat est si posito priore aliquo actu voluntatis habeat vim directiuam sequentium. Quo posito facilè deducitur sententia, quam tueor: veritates Theologicæ circa contingentia operabilia sunt de obiecto operabili, & regulatiuæ praxeon, quas præcedunt, vt per se patet in omni materia sacramentorum, dirigunt enim operationes humanas circa eadem sacramenta: ergo Theologia, quæ versatur circa eiusmodi veritates est verè practica.

Bassol.

Aristot.

Aristot.

VIII. Non est autem opus longiore probatione ad hoc institutum confirmandum, nec diutius immorandum in impugnanda sententia Scoti, qui repugnantia loqui videtur, quatenus hanc partem Theologiæ censet esse per se speculatiuam, practicam per accidens: non enim fieri potest, vt conueniat alicui rei oppositum eius, quod conuenit per se: at practicum, & speculatiuum sunt differentiæ oppositæ, & de sententia Scoti speculatiuum conuenit per se Theologiæ, quæ versatur circa contingentia: ergò non potest eidem per accidens conuenire ratio practici. Hæc obiectio non latuit Scotum, qui conatur ipsam soluere dicendo non repugnare, vt sit per se speculatiua, & practica per accidens, quemadmodum idem est nigrum simpliciter, & album secundùm dentes. Quæ responsio non tollit difficultatem; nam album & nigrum respectu diuersarum partium admittunt illam veritatem: at scientiam respectu eiusdem conclusionis esse per se speculatiuam, & simul practicam, licet per accidens, omninò

ninò repugnat, nam si est practica cognoscit obiectum quatenus operabile est, & est directiua praxis, si verò speculatiua neutrũ horum habet: at fortè vult Scot. Theologiam contingentium esse per se speculatiuam, id est, ex sua ratione communi id vendicare, etiam quando est determinata ad Theologiam viatorum, quæ per accidens est practica ex determinatione voluntatis diuinæ. Verùm neque hoc modo satisfit argumento, nà vel ita nostra Theologia dicitur per accidens practica, quasi ipsi accidat secundum propriam speciem ratio practica, ita vt manere possit, quin sit practica, vel quia ipsa quidẽ ex propria specie sit p se practica, per accidẽs verò quatenùs participat rationẽ cõmunem Theologiæ: Si primũ, fieri poterit, vt eadẽ scientia immutata manens quo ad naturã modo sit practica, modo speculatiua; secundum nõ potest dici quãdoquidem nulli speciei per se conuenit forma opposita illi, quæ per se cõuenit generi, vel analogo essentiali. Respondebit aliquis pro Scoto hoc argumen. supponere vnum incertum, nempè eandem scientiam non posse simul esse practicam, & speculatiuam: quare si non est improbabile eidem scientiæ conuenire vtrãque rationem per se, verbi gratia diuinæ, absurdum nõ erit, si vna conueniat per se, altera per accidens; Verùm hæc solutio apud Scotum non habet locum: qui non cõcedit scientiam eandem esse simul per se practicam, & speculatiuam. Deindè etiam ea sententia posita non euacuat argumentum: nam aliud est scientiam respectu diuersarum conclusionum habere rationem practicæ, & speculatiuæ, quod ego non inficior, aliud respectu eiusdem: quod licet respectu obiecti materialis non repugnet, vt de facto est in scientia diuina: quæ rerum creatarum simul est practica & speculatiua, vt dicam in materia de scientia Dei: tamen respectu eiusdem obiecti formalis omninò repugnat eandem scientiam esse simul practicam, & speculatiuam. Voco obiectum formale hoc modo id, quod significatur per enunciationem respondentem iudicio mentali; nam immediatum significatum per enunciationem respondentem iudicio practico est operatio, vt regulabilis; idcircò enũciatur per modum imperij: quod verò respondet iudicio speculatiuo, quamuis esse queat operatio, non tamen vt in actu exercito à tali iudicio regulabilis: Et ita ipsamet scientia diuina de rebus creatis, quatenus speculatiua æquipollet nostro iudicio speculatiuo: quatenus verò practica, practico. Atqui veritates Theologicæ contingentes agnoscuntur à Theologo per modum directionis: ergò fieri nequit, vt sub hac ratione speculatiuè cognoscantur. Et sic, quamuis non repugnet, vt quis eadem obiecta practicè cognita per modum speculationis consideret, repugnat tamen vt ea consideret notitia directiua, quin eiusmodi notitia sub hac consideratione sit propriè, ac per se practica, & nullo modo speculatiua.

IX. Præcipuum Scoti fundamentum supponit falsum, nempè opus esse ad rationem notitię per se practicę, vt habeat actualem vim rectificandi antè omnem actum voluntatis: quòd minimè necessarium est, vt paulò antè ostendi. Et ad probationem, quæ ad hoc sumitur ex scientia, ac voluntate diuina', respondetur obiectum contingens non mensurare notitiam Dei: quemadmodum nullum obiectum notitiæ practicæ ipsam mensurat, sed potiùs ab ipsa mensuratur: quamuis autem voluntas diuina in se recta sit, nostro tamen intelligendi modo conformatur proprio intellectui ostendenti modos, ac regulas operandi ad extra, qua de re latius in materia de scientia Dei. Et ita ipsa quoque scientia diuina de contingentibus est practica: ideoque argumentum, quo probatur secundum Scoti dictum, retorqueri in ipsum potest, nam si talis est res secundùm se, & absolutè, qualis est in perfectissimo eiusdem generis, & scientia Dei circa contingentia reuelata est magna ex parte practica, talis quoque erit Theologia nostra de eodem obiecto. Accedit quod principium illud, talis est res absolutè secundùm se, qualis est in maximè perfecto eiusdem generis, si intelligatur secundùm actualem conuenientiam, falsum est, nam quando res secundum se talis est, hoc habet ex propria ratione formali, quæ cum reperiatur in omnibus eiusdem generis, non magis erit in perfectis, quam minùs perfectis; Si verò intelligatur secundùm aptitudinem, & non repugnantiam, verum est: sed non probat institutum, etiamsi concedatur scientiam diuinam contingentium esse speculatiuam: non enim per se conuenit omnibus speciebus id, quod solùm aptitudinaliter, & per non repugnantiam conuenit generi: exempli gratia, quia homo est animal rationale, dici potest animal aptitudinaliter esse rationale per se, ex quo non sequitur equum, vel leonem esse rationales, Probatio tertij dicti laborat eodem vitio suppositionis falsæ.

Dein-

Deindè respondetur tametsi conclusio Theologica de Baptismo susçipiendo antè determinationem voluntatis diuinæ,institutionem sacramenti,& promulgationem legis de eo susçipiendo non habuerit actu vim determinandi voluntatem ad actũ rectum,tamẽ illud obiectum, vtpotè operabile suaptè natura esse aptũ regulari notitia aliqua diuina,quatenꝰ sumi poterat sub ratione finis attingibilis operatione aliqua capace mensuræ: quod sat est, vt notitia dicatur per se practica ex proprio obiecto.

Theologia est simul practica, & speculatiua.

Caput XI.

I. HOc capite examinanda est ea difficultas, quæ ex tribus præcedentibus oriri potest: nam in ijs dixi Theologiam necessariò esse participem ratiõis practicę, aut speculatiuæ, deindè verò non esse purè speculatiuam, aut practicam: Ex quo sequitur esse mixtam ex vtraque, nempè simul practicam,& speculatiuam: quod tamẽ repugnare existimant Doctores citati, cap.7. num.3. quorum præcipua fundamenta ibidẽ explicata,& soluta sunt: ideò non oportet ea repetere.

II. ¶ Communior est opposita sententia, quæ docet Theologiã esse simpliciter practicam,& speculatiuam. Ita docent Sãctus Thomas 1.p.q.1.art.4.& 5.& q. vnica prologi,art.3.quæstiuncula prima, Caietan. & Iauell.1.p.q.1.art.4. Bonauen.q.3.prologi, vbi docet Theologiam esse habitum medium inter speculatiuũ, & practicum participantem vtrunque extremum, quia est contemplationis gratia, & vt boni fiamus. Petrus de Tarantasia apud Marsil.q.3.prologi art.1.& Carthusian.q.2. Guodofred.apud Scotum q.5.prologi art.1.§. *Alia est opinio*,& apud Aureolum qu.3.art.1. Richard. q.4.prologi, Heruæus quodlib.5.qu.16.& 18.§. *Quantum ad secundum*, & qu.19.& q.4. prologi dum tractat quartam opinionem, Can.lib.12.de locis Theologię c.2. Ocham. q.12.prologi litera I. Ioan. Bachon.q.4.ar. 5. qui est per modum quæstionis ar.1. Carthusian.lib.1.fidei orthodox.art.1.§.4.& q. citata Michael de Palatio q.10.prolog. Capreol.q.2.art.1. conclusione 6. Gabriel.q. 12. Medina prima secundæ q. 3.art.5. Conrad.prima secundæ in prooem. & q.3.ar.5. Sylvest.in conflato q.1.art.13. Hispalens.q. 2.prologi arti.1.conclusione 4.& art.4.ad argumenta contra eandem conclusionem, Soncin.q.2.conclusione 6. potest autẽ suaderi. Primò, non repugnat rationes inferiores in pluribus reb. sparsas reperiri sublimiore modo coniunctas in re ordinis superioris: atqui Theologia est scientia superioris ordinis, quam sit merè naturalis, & cõsiderat sua obiecta tum secundùm rationem agibilem sicut scientia moralis, tũ secundùm rationem meræ scibilitatis speculabilis, sicut Philosophia naturalis, ac Metaphysica: ergò cõtinet vnicas in se perfectiones, quæ in his scientijs sunt diuisæ, nempè rationem practici, quæ cernitur in morali,& speculatiui, quæ in naturali Philosophia,ac Metaphysica. Hac ratione vtitur D. Thom. 1.par.q.2.art.4.& eam benè explicat Caietan.in comment. Secundò obiectum formale Theologiæ,à quo sumit specificationem, nempè cognoscibile remotè per inspirationem diuinam, non pugnat cum scibili practicè, ac speculatiuè: Nam ex diuina reuelatione cognosci possunt,imò de facto cognoscuntur,vt cuiuis Theologo conspicuum est, & speculabilia in se,& agibilia propter se,ergò etiam cum ipsa ratione formali Theologiæ non repugnat,vt simul sit pura cognitio obiecti speculabilis, & notitia directiua obiecti operabilis: Patet consequentia,quoniam scientia extenditur ad illa omnia,quæ continentur sub obiecto formali: ideoq; Theologia ex habitudine ad hos duos fines, simul erit practica, & speculatiua. Tertiò habitus ille,qui simul est sapientia cõsiderans rationes æternas,& scientia considerans tẽporalia administranda,simul est practicus, & speculatiuus, quandoquidem rationes æternę sunt speculabiles, administratio verò temporalium est praxis: sed vtrunq; conuenit Theologię,vt patet per Augustinum lib.14. de Trinitate, cap.1.quin verò lib.12.cap.14.inquit, superiorem partem rationis sapientiæ deputari, ibidem verò ca.7. dixerat superiorem rationem intendere rationibus supernis,nempè diuinis,vt interpretatur D. Thom. secunda secundæ, q.45.art.3.& conspiciendis, & consulẽdis: conspiciendis quidem,secundũ quod diuina in se ipsis contemplatur,consulendis autem,secundùm quod per diuina iudicat de humanis actibus per diuinas regulas eos dirigens. Tandem obiectum formale cõplete fidem specificans est veritas prima reuelans,quo posito dari potest actus, & habitus fidei, siue obiectum reueletur sub ratione agibilis, siue sub ratione speculabilis: etenim actus fidei circa obiecta diuersa penes eiusmodi rationes non distinguuntur specie: siquidem eiusdem speciei est actus,

S.Thom. Caietan. Iauellus. Bonauent. *Tarantas. Guodfred. Richard. Heruæus* *Can. Ocham. Bachonus. Carthus. Palatius Capreolus. Gabriel Medina. Conrad. Sylvest. Hispalens.* *Soncinas.* *S.Thom. Caietanus.* *Augustin.* *S.Thom.*

quo

quo Christianus credit Deum esse Trinu, & Vnum, & is quo credit Christũ esse adorandum, qui tamen feruntur in obiecta diuersa penes rationem speculabilis, & agibilis. Ex quo sequitur practicum, & speculatiuum esse differentias per accidens actibus fidei, & consequenter non constituere discrimen essentiale. Cum verò Theologia sumat speciem remote saltem à diuina reuelatione, fit, vt ipsius quoque obiecto accidat practicum, aut speculatiuum determinate: & ita ex neutro ipsorum determinate sumit speciem, aut distinctionem essentialem. Nam, sicut obiectum non vendicat determinate alteram ex his rationibus, sed vtramq; indeterminate quatenus tam agibilia, quam mere speculabilia reuelari, credi, & sciri per Theologiam possunt: ita habitus fidei, vel scientia Theologia nõ habet completam, ac determinatam habitudinem ad sola speculabilia, vel sola agibilia, sed ad vtraq; indeterminate, & inadæquate: nam si sola speculabilia, aut sola agibilia reuelata fuissent, non esset alia specie fides, aut Theologia ab ea, quæ modo est, talis tamẽ esset, vt reuelatis de nouo obiectis alterius rationis ab ijs, quæ primo reuelata fuerant, ad illa inclinaret propter propriam, & formalem rationem inadæquate continentem vim practicam, & speculatiuam.

III. Ocham. Gabriel Godofred.

Autores huius sententiæ in duas classes sunt diuisi, quidã enim nempè Ochamus, Gabriel, & Godofred. quia existimant scientiam non esse simplicem qualitatem, sed multorum habituum aggregationem, ita cẽsent esse formaliter practicam, & speculatiuam pro varietate habituum, qui enim versantur circa cõclusiones practicas sunt practici, speculatiui autem, qui circa speculatiuas: qui dicendi modus ea opinione posita recte procedit. Alteri, qui scientiæ habitum existimant esse simplicem qualitatem, in duas etiam factiones abierunt: quidam ita concedunt eandem scientiam, vel Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam, vt tamen rationem practici, & speculatiui dicant inesse solùm æquiualenter, non formaliter, cuius sententiæ est Medin. prima secundæ. q. 3. art. 5. & alij fauent Ocham. q. 12. prologi litera R. & Gabriel. q. etiam 12. qui tametsi in Theologia, quam constare multis habitibus censent, admittant formaliter rationem practici, ac speculatiui, tamen existimant, si quis vnico actu cognoscat demonstrationem constantem propositionibus practicis, ac speculatiuis, eiusmodi actum esse æquiualenter, nõ formaliter practicum, ac speculatiuum, fa-

Medin. Ocham. Gabriel

luet etiam Bachonus dicens contineri virtualiter, non formaliter: Eandem sententiã tribuunt aliqui recentiores Caietan. 1. p. q. 1. art. 4. quoniam asserit Theologiam esse eminenter practicam, & speculatiuam, ex quo colligunt illum sentire eiusmodi rationes non conuenire illi formaliter: sed immeritò tribuitur illi hæc opinio, ipse enim se satis explicat ibidem, §. *Circa prædicta*, nã ibi obijcit dictum D. Thomæ eodem art. differentis Theologiam magis esse speculatiuam, quam practicam: ex quo colligi videtur vtramq; rationem cõuenire illi formaliter, atque adeò non eminenter, deindè verò respõdet his verbis; *Nec obstat comparatio subiuncta in secunda conclusione: nam cũ hoc quod est eminenter vtrumq;, stat quod sit formaliter vtrumq;, sicut sol est eminenter calefactiuus, & exsiccatiuus, & tamen formaliter: & Deus est eminenter intelligens, & volens, & exequens, & tamẽ formaliter*, & ar. 5. §. *Antequam*, docet Theologiam conditiones speculatiuæ, & practicæ habere formaliter: itaq; nõ sentit esse eminenter solùm, hoc est nõ formaliter. Verùm cuiuscunq; sit hæc opinio, probari potest, quoniã fieri nequit, vt differentiæ oppositæ conueniant formaliter eidem rei; nam contraria possunt esse eminenter in eodem, sicut primę quatuor qualitates elementorũ sunt in altris, & res omnes creatæ in Deo, formaliter verò nullo modo: constat autem ex dictis cap. 7. practicum, & speculatiuum esse differẽtias oppositas in habitibus naturalibus: ergò non possunt simul formaliter in Theologia reperiri.

Bachonus. *Caietanus.*

IV.

Pro difficultatis huius explicatione suppono id. quod communiter admittitur à Theologis, perfectiões inferioris ordinis, quæ secundum proprias, & adæquatas rationes formales mutuo opponuntur, nec cõcurrere possunt in eandem entitatem indiuiduam, si sumãtur in ea abstractione, qua solũ considerentur sub perfectione exclusis imperfectionibus, posse conuenire in vna, eademq; re, ita vt res illa dicatur continere formaliter perfectiones eas, quatenus considerantur in illa abstractione: eminenter verò, quatenus sumantur, vt contractę, & coniunctæ cum suis imperfectionibus, vel formalitatibus ordinis inferioris. Exempli causa intellectus, ac voluntas, pro vt sunt gradus, seu species potentiæ naturalis, differunt inter se specie, nec secundùm cõceptum adæquatum talibus speciebus sunt formaliter in Deo: quoniã includunt proprias differentias essentialiter distinctas, quas repugnat coalescere in eandem potentiam. Verùm secundùm conceptum com-

munem intellectus,ac volũtatis, pro vt solùm important vitalem amandi, & intelligendi vim non inclusis alijs conditionibus contractiuis, verè, ac propriè conueniunt Deo,ita vt eadem entitas diuina sit formaliter simul,& eminenter intellectus,ac voluntas, formaliter ob rationẽ illam abstractam,eminenter per comparationẽ ad species naturales, quarum perfectiones habet exclusis imperfectionibus. Eodẽ prorsus modo philosophandum est de rationibus practici,& speculatiui,nam si adæquatè sumantur,vt sunt differẽtiæ scientiarum naturalium,& respiciunt obiectum propriũ, atque adæquatũ,cùm differant specie,nullo modo possunt in eandem scientiã conuenire: & hoc modo nequeunt conuenire simul formaliter eidẽ scientiæ. Et sine dubio in hoc sensu locutus est Ocham.qu.illa cit.ad 2.dub. vbi dicit illud iudicium non esse formaliter practicum, & speculatiuũ, secundum quod istæ sunt differẽtiæ oppositæ:sed æquiualenter,sicut habitus principiorum simul & conclusionis,nõ est intellectus,nec scientia,nisi æquiualẽter, sed est propriè sapientia. Idemq; voluisse Gabriel credendus est,qui sententiam suã ex Ochamo desumpsit, idem dicendum de Bachono,expresse enim loquitur de differentijs specificis scientiarum naturalium,quę non possunt formaliter, sed tantum virtualiter vniri in vnam speciem, vt vniri existimat rationem intellectus, & scientiæ in habitu sapientiæ: Si verò inadæquate sumãtur cõsiderata solùm ratione communi directionis respectu vnius obiecti, & speculatiõis respectu alterius,possunt in eãdem sententiam cadere, sicut de facto conueniunt diuinæ,quæ est formaliter practica,& speculatiua ratione formalitatum istarum,quatenus per se considerantur à cõditionibus contrahentibus ad oppositas species: eminenter verò, quatenus perfectiore modo continet differentias ipsas oppositas diuidentes,ac distinguẽtes scientias naturales. Ad hunc modum intelligendus est Caietanus quãdo Theologiam ait esse simul practicam,& speculatiuam formaliter,& eminenter, quam doctrinam dilucide tradit Sylueſter in Conflato.q.1.ar.13.Fundamẽtum est quoniam ratio vnica complectens plures ratiões in diuersis subiectis diuisas, & essentialiter distinctas est perfectior singulis,& ab illis essentialiter distincta: perfectior,quoniam cõtinet perfectiones singularum simul coniunctas: essentialiter distincta,quoniam per variationem accidẽtalem non possunt coalescere in vnam speciem rationes formales oppositæ,& essentialiter distinctæ in inferioribus,quemadmodum,si esset vnicus actus vitalis, qui secundùm propriam rationem formalẽ sibi adæquatam simul esset intellectio,ac volitio, qualis est diuinus, non includeret formaliter,ac essentialiter differẽtias eas, quibus actus diuersi volendi, ac intelligẽdi ab inuicem adęquate distinguũtur,quoniam, eæ semper important distinctionem essentialem,quæ cadere nõ potest in vnicam rationem formalem vnius actus. Ita quoque differentia, quæ importatur per practicũ, & speculatiuum adæquate sumpta, semper est essentialis,vel cum essentiali necessariò coniuncta: quare hæ duæ rationes sub ea ratione formali sumptæ, non possunt cohærere simul in vna specie scientiæ,vel habitus.Et ideò Theologia eas sub eiusmodi contractione sumptas cõtinet solùm eminenter: formaliter verò sub ratione magis communi,& abstracta.

Sylueſt.

In oppositum tamen est, quoniam vt notat D.Thomas,nõ est absurdum,vt differentiæ quibusdã subiectis essentiales sint alijs accidentariæ: Exempli gratia differẽtiæ per se colorum, vel primarum qualitatum possunt esse differentiæ per accidens corporis: nam congregatiuum ac disgregatiuum visus,quas sumimus, vt differentias essentiales candoris, ac nigroris, accidunt corporibus, quibus accidit nigror, & candor: & ita comparatione colorum sunt essentiales, cõparatione corporum accidentales. Et ne aliundè exempla petantur, ipsummet practicum, & speculatiuum, quæ sunt differentię per se naturalium scientiarum, sunt differentiæ per accidens intellectus: quare etiam poterunt conuenire per accidens Theologiæ,quamuis sint essentiales scientijs naturalibus. Pro solutione huius argumenti noto differentias diuisiuas alicuius generis, & cõstitutiuas specierum dupliciter posse cõpetere subiecto: aut per se primo,non ratione alterius, cui per se conueniant,quomodo non nisi speciebus ipsis conueniunt,sicut congregatiuum, ac disgregatiuũ visus primo,ac per se conueniant cãdori,ac nigrori:aut ratione eius,cui primo conueniunt,quod ipsum conuenit alijs subiectis, sicut eædem differentiæ coloris conueniunt corpori non per se primo, sed ratione nigroris,& candoris,cui primo cõueniunt. Præterea noto nullam eiusmodi differentiam cõuenire alicui per accidens, nisi ratione eius, cui cõuenit per se: etenim cum differentia specifica nunquam existat seorsim à sua specie,fieri nequit,vt ipsa per se immediatè conueniat alicui subiecto,cui non conueniat species. V.

His

His positis respondeo ad argumentum, si maior propositio intelligatur de conuenientia per se primo non esse veram; nam differentia essentialis nó potest vlli primo cópetere per accidens, omne enim per accidens reducitur ad aliquid per se, maximè in ijs, quæ non habent per se esse completũ, nec p se cohærere separatim possunt, quales sunt differentiæ: si verò intelligatur de cóuenientia siue per se, siue ratiõe alterius, vera est, sed non facit ad institutum: nam Theologię non competunt per accidens aliquæ species scientiæ completæ, & constitutæ ex scientia in cõmuni tanquam ex genere, & ex practico, ac speculatiuo, tãquam differentijs, ratione quarum differentiæ ipsæ conueniant per accidens Theologiæ, quemadmodum ratione cãdoris, ac nigroris conueniunt per accidens corpori differentiæ disgregatiui, ac congregatiui visus, sed differentiæ eiusmodi cõueniunt Theologiæ per se primo, hoc est non ratione alterius formæ accidentalis: & proinde non possunt esse formaliter, & specificè illæ ipsæ differentiæ scientiæ naturalis, nè concedamus differentiam specificam conuenire alicui, cui repugnat ratio speciei. Quod verò attinet ad confirmationem sumptam ab intellectu, negandum est competere illi ipsasmet differentias essentiales, quibus scientia naturalis tribuitur in practicam, & speculatiuam: tum propter rationem iam assignatam, tum quia practicum, ac speculatiuum intellectus dicit ordinem potentiæ ad obiectum, qui est diuersus ab ordine habitus ad idem obiectum: alioquin opinatiuum, ac demonstratiuum, quatenus de intellectu affirmantur, essent eædemmet differentiæ, quibus habitus ipsi distinguũtur, quod est falsum: nam quatenus dicuntur de intellectu sunt idem, ac potens demonstrare, & opinari: quatenus verò de habitibus sunt idem, ac inclinans, ac facilitans ad prębendum assensum opinatiuum, aut demonstratiuum, quod idem habet locum in practico, ac speculatiuo; si quis verò contendat intellectum ita denominari ab ipsismet habitibus, tunc iam differentiæ illæ non dicuntur per se primo de intellectu, sed ratione habituum, queis primo conueniunt: At de Theologia non dicitur per accidens aliquid, cui conueniat per se ratio practici, ac speculatiui, & ita fieri non potest, vt de ipsa prædicentur illæmet differentiæ oppositæ.

Theologia magis præcipuè est speculatiua, quam practica.

CAPVT XII.

I.

CVM ex dictis constet Theologiam esse simul practicam, & speculatiuam formaliter, & non solùm eminenter; Videndum superest: vtrum eiusmodi rationes ex æquo, an verò altera primario, ac principaliter, altera verò secundario, vt minùs principaliter conueniat. Theologiam esse simpliciter practicam, & speculatiuam, sed tamen principaliter practicam docent Bonauent. & Richard. citati cap. præced. & Bachonus art.5. citato in art.3. minùs principali: probatur autem, quoniam scientiæ à Philosopho distinguuntur fine: ergò si contingat scientiam aliquam habere plures fines denominanda simpliciter, ac principaliter est à fine principali, tum secundùm se, tum quo ad intentionem scientiæ, Theologiæ autem, vt potè simul practicæ, ac speculatiuæ duplex est finis proprius: nempè speculatio veritatis, & operatio secundùm virtutem, maximè charitatem: quæ vt patet ex superioribus, est finis vniuersæ legis, & omnium, quæ à Deo sunt reuelata: horum autem finium secundus præcipuus est, tum secundum se ratione charitatis, quam includit, tum verò etiam ex intentione ipsius Theologiæ: ergò cum dilectio viæ locum habeat inter operationes, seu praxes, ab ea principaliter denominabitur Theologia practica. Assumptio quo ad reliquas omnes partes est per se nota, quo ad vltimam ostenditur primo, quoniam Theologia quo ad hoc sequitur fidem, quæ vtitur, vt principio suarum conclusionum: hæc autem vltimò, ac principaliter dirigitur ad amorem Dei nutriendum in nobis, & augendum, ergò etiam Theologia viatorum. Secundo quoniam vltimus finis semper intenditur magis principaliter, quam fines alij intermedij: ergò amor Dei ex ipsamet intentione Theologiæ præcipuè intenditur.

S. Bonauent. Richard. Bachonius.

II.

Contrariam tamen sententiam docet Diuus Thomas 1.part. quæst.1.articul.4. Caietan. & Iauell. ibidem Heruæus, Carthusian. Conrad. Palatius, Can. Hispalens. vbi suprà, qui tametsi Theologiam simul practicam, & speculatiuam esse sentiant, principaliter ac magis speculatiuam, quam practicam appellant. Fundamentum sumi potest à principio, obiecto, ac fine: næc

S. Thom. Caietan. Iauellus. Heruæus. Carthus. Conradus. Palatius Can. Hispalens.

hæc enim tria sunt, à quibus potissima ratio scientiæ colligenda est. Porrò principium sciētiæ Theologicæ est diuina scientia,nō vulgari, & communi modo,quemadmodum reliquarum naturalium scientiarum , quæ omnes sunt participationes quædam sapiētiæ diuinæ: sed speciali quadam ratione,quatenus nititur fide diuina, à qua accipit sua principia, fides autem omnis suaptè natura regulatur vltimò scientia eius,cui credimus, & ita ipsa quoque Theologia vltimo reducitur in scientiam diuinam,tanquam in primum principium suæ veritatis, ac certitudinis, non solùm exemplare, vt cæteræ scientiæ, sed motiuum, vt soli habitus intellectiui supranaturales: scientia autem diuina, ita est practica,& speculatiua simul, vt tamē primario,ac principaliter sit speculatiua ratione primarij obiecti, quod Deo non nisi speculabile est, ergò similiter Theologia magis præcipuè est speculatiua, quam practica. Ex obiecto autem idem ostenditur secundo,quoniam vt initio dixi,Theologiæ obiectum proprium,ac prēcipuum est Deus: loquor autem de obiecto materiali: nam formale suaptè natura indifferens est ad manifestādas veritates omnes tam practicas,quam speculatiuas, quamuis etiam ex eo,quod sit participatio luminis æterni, præcipuè referatur ad ipsius Deitatis manifestationem : sed eo omisso,materiale, quod per se considerat in scientia, & à quo trahitur ratio practici, ac speculatiui in Theologia est Deus ipse,cuius naturam attributa, & opera quantum ex reuelatis colligi potest,Theologus considerat, & in hoc totus versatur:vt quantam maximam possit ex diuinis literis,& proprio discursu cognitionem Dei assequatur:si verò etiam agit de moribus humanis,quatenus regulis à Deo reuelatis continentur,ac mensurantur,hoc minùs prēcipuum munus eius est, sicut & obiectum ipsum,hoc est mores hominum,qui pertinent ad secundarium obiectum Theologiæ,quatenus habent relationem ad primarium, quam rationem attigit D.Thom.citato art.illis verbis; *Magis est speculatiua,quam practica,* nempè Theologia,*quia principalius agit de rebus diuinis,quā de actibus humanis,de quibus agit,secūdùm quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem,in qua æterna beatitudo consistit.*

S.Thom.

III. Verùm circa rationem,quam secundo loco indicat D.Thomas, nōnihil dubitationis emergit:nam finis extrinsecus beatitudinis obtinēdæ,ad quē ordinatur Theologia,vt practica est, parum vel nihil facit, vt proindè dici debeat principalius speculatiua,quam practica:nam scientia non dicitur speculatiua à fine extrinseco,sed à speculatione,quæ sit actus ab ea elicitus, & cōsequenter finis intrinsecus ipsius:alioquin pleriq; habitus practici, qui extrinsecè dirigi possunt ad speculationem , essent speculatiui,verbi gratia,si quis vtatur scientia morali,ac prudentia in refrænandis motibus,ac passionib. immoderatis, item si adhibeat medicinam,vt valeat corpore,& animo, & sine impedimento possit vacare contemplationi rerum cælestium,ac diuinarum,scientia moralis, ac medicina dicerentur,hac de causa prēcipuè ac magis propriæ speculatiuæ,quam practicæ, quod tamen est falsum,& contra communem sententiam. Verùm,quantum ego conijcio D. Thom.nō adhibuit illa verba, vt absolutè ex eo probaret Theologiā esse magis speculatiuam,quam practicam, sed vt occurreret tacitæ obiectioni,vel respōsioni,quę adhiberi poterat ad ipsius probationem;si quis diceret, Theologiam agere quidē de Deo,& reb.alijs speculabilibus, verùm hāc ipsam cōsiderationem referri ad praxim, hoc est bonos mores instituendos, ideoq; Theologiam præcipuè inter practicas scientias numerandam,quam responsionem, siue obiectionem diluit D.Thom.ratione illa,quasi diceret, si ex fine extrinseco sumenda sit ratio practici,ac speculatiui,maiore cū ratione ex eo trahi posse ad Theologiam denominationē speculatiuæ scientiæ,quam practicæ: quandoquidē ipsimet boni mores,quibus instituēdis Theologia ex parte vacat, referuntur vltimò ad sempiternam felicitatem,quæ in perfecta Dei contemplatione consistit; Et ita verba illa non continent absolutè rationē,cur Theologia magis sit speculatiua, quam practica, sed tacitæ obiectionis solutionem.

IV. Tertiò à fine sumitur ratio scientiarum quoad rationē practici,ac speculatiui, finis autem hic, vt in superioribus notaui, debet esse proximus,& immediatus,qui est actus elicitus ab ipsa scientia, hic enim est, quem primo,ac per se respiciunt habitus intellectiui, quamuis per ipsum deindè referātur ad obiecta, vel solùm sub ratione terminatiua cognitionis, vt se habent purè speculabilia, vel etiam terminatiua actionis directæ,à tali actu, vel saltē vt ad effectus mensurabiles per eundem actum , vt se habent obiecta agibilia. Si verò fines hi immediati considerentur, speculatio est præcipuus finis Theologię,in primis ratione sui, & obiecti, omnis enim speculatio cæteris paribus est præstantior notitia practica, itemque omnis notitia nobilioris obiecti

perfe-

perfectior cognitione minus præstantis, speculatio verò Theologica magna ex parte est de Deo, cognitio verò practica de actibus humanis, quare præstantior est finis proximus Theologię quatenus est speculatiua, quàm finis eiusdem immediatus quatenus practica. At quia fieri potest, vt id, quod secundùm se perfectius est, non semper principaliter intendatur à scientia, oportet ostendere habitum Theologiæ ex propria natura, & intentione præcipuè dirigi ad actualem speculationem Deitatis. Id verò suadetur ex ratione primarij obiecti, semper enim scientiæ primo, ac principaliter intendunt notitiam perfectiorem, quâ habere possunt de obiecto primario, minùs verò principaliter de secundario, at obiectum primarium Theologiæ, est Deus, Optimus, Maximus ; & perfectior notitia, quam potest habere de ipso est contemplatio naturæ, & attributorum ipsius: ergò hanc magis præcipuè intendit Theologia, quam cognitionē actuum humanorum, etiam in Deum terminabilium.

V. Ad argumentum concedenda est maior propositio, si intelligatur de finib. proximis ac immediatis : neganda si de remotis; nam contingit fines remotos esse præstantiores proximis, quin ab illis scientiæ, vel artes denominentur : quemadmodum finis remotus artis frænofactoriæ est vsus equestris, nec tamen ab illa nobilitatem, ac denominationem sumit. At finis proximus Theologiæ speculatiuæ, vt paulò antè dixi, est præstantior fine proximo eiusdem quatenus est practica : Et ita, quamuis operatio secundùm virtutem, maximè charitatem, sit excellentior ipsa speculatione Theologica, non proinde sequitur ab illa potiùs dicendam esse Theologiam magis practicam, quam speculatiuam : siquidem finis proximus habitus Theologici non est operatio secundùm virtutem, sed notitia ipsa practica directiua talis operationis. Maiore ita explicata admittenda sunt omnia, quæ continentur in minore præter illud vltimum, nimirum charitatem esse vltimum finem Theologiæ ex intentione ipsius : quod est distinguendum, & concedēdum, si consideretur Theologia, quatenus practica est, hoc enim modo omnes suas regulas, ac præcepta dirigit ad finem charitatis : si verò sumatur quatenus speculatiua, tunc per se quatenus scientia est, nullum habet finem distinctum ab speculatione veritatum, quas cōsiderat, & in hoc sensu neganda est illa pars assumptionis. Ad confirmationem verò sumptam à similitudine habitus fidei respondetur ipsum quoque, quatenus speculatiuus est, non referri per se ad charitatem, tanquam ad praxim, hoc enim ipso desineret esse speculatiuus, sed solùm quatenus practicus; quamuis autem actus omnes liberi viatoris communi quadam ratione ad charitatem ordinari debeant, tanquam ad finem operantis : & hoc etiam modo fides, & Theologica speculatio ipsam respiciat, id tamen non satis est ad rationem scientiæ practicæ, quæ ex propria ratione respicit finem, non quomodocumque, sed tanquam ab ipsa regulandum : itaque charitas non est finis vltimus Theologiæ, quatenus speculatiua est, sed quatenus practica, & quamuis quatenus speculatiua ab addiscentibus ordinetur ad amorem Dei, talis, finis est scientis, non scientiæ : quemadmodum, si quis studeret Metaphysicę, vt substantias separatas amore debito prosequeretur, non propterea Metaphysica inter practicas numeranda esset. Ex quo etiam patet solutio ad secundam confirmationem : nam charitas Dei non intenditur per se tanquam finis scientiæ à Theologia, quatenus speculatiua est, sed quatenus practica, neque est praxis respectu totius Theologiæ adæquatè sumptæ, sed respectu vnius tantum partis. Ex quo non sequitur scientiam ipsam totalem præcipuè esse practicam : est enim argumentatio à secundum quid ad simpliciter.

VI. Colligendo autem breuiter, quæ toto hoc tractatu dicta sunt de ratione Theologiæ secundùm differentias practici, ac speculatiui, dicendum est ipsam non esse purè practicam, aut purè speculatiuam, sed continere formaliter vtramque rationem, non quatenus est differentia essentialis habituum naturalium, hoc enim modo eam continet eminenter, sed secundùm rationem communem abstrahentem à particularibus modis practici, ac speculatiui, & proindè cohærere in eodem habitu eas differentias, quæ adæquatè sumptæ omninò repugnant. Denique ita vtramque rationem eidem Theologiæ conuenire, vt ratio speculatiua præcellat, & magis præcipua sit, ratio practica minùs præcipua. Quæ doctrina intelligenda est diuersimode pro varietate opinionum circa vnitatem scientiarum : nam, qui singulas existimauerit constare vnico tantum habitu secundùm rationem, eum ipsum formaliter simul, & eminenter practicum, ac speculatiuum dicet, præcipuè tamen speculatiuum : qui verò solam agnouerit vnitatem ordinis, in hac ipsa agnoscet eminentiam explicatam, in singulis tamen habitibus

bitibus rationem formalem practici, vel speculatiui determinatè iuxta diuersitatem obiectorum.

DE THEOLOGIAE VNITATE DISTINCTIONE, ET COMPARATIONE cum alijs habitibus: Tractatus Sextus.

EXplicata natura habitus Theologici, sequitur de ipsius vnitate, & distinctione ab alijs scientijs, & habitibus nonnihil dicam. Et quidem distinctio secundùm rationes essentiales satis patet ex dictis. Nam certitudine differt ab omnibus habitibus suaptè natura incertis, & falsitati obnoxijs, ineuidentia, ab euidentibus, supernaturalitate à naturalibus, ratione discursus ab ijs qui discursu non indigent. Sola supereſt comparatio quoad identitatem, ac distinctionem secundùm rem, quoad inæqualitatem certitudinis, ac dignitatis, denique quo ad rationem subalternationis actiuæ vel passiuæ ad alias scientias, & habitus tam naturales, quam supernaturales.

Theologia viatorum est vna specie distincta à quacunque alia scientia.

CAPVT I.

I. VNitas dicit completam rationem eius formæ, secundùm quam res dicitur vna, & indiuisionem in plura secundùm eandem rationem: & ita duo obstant rationi vnius, nempè negatio complementi eius formæ, secundùm quam res dicitur vna, & diuisio in plura participantia complete eandem formam; Ex defectu prioris conditionis nullus, quem legerim, negauit Theologiam esse vnam specie scientiam. Probatur tamen primo quoniam Aristoteles lib. 1. Posteriorum. t. 43. sumit vnitatem scientiæ ab vnitate subiecti, principiorum, & passionum, at in his omnibus conuenit nostra Theologia cum scientia beatorum: est enim de Deo secundùm rationem Deitatis vt illa: vtitur ijsdem principijs, quibus illa: deducit easdem conclusiones, quas agnoscit illa: quare non est scientia vna in se, sed pars integrans Theologiæ. Secundò Theologia est pars Metaphysicæ: etenim scientia, quæ agit de eodem subiecto, & sub eadem abstractione, qua alia, non differt specie ab illa, sed continetur sub illa, vel saltem cum ea integrat vnam completam rationem scientiæ: Theologia nostra agit de Deo, vt Metaphysica, considerat illum sub abstractione, à materia sensibili, & intelligibili, vt Metaphysica: ergò non sunt duæ scientiæ specie distinctæ, sed in vnam coalescunt. Maior propositio sumitur ex Aristotel. 6. Metaphys. cap. 1. distinguente scientias penes diuersas abstractiones à materia. *Aristot.*

II. Quod attinet ad secundum defectum vnitatis, Goffredus cit. ab Aureolo, quæst. 4. prologi, articul. 3. existimauit Theologiam non esse vnam specie scientiam, sed plures; quam opinionem tacito Autoris nomine refert etiam Bassol. quæstio. 6. articul. 1. §. *Alia est opinio*, probatur verò primo, quoniam, vt dictum est suprà, Theologia est simul practica & speculatiua: hæ verò duæ rationes coalescere nequeunt in vnam rationem specificam scientiæ: ergò Theologia non habet vnitatem specificam, sed generiam. Assumptio ostenditur: nam, quoties habituum fines, & obiecta sunt omninò disparata, nec reducibilia in vnum, fieri nequit, vt scientia sit vna, quandoquidem ad eius vnitatem, licet non sufficiat vnitas subiecti materialis, est tamen omninò requisita: fines verò habitus practici, & speculatiui non habent inuicem attributionem, quoniam alter est pura contemplatio, alter operatio: neque item obiecta, quoniam licet bona operatio conducat ad placendum Deo, vel dispositiuè moderando passiones inseruiat eius cognitioni, tamen vt est obiectum cognitum, non habet attributionem ad cognoscendas veritates diuinas: non enim traditur gratia acquirendæ cognitionis, sed bonæ operationis exercendæ. Secundò diuersitas abstractionis ex parte subiecti est in causa, vt scientiæ differant specie: at Theologia agit de subiecto adæquato sub diuersa abstractione: agit enim de Deo, & alijs abstrahentibus ab omni materia, agit de rebus corporeis abstrahentibus à materia singulari: quapropter non erit vna specie: Denique ex parte principiorum sumitur diuersitas specifica: Theologia verò vsurpat principia supernaturalia, Metaphysica, & moralia, *Goffredus. Aureol. Bassol.*

Aristot.

quare

quare habebit triplicem rationem ſpecificam.

III. Non diſputo nunc, vtrum Theologia ſit ſimplex habitus, an aggregatio multorum habituum ſub vno ordine ſpecifico, de quo circa reliquas ſcientias Philoſophi diſputant. Sed vtrouis modo ex illis ſentiendum ſit, inueſtigo vtrum ſit vnica ſpecie ſcientia per ſe, ita vt neque ſit tanquam pars alterius, neque genus, aut aggregatum, continens plures ſpecies, quod etiam de mente Diu. Thom. notat Caietan. 1. p. quæſtion. 1. artic. 3. initio. Et quidem, ſi loquendum ſit de Theologia creata, prout abſtrahit à noſtra, & beata, perſpicuum eſt non eſſe vnam ſpecie: quandoquidem noſtra, vtpote ineuidēs, differt ſpecie à beata, quæ eſt euidens. Verùm non eſt hoc loco ſermo de ea, ſed de noſtra: hęc autem multipliciter accipitur, vt tractatu primo dictum eſt, & etiam prout includit omnes illos habitus, non eſt vna, vt rectè notat Durandus quæſt. 4. prologi, & per ſe patet: quia, licet ſint omnes de eodem ſubiecto, non tamen ex ijſdem principijs, & ſub eadem ratione formali, vt conſtat ex dictis loco citato. Deinde habitus defenſiuus, & probatiuus articulorum fidei, in quo Durand. & alij conſtituunt rationem Theologiæ, non habet propriè vllam vnitatem formalem ac ſpecificam, ſed tantummodò materialem, quidquid oppoſitum dicat idem Durand. quæſt. citata, numer. 5. 6. & 11. & Aureol. quæſt. 4. artic. 4. propoſitione 2. Namque vnitas formalis, vt habetur ex Philoſopho 1. Poſter. cit. & aſſerit D. Thom. inferius citandus, ac Doctores communiter, ſumitur à principijs, ac ratione motiua aſſenſus: at Theologia eodem modo ſumpta non habet vllam rationem formalem vnam: quādoquidem principia quibus vtitur, non conueniunt ſub vna ratione: ſunt enim rationes probabiles, ſimilitudines, & exempla, interdum rationes Philoſophicæ, Phyſicæ, & Metaphyſicæ, vt idemmet Aureolus fatetur; quæ omnes, niſi coadunentur ſub vna ratione formali ſuperiore, pertinent ad diuerſas ſcientias, nec poſſunt dare vnam rationem ſpecificam Theologiæ hoc modo ſumptæ: ſi quis dicat cum Aureolo vbi ſupra, coadunari ſub ratione veritatis reuelatæ, quia aſſumuntur ad tuenda & confirmanda principia fidei reuelatæ, non aptè reſpondebit: nam ratio, ſub qua principia ſumi debent, vt conſtituant rationem formalem, debet ſe habere ex parte ipſorum, & pertinere ad motiuum aſſentiendi concluſionibus, quod principijs continetur: reuelatio verò ſumpta modo explicato, non habet ſe ex parte motiui, ſed ex parte concluſionis: ideoque ſub illa coadunari nequeunt tam diuerſa principia ad conſtituendam vnam rationem formalem ſpecificam. Itaque Theologia ſecundùm eam acceptionem non habet vnitatem formalem, ſed materialem, quatenus eſt de veritatibus complexis contentis in ſcriptura Canonica, & alijs definitionibus infallibilibus veritatis. Idem quoque dicendum de Theologia, ſi ſumatur pro habitu ſolum declaratiuo ſacri textus ad verum ac proprium ſenſum eruendum: conſtat enim, vt iam alibi dixi multis, diuerſiſque habitibus, ac notitijs rerum diſparatarum ſolum cohærentibus in materiali obiecto, hoc eſt tota ſcriptura ſacra: quod ſi interpretes ſacrarum literarum interdum ex quibuſdam reuelatis alia colligant, ac tueantur, hoc iam præſtant proprio habitu Theologico, qui habet modum ſcientificum, de quo nunc ex inſtituto quæritur.

IV. Dico primum, Theologia neceſſaria eſt completa in genere ſcientiæ, neque habet rationem partis integrantis alterius. Ita ex inſtituto docent Alenſ. 1. p. q. 1. m. 2. Albert. in ſum. tractat. 1. q. 4. Ægidius 1. p. prologi, q. 2. Henric. in ſum. ar. 7. q. 1. & eſt de mente Doctorum, quos in ſequenti propoſitione referam: qui omnes dicunt Theologiam eſſe vnam ſcientiam, vt aliæ, quæ integræ ſunt in ratione ſcientiæ, neq; de hoc vllus, quem viderim, ambigit. Nam quamuis multi negent eſſe ſcientiam, tamen ſub ſua propria ratione, ſiue ſit ſcientia, ſiue alius ſpecie habitus intellectualis, omnes integram, & completam eſſe cenſent. Neque Caietan. & alij Thomiſtæ, qui ſentiunt poſſe eſſe euidentem, & ineuidentem, cōſtituunt quaſi duas partes integrantes ipſius, ſed quaſi duo accidentia eiuſdem habitus. Vt autem probetur, ſupponendum eſt duo eſſe genera partium ſubiecti alicuius ſcientiæ, quædam ſunt integrantes, quædam ſubiectiuæ: Et quidem particulares ſcientiæ de integrantibus non ſunt ſubiectiuæ, ſed integrantes etiam: quoniam vt ait Philoſophus 1. Poſter. cap. vigeſimo tertio, ſcientia vna eſt de vno ſubiecto, ac partibus eius. Et ad Philoſophum naturalem pertinet agere de materia, & forma, quæ componunt corpus mobile, quod eſt ſubiectum Philoſophiæ; atque adeò partiales ſcientiæ de materia, & forma non ſunt completæ in genere ſcientiæ, ſed partes integrantes philoſo-

Caietanus. Durand. Aureol. Ariſtoteles. S. Thomas. Alenſ. Albertus. Ægidius. Henricus. Ariſtot.

phiæ naturalis. Quod locum habet in cæteris omnibus, saltem quatenus cadunt sub eandem abstractionem. Porrò de partibus subiectiuis interdum sunt scientiæ completæ in suo genere, quæ etiam sunt partes subiectiuæ, non integrantes rationem communis scientiæ genericæ circa illud obiectum: exempli causa, quantitas abstrahens à materia sensibili singulari & vniuersali, est quædam ratio generica obiecti scibilis, cui respondet etiam ratio quædam generica scientiæ, quam communiter scientiam mathematicam appellamus: sub quantitate verò ita sumpta continetur numerus ac magnitudo: quibus sub scientia mathematica respondent numero quidem arithmetica, magnitudini verò geometria: & hæ sunt verè, ac propriè scientiæ in sua specie integræ, partes subiectiuæ, & non integrales scientiæ mathematicæ in communi. Contra verò sub ente, quod abstrahit à materia sensibili, atque intelligibili, continentur substantiæ separatæ, genus summum substantiæ, & alia: & tamen, quia obiectum Metaphysicæ in ratione scibilis, non est vnum genere, sed specie, scientia de substantijs separatis, non est pars subiectiua, sed integrans metaphysicæ: contra verò, si sit aliud ens secundùm se specificum, vel etiam indiuiduum, & in ratione scibilis habeat rationem generis, illi sumpto sub abstractione à particularibus rationibus scibilitatis, respondebit communis aliqua ratio scientiæ, siue ea sit vniuoca, siue analogica, sub qua tanquam partes subiectiuæ, non integrales continebuntur particulares scientiæ: quę respiciunt idem obiectum sub specialibus rationibus scibilitatis.

V. His positis ostenditur assertio proposita in hunc modum, omnis scientia, ad quam pertinet speculari omnes veritates demonstrabiles, de aliquo subiecto sub ratione formali, non communi cæteris scientijs, non habet rationem partis integrantis: sed est completa in genere scientię: id verò conuenit Theologiæ, habet ergò integram, atque completam rationem scientiæ. Maior propositio est euidens ex dictis, quoniam scientia de obiecto scibili eatenus potest esse integrans & partialis, quatenus solum agit de parte ipsius integrante, aut subiectiua, vel non est de omnibus passionibus cognoscibilibus de subiecto, sub vnica ratione scibilitatis: at, quæ speculatur omnes veritates demonstrabiles de subiecto sub ratione formali cum cæteris non communi, non agit solum de partibus separatim sumptis, sed de toto subiecto, ac partibus, & omnes eorum proprietates considerat: quare non habebit rationem partis integrantis; Hoc verò Theologiæ conuenire patet, quandoquidem nulla est veritas ex diuina reuelatione ineuidente demonstrabilis de Deo, aut ente diuino per attributionem, cuius inuestigatio, aut cognitio ad Theologiam non pertineat: etenim posita reuelatione potest homo per discursum colligere ea, quæ secundùm formam syllogisticam ex principijs reuelatis scibilia sunt: hoc non est munus Metaphysicæ, aut vllius scientiæ naturalis, quoniam non innituntur motiuo supranaturali, non spectat ad Theologiam beatorum, quoniam habet pro motiuo lumen reuelationis euidentis, ergò ad Theologiam viatorum. Secundo, vna scientia totalis, & adæquata respondet vni obiecto scibili perfecto, atque integro in genere scibilis: vt enim rectè arguit Aureolus in prologo, quæstion. quarta, articul. primo, agens contra Scotum, sicut se habent conclusiones ad esse scibile, ita habitus earum ad esse scientiæ, ita vt si conclusiones sint partes vnius scibilitatis integræ, atque perfectæ, nec quælibet ipsarum sit completa scibilitas obiectiua, habitus quoque non sit integer in ratione scientiæ: si verò ex parte obiecti sumatur integra, atque adæquata scibilitas constans ex veritatibus omnibus de subiecto sub propria ratione formali cognoscibilibus, tùc habitus ei adæquatè respondens sit integer, atque perfectus in genere scientiæ. At Theologia nostra respondet adæquatè omni veritati scibili de Deo per lumen reuelationis: ergò non est incompleta, sed integra in ratione scientiæ, & ita ex defectu prioris illius conditionis non definit esse vna. Aureolus.

Ad primum argumentum contra hanc assertionem respondetur, cùm Philosophus ait vnius subiecti vnam esse scientiam, intelligendum esse de eodem obiecto in genere scibilis, non in genere rei: at Deus Optimus, Maximus, licet sit maximè vnus in genere rei, potest induere multiplicem rationem scibilis propter diuersa motiua, & rationes formales, nam sicut è conuerso ens, quod est maximè commune in genere rei, nō opus est vt habeat eandem communitatem in genere scibilis, imò est vnū specie in ratione obiecti scibilis, ita licet Deus sit maximè vnus in genere rei, subire potest multiplicem rationem scibilis ob diuersa lumina, ac motiua. VI.

tiua. Philosophus autem ideò ex vnitate subiecti, principiorum, & passionum, colligit vnitatem scientiæ, quia loquitur de scientijs naturalibus, quorum principia euidenter agnoscuntur ex lumine rationis: & quia penes hoc non est diuersitas, nequit etiam dari in scientijs naturalibus, quando sunt de eodem subiecto, ac passionibus ex ijsdem principijs: at, quia participatio luminis diuini est multiplex, cum vnitate omnium istorum potest esse diuersitas scientiæ, si adsit luminis diuersitas: quæ, quia gignit diuersum specie assensum circa principia, est in causa diuersitatis scientiarum: & hoc modo Theologia nostra non est pars integrans Theologiæ habitæ ex lumine diuino: sed pars subiectiua, & completa species per se.

VII. Bann. Vt secundo satisfaciat Bann. 1. p. q. 1. art. 3. conclusione 3. fingit in subiecto Theologiæ, hoc est Deo, quandam abstractionem diuersam ab abstractione scientiarum naturalium, nempè quia Deus abstrahit non solùm à materia sensibili, atque intelligibili, vt abstrahit, quatenus est subiectum metaphysicæ, sed etiam à potentialitate, quatenus est actus purus. Hoc tamen neque soluit argumentum: neque est necessarium: non soluit argumentum, nam vel ratio actus puri habet se ex parte rationis, quæ, & hoc non est ad rem, quoniam etiam Metaphysicus demonstrat, Deum esse actum purum: vel ex parte rationis, sub qua, & hoc modo nulla creatura etiam reductitiè pertineret ad obiectum Theologiæ; nam quemadmodum nihil omninò pertinet ad metaphysicam, nisi sub abstractione ab omni materialitate, ita si obiectum formale Theologiæ sumi debet sub abstractione ab omni potentialitate, nihil omninò creatum pertineret ad Theologiam: siquidem hæc abstractio est impossibilis omni creaturæ: non requiritur itaque ex parte obiecti Theologici talis abstractio, vt iam dictum est tractat. 3. cap. decimo, ad argum. verò distinguendum est antecedens: nam si sub eadem abstractione non sit diuersitas luminis, erit eadem scientia, si verò adsit diuersitas luminis nequaquam: at verò Theologia procedit ex lumine superiore, metaphysica ex naturali: & ideò Theologia quamuis sub eadem abstractione, qua metaphysica de Deo agat, non est eiusdem speciei cum illa, aut pars eius integrans, sed diuersa genere.

VIII. Dico secundum, Theologia nostra non diuiditur in plures species scientiæ, sed est vna simplex, atq; infima species. Ita ex instituto Albertus in sum. tractat. 1. quæst. 3. m. 2. & in 1. d. 1. art. 3. Sanct. Thom. quæst. vnica prologi, art. 2. & 1. p. quæst. 1. art. 3. Petrus de Tarantasia apud Carthusianum quæst. 3. prologi, AEgidius in prologo 2. p. primæ partis principalis quæstion. 3. Henricus in sum. ar. 6. quæst. 3. Richardus quæst. 3. prologi. Heruæus quæst. 4. dum tractat quartam opinionem, & quæst. 5. & quodlib. 9. quæst. 5. Durandus quæst. 4. numero 5. 6. & 11. Henricus Anglicus apud Aureolum quęst. citata, artic. 3. Bassiolis quæst. 6. art. 3. §. *De vnitate*, & art. 4. §. *Alias rationes*, Gregorius quæst. 3. art. 3. Bachon. quæst. 4. art. vltimo. Marsil. quæst. 2. art. 4. Capreolus quæst. 3. art. 1. conclusione 4. & art. 2. ad argumenta Aureoli contra quartam conclusionem. Ioannes Gerson 3. p. tractat. de illuminatione cordis alphab. 69. lit. N. Carthusian. quæst. 3. prologi, & lib. 1. fidei orthodoxæ, art. 1. §. 3. Syluest. 1. p. conflati quæst. 1. art. 12. Palatius quæst. 9. prologi, Hispalens. quæst. 3. art. 1. conclusione 4. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem. Conrad. in procemio primæ secundæ. Soncin. q. 3. prologi, conclusione 5. Caietanus & Iauellus 1. p. quæst. 1. art. 3 & Godefredum impugnant. Scotus quæst. 5. prologi, dum impugnat sextam opinionem, & Aureolus quæst. 3. art. 1. in 7. opinione, non tamen conueniunt omnes in statuendo fundamento huius assertionis. Quidam vt Albertus, Tarantasius, AEgidius, Henricus, Richardus, & Palatius recurrunt ad vnitatem subiecti primarij, & rationis formalis quæ: quãdoquidem Philosophus 1. Poster. text. 43. eam scientiam vnam dicit esse, quæ est de vno subiecto. Verùm hi non reddunt rationem adæquatam: etenim quamuis vnitas primarij subiecti ad scientiæ vnitatem requiratur, ea tamen non sufficit ad completam rationem vnitatis specificæ in genere scibilis: & consequenter non confert vnitatem specificam scientiæ, vt præter Doctores citatos tract. 3. cap. 2. docet Durand. quæst. 4. prologi, numero 5. Bassol. q. 6. ar. 2. §. *Sic ergo*, Et constat ex Philosopho lib. 2. Physic. t. 17. & 18. nam ad diuersas scientias pertinere ait demonstrationem huius propositionis: *Terra est rotunda*, nempe ad Mathematicam, & Philosophiam naturalem propter diuersa media, siue principia, quibus ostenditur: & ideò Philosophus 1. Poster. text. 43. ad vnitatem scientiæ non solùm requirit vnum subiectum, sed etiam prin-

Albert. *S. Thomas.* *Tarantas.* *AEgid.* *Henricus.* *Richard.* *Heruæus.* *Durand.* *Henr. Angl.* *Bassolis.* *Gregor.* *Bachonus.* *Marsil.* *Capreolus.* *Gerson.* *Carthus.* *Syluester.* *Palatius* *Hispalens.* *Conradus.* *Soncin.* *Caietanus.* *Iauellus.* *Scotus.* *Aureol.* *Aristoteles.* *Duran.* *Bassol.* *Aristoteles.*

principia, ad quæ conclusiones deducuntur.

IX. Gregor. Quapropter Gregorius q. citata art. 2. & alij addunt, vt sint eadem principia propria eius scientiæ maximè prima, ad quæ cætera reuocantur: sicut plerumque sunt diffinitiones subiecti, & primæ passionis. Et ad hunc modum frequenter alludit D. Thomas lect. 41. in lib. 1. Poster. & alibi, dum à principijs ait sumi rationem formalem obiectiuam scientiæ, & alij: cæterùm hic etiam modus indiget expositione aliqua, vel additione: Nam cùm sint plura rerum genera, & species, quæ habent proprias diffinitiones, & passiones, ex quibus conflari queunt principia, siue propositiones indemonstrabiles, & fieri veræ demonstrationes de subiecto, cur quædam vendicant peculiares scientias, quædam minimè? exempli causâ de quantitate, & eius speciebus sunt plures species scientiarum mathematicarum, de qualitate verò nulla est specialis scientia, nisi de figura, quatenus pertinet ad quantitatem. Præterea eadem principia materialiter sumpta subesse possunt assensibus specie diuersis: atque adeò potest euenire, vt ex ijsdem principijs materialiter sumptis eadem conclusio demonstratiuè sciatur ab vno, ab altero verò solum ex opinione teneatur. Prior quidem obiectio solui potest addendo id, quod addit Philosophus, nempe vt subiectum habeat passiones: at verò quantitas solum, prout abstrahit à materia sensibili, vendicat proprias passiones, quas non vendicat qualitas, quæ quatenus abstrahit à materia etiam intelligibili, pertinet ad Metaphysicam, tanquam passio substantiæ spiritualis, quatenus autem abstrahit à materia sensibili singulari, pertinet ad Philosophiam naturalem tanquam passio entis mobilis, & ita per se non vendicat vnam aliquam scientiam sibi propriam. Sed enim hæc responsio locum habet in aliquibus, non verò in omnibus: nam homo habet proprias passiones cum nullo alio ente naturali communes, & nihilominus scientia de homine non statuitur tanquam species propria scientiæ integræ, & completæ in suo genere, sed tanquam pars integrans Philosophiæ naturalis. Scio nonnullos id negare, qui credunt omnium specierum, quæ proprias passiones habent, esse proprias scientias specie distinctas. Id verò non est de mente Aristotel. qui Metaphysicam vnam solummodo statuit, & nihilominus non est de solo ente, sed de substantijs materiæ expertibus, & cæteris omnibus, quæ abstrahunt à materia, inter quæ plurima sunt specie differentia, quæ proprias habent passiones.

X. Vt hæc, & similia dubia tollantur supponendum fundamentum Diu. Thom. Capreol. & aliorum superius tract. 3. cap. 2. tactum, nimirum scientiæ vnitatem specificam sumi ab vnitate obiecti, non in genere rei, sed in genere scibilis, in hoc autem genere constituitur per omnia, quæ per se sunt necessaria, vt moueat, ac determinet potentiam ad peculiarem modum cognitionis. Hæc verò sunt vna ratio formalis subiectiua, *quæ*, vna ratio motiua *qua*, & quædam aliæ rationes comitantes, sub quibus obiectum habet peculiarem rationem intelligibilitatis actiuæ, & ita de mente Philosophi requiritur vnitas subiecti, quo continetur ratio formalis, *quæ*, vnitas principiorum, ex quibus desumitur ratio motiua, *qua*, rationes verò comitantes in naturalibus speculatiuis constituunt Philosophi in varia & multiplici abstractione à materia sensibili, vt tradit AEgidius 1. p. prologi, quæst. 2. quæ omnia Aureol. quæst. citata art. 4. & quæst. vltima, articul. 2. comprehendit nomine modi sciendi specificè distincti, quem multipliciter explicat: sed Philosophica Philosophis relinquamus. Sanè ex proposito fundamento rectè proposita assertio deducitur in hunc modum: illa scientia habet vnitatem specificam, non genericam, cuius obiectum in genere scibilis habet vnicum modum specificum mouendi potentiam, & terminandi eius actus: hunc autem habet Theologiæ obiectum, ergò est vna specie scientia. Assumptio ostenditur ex dictis in materia de subiecto Theologiæ, cuius subiectum primarium est Deus sub propria ratione Deitatis, ratio motiua est reuelatio, ratio concomitans est ineuidentia obiecti reuelati: ex quibus omnibus conflatur vnica ratio specifica obiecti scibilis, quod respicit habitus Theologicus, quandoquidem omnia interueniùt in obiecto fidei, quæ est vna virtus intellectualis specifica: cuius obiectum ab obiecto Theologiæ solùm differt penes proximè, ac remotè, vt iam explicatum est, quia obiectum fidei est proximè cognoscibile per reuelationem, obiectum verò Theologiæ est cognoscibile per eandem remotè, & discursu rationis applicatam, quemadmodum ergò Deus cognoscibilis proximè per lumen reuelationis ineuidens est vnum specie obiectum in genere scibilis, ita idem, quatenus cognoscibilis remotè per idem lumen reuelationis, est vnum

AEgid. Aureolus.

specie obiectum in genere scibilis: atque adeò habitus illi adæquatè respondens, erit vnus specie in genere scientiæ. Et ita ad lumen diuinæ reuelationis, vt rationem formalem tribuentem Theologiæ vnitatem specificam recurrit S. Thom. Henric. Anglic. Gregor. & Thomistæ cit.

XI. *Albertus* Hunc modum impugnat Albertus in sum. tract. 1. q. 2. m. 2. in primis quoniam in sacris literis agitur de Historijs, parabolis, & morib. & nó secúdùm ꝙ accipiuntur per reuelationem. Secundò, quia Theologia agit de Deo, quatenus per rationem inuestigatur: inuestigatio autem rationis distinguitur à notitia per reuelationem: denique quia forma conferens vnitatem *Aristoteles.* scientiæ iuxta Philosophum 1. Poster. t. 43. est, quæ subiectum facit vnum, & solum, & totam causam passionis: reuelatio autem nihil ponit in obiecto reuelato, sed in *Ægidius.* subiecto, cui fit reuelatio: Ægidius autem quæst. 3. citata. §. *Propter hoc est alius,* obijcit quoniam lumen diuinæ reuelationis ita se habet ad Theologiam, vt lumen intellectus agentis ad scientias naturales: sed hoc est indifferens ad diuersas scientias: ergò *Durand.* & illud: At verò Durand. quæst. 4. citata, num. 10. contendit non distingui Theologiam per reuelationem diuinam, quia si omnia quibus assentimur per reuelationem, pertinerent ad vnum habitum, pari ratione omnia, quibus assentiremur per demonstrationẽ, pertinerẽt ad vnam scientiam: & omnia, quibus assentiremur per medium dialecticum, pertinerent ad vnam opinionem, quod est inconueniens. *Aureol.* Deniq; idem impugnat Aureol. quæst. 4. art. 3. initio, tum quia posset quis habere scientias omnes per infusionem à Deo, vt probabile est habuisse Salomonem, & tamen adhuc distinguerentur specie: quare medium reuelationis non dat vnitatem specificam, tum quia Deus in reuelanda Theologia se habuit per modum præcipui Doctoris: sed ab eodem Doctore potest homo plures scientias acquirere: ergò & à Deo.

XII. Hæc argumenta non conuincunt. Ad primum Alberti negandum est id, quod assumitur: omnia enim, quæ in sacris literis dicuntur ab scriptore sacro, dicuntur ex assistentia, ac reuelatione Spiritus sancti. Secundum solum probat reuelationem non esse motiuum proximum, & immediatũ quod non tollit, quominus sit remotũ applicatũ per discursum. Tertiũ, vt *Caietanus.* notat Caietan. ad fin. art. 3. cit. laborat æquiuocatione: conuincit enim reuelationem non esse rationem formalem subiectiuam, quæ, de qua loquitur Philosophus, & id ego concedo: non tamen probat non esse motiuam: de cuius ratione non est, vt fit forma subiecti, vt res est, sed solum vt obiectum scibile est: ad hoc verò non requiritur, vt insit, sed solum vt possit sub illa concipi ab intellectu: quemadmodum abstractio à materia sensibili, quæ pertinet ad rationem formalem obiectiuam mathematicæ, non conuenit actu subiecto eius, vt res est: nam quantitas semper reipsa est coniuncta cum materia sensibili in corpore naturali, cui inest: Conuenit tamen illi, vt abstractum à materia sensibili, obijcitur intellectui tanquam subiectum, de quo mathematica disputat: vt verò sub lumine intellectus agentis applicatur per principia euidentia, proponitur sub ratione motiua: & ita nulla ex his rationibus inesse debet subiecto à parte rei, hoc tamen est discrimen inter subiecta scientiæ naturalis, & Theologiæ: quod, cùm illa vltimo resoluatur ad apprehensiones terminorum, ratione earum subiectum, vt res virtute continet motiua sciendi: at quia assensus Theologicus non resoluitur in terminos, sed in reuelationem Dei, non est opus, vt motiuum contineatur in subiectis singulis, vt res sunt, sed sat est si contineatur in primo, vt reuelans est.

XIII. *Capreolus. Caietan.* Ad argumentum AEgidij, quod propositum etiam fuit ab Aureolo, Capreol. quæstion. 3. prologi, in fine, & Caietan. prima par. quæstion. 1. artic. 3. in fine, respondent lumen naturale intellectus non dare per se speciem scientijs: quoniam idem inseruit omnibus naturalibus. Verùm obijci potest, tametsi lumen naturale non constituat obiectum specificum in genere scibilis, constituere tamen genericum: nam scientia naturalis in communi distinguitur à supernaturali, & non nisi ratione luminum diuersorum, quare sicut sub lumine naturali varietas abstractionum multiplicat scientias, ita sub lumine supranaturali multiplicabit: ita vt lumen supranaturale sit ratio quædam obiectiua generica, quemadmodum lumen naturale; Vt igitur satisfiat argumento, supponendum proximam & completam rationem distinctionis vel vnitatis scientiæ, vel habitus sumendam à proprio motiuo assensuum: nam si eiusmodi motiuum habeat eundem modum specificum determinandi intellectum ad actus, habitus ex ijs genitus erit vnus specie: si autem motiuum habeat modum genericum, nullus

actus

actus in particulari sumet ab illo speciem: sed indigebit adhuc accessu alterius rationis formalis. Hoc posito ad argumentum AEgidij, negandum est antecedens: nam lumen intellectus agentis habet modum mouendi intellectum quasi genericum, quod per diuersas rationes abstractionis, & varias penetrationes terminorũ, & assensus primorum principiorum contrahitur ad plures modos specificos determinandi intellectum: at lumen fidei, quatenus remotè applicatur ad assensum conclusionis, habet modum specificum: nam cùm intellectus non determinetur ex penetratione terminorum, sed ex fide & autoritate diuina, eodem modo determinatur ad omnes conclusiones, de quacunque materia sint. Eodemque modo respondetur ad argumentum Durandi: Nam assentiri per demonstrationem, aut diuersa med a probabilia est ratio generica, quæ specie diuersificatur pro diuersitate mediorum, & principiorum, quæ assumuntur.

XIV. Ad argumentum Aureoli respondetur ex Capreol. & Caietan. vbi proximè dupliciter haberi posse notitiam alicuius obiecti per infusionem, vel ita, vt infundatur notitia terminorum, ac principiorum, ex quibus pendet assensus: quomodo probabile est infusas esse Salomoni scientias naturales: vel ita, vt sola ratio assentiendi sit testificatio, seu reuelatio Dei: Et quidem si scientiæ priore modo infundantur, erunt adhuc diuersæ, sicut si naturaliter acquirerentur, quoniam infusio non esset motiuum assentiendi, sed causa efficiens, siue applicans motiua. Posterior verò modus subire potest duplicem rationem, quia testificatio Dei nunc est immediata ratio assentiendi, vt in fide, nunc remota, vt in Theologia: & tunc assensus de obiectis quarumlibet scientiarum, si haberentur proxime ex reuelatione diuina, essent omnes eiusdem speciei, nempe fidei: similiter, si haberentur remotè ex reuelatione, essent eiusdem speciei cum actibus nostræ Theologiæ: verbi gratia, si ex diuina reuelatione immediata assentirem ineuidenter duobus principijs geometriæ, & ex illis ita cognitis conclusionem aliquam elicerem, assensus ad principia terminati essent actus credendi, terminatus autem ad conclusionem esset Theologicus. Ad confirmationem eiusdem Aureoli respondeo, quamdiu discipulus sola autoritate Magistri ductus assentit principijs diuersarum scientiarum, & ex ijs conclusiones elicit non habere scientiam: sed assensus eiusdem speciei resolubiles in fidem humanam: cùm verò explicante magistro percipit terminos, & principijs euidenter assentitur, habere diuersos habitus pro ratione scientiarum: Deus verò non hoc, sed illo priore modo docet per fidem: & ideò Theologia à doctrina per reuelationem sumit vnitatem specificam.

His explicatis superest, vt respondeam ad argumenta initio proposita contra secundam propositionem, & quidem propter primum Goffredus existimauit Theologiam non esse vnicam scientiam, sed immeritò: nam, si tanta alia varietas obiecti secundarij, alioquin ad physiologiam, & metaphysicam pertinentis non variat Theologiam, cur diuersitas penes practicum & speculatiuum variabit? sicut enim obiecta habitus practici ac speculatiui differunt materialiter, sic etiam differunt obiecta naturalia contenta sub ente abstrahente à materia intelligibili, & sub ente mobili: & quemadmodum hæc considerantur per attributionem ad Deum sub eadem ratione formali motiua reuelationis, ita & illa: atque adeò eadem ratio est, cur Theologia multiplicetur iuxta variationem obiecti sub diuersa abstractione, ac sub diuersa habitudine ad finem: quare, cùm variatio penes abstractionem non multiplicet rationem specificam Theologiæ, neque multiplicabit variatio penes practicum & speculatiuum. Ad argumentum itaque neganda est assumptio: ad cuius confirmationem respondetur ipsas quoque praxes pertinere ad considerationem Theologicam per attributionem ad Deum, quemadmodum enim ex cognitione speculatiua rerum creatarum, assurgit animus ad cognitionem sapientiæ, omnipotentiæ, & aliarum perfectionum diuinarum, ita quoque ex cognitione practica operationum, siue naturalium, siue supernaturalium ascendit ad contemplationem bonitatis, sapientiæque diuinæ, & aliorum attributorum. Ex quo patet discrimen inter praxim, quando est obiectum adæquatum alicuius scientiæ, &, quando est inadæquatum: nam priore modo est finis, & obiectum omninò diuersum à fine, & obiecto adæquato scientiæ speculatiuæ, vt patet: posteriore verò nequaquam, sed habet attributionem ad ipsum, non vt ad finem per ipsam attingendum, aut acquirendum: sed vt ad obiectum primarium, quod ex illius agnitione aliquantum innotescit, vt

XV.

expli-

explicat Heruæus vbi supra. Responderi etiam potest, quando subiectũ primarium est obiectum praxis, & speculationis, posse circa illud coadunari sub vna ratione formali motiua speculationes, & dictamina practica: hæc dirigendo in ipsum, tamquam in finem, operationes quas mensurant illæ, sistendo in perceptione veritatis illius obiectiuæ. Hoc verò modo se habet Deus respectu Theologiæ, vt per se patet. Ad secundùm dicendum abstractionem per se solùm distinguere scientias naturales speculatiuas: nam scientia moralis modo agit de actionibus purè spiritualibus abstrahentibus à materia, modo de actionibus moralibus, quæ versantur circa appetitum, & materiam externam, & nihilominùs non est eiusdé speciei, cùm physiologia, aut Metaphysica. simili ratione Theologia non debet specie distingui ob multiplicitatem abstractionum. Accedit quod est supranaturalis sumens assentiendi motiuum non ex varia obumbratione, aut illustratione luminis intellectualis per accessum, vel recessum à materia sensibili, aut ex ipsa terminorum penetratione diuersimodè illustrata ab intellectu agente: sed ex diuini luminis illustratione ineuidenti, quæ ob abstractionis multiplicitatem nó variatur. Ad vltimum respondeo, tum demũ principia distinguere scientiam cum constituunt medium adæquatum per se, nõ autem quando sumuntur ad consortium cum principio alterius generis, quod traducit ea ad constitutionẽ vnius integri medij retinentis eandem rationem formalem ex vi principij trahentis: exempli causa, duo principia abstrahẽtia à materia sensibili constituunt medium gignens scientiam Mathematicam: duo item abstrahentia à materia intelligibili constituunt medium gignens scientiam Metaphysicam: ratio est, quia vtrobique est diuersa penetratio terminorum sub diuersa abstractione, & coalescunt in vnum medium complectens duo principia eiusdem generis: at, si sumatur tantùm vnum principium Metaphysicum, aut Mathematicum, & cõiungatur cum altera propositione credita fide humana, iam non habet vim trahendi assensum ex vtroque genitum ad propriam speciem scientiæ quã aptum esset gignere, si copularetur alteri principio eiusdem generis: sed ipsum trahitur ex ineuidentia fidei humanæ ad productionem actus nõ scientifici: Eadem verò est ratio in vsu principiorum naturalium, quæ interdum adhibet Theologia: nunquam enim componit discursum ex duobus principijs naturalibus, sed semper cum altero naturali sumit alterum reuelatum: ex cuius societate naturale præpeditur à partu scientiæ, siue euidentiæ, & trahitur ad gignendum assensum ineuidentem, ideoque multiplicitas principiorum naturalium, quibus Theologia vtitur, non impedit eius vnitatem.

Theologia ab habitu fidei re, & ratione distinguitur.

Caput II.

I. Dictum est de vnitate, & distinctione Theologiæ ab alijs scientijs, nunc videndum est an distinguatur à fide. Non pauci Doctores censent non distingui re ipsa ab habitu fidei eum, qui versatur circa conclusiones deductas ex principijs reuelatis per euidentem consequentiam, quem esse propriè Theologicum ostendi tract. 1. cap. 9. Ita Scot. in 3. d. 35. quæst. vnica *Scot.* Aureol. quæst. 1. prologi, art. 2. & in 1. d. 48. quæst. vnica, art. 3. Ocham. in prologo, *Ocham.* quæst. 3. principali lit. I. & O. Toletan. q. *Toletan.* 3. prologi, art. 2. conclusione 1. & art. 3. & 4. in solutionibus ad argumenta cõtra eandem conclusionem primam. Gabr. quæst. *Gabriel.* 7. lit. C. & in 3. d. 24. quæst. vn. art. 2. conclusione 6. Maior. q. 4. prologi, Sylvest. *Maior.* in conflato, quæst. 1. art. 10. §. 1. & art. 11. *Sylvest.* circa solutionem ad tertium, Scot. lib. 1. *Scotus.* Poster. cap. 3. quæst. 2. ad confirmationem septimi argumenti principalis, & aliqui recentiores, inter quos magna est dissensio: alij enim existimant ad habitum infusum fidei pertinere assensum conclusionum ex principijs reuelatis, neque esse propriè Theologicum, ita Aureol. & Scotus. Alij quidé censent huiusmodi assensus esse propriè Theologicos: Non tamen conueniunt in assignando habitu fidei, cum quo existimant idẽtificari Theologicum. Recentiores aliqui opinantes Theologicum discursum fieri ex principijs creditis ex humanis motiuis, censent per eundem habitum credi principia, & deduci conclusiones. Scot. vero, Ocham. Tolet. Gabr. & Maior. ponentes fidem acquisitam circa actus fidei, ad quos concurrit infusa, dicunt acquisitam versari etiam circa conclusiones. Tandem Sylvest. censet Theologiam non distingui ab habitu infuso fidei, cui sententiæ fauet Albert. in 1. d. 1. art. 5. docens habitum Theologiæ esse lumen fidei, tam ad ea, quæ continentur in Scriptura, quàm in libris sententiarum. Probatur autem

sententia hæc quoad id, in quo omnes conueniunt, nempè Theologiam non distingui ab habitu fidei, primò quoniam Theologia versatur circa idem obiectum materiale, & formale, de quo est fides, nempè circa conclusiones reuelatas, sub motiuo reuelationis diuinæ, habitus vero, qui versantur circa idem obiectum sub eadem ratione formali non distinguuntur, ergo neque Theologia distinguitur à fide. Maior propositio ostenditur. Primò, quoniam propositio omnis, quæ deducitur ex vtraque de fide, vel saltem ex altera reuelata, altera naturaliter euidente pertinet ad fidem, & qui illam negaret tamquam hæreticus puniendus esset. Secundò quoniam pleraque habemus ab Ecclesia definita tamquam dogmata fidei, quæ non sunt formaliter reuelata in se, sed euidenter ex reuelatis deducta: ergo ad omnes conclusiones verè Theologicas inclinat habitus fidei. Tertiò confirmatur, quoniam Theologus suum assensum resoluit in eandem reuelationem, qua nititur fides, atque adeò assentitur propter idem motiuum: & consequenter Theologia versatur circa idem obiectum materiale, & formale, circa quod fides. Secundò arguit Toletan. fidelis non distinguitur ab infideli nisi per habitũ fidei: at habitus Theologiæ in solo fideli reperitur, neque dari potest in infideli: ergo est idemmet habitus fidei. Maiorem probat, quia sola fide posita in viatore est fidelis, & ipsa remota, & quocumque alio posito non est fidelis: igitur per solam fidem distinguitur fidelis ab infideli. Assumptio verò est etiam manifesta: nam, cùm Theologia sua principia ex reuelatione supponat, infidelis habere nequit habitum Theologiæ, cuius principia reijcit, & rationem motiuam, hoc est diuinam reuelationem negligit.

II. *Sylueſt.* Eandem sententiam ex alio fundamento tuetur Sylueſt. vbi supra, ait enim habitum Theologiæ esse idem realiter, & essentialiter cum habitu fidei: quoniam habet idem obiectum simplex, hoc est Deum, siue primam veritatem, obiectum verò simplex scientiæ, & principiorum est idem, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 1. *S. Thom.* art. 7. existimat tamen distingui realiter accidentaliter, hoc est per extrinseca connotata importata in respectibus cuiusque, secundùm propriam significationem: includunt enim habitudinem ad diuersa obiecta complexa: siquidem fides est de immediatè reuelatis, Theologia de conclusionibus, quæ deducuntur ex reuelatis: & ita concludit non solùm esse vnum habitum realiter, sed etiam essentialiter: quoniam essentialis distinctio habituum, non est penes obiecta complexa, sed penes simplex, in hoc autem conueniunt fides, ac Theologia, eandemque rationem esse ait in naturalibus de intellectu, sapientia, ac scientia. Quoniam vero D. Thomas ait in hac scientia acquiri habitum conclusionum, quæ ex principijs creditis deducuntur, ita interpretatur, vt eiusmodi acquisitio, non sit productio alicuius habitus distincti à fide, sed extensio eius ad conclusiones. Itaque censet in Theologia, & quauis alia scientia nõ acquiri habitus primorum principiorum, sed conclusionum, in quantum habitus principiorum, qui est intellectus, vel fides extenditur per demonstrationem ad conclusiones, & sit scientia: quemadmodum etiam si sit acquisitus habitus scientiæ respectu vnius conclusionis per secundam demonstrationem, non acquiritur, sed extenditur ad aliam conclusionem. Est tamen discrimen, quoniam cùm habitus scientiæ extenditur ad nouas conclusiones, non aduenit ratio noui habitus, quia non egreditur limites scientiæ, cùm vero habitus principiorum extenditur ad Conclusiones, illa entitas habitus, quæ habebat rationem fidei, vel intellectus, acquirit rationem scientiæ: atque ita idem habitus realiter, ac essentialiter est fides, & scientia creditiua.

III. Argumenta primo loco proposita procedunt ex principijs habitus fidei, ac Theologiæ: fundamentum verò Sylueſt. quo etiam vtuntur Recentiores ad probandum Theologiam non distingui ab habitu fidei ex motiuis humanis acquisitæ, procedit ex communibus, & quoniam communia sunt priora proprijs, ab hac secunda difficultate incipiendum est. Quamuis autem huius rei explicatio sit potius Philosophi, quam Theologi, tamen quia non aliter impugnari potest Sylueſtri fundamentum, quam explorando naturam, ac distinctionem habituum principiorum ab habitibus scientiæ, necesse erit breuiter hoc attingere. Pro quo supponendum commune axioma Theologorum, ac Philosophorum asserentium habitus distingui penes actus in ordine ad obiecta: atque adeò actus specie distinctos per se non posse proficisci ab habitibus eiusdem speciei: actus item specie diuersos non posse producere, aut augere intensiuè, vel extensiuè eundem habitum specie: hoc enim est discrimen inter potentias, & habitus, quod potentiæ sub ratione communi specifica

in gene-

in genere potentiæ admittunt diuersitatem actuum, & habituum conuenientium in ratione illa communi potentiæ: at habitus, cùm sint determinationes potentiarum, nec ipsi per aliquid aliud sibi superadditum determinari queant ad habitus huius speciei potius, quam illius, se ipsis formaliter & intrinsecè, ab obiecto vero extrinsecè determinantur, vt huius potius rationis, quàm alterius actus possint efficere: alioquin non esset vlla ratio distinctionis, vt vero ait D. Thomas 1. 2. quæst. 52. ar. 1. id, à quo aliquid habet speciem, oportet manere fixum, ac stans in indiuisibili, ex quo efficitur addita quacumque variatione, quæ extrahat obiectum à propria ratione, sub qua dat speciem habitui, iam nó posse manere eundem habitum. Iam nunc restat videndum sintne assensus principiorum eiusdem, an diuersæ speciei cum assensibus conclusionis. Multæ vero sunt causæ, cur videri possit esse diuersitas, in primis quia pertinent ad diuersas operationes intellectus: assensus principiorum ad secundam, conclusionum vero ad tertiam: deinde quia assensus principiorum sunt causæ, assensus conclusionis effectus, denique quoniam principia, & conclusiones semper constant diuersis terminis, atque adeò sunt obiecta distincta. Verùm nulla ex his causis per se sufficit: quandoquidem actus omnes fidei sunt eiusdem speciei, & tamen duæ ex illis rationibus reperiuntur in alijs, atque alijs assensibus circa obiecta diuersa, nempè prima, & tertia: in primis tertia, quoniam fides inclinat ad obiecta complexa diuersissima, quales sunt propositiones conflatæ ex terminis diuinis, & aliæ constantes terminis creatis, prima vero, quoniam in sacris literis continentur aliquæ argumentationes factæ ab ipso Scriptore sacro, vel Christo Domino: atque ita fides non solùm iuuat ad credendum conclusionem ipsam in se, verùm etiam prout substat discursui reuelato: atque adeò ratio assensus discursiui non necessariò arguit distinctionem specificam à iudicio non discursiuo. Secunda quoque causa non sufficit: nam conclusiones omnes eiusdem scientiæ sunt eiusdem speciei; & tamen quando demonstratio non immediatè procedit ex per se notis, sed ex ijs, quæ per prima, & vera cognitionis principium sumpserunt, propositio, quæ in vna demonstratione est conclusio, in altera est principium concurrens effectiuè ad assensum alterius cõclusionis: ergo ratio causæ, & effectus in præmissis & conclusione, non arguit distinctionem specificam.

IV.

Nihilominus dico primum; intellectus, & scientia suaptè natura sunt habitus essentialiter distincti. Hæc est communis sententia Doctorum, quos citaui tractat. 4. cap. 9. tam asserentium sapientiam esse habitum distinctum ab habitu intellectus, quam id negantium, quia id tamquam proprium assignant habitui sapientiæ, vt versetur circa principia, & conclusiones. Præterea id expressè docent Durandus, quæst. 4. prologi, num. 5. & 8. Scot. in 3. d. 35. q. vn. Aureol. quæst. 1. prologi, art. 2. & art. 3. ad 4. ex primo obiectis. Hispalens. q. 3. prologi, art. 3. notabil. 7. Canus, lib. 2. de locis, cap. 8. paulò pòst medium, & lib. 12. cap. 2. ad finem, & est sine dubio sententia S. Thomæ, qui præter loca, vbi id docet de sapientia, idem affirmat de scientia in 3. d. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiuncul. 3. ad 3. vbi sic habet: *Principia speculatiua cognoscuntur per alium habitum naturalem, quã conclusiones*, scilicet per intellectum, conclusiones vero per scientiam. At vero prima secundæ, quæst. 57. art. 2. ad 2. quamuis aliquo modo sentire videatur eundem esse habitum, qui versatur circa principia, & conclusiones, aliud omninò sentit si rectè expendatur, sic enim habet: *principia demonstrationis possunt seorsum considerari absq; hoc, quod considerentur conclusiones: possunt etiam considerari simul cum conclusionibus, prout principia in conclusiones deducuntur: considerare ergo hoc secundo modo principia pertinet ad scientiam, quæ considerat etiam conclusiones: sed considerare principia secundum se ipsa, pertinet ad intellectum.* Ex quibus patet distinctionem illam de principijs communissimis, & proprijs cuiuslibet scientiæ: nimirum, quod circa hæc nõ est alius habitus à scientia distinctus, circa illa vero maximè, non habere fundamentum in doctrina D. Thomæ: sed de omnibus esse eandem rationem: nempè si per se spectentur, habere proprium habitum distinctum ab habitu scientiæ: si vero prout tendunt in conclusionem, pertinere ad habitum scientiæ: id vero non est ita intelligendum, quasi in ipso discursu, priusquam detur assensus conclusionis, habitu scientifico feramur in principia, quæ tunc etiam per se considerantur: sed quoniam ipsemet conclusionis assensus cadit etiam super principia, tamquam super rationem motiuam assentiendi conclusioni. Quod etiam rectè notat Aureolus art. 3. citato ad quintum ex primo obiectis. Ex quibus patet de sententia Diui Thomæ habitum quo assentimur principijs in se distingui ab habitu scientiæ: eadem sententia non

Durand. *Scot.* *Aureol.* *Hispalens.* *Canus.* *S. Thom.*

Aristot. obscure colligitur ex Aristotele, qui lib. 6. Ethic. cap. 6. & 7. tradens adæquatam diuisionem habituum naturalium intellectum, ac scientiam, tamquam distinctos numerat, nec vero solùm id facit ratione discriminis accidentalis: non enim mos est Philosophi habere rationem eorum, quæ sunt per accidens, maximè cum tradit alicuius generis diuisionem. Accedit, quod cæteri habitus, qui ibi numerantur re ipsa, & essentialiter distinguuntur: idem colligitur ex lib. 2. Poster. cap. 18. illis verbis: *cùm autem mentis habituum, quibus verum perspicimus, quidam veri perpetuo sint, vt intellectus, atq; scientia,* & paulò pòst, *nullumq; aliud genus exactius scientia sit, quam intellectus, &c.* quo loco intellectum, ac scientiam vocat habitus in plurali quasi plures, ac distinctos, item intellectum vocat aliud genus habitus à scientia, quod vtique verum non est, si re ipsa sunt vnus, idemque habitus.

V. Fundamentum vero sumitur à diuersitate motiui: nam, cùm intellectus veritati complexæ non assentiatur ex mera libertate, quin videat ex parte obiecti rationem aliquam, qua ducatur ex varietate rationis, siue motiui sumenda est distinctio assensus, quotiescumque igitur deprehenditur diuersa ratio motiua in assensu, erit diuersus modus specificus: at considerando modum assentiendi principijs, & conclusionibus necessariò interuenire debet ratio assentiendi diuersa, nempè propter se, & propter aliud, quæ duæ rationes sunt diuersissimæ: nam prior inuoluit pro motiuo solam apprehensionem simplicem cum lumine naturali intellectus, posterior requirit iudicium de veritate complexa, quæ duo semper differunt specie. Ex quo etiam colligi potest institutum à posteriore: nam effectus, qui requirunt per se causas specie diuersas, distinguuntur specie, scientia, & intellectus principiorum supponunt causas specie diuersas: ergo distinguuntur specie. Secundo sunt quædam principia communia omnibus scientijs, vt tradit Arist. *Aristot. S. Thom.* 1. Poster. t. 24. & D. Thom. ibidem, aut ergo habitus ipsorum distinguuntur à scientiarum habitibus, aut omnes scientiæ sunt vnus habitus: hoc secundum est prorsus absurdum, quare primum est admittendum. Consequentia patet: nam, quando Mathematica vtitur illis principijs, aut acquiritur nouus habitus re ipsa, & essentialiter diuersus ab habitu principiorum, aut hic extenditur: si acquiratur, habetur prius membrum consequentis: si extenditur, idem dicam, quando eodem principio vtetur Philosophus naturalis, nempè non acquiri nouum habitum, sed extendi præexistentem habitum principiorum, & consequenter habitum Philosophiæ esse idem realiter cum habitu talium principiorum, & cum habitu Mathematicę, quoniã quęcumq; sunt eadẽ vni tertio singulari, sunt eadem inter se. At inquiet Sylvest. aliam esse rationem in principijs communibus, ac in proprijs singularum scientiarum: nam communia pertinent ad Metaphysicam, cuius est illa probare contrà peruicaces: propria vero pertinent ad singulas scientias, & versantur circa idem obiectum sub eadem abstractione. Verùm tamen solutio non est adæquata: nam principia communia in ratione principij, non magis respiciunt vnum obiectum quam aliud, sed omnibus ex æquo accommodari possunt: atque adeò habitus ipsorum vel sunt idem re cum omnibus scientijs, vel cum nulla: nam quod ad Metaphysicam pertineat illa defendere, & explicare, nil facit ad hoc, vt potius cum illa, quam cum cæteris scientijs idem sit: quandoquidem vt notat Heru. quodlib. 9. quæst. 5. ad finem. *Heruæus.* Sub ea consideratione potius respiciuntur, vt conclusiones probandæ, vel vt obiecta, de quibus aliquid ostenditur, quam vt principia per se nota supponenda ad probationem conclusionum. Ad fundamentum Sylvest. dicendum est solam conuenientiam habituum in obiecto materiali simplici non sufficere ad identitatem specificam, nisi accedat etiam eadem ratio formalis, vt patet in Theologia ipsa, ac Metaphysica, quarum est idem obiectum materiale simplex, nempè Deus, & tamen quia formalis ratio est diuersa, ipsi quoque habitus sunt diuersi. At fidei, ac Theologiæ est diuersa ratio formalis immediata, vt infra explicabo in responsione ad rationes priore loco inductas.

VI. Dico secundùm. Theologiæ habitus est distinctus re, ac ratione ab habitu fidei infusæ, & acquisitæ; hæc assertio quod attinet ad fidem infusam est expressa sententia Heruæi, Scoti, Ochami, Toletani, Gabrielis, Maioris, Hispalensis & Cani locis proximè citatis, & præterea Durand. q. 4. prologi, num. 5. & 6. Argentin. quæst. 4. art. 2. & Michaëlis de Palatio, quæst. 6. & 9. Quod verò attinet ad fidem acquisitam intelligi debet, tam de fide, quæ acquiritur ex motiuis humanis, quam de ea, quam aliqui volunt concurrere ad actus fidei infusæ, & quidẽ in primo sensu, est omnium

Heruæus. Scot. Ocham. Toletan. Gabriel. Maior. Hispalens. Canus. Durand. Argentin. Palatius.

antiquo-

antiquorum, quos retuli tractat. 2. cap. 7. asserentium Theologiam nostram pendere à principijs lumine diuino, & infuso cognitis: in secundo etiam sensu est communis Doctorum, vt etiam fatetur Toletan. art. 3. citato, expressè vero illam tradit Bassol. quæst. 5. prologi, art. 3. §. vltim. & ex instituto probat Gulielmus de Rubione, quæst. 7. art. 2. conclusione 1. & 3. & Molin. 1. p. quæst. 1. art. 2. d. 2. & est D. Thom. & Thomistarum qui non admittunt eiusmodi habitum acquisitum, qui facilitet ad actus fidei supernaturalis, & saltem quando vna præmissa est naturaliter euidens, posse generari alium habitum à fide, concedit Scotus in 3. d. 24. quæst. vn. §. *Si loquamur*.

VII. Fundamentum vero est, quoniam habitus Theologiæ ex duplici ratione vendicare posset identitatem cum habitu fidei: nempè vel quia habitus omnis scientiæ acquisitæ est idem cum habitu principiorum: vel ex propria ratione, non ex communi, contra Syluestrum ostensum est: non ex propria, quoniam nihil particulare habet Theologia, propter quod non acquiratur nouus habitus per assensum propriè Theologicum, si acquiritur per assensum scientificum naturalem. Etenim ea diuersitas vel procedit ex eo, quod sit sapientia, vel ex eo, quod non sit naturali lumine acquisita: non primum, quia neque sapientia est vnus habitus circa conclusiones, & principia cognita ex terminis, vt ostendi tractat. 4. cap. 9. Non secundum, quoniam diuersitas omnis discursus Theologici à discursibus scientiarum naturalium in eo sita est, quod illæ vtuntur principijs naturaliter euidentibus, Theologia vero diuina fide creditis: hæc autem diuersitas non sufficit ad arguendum identitatem essentialem, ac realem habitus inclinantis ad assensum conclusionis cum eo, quo assentimur ex fide, siquidem ex ea solùm habetur assensum Theologicum vltimo, ac remotè niti auctoritate diuina, qua fides nititur proximè, & immediate: sed hæc eadem ratio suo modo reperitur in assensibus conclusionum, ac principiorum scientiæ naturalis, ergo ob eam non erit idem habitus ad assentiendum conclusionibus Theologicis, ac principijs fidei. Assumptio per se patet: nam conclusiones naturales vltimo resoluuntur ad simplicem penetrationem terminorum, propter quam præstatur assensus præmissis: & tamen non assentimur illis immediatè propter eiusmodi penetrationem, sed propter assensum principiorum, principijs autem immediatè ex vi penetrationis terminorum: ergo quoad rationem assentiendi proximè, aut remotè non est diuersitas in Theologia à scientijs naturalibus. Secundo omnis ratio formalis sufficiens ad identitatem specificam habituum, sufficit etiam ad identitatem actuum, vt constat ex suppositione superius facta: sed actus, siue assensus geniti per discursum Theologicum non sunt actus fidei, ergo neque habitus fidei: Consequentia est manifesta: assumptio probatur: nam de ratione actus fidei est, vt non solùm quo ad exercitium, sed etiam quoad speciem sit liber, & indigens determinatione voluntatis: at posito discursu, & assensu præmissarum necessariò determinatur intellectus quoad speciem, neque potest negare conclusionem. Verùm hæc ratio non omninò conuincit: nam etiam electio medij necessarij ad finem est actus virtutis, & liber quoad speciem: & tamen posita finis intentione voluntas medium vnicum repudiare nequit. Addendum itaque est actum fidei esse eiusmodi, vt obiectum eius propositum intellectui non possit per se solùm determinare illum absque applicatione, & motione voluntatis: at positis assensibus principiorum, & perspecta euidenter bonitate consequentiæ, intellectus non indiget vt quoad speciem determinetur à voluntate: ergo talis assensus Theologicus non est actus fidei. Accedit quod pleraque ab Ecclesia determinata, quæ rectè deducuntur ex reuelatis, ante Ecclesiæ decretum non fuerunt explicitè, & formaliter de fide in se ipsis: ergo actus, quo à Theologo ex principijs Theologicis deducuntur, & vera iudicantur, non est fidei diuinæ, ratio est, quoniam veritas, quæ non nititur sola reuelatione diuina, non habet infallibilitatem necessariam ad rationem obiectiuam fidei: obiectum Theologicum, quatenus est discursu nostro cognoscibile, nititur etiam euidentia naturali de bonitate consequentiæ, & ita non habet eam infallibilitatem, quam exigit actus fidei diuinæ.

VIII. Primum argumentum exposcit, vt explicetur quotuplex sit propositio de fide, quod non est huius loci, sed spectat ad materiam de fide. Illud vnum ad argumenti solutionem sat est, scilicet de fide quædam dici propriè, ac præsè, quæ formaliter, & in se sunt reuelata: & quibus, qui dissentit, eo ipso est hæreticus; alia lato

modo quę nimirum non sunt explicitè reuelata, dicuntur tamen de fide, quasi secundario: quia is, qui ea negat, censetur virtute negare formaliter reuelata, ex quibus illa sequuntur: si tamen quis ea negaret alia de causa, verbi gratia quia reputat falsam aliam propositionem naturalem, ex qua sequuntur, inscius, non hæreticus diceretur, vt si quis negaret Christum esse discursiuum, non quia non crederet esse hominem, sed quia falsò iudicaret hominem non discurrere, sed intelligere ad modum Angelorum: & quamuis in foro exteriore præsumendus esset hæreticus, re tamen ipsa non esset. Itaque quando mens in obiectum non fertur ex vi immediatæ reuelationis, sed ex cognitione alterius obiecti complexi reuelati, & discursu proprio, ac ratiocinatione, est ratio formalis diuersa. Ex quo patet negandam maiorem propositionem, & ad primã eius confirmationem dicendum ea, quę ita inferuntur, nõ esse primario, & proximè, sed remotè, ac secundariò de fide, & ita ad eorum assensum nõ concurrere fidem immediatè, sed remotè, quatenus concurrit ad assensum pręmissarum, ex quo proximè sequitur assensus conclusionis. Ad secundam respondetur, quando Ecclesia aliquid diffinit, iam illud credi nõ propter discursum, sed propter immediatam reuelationem: nam Ecclesia diffiniens cum nihil de nouo decernat, quod non fuerit adeò reuelatum, solùm declarat id haberi ex sancti Spiritus illustratione. Quod si hoc decernat colligendo ex reuelatis, hæc ipsa collectio vt patefacta ex infallibili assistentia diuini Spiritus, confert obiecto infallibilitaté diuersam ab ea, quæ sumitur ex lumine, ac discursu rationis humanæ. Responsio tertiæ patet ex dictis: nam, quamuis assensus conclusionis nitatur reuelatione diuina, non tamen proximè, & immediatè vt assensus fidei, sed remotè, & per modum resolutionis in sua principia, vt sæpè dictũ est. Ad secundum respondetur maiorem propositionem esse veram, si intelligatur de eo, quod per se, & formaliter distinguit fidelem ab infideli: id enim est sola fides, vt benè probat argumentum: esse tamen falsam, si intelligatur de eo, quod secundariò distinguit tamquam aliquid necessario supponens fidem: quemadmodum dici potest, quod spes distinguat fidelem ab infideli, non quidem primariò, & per se, sed secundariò, quatenus necessariò supponit fidem, quod perinde non potest reperiri in infideli, & hac ratione se habet suo modo Theologia: quæ dependet ab habitu fidei, tamquam ab habitu principiorum.

De comparatione Theologiæ cum alijs habitibus quoad certitudinem.

Caput III.

Comparatio scientiæ Theologicæ quoad certitudinem cum alijs habitibus, vel actibus intellectus, solùm habet dubitationem in ordine ad scientias naturales: nam si conferatur cum Theologia beatorum, planum est cedere illi quoad certitudinem, vt notat Bonauent. in 3. d. 23. art. 1. quæst. 4. in corpore. Durand. eadem d. quæst. 7. numero 10. Capreol. d. 25. quæst. vn. art. 3. ad 6. contra tertiam conclusionem. Gabriel. d. 23. quæst. 2. art. 1. & Caietan. secunda secundæ, quæst. 4. art. 8. ad 3. siquidem Theologia beatorum habet eandem radicem certitudinis, quam nostra, scilicet ipsam primam veritatem: & præterea addit euidentiam, qua caret nostra. Ex quo sequitur maximum discrimen: nam beata, vt inquit Diuus Bonauentura in 3. d. 26. art. 1. quæst. 5. ita illuminat, ac firmat intellectum erga veritatem cognitam, vt reddat illum impotentem ad errandum, vel dubitandum de illa: nostra vero præbet sufficientem vim, ac firmitatem ad vincendum errorem, & excludendam dubitationem, non ita tamen necessitat, vt impossibile sit in oppositum errorem declinare: vt declinarunt illi, qui teste Apostolo primæ ad Timoth. 1. *conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Cùm igitur cæteris paribus multo excellentior gradus certitudinis sit is, qui intellectum ita obfirmat in vero, vt nequeat in falsum declinare, quam is, qui illi non eripit aberrandi facultatem, perspicuum est certitudinem Theologiæ viatorum nõ esse æqualem certitudini Theologiæ beatorum. Certum quoque est certitudinem fidei esse maiorem quam nostræ Theologiæ: quoniam fides est principium Theologiæ: qua ratione motus D. Thom. secunda secundæ, quæst. 4. art. 8. in corpore, & ad 3. dixit fidem esse certiorem scientia, sapientia, & intellectu, quæ sunt dona Spiritus sancti, quia est fundamentũ ipsorum: multo ergo certior erit Theologia, quæ non est donum Spiritus sancti.

I. S. Bonauent. Durand. Capreol. Gabriel. Caietan. S. Bonauent. 1. ad Tim. 1. S. Thom.

Accedit quod fides immediate nititur reuelatione diuina, Theologia vero mediãte ipsa fide, & præterea discursu intellectus humani, qui non est regula tam infallibilis quam reuelatio diuina. Denique certum est Theologiam esse supra opinionem, & cęteros actus, & habitus humanos non euidentes, hi enim suapte natura incerti, dubitationi ac formidini coniuncti sunt: Theologia certa, & constans vt tract. 4. cap. 1. dictum est: De actibus euidẽtibus est controuersia.

II. Durandus quæstion. 7. citata, numero 10. dicit fidem esse minorem certitudine extensiue, & intensiue scientijs, quia caret euidentia, & habet adhæsionem minorem, nam est magis mixta dubitationibus, & quæst. 6. prolog. nu. vigesimoquarto, Theologiam non esse certiorem alijs scientijs. Bassol. in 3. d. 23. quæstion. vn. artic. 1. §. *Ad rationes*, ad tertium docet certitudinẽ fidei, ac proinde Theologiæ, non esse maiorem quoad adhæsionem, quam sit scientia, imo & errores hæreticorum, esse vero minorem quoad euidentiam. Vnde ex sententia horum Doctorum Theologia nullo modo est certior alijs scientijs naturalibus. Probatur verò inprimis autoritate Hugonis de sancto Victore libr. 1. de sacramentis p. 10. cap. 2. vbi fidem appellat certitudinem animi supra opinionem, & infra scientiam constitutam: fides autem, vt paulo antè dixi, est certior scientia Theologiæ, ergo, si fides est certitudo infra scientiam, multò magis hoc ipsum competet Theologiæ. Probatur deinde ratione. Primò scientia, quæ procedit ex principijs per se manifestis intellectui, est certior ea, quæ procedit ex principijs occultis: reliquæ scientię procedunt ex manifestis, Theologia ex occultis, siue obscuris, nempe ex reuelatis, & ineuidentibus: ergo cęteræ sunt illa certiores. Secundò assensus excludens ab intellectu omnem prorsus dubitationem est certior eo, qui relinquit dubitandi locum, scientiæ naturales tollunt omninò dubitationem ab animo: fides autem, & consequenter Theologia nequaquam, nam etiam bonis Christianis, ac Theologis suboriri interdum solent subiti quidam motus dubitationis. Tertiò quotiescumque duo actus vel habitus conueniunt in eadem radice certitudinis, & vnus addit præterea aliquid aliud conducens ad eius firmitudinem, hic est certior altero, qui solam habet primam, scientia naturalis, ac Theologia habent eandem radicem certitudinis, sciẽtia vero addit aliquid ad illam cõducens: ergo est certior Theologia. Assumptio quoad secundam partem est manifesta: scientiæ enim naturales habent euidentiam, q̃ non habet Theologia: Quoad primam ostenditur, quoniã omnis certitudo scientiæ naturalis reducitur in primam veritatẽ, & lumẽ intellectuale diuinum: siquidẽ habetur certitudine principiorũ, q̃ est ex lumine rationis à Deo indito, vt docet D. Tho. q. 11. de verit. ar. 1. ad 13. & 17. *S. Thom.* lumẽ autem rationis, cum sit quasi impressio luminis diuini, in ipsum tanquam in principium resoluitur: atq; adeò quemadmodum Theologia vltimo resoluitur per lumen fidei in primã veritatẽ, ita scientia naturalis resoluitur in eandẽ per lumẽ intellectus. Deniq; quoad eas cõclusiones, q̃ pendent ex altera p̃missa naturaliter euidente, res est manifesta: tum quia pendẽt ex certitudine illa naturali, nullus aũt effect⁹ per se pendens ab alio, tanq̃ à causa principali, in suo genere est perfectior illo: tum quia non est maior infallibilitas veritatis in assensu conclusionis Theologicæ, q̃ sit in quauis p̃missa: nam quotiescunq; deficiẽte veritate prioris deficit veritas posterioris, hoc non est magis infallibile, quam illud: at quotiescumq; vel per impossibile deficiet veritas præmissæ naturalis, ex qua pẽdet veritas cõclusionis Theologicæ, hæc quoque deficiet, vt per se patet, ergo hæc non est magis certa quam illa.

III. Cõmunis sententia est, Theologiã esse certiorẽ sciẽtijs humanis, verũ in ea explicãda est maxima varietas opinionũ, Alens. *Alensis.* 1. p. q. 1. m. 4. ar. 2. tripliciter distinguit certitudinẽ: *est*, inquiens, *certitudo speculationis, & est certitudo experiẽtiæ, præterea est certitudo secũdũ intellectũ, & est certitudo secũdũ affectũ, est certitudo quoad hominẽ spiritualẽ, & est certitudo quoad hominẽ animalẽ*: deinde subdit Theologiã esse certiorẽ certitudine experiẽtię, & quoad affectũ, nõ vero quoad speculationẽ intellectus. Idẽ docet de fide q. 2. m. 3. ar. 4. ad 3. Ita verò opinatur Alẽs. propter gustũ spiritualẽ annexũ doctrinæ sacræ, vt testat̃ Dauid Ps. 118. *Quã dulcia fauci* *Psal. 118.* *bus meis eloquia tua*, qua dulcedine anim⁹ ardẽter afficitur ad assensum illorũ. In solutione vero ad secũdũ, addit discrimẽ inter hanc, & alias sentẽtias: quod aliæ procedũt ex principijs veritatis, vt veritatis per se notis, hęc aũt procedit ex principijs veritatis, vt bonitatis, & per se notis vt bonitatis: q̃uis occultis vt veritatis; ex quo vult vt intelligam⁹ sciẽtiã reuelatã esse certiorẽ alijs quoad affectũ, nõ quoad speculationẽ quia principia affectus sunt bonitas, vt bonitas. speculationis autem veritas, vt veritas.

IV. Hæc sententia est admodum obscura, & vt mihi videtur, sibi non constans. Namque duplicem potest habere sensum, inprimis sicut tractat. 4. ca. 1. ex D. Thom. dixi, duplex est in nobis causa fidei, voluntas, & intellectus, illa imperans, hic eliciens: atq; adeò ex parte Dei duo erunt motiua credendi, alterum bonitas, qua mouetur voluntas, alterum veritas, qua mouetur intellectus: si hæc respexit Alensis, mens eius esse potest, primum principium fidei ex parte Dei esse bonitatem ipsius, quæ est primum mouens ad operationes Dei externas, & consequenter est causa communicandi hominibus lumen supernaturale fidei, & reuelandi res supernaturales; propter quam bonitatem voluntas mota determinat intellectum, vt assentiatur propter principia veritatis, sibi quidem proposita, obscurè tamen per reuelationem. Verum si hoc modo intelligatur, quamuis bonitas Dei absolutè sumpta, sit per se nota, non tamen est per se nota, quatenus est principium reuelationis: quæ vt à bonitate procedit est signum illius, sed obscurum quemadmodum obscurum est, quod à Deo sit, loquor autem de Christianis communiter, qui non habent euidentiam reuelationis. Potuit etiam respicere ipsum motiuum credendi, quod est reuelatio diuina, quæ immediatè procedit à veracitate, quæ cum sit virtus voluntatis, respicit per se actus externos sub ratione bonitatis, non veritatis: & ita est quidem principium veritatis reuelatæ, non vt veritas sed vt bonitas est; Verum neque iuxta hanc interpretationem cohæret eius dictum: siquidem reuelationis principium non est sola veracitas, sed etiam scientia diuina, quæ est principium veritatis non sub ratione bonitatis, sed veritatis. Præterea non magis per se nota est veracitas, vt est principium veritatis sub ratione bonitatis, quam scientia, vt est principium veritatis sub propria ratione veritatis: nam sicut absolute est per se notum Deum esse veracem, ita per se notum est esse sapientem: & sicut in particulari est ineuidens ipsum scire hoc determinate mysterium, quod reuelat, ita ineuidens est ipsum reuelasse; atque adeò penes rationem euidentiæ principij per se noti, non est vnde colligatur Theologiam esse certiorem alijs scientijs quoad affectum, quam quoad speculationem: Et ita ex hac parte sententia Alens. non habet fundamentum: fortè respexit ad notitiam experimentalem, & gustum spiritualem in notitia reuelata, ex qua voluntas inducta determinat intellectum. Verum eiusmodi experientia nec in omnibus reperitur, & cum non discernat euidenter naturam actuum, ac delectationum supranaturalium à naturalibus, non potest etiam gignere euidentiam ex parte principiorum veritatis supernaturaliter reuelatæ. Et ideò merito idem Alens. postea 3. p. quæstion. 68. m. 9. art. 1. impugnat, & reijcit hanc sententiam, quia certitudo illa gustus, & affectus non reperitur nisi in fide formata, cum tamen etiam in formis sit certior scientia. *Alensis.*

V. Bonauentur. in 3. d. 23. art. 1. quæstion. 4. distinguens duplicem certitudinem, nempe speculationis, & adhæsionis, primam dicit respicere intellectum, & esse minorem in fide: Secundam respicere affectum, & esse maiorem in fide, quia fides magis facit adhærere veritati creditæ, quam scientia rei scitæ: veri enim fideles, nec per argumenta, nec per tormenta inclinari possunt ad negandam veritatem fidei: stultus autem esset geometra, qui pro quacunque certa conclusione geometriæ auderet subire mortem. Vnde significat certitudinem fidei, & consequenter Theologiæ esse maiorem ex parte subiecti, non vero ex natura actus. Idem sentire videntur, qui dicunt esse magis certam quoad adhæsionem, non quoad euidentiam. Ita Aegid. in 2. d. 1. 1. p. quæstion. 1. artic. 3. ad 2. Ocham. in prolog. quæstion. 3. principali, quæ est in ordine 7. litera Q. ad secundum: & hoc potissimum probant rationes initio propositæ: Hæc sententia si ita intelligatur vt idcirco scientiæ naturales dicantur excedere Theologiam, quoad certitudinem, quia Theologia non habet certitudinem, quæ nascitur ex euidentia obiecti determinante intellectum ad assensum, sed præter motiuum ex parte intellectus adhuc egeat voluntate determinante; Cæteræ verò scientiæ ex sola contemplatione, & euidentia obiecti certæ sint, & determinatæ ad vnum absque adminiculo voluntatis, communis est non solum Bonauentur. Aegidij, Durand. Ocham. & Bassol. vbi supra, sed etiam Henric. in summ. art. 7. quæstion. 2. Richard. quæst. 5. prolog. Heruæi quodlibet. 11. quæstio. 18. Capreol. in 3. d. 25. quæstion. vn. artic. 3. ad 6. contra 3. conclusionem & aliorum, & de mente sancti Thomæ in 3. d. 23. quæstion. 2. art. 2. quæstiuncul. 3. & patet ex tract. 4. cap. 1: Ibi enim dictum est intellectũ nõ necessitari ad assensum ex proprio motiuo fidei, & Theologiæ propter eius ineuidentiam, sed ex applicatione volun- *S. Bonau.* *Aegyd.* *Ocham.* *Bonauent.* *AEgyd.* *Durand.* *Ocham.* *Bassol.* *Henricus.* *Richardus.* *Heruæus.* *Capreolus.* *S. Thom.*

tatis: at

tatis: at cæteræ scientiæ ita euidenter obiectum, & assentiendi motiua percipiunt, vt ex ijs, absque opera voluntatis determinentur ad assensum, sin autem proposita sententia intelligatur ita, vt Theologia non habeat aliam certitudinem, præter eam, quæ est ex parte affectus, neq; vllã sũmat ex proprio motiuo ipsius intellectus, non est tenenda, vt patet ex dictis tract. 4. c. 1. vbi ostendi Theologiam esse certam ex natura, & causis per se ipsius, & ex dicendis magis constabit.

VI. S. Thom.

Diuus Thomas 1. part. quæstion. 1. art. 5. in solutione ad primum, cum obiectum fuisset alias scientias non admittere dubitationem sicut Theologia, respondet absurdum non esse, vt id, quod est magis certum secundum naturam, quoad nos sit minus certum, ob debilitatem intellectus nostri. Quod dictum, vt eodem art. 5. Molina refert, aliqui Recentiores intelligunt de certitudine ex parte obiecti materialis, eodemque modo Durand. in 3. d. 23. quæstion. 7. numero 8. intelligit Diu. Thom. quando secunda secundæ quæst. 4. artic. 8. docet fidem secundum se esse certiorem scientijs, licet quoad nos sit minus certa, sed hæc interpretatio non est ad mentem Diui Thomæ, vt notat Capreol. in 3. d. 25. quæstion. vn. artic. 3. ad argumenta contra tertiam conclusionem, & Caietan. secunda secundæ quæsti. 4. ar. 8. tum quia D. Tho. loquitur de certitudine Theologiæ respectu omnium obiectorum, aliqua vero in se sunt contingentia: & consequenter non magis certa materialiter, quam obiecta scientiarum, quæ sunt necessaria, tum quia Diuus Thomas recurrit ad lumen diuinæ reuelationis: hoc verò habet se ex parte obiecti formalis, & communicat actui intrinsecam certitudinem; tum deniq; quoniam certitudo obiecti nõ est ad rem, non enim repugnat, vt de obiecto minus certo habeatur notitia certior, quam de magis certo. Etenim obiectũ Metaphysicæ secũdum, se certius est obiecto Mathematicæ vt docet Bonauent. in 3. d. 23. art. 1. quæst. 4. ad vltimum, Durand. Aegid. citat. & ex Linconiensi Capreol. quæst. 1. prolog. art. 1. conclusion. 4. & tamen demonstrationes Mathematicæ certiores sunt demonstrationibus Metaphysicis, quas ex naturæ lumine habemus, vt ijdem Authores notant.

Molin. Durand. Capreol. Caietan. S. Bonauent. Durand. Aegid. Lincolniens. Capreol.

VII. Sylues.

Syluest. in conflato 1. p. q. 1. art. 14. doctrinam Diu. Thom. intelligit non solum de obiecto, verum etiam de actu Theologiæ in communi sumptæ, de qua verificatur ratione Theologiæ beatorum, aut diuinę non nostræ. In eadem sententia aliqui Recentiores volunt esse Caietan. 1. p. q. 1. art. 5. §. *Probatur ergo*, quatenus interpretatur de Theologia secundum se, non vt in nobis pro isto statu. Verum hæc interpretatio est aliena à mente Diui Thomæ & Caietani: nam similiter D. Thom. q. 14. de veritate, art. 1. ad 5. 7. & 8. & secunda secundæ q. 4. ar. 8. cum Caiet. ait fidem esse certiorem secundum se scientijs: fides autem in solis viatoribus reperitur, nec potest abstrahi ab ineuidentia obiecti: quemadmodum ergo de ipsa vere dicitur, quod sit secundum se certior scientijs, sic etiam de nostra Theologia dicetur. Deinde colligitur ex instituto Diui Thom. intelligi enim debet de certitudine actuum eius Theologiæ, quam comparat cum scientijs naturalibus, nempe nostrę: nam ex eo, quod actus Theologiæ diuinæ, vel beatæ quoad certitudinem excedant actus scientiarum naturalium, non colligitur maior certitudo Theologiæ nostrę, nisi ex illis in eius actus redundet aliqua ratio certitudinis: aliquã ergo habent actus ipsi certitudinem, ratione cuius Theologia nostra sit certior alijs scientijs, si vero eam habent, cum omnis formæ communicet suum effectum formalem subiecto, cui inest, actus Theologiæ non solum secundum se, sed etiam quo ad nos erunt certiores: atq; adeò hac interpretatione non bene defenditur doctrina Diui Thomæ. *Caietan.* *S. Thom.*

VIII.

Recentiores aliqui distinguunt triplicem modum certitudinis: primus consistit in assensu determinato sine dubitatione: secundus in veritate cognitionis, q̃ sumitur ex cõuenientia intellectus cũ re: tertius in actu reflexo, quo quis iudicat nullo modo se falli in eo, quod cogitat. Probant aut nõ posse accipi dictũ D. Tho. primo, aut secũdo modo, sed tertio, quãdoquidẽ vt cõparatio D. Thom. sit apta, nõ debet Theologia sumi secundũ se, hoc est secũdũ rationẽ cõmunem exutã à conditionib⁹, & imperfectionibus vię, qualis reperitur in Deo, ac beatis: nam hoc etiã modo aliæ scientiæ in Deo sunt æquè certæ, ac Theologia: sed sumi debet secũdũ propriã rationẽ nostræ Theologiæ: hæc autẽ solo tertio modo est certior scientijs naturalib. Verũ hoc argumentũ in primis supponit, id de quo est cõtrouersia, nẽpe Theologiã solo tertiò modo esse certio rẽ alijs scientijs. Deinde q̃ quis antecedens sit verũ, vt patet ex dictis: ratio ipsa nõ cõuincit: nam Theologia abstrahi potest ab his cõditionib⁹, at rerũ naturaliũ cognitio, si abstrahatur à lumine creato, & reducatur in lumen creatum, iam non est

Philosophia, sed Theologia: Nam, quemadmodum, si eædem res philosophicæ à nobis per fidem, & discursum Theologicum cognoscantur, assensus ita genitus non ad Philosophiam, sed ad Theologiam pertinet, ita etiam rerum omnium cognitio, quæ lumine ipso diuino nititur Theologia censenda est. Accedit quod Deus res alias non cognoscit aliter, quam in seipso, vt in primario obiecto, & ideò omnis eius cognitio Theologica est, vt
Scot. benè deducit Scotus quæstion. 3. prolog. §. *Idcò dico*, quia omnis cognitio diuina de rebus alijs à se habetur virtute primi obiecti Theologici actuantis intellectum eius, hoc est essentiæ diuinæ, in qua tanquam in primario obiecto creaturæ intelliguntur: atque adeò non falsò diceret in hoc sensu Diu. Thom. Theologiam secundum se esse certiorem scientijs naturalibus: Verum non in eo locutus est, vt patet ex dictis. Probant deinde impugnando aliam interpretationem, nempe quod Diuus Thomas loquatur de Theologia secundum se, hoc est ratione principiorum, quia procedit ex principijs fidei, quæ certior est scientijs humanis ex parte obiecti formalis, cui innititur, hæc autem positio, inquiunt, necessariò supponit conclusionem Theologicam debere semper colligi ex principijs creditis fide diuina, non verò solum ex acquisita: quæ opinio certa non est: Si vero dicatur posse deduci ex principijs creditis fide acquisita, verum non est Theologiam esse certiorem alijs scientijs ex parte principij formalis. Dicunt itaque doctrinam Diui Thomæ intelligendam de certitudine actus reflexi, quo quis iudicat cognitionem, quam habet de obiecto, non posse esse falsam, nec ipsum aliter se habere quam cognoscatur. Quomodo, inquiunt, magis certa est nostra Theologia, quam quæuis alia scientia, hoc est magis certi sumus cognitionem, quam habemus per Theologiam, falli non posse, quam scientiam aliam quamcunque: credimus enim Theologiam ortum habuisse ex Dei testimonio, cui magis repugnat falsitas, quam cuiuis scientiæ creatæ.

IX. Hæc expositio longè aliena est à mente Diui Thomæ, nec satis explicat discrimen Theologiæ à scientijs naturalibus, quo ad certitudinem. Primum constat ex communi interpretatione discipulorum sancti Thomæ, quorum nemo recurrit ad certitudinem actus reflexi: Deinde quia hoc modo Theologia etiam est certior quoad nos, seu ex parte subiecti: nam certitudo, quæ habetur per actum reflexum, reddit ipsum subiectum certum de obiecto, cum ergo Diu. Thomas dicat Theologiam esse certiorem, secundum se non quoad nos, nequaquam intelligi potest de actu reflexo: qui ex æquo haberi potest de scientijs naturalibus, ac fide, & Theologia: imo fieri potest, vt aliquis per actum reflexum iudicet suum errorem esse scientiam, & non posse falli: denique Diuus Thomas loquitur de certitudine in actu exercito, qua intelligens ipsomet actu intelligendi redditur formaliter certus de obiecto intellecto: at certitudo per actum reflexum non est formalis certitudo Theologiæ vt actus, sed vt obiectum alterius actus. Quod autem non bene explicet hoc discrimen constat, quandoquidem actus reflexus, aut est euidens saltem experimentaliter, aut est actus fidei, aut opinionis: si opinionis, similiter alij opinari possunt actus scientiæ naturalis, aut opinatiuos esse certos: si est actus fidei, non habebit maiorem certitudinem, quam quiuis alius actus fidei: sed hanc ait Diuus Thomas esse secundum se certiorem, quam scientias naturales: ergo si actus hic reflexus absque reflexione alterius reddit intellectum certiorem, quam reddat actus scientiæ naturalis, ita quoque quilibet actus directus fidei, ac Theologiæ se ipso formaliter reddet subiectum certum de obiecti veritate: Euidentia experimentalis si datur de certitudine actus Theologici, consequenter ipse in se, vt præcedit actum reflexum est certior alijs scientijs, quod hi Authores nolunt admittere. Patet sequela, nam de eo, quod non est, euidentia haberi non potest, ergo si habetur euidentia experimentalis de certitudine scientiæ Theologiæ supra scientias naturales, sane illa in se talis est. Deniq; idem est motiuum quo mouetur intellectus ad eliciendum huiusmodi actū reflexum, & ad credēdum, atq; assentiendum cōclusioni Theologicæ: ergo si illud sufficit ad causandā maiorem certitudinem in actu reflexo, sufficit ad eandem gignendā in actu fidei, & assensus Theologici. Antecedens constat ex ipsorum dictis, aiunt. n. nos credere Theologā ortum habuisse ex Dei testimonio, atque ex hoc ipso in actu exercito mouetur Theologus ad assensum conclusionis. Deniq; omnis certitudo actus reflexi de veritate directi sumitur à certitudine actus supra quam cadit: sed per actum reflexum possumus vere iudicare fidem, & Theologiam in genere notitiæ certiorē esse, quā

sint aliæ scientiæ naturales: ergo in se ipsa talis est, alioquin actus reflexus esset falsus. Ex quo patet ad explicandum excessum certitudinis Theologiæ supra alias scienrias, parum facere actum reflexum: neque de eo est controuersia inter Doctores, quando agunt de certitudine actuum, sed de ipsa formali, atque intrinseca certitudine ipsorum in ordine ad suum obiectum. Ratio vero dubitandi vim habet apud eos, qui existimant consistere posse veram Theologiæ rationem per assensus genitos ex præmissis, sola fide acquisita creditis, quod est contra sanctum Thomam, & omnes antiquiores Doctores vt tractat. 2. capit. 7. ostendi. Ego verò sicut censeo illum assensum non esse propriè Theologicum, ita credo non esse certiorem assensibus euidentibus scientiarum naturalium, de verè Theologico mox dicam.

X. Omissis his, atque alijs explicandi modis, vt quæstioni respondeam, obserno Theologiam comparari posse vel cum scientijs, vel cum habitu principiorum. Item assensum Theologicum aut procedere ex vtraque præmissa de fide, aut ex vna de fide, altera naturaliter euidente: Cumel. Cumel. 1. p. quæstion. 1. art. 5. quęstion. vn. existimat Theologiam, si procedat ex vtraque præmissa de fide esse certiorem omni habitu, & actu naturaliter euidente, etiam habitu, & assensu primorum principiorum. Si verò procedat ex altera tantum de fide, ait non esse certiorem scientijs. Primum probat testimonijs scripturæ, & Patrum, quibus certitudo fidei præfertur scientijs humanis. Secundum verò, quia assensus pendens ex pluribus causis sequitur deteriorem partem. Ego verò primò dicam de assensu Theologico, qui pendet ex duabus præmissis de fide, deinde de eo, qui pendet etiam ex altera naturaliter euidente.

XI. Dico primum, Theologia nostra est certior scientijs naturalibus non solum certitudine ex parte affectus, & dispositionis subiecti, sed etiam intrinseca ipsi actui ortas ex causa per se illius. Ita docet Albertus. Albertus in prologo sum. & tractat. 1. quæstion. 1. ad secundum, & quartum, & ex instituto, quæstio. 5. m. 6. sanct. Thom. 1. p. quæstion. 1. art. 5. cum Caietano ibidem quæstion. vn. prologi. art. 3. quæstiuncul. 3. & in 2. scripto, quæstion. 2. prolog. art. 2. in corpore, & ad primum. Aegidius 2. p. prologi quæstion. 2. Henricus in sum. art. 7. quæstion. 2. Richardus quæstion. 5. prologi, Argentin. quęstion. 2. art. 4. Capreol. quæstion. 1. artic. 1. conclusione 4. Soncin. eadem conclusione: eiusdem sententiæ sunt omnes, qui docent fidem esse certiorem etiam habitibus naturalibus euidentibus, & fidei articulos esse principia respectu Theologiæ, ex hoc enim Capreol. citat. colligit sententiam esse Diu. Thomæ, *Quia*, inquit, *sicut se habet principium ad principium, quò ad certitudinem vel euidentiam cognitionis, ita conclusio ad conclusionem, & scientia ad scientiam.* Ita Altisiodorens. in prol. suæ sum. Alens. 3. p. q. 68. m. 9. art. 1. S. Tho. secunda secundę q. 4. ar. 8. cum Caiet. ibid. Gabriel. in 3. d. 23. q. 2. art. 1. Vincent. in speculo morali libr. 1. p. 3. d. 17. dub. 8. Ioan. Viguer. Instit. c. 10. §. 1. vers. 5. suadetur autem, quoniam, vt patet ex dictis tractat. 4. c. 1. certitudo est modus quidam infallibilitatis assensus pendęs ex proprijs, ac per se causis veritatis: atq; adeò quo causa, vel ratio cognita fuerit immutabilior, ac certior in se, eò assensus erit certior: sed veritas prima, sub qua Theologus considerat suum obiectū, est certior, atque immutabilior omni alia causa, aut principio veritatis creatæ, cognito per lumen naturale intellectus: ergo etiã assensus Theologicus suapte natura habet firmius fundamentum suæ veritatis, & consequenter suapte natura est certior quouis alio assensu scientiarum naturalium. Et hæc ipsa ratio certitudinis formalis est suapte natura intrinseca cuiuis actui fidei, & assensus Theologici, quam Henric. vbi supra vocat certitudinē securitatis de veritate obiecti. Verum quia huic ipsi veritati primæ alij magis, alij minus copulantur propter maius, vel minus lumen fidei, nō semper apparet tota vis certitudinis debitæ eiusmodi actibus. Et id circo D. Tho. ait, respectu nostri intellectus nō esse magis certã Theologiã, quoniã cum ipse non videat rationem credendi, non est certus ex proprio testimonio, ac lumine, sed ex testimonio Dei, quod licet absolutè exigat certissimũ assensum, tamẽ propter ineuidentiã suã non gignit tã certũ, q̃ suapte natura postulat. Quia verò intellectus circa obiecta naturalia videt clare radicẽ, & causam veritatis, ac necessitatis obiectiuę, cõsequẽter habet assensum euidentẽ, qui quò ad nos dicitur certior, q̃ Theologicus, quia nititur solo lumine, atq; euidẽtia naturali intellect⁹, Theologic⁹ verò nititur, nō proprio, sed alieno testimonio: Ex quo perspicua manet distinctio, qua circà hanc materiam vtitur Diuus Thomas, nempe si certitudo capiatur pro assensu, quo intellectus determinatur ad vnum ex euidentia

Soncin.

Altisiodor.
Alensis.
S. Thom.
Caietan.
Gabriel.
Vincent.
Viguerius.

obiecti

obiecti, certiores sunt scientiæ naturales, quam Theologia : si verò pro firmitate adhæsionis ex causa, ac radice veritatis certior est Theologia scientijs naturalibus. Denique quoniam in hac firmitate ex causa assensus consistit propria ratio certitudinis, vt tractat. 4. cap. 1. explicatum est, Theologia, quæ hac radice nititur debet absolutè, ac simpliciter dici certior omnibus alijs scientijs naturalibus, & minus certa secundum quid. Quæ sententia vera est de assensu Theologico genito ex duabus de fide, & comparato cum scientijs naturalibus.

XII. Dico secundum. Assensus Theologicus procedens ex vtraque de fide non est certior assensu primorum principiorum ex terminis habito ; Hæc est de mente Doctorum omnium, quos supra retuli, expressè enim solum præponunt Theologiam scientijs, fidem verò omni cognitioni humanæ, eo ipso indicantes Theologicum assensum non adæquari fidei certitudini, neque excedere illam, quæ est propria principiorum. Ratio est, quoniam, quotiescunque duo assensus dependent ex vna radice certitudinis æquali, & alter non pendet ex vllo alio principio, quâuis alter simul, ac necessariò pendeat ex altero principio certiori, non proinde erit certior priori, sed erunt æquales quoad certitudinem : actus Theologicus quoad euidentiam consequentiæ necessariò pendet à lumine rationis, à quo etiam pendet assensus principiorum: ergo quamuis actus Theologicus habeat etiam dependentiam à lumine fidei, & reuelatione diuina, non proinde erit certior. Maior propositio, in qua est vis argumenti, ostenditur, quoniam ij actus sunt quoad certitudinem infallibilitatis æquales, qui ex æquo habent necessariam radicem certitudinis, ac veritatis: & si alter vtcunque deficere possit, similiter possit & alter, & quando duo actus necessariò pendent ex vna radice veritatis æquali, & alter non pendet ex vllo alio principio, alter verò pendet ex altero firmiore, ita res se habet: ergo sunt quoad certitudinem æquales. Assumptio ostenditur: etenim in eo casu sola immutabilitas radicis firmioris, non sufficit ad gignendam certitudinem, sed necessariò requirit consortium alterius etiam infirmioris, vt videre est in materia, de qua agimus: certitudo quippe præmissarum reuelatarum, si desit certitudo bonæ, formæ syllogisticæ, nõ sufficit ad gignendum assensum Theologicum : sæpe enim ex duabus de fide propter ineptam formam colligitur conclusio falsa, itaque quotiescunque defecerit consortium huius radicis debilioris, deficiet etiam certitudo in assensu pendente ex vtraque: Sed hæc radix cum sit eadem cum radice prioris assensus ex nulla alia pendentis, non est magis necessaria, aut certa respectu euidentiæ bonæ consequentiæ, quam penetrationis terminorum, ergo ex æquo deficere poterit respectu vtriusque; & consequenter assensus ex ea pendentes, ex æquo certi, vel obnoxij fallitati. Ex quibus patet, testimonia quibus Cumel. sententiam suam confirmat, nihil concludere de Theologia, quę non immediatè nititur reuelatione diuina, sed mediante consequentia lumine naturali cognita.

Dico tertium. Assensus Theologicus genitus ex altera præmissa naturaliter euidente est certior quouis assensu scientiæ naturalis, exceptis ijs, à quibus per se pendet. Prior pars est etiam de mente Authorum, qui simpliciter asserunt Theologiam esse certiorem scientijs naturalibus, suadetur autem quoniam ille assensus est minus certus, qui habet causas veritatis minus firmas, quam alius: Sed assensus genitus per discursum constantem ex vtraque præmissa naturaliter euidente habet causas veritatis, ac certitudinis minus firmas, quam Theologicus genitus per discursum constantē, altera de fide, altera naturaliter euidente: ergo naturalis est minus certus Theologico. Assumptio patet, si ponamus Syllogismum scientiæ naturalis constare eadem præmissa naturaliter euidente, qua constat Theologicus, & loco alterius de fide, quam Theologicus habet, admittere alteram naturaliter euidentem. In hac suppositione facilius est deficere connexionem medij naturalis, quam Theologici: nam licet Theologicum ex ea parte, qua constat præmissa naturali, æquè facile dissolui possit, ac naturale ratione eiusdem præmissæ: tamen quia qualibet præmissa deficiente à veritate dissoluitur medium, fieri poterit, vt præmissa illa vtrique communi permanente in veritate, quoad alteram sit inæqualitas firmitatis, vt reuera est, inter propositionem de fide, ac naturalem: & consequenter illud medium erit firmius, quod præmissam, penes quam differt ab alio, firmiorem, ac certiorem habet: illud verò magis obnoxium dissolutioni, quod minus firmam: atque adeò cum assensus genitus ex vtraque naturaliter euidente quoad alteram partem nitatur fundamento minus fir-

XIII.

nus firmo, quam Theologicus genitus ex altera naturaliter euidente, altera de fide, hic erit illo firmior, ac certior. Ratio adducta à Cumel. solum probat assensum Theologicum non esse certiorem assensibus præmissarum naturalium, ex quibus elicitur, non vero aliarum. Ad illud vero axioma, effectus sequitur deteriorem partem causæ, quatenus dictis repugnat, respondeo non esse ita intelligendum, quasi necessariò debeat esse æqualis quoad præstantiam causæ minus perfectæ: nam hoc est falsum, vt patet in ipsis effectis naturalibus: animalia enim quæ ex specierum commistione generantur, semper tenent medium locum inter vtramque speciem, & sunt præstantiora parentibus inferioris speciei. Sat ergo est, vt effectus maneat infra dignitatem causæ præstantioris, & hoc modo se res habet in actu Theologico, qui est minus certus actu fidei.

XIV. Nunc ad argumenta initio proposita respondendum est. In primis autem testimonium Hugonis exponit Altisiodor. libro 3. tractat. 3. capit. 1. quæstion. 2. ad tertium: & Albertus 1. part. summæ tractat. 1. quæstion. 1. ad 4. quod per scientiam intelligat solum visionem claram Dei, ac proinde dicat fidem hac sola esse inferiorem. Alens. verò 1. par. quæstion. 1. m. 1. ad 4. & Sanct. Thom. quæst. vna prolog. artic. 3. quæstiuncul. 3. dicunt intelligendum esse de fide habita ex rationibus probabilibus, non inspirata ad assentiendum primæ veritati propter se ipsam. Tandem Diuus Thomas in 3. d. 23. quæstion. 2. art. 2. quæstiuncula 3. ad primum exponit de medio secundum quantitatem discretam, quia secundum plura conuenit cum extremis, quam illa inter se, non vero secundum continuam, quasi fides sit eiusdem rationis cum vtroque extremo, & differat solum secundum magis, ac minus; & ideò ex hoc non sequi fidem esse minus certam, quam scientiam: siquidem scientia, & opinio duobus maximè differunt certitudine, atque euidentia, quarum vtraque caret opinio, pollet scientia: fides autem est media secundum quantitatem discretam, quoniam cum vtraq; conuenit secundum vnam ex illis, & differt secundum alteram: nempe cum opinione conuenit obscuritate, differt certitudine: cum scientia conuenit certitudine, differt ineuidentia: cum quo differentiæ modo non repugnat, vt secundum quantitatem continuam sit excellentior quoad illud, in quo conuenit cum scientia humana, & ita licet non sit euidens sicut illa, potest tamen esse certior illa. Primum argumentum solum concludit scientiam naturalem quo ad euidentiam esse supra Theologiam, quod est verum, si verò absolutè sumatur, negandum est antecedens: nam certitudo magis respicit firmitatem, & immobilitatem principij, quam euidentiam. Ad secundum respondetur maiorem esse veram de certitudine quo ad nos, quæ maior est in scientia naturali, quam in Theologia, non de certitudine ex causa, & immobilitate motiui. Tertij neganda est assumptio. Ad cuius probationem dicendum veritates omnes dupliciter reduci in primam, & lumen diuinum, vel ratione communi, quatenus omnes sunt participationes primæ veritatis, & omnes intelliguntur à lumine intellectus, quod est participatio luminis intellectualis Dei, vel ratione particulari, quatenus lumen diuinum, ac veritas prima speciali modo, tanquam proprium motiuum determinat, ac mouet intellectum ad assensum. Prior modus, vtpote communis, nihil facit ad maiorem, vel minorem certitudinem, sed posterior, hoc autem scientiæ naturales non reducuntur in primam veritatem, tanquam in proprium assentiendi motiuum: Qui enim primis principijs assentit ex terminis, non præbet assensum, quia sic habet prima veritas, de qua non cogitat: Sed quia euidenter intuetur terminos, & materialem eorum coniunctionem: atqui assentitur ex fide principijs Theologicis, actu assentitur propter primam veritatem, & ita constat diuersus modus resolutionis luminis naturalis, & supernaturalis fidei in primam veritatem. Vltimum argumentum solum probat assensum Theologicum genitum ex altera de fide, altera naturaliter euidente, non esse certiorem hac præmissa, ex qua infertur, quod est verum: non probat autem eandem esse rationem, si comparetur cum alijs, ex quibus non pendet, vt constat ex dictis.

Theologia est inferior dignitate alijs habitibus intellectiuis supernaturalibus, præstantior naturalibus.

Caput IV.

I. POst comparationem penes certitudinem, sequitur comparatio penes dignitatem. Comparari vero potest Theologia cum habitibus naturalibus, & supernaturalibus: Hi verò sunt tales quoad substantiam, vel quoad modum acquisitionis: Si sint solum supernaturales quoad modum, non sunt proinde præstantiores Theologia. Patet quoniam modus ille est accidentalis, & ideò non tollit inæqualitatem perfectionis essentialis: vt videre est in scientijs ipsis naturalibus, quas Salomon supernaturaliter accepit à Deo, quæ proinde quoad intrinsecam perfectionem, non erant perfectiores essentialiter, quam si secundum eandem intentionem, & claritatem fuissent ab eo naturaliter acquisitæ, si verò sint supernaturales simpliciter quoad substantiam ex ratione obiecti formalis, superant Theologiam dignitate. Probatur quoniam omnis scientia vel nititur lumine diuino euidente, vel ineuidente; si nitatur euidente, est præstantior nostra Theologia, cum qua habet cõmunem rationẽ certitudinis, & addit euidentiam, ex quo capite visio beata, Theologia beatorum, & quæuis notitia euidens de rebus diuinis, est præstantior Theologia: si vero habitus supernaturalis nitatur lumine diuino ineuidente, aut nititur immediatè Dei testimonio, absque discursu rationis naturalis, aut requrit operam luminis naturalis, ita vt in hoc etiam modo aliquo resoluatur. Secundum membrum cum Theologia reciprocatur, cuius rationem formalem motiuam dixi esse reuelationem ineuidẽtem remotè, ac per discursum applicatam: sed omnis cognitio, quæ immediatè resoluitur in diuinum testimonium, non verò in lumen rationis, est excellentior ea, quæ proximè resoluitur in lumen rationis, & remotè in Deum, & quadam ex parte terminatur vltimo ad lumen naturale intellectus: ergo Theologia est minus perfecta quauis alia supernaturali notitia Dei ineuidente. Ex quo constat fidem, & cognitionem propheticam quantumuis obscuram esse præstantiorem Theologia.

II. Solum dubitare quis possit de prudentia infusa, nam hæc est supernaturalis simpliciter, ex quo capite debet esse perfectior Theologia, q̃ est acquisita simpliciter: ex alia vero parte videtur minus perfecta, quia non immediatè nititur reuelatione diuina, sed interuentu discursus rationis humanæ circa singularia, & quoad hoc conuenit cum Theologia, differt autem, quoniam sicut prudentia naturalis nititur principijs philosophiç moralis, applicando ea ad singularem materiam, ita infusa vtitur principijs non solum immediatè reuelatis, sed etiam per discursum Theologicum deductis: quare quemadmodum Philosophia moralis ratione suæ vniuersalitatis est excellentior prudentia acquisita, ita Theologia erit præstantior infusa. Hæc dubitatio solum habet locum in doctrina D. Tho. admittentis virtutes morales per se infusas distinctas ab acquisitis: nam iuxta sententiam Scoti, & aliorum id negantium, Theologia est simpliciter excellentior prudentia in ratione virtutis intellectualis, quia circa praxim est vniuersalior, quam prudentia, cui principia submistrat. Posita vero sententia D. Thom. absolutè dicendum est prudentiam infusam esse præstantiorem Theologia practica, secundum quid tamen minus perfectam; est simpliciter perfectior, quoniam est habitus supernaturalis intuitus, Theologia verò, acquisitus: & quamuis circa particularia discurrat, ad ipsum quoque discursum habet auxilium ordinis supernaturalis: atque adeò certitudinem supernaturalem non habet solum ex principijs, quemadmodum Theologia: sed etiam ex propria ratione sui assensus, & discursus, qui exigit lumen ordinis superioris. Nec procedit immediatè solum à lumine rationis, vt Theologia: Sed ad ipsum discursum, atq; assensum particularem concurrit immediatè lux supranaturalis, sine qua sola humana ratio procedere nequit ad actus prudentiæ infusæ, sicut nulla potentia naturalis ex proprijs habet completam vim eliciendi vllum actum virtutis infusæ. Ex quibus patet solutio ad rationem dubitandi in oppositum: nam prudentia infusa, etsi discurrat circa singularia ex regulis fidei, vel etiam Theologicis, in hoc tamen discursu non sola nititur humana ratione in diiudicando, sed etiam superiore regula: at iudicium de bonitate discursus Theologici, sola humana ratione nititur: & proinde ex hac parte prudentia in-

fusa est certior, quam Theologia: sed hæc potius attinent ad materiam de virtutibus moralibus infusis, & ideò prætermittenda: solum ad præsens institutum attinet id, quod paulo ante dicebam, nimirum inter habitus supernaturales intellectiuos pendêres ex lumine diuino infimum locum vendicare Theologiam viatorum, quia est ineuidens, & diuina reuelatione mensuratur solum remote, proxime autem discursu rationis humanæ.

III. Si vero fiat comparatio Theologiæ ad scientias naturales. Durandus quæstion. 6. prolog. numero 24. existimat non esse nobiliorem cunctis naturalibus, quia nobilitas habituum sumitur ex præstantia obiecti, & certitudine, Theologia autem est ineuidens, & habet pro obiecto opus meritorium. Deinde probatur esse minus præstantem, primo quoniam Theologia, vt superius probatum est, deficit à vera, ac propria ratione scientiæ, nec dicitur scientia simpliciter, sed secundum quid. Secundo Theologia non habet locum inter virtutes intellectuales: habent autem cæteræ scientiæ: ergo naturales scientiæ superant Theologiam dignitate. Patet consequentia ex propria ratione virtutis, quæ est dispositio perfecti ad optimum, & attingit ad perfectionem debitam actui secundum proprium genus, habitus autem non accedens ad rationem virtutis manet infra rationem perfectionis, nec disponit ad optimum actum, vt videre est in habitibus opinionis, & fidei humanæ: atque adeò semper habitus qui non est virtus intellectualis, est minus præstans eo, qui habet rationem virtutis. Antecedens quo ad posteriorem partem per se patet ex diuisione virtutum intellectualium tradita ab Aristotele libr. 6. Ethic. capit. 3. Quo ad priorem vero ostenditur, nam Theologia viatorum est in infimo gradu scientiæ de rebus supernaturalibus, & participatur à nobis imperfecte: atque adeo non est dispositio perfecti ad optimum. Tertiò in particulari probatur de Metaphysica, quæ conuenit cum Theologia quo ad rationem subiecti, vtraque enim agit de Deo sub propria ratione Deitatis, quo ad principia vero superat: ergo simpliciter est perfectior Theologia: posterior pars antecedentis ostenditur: nam Theologia, vt supra dictum est, sumit principia à Metaphysica, quæ sunt euidentia ipso lumine rationis: Metaphysica vero non indiget principijs Theologiæ, quæ sunt obscura, & ineuidentia: qua propter cum conueniant in ratione subiecti, & quoad principia excellat Metaphysica, ea erit absolutè perfectior Theologia. Quartò Theologia est simul practica, & speculatiua, ergo exceditur à pure speculatiuis naturalibus. Patet consequentia, quoniam ratio speculationis est præstantior practica, & consequenter Theologia quatenus practica est, deficit à perfectione speculatiuarum naturalium. Vltimò finis practicæ moralis coincidit cum fine Theologiæ, qui est operatio secundum rectam rationem, ergo saltem sunt pares dignitate.

IV. Dico primum: Theologia est simpliciter præstantior scientijs omnibus naturalibus, secundum quid minus præstans. Est opinio communis, ita expresè Albertus in prologo summæ, sanct. Thom. in 2. script. quæstion. 2. prolog. articul. 2. & 1. part. quæstion. 1. articul. 5. Aegidius in prologo 2. part. primæ partis principalis, quæsti. 2. Henricus in summa articul. 7. quæstion. 7. Richardus quæstion. 5. prologi. Scotus quæstion. 5. §. *Ad argumenta principalia*, cum interpretibus ibidem. Bassol. quæstion. 8. §. Vltimo ad 2. argumentum. Toletanus quæstion. 3. prolog. artic. 4. ad primum contra secundam conclusionem. Gregorius quæstion. 3. artic. 4. ad primum, Argentin. quæstion. 4. arti. 4. ad secundum, ex primo loco positis. Gerson. 2. p. dialogo de potestate ligandi, atque soluendi alphab. 32. liter. S. & 3. part. tractat. de illuminatione cordis alphabet. 69. liter. N. & tractat. 3. super *Magnificat*, alphab. 82. lit. L. Carthus. libr. 1. fidei orthodox. artic. 1. §. 5. Sylvest. quæstion. 1. conflat. artic. 14. & Caietanus 1. p. quæstion. 1. artic. 5. & quo ad posteriorem partem est euidens, quoniam scientiæ naturales, & cæteri habitus, seu virtutes intellectuales habent euidentiam, qua caret habitus, & assensus Theologicus: euidentia vera est perfectio virtutum intellectualium, atque adeò ratione eius Theologia exceditur à scientijs, & habitibus naturalibus. Vt autem prior pars ostendatur, recolendum est id, quod tractat. 5. cap. 11. dictum est, scilicet Theologiam esse scientiam practicam, & speculatiuam, & quamuis secundum vtramque rationem habeat communes quasdam perfectiones, quibus excellit scientias naturales, tamen singulatim secundum vtramque comparanda est, & prius quidem secundum rationem speculatiuam, qua vt per se patet, est perfectior practicis omnibus

Albertus. S. Thom. Aegyd. Henricus. Richardus. Scotus. Bassol. Toletan. Gregorius. Argent. Gerson. Carthus. Sylvest. Caietan.

naturalibus, itemque speculatiuis. Etenim scientia triplici de causa esse potest præstantior altera subiecto, abstractione, principijs; subiecto, quoniam vt dixit Aristoteles libro 1. de anima t. 1. libro 1. de parte animal. capit. 5. & libro 6. Metaphys. capit. 1. & libr. 11. capit. 6. scientia de nobiliore obiecto est præstantior; abstractione, quæ magis recedat à cognitione sensibili, & accedat ad propriam rationem intelligibilitatis per abstractionem à materia: Principijs, quæ sint certiora, & minus admista potentialitati ad oppositum. Theologia vero ratione subiecti superat inprimis Philosophiam naturalem, & Mathematicas, quoniam hæc de creaturis, illa disputat de Deo: Metaphysicam vero, quoniam tametsi hæc etiam habeat Deum pro subiecto, non tamen primo, disputat enim de ente, & de omnibus secundum rationem entis: de Deo verò disputat, vel solum quatenus est ens, & non secundum propriam rationem deitatis, vt quidam volunt, vel si hoc etiam modo de ipso agit, non potest attingere tot, ac tam abstrusas veritates complexas, quas attingit Theologia: nam Metaphysica solum disputat de Deo vno: Theologia etiam de Deo Trino, Metaphysica solum de Deo creatore, & gubernatore vniuersi, & creaturæ rationalis: Theologia etiam de Deo prædestinante ad gloriam, vocante ad gratiam, iustificante à culpa, de Deo redemptore, & glorificatore, atque alijs eius perfectionibus, quæ per naturale lumen intellectus innotescere nequaquam possunt: Et ita quoad subiectum, etiam Theologia excedit Metaphysicam, quoniam hæc respicit Deum sub limitata mensura, illa fusius erga illum versatur. Quoad rationem abstractionis proprij subiecti Theologia vendicat etiam primum locum, quoniam Deus est maximè abstractus à materia, quamuis, quoad obiecta secundaria non excludat eorum cum materia concretionem: sed cum à primario subiecto primo, ac per se trahatur dignitas habitus intellectualis, hoc nihil obstat excellentiæ Theologiæ. Iam verò ratione principiorum res est perspicua, nam Theologia saltem exigit alterum ex principijs discursus proprij reuelatum, & fide diuina creditum: quo continetur duplex ratio excessus supra alia principia naturalia, nimirum quia ipsa creduntur habitu naturali, principia vero Theologiæ habitu, ac lumine supernaturali, & quia motiuum ipsorum est pure naturale ex testimonio proprij intellectus, motiuum verò fidei est supranaturale, hoc est lumen reuelationis diuinæ, ex quo prouenit duplex ratio infallibilitatis, altera effectiue eliciens, nempe lumen fidei infusum, altera obiectiue mouens, ac determinans, nempe diuina reuelatio.

Aristot.

At inquiet aliquis, Deum quoque scientias naturales reuelasse, easque scientia sua tanquam mensura regulari: atque adeò illis ex hac parte non præstare Theologiam. Prior pars constat ex dictis Pauli ad Roman. 1. *Quod notum est Dei manifestum est illis, Deus enim illis reuelauit:* Posterior pars ostenditur, quoniam alioquin ius naturale nequaquam diceretur diuinum: Si enim prima eius radix, ac regula est ratio humana, non diuinum, sed humanum appellari debet: ex eo ergo diuinum appellatur, quoniam habet exemplar in mente diuina, cui commensuratur: eadem verò ratio est in veritate speculatiua, vt mensuretur à scientia diuina, atque in dictamine practico naturali, vt mensuretur à lege æterna. Verum hæc nihil obstant. Nam reuelatio ea, de qua Paulus loquitur, non procedit à veritate diuina, seu à Deo testimonium perhibente, ita vt ab eius dicto habeat infallibilitatem, sed est impropria quædam reuelatio per appositionem signi, & ostensionem vestigij, ex quo Deus quæreretur, sunt enim creaturæ signa quædam obscura, & vestigia Dei, quas creando dicitur nobis se ipsum manifestasse, quia proposuit signa sufficientia, ex quibus illum à creaturis dignosceremus, vt sumitur ex glossa Diui Ambrosij ad eundem locum, quæ sic habet: *vt Deus qui inuisibilis est, etiam à visibilibus posset sciri, fecit, quod visibilitate sui opificem manifestauit*, & apertè constat ex verbis, quæ idem Apostolus subdit, *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et quamuis creaturæ ipsæ non fallant, quia tamen principium cognitionis sumitur à sensu, qui fallax est, hinc fit, vt pauci per se ipsos ex rerum sensibilium cognitione in notitiam creatoris ascenderint, & vt scientiæ ipsæ naturales multis erroribus permistæ sint in homine. Itaque huiusmodi reuelatio non gignit infallibilem certitudinem, qualem gignit ea, qua fides, & Theologia nititur. Ex quo concludi potest Theologiam ratione reuelationis

V.

Ad Rom. 1.

Ambrosius.

tenere

tenere medium locum inter scientias naturales,& beatam. Nam scientiæ naturales habentur per reuelationem impropriam in appositione signi, vel obiecti, Theologia,ac fides per testimonium primæ veritatis,obscurum tamen:scientia vero beata per ipsius veritatis primæ in se exhibitionem, ac repræsentationem. Ad aliud argumentum respondetur, omnes quidem scientias mensurari à diuina tanquam à primo exemplari, verum naturales habere in nostro intellectu primam mensuram sui generis, in quam in actu exercito vltimo resoluuntur, at assensus veritatis reuelatæ non habet in nobis vllam sui mensuram vltimam, sed resolui debet in primam veritatem per ipsius testimonium.Ex hoc autem non sequitur ius naturale non esse diuinum, quoniam diuinum dicitur ratione Inminis naturalis, quod est sigillum quoddam diuini, & quia ratione suæ claritatis inuariabiliter ostendit veritates practicas naturales sine dependentia à voluntate hominis, idcirco dicitur ius diuinum, hoc est impressum nobis à Deo per lumen naturale.

VI. Dico secundum, Theologia etiam quatenus est practica est simpliciter dignior omni scientia naturali, speculatiua, & practica. Probatur quoniam excedit omnes ratione principiorum, quæ ratione suæ certitudinis reddunt Theologiam ea etiam ex parte, qua practica est, certiorem speculatiuis naturalibus. Ex parte vero subiecti etiam præcellit reliquas, vna Metaphysica excepta: nam Deus etiam prout est naturaliter agnoscibilis, est subiectum præstantius quouis actu, aut operatione creata, etiam supernaturali, cæteræ vero res creatæ non accedunt ad excellentiam actuum supernaturalium,fidei,spei, charitatis, & reliquorum, quibus Theologia practica ex fidei regulis normam præscribit, atque adeò Theologia, etiam quatenus practica est, ratione subiecti excedit speculatiuas naturales excepta Metaphysica, quæ rationes æque militant in practicis, ac speculatiuis. In particulari vero probanda est assertio de practicis. Fundamentum verò est, quoniam sicut speculatiuæ sumunt dignitatem ab obiecto proximo, ita practica à fine proprio, ac proximo, atque adeò inter practicas ea est præstantior, quæ ad præstantiorem finem ex se dirigitur, quæ præstantiorem praxim regulat, ac moderatur: inter omnes autem fines scientiarum practicarum nullus est præstantior fine Theologiæ, quatenus est practica, quare ea ex hac parte est omnium præstantissima. Assumptio patet, nam praxis, quæ est proximus Theologiæ finis, est amor Dei, qui inter omnes praxes primum locum obtinet. Et quamuis hunc etiam finem respiciat vera Philosophia moralis, sub alio tamen lumine, ac regula: nempe prout Deus est amabilis ex principijs naturæ in ordine ad consortium boni naturalis; at Theologia ex regulis supranaturalibus elicit sua dictamina, & dirigit actum amoris erga Deum non solum vt autorem naturæ, sed etiam gratiæ, ac gloriæ: qui modus amandi est excellentior naturali, & consequenter Theologia, quæ eius normam præscribit ex principijs reuelatis, est cæteris scientijs practicis excellentior. Qua etiam ratione excellit quatenus est directiua cæterarum virtutum: per se enim solum dirigit eas, quatenus sunt participes rationis alicuius supranaturalis:nam mensura ipsarum quatenus continentur intra latitudinem bonitatis moralis naturalis, per se pertinet non ad Theologiam,sed ad Philosophiam moralem. Itaque Theologia præstat alijs scientijs practicis regula, fine,& obiecto.

VII. Vsus sum fundamento sumpto à nobilitate finis proximi, atque immediati: quoniam id, quod Diu. Thom. sumit à ratione vltimi finis, non caret difficultate. Ita verò arguit: illa scientia inter practicas est præstantissima, cuius finis ad vlteriorem finem non ordinatur: finis Theologiæ est vltima beatitudo, quæ proinde ad nullum alium finem dirigitur: quare Theologia est practicarum omnium præstantissima. Contra quod fundamentum obijci potest: nam vel ratione beatitudinis intelligitur beatitudo viæ, vel patriæ: si prior, hæc ordinatur ad beatitudinem patriæ,ac proinde Theologiæ finis vlterius refertur ad alterum finem: si posterior, ea non est finis proximus Theologiæ,nec praxis per eam regulabilis: beatitudo enim cum conferatur à Deo, & per modum naturæ nullo dictamine præuio eliciatur à beatis,non habet rationem praxis,& consequenter ex ea sumi non debet nobilitas Theologiæ. Et confirmatur quoniam ex fine vltimo non diuersificantur artes,sed ex immediato: etenim artes omnes, quæ occupantur fabricandis armis,& instrumentis bellicis, & militares, siue pedestris, siue equestris omnes ordinantur,ad eundem vltimum finem,hoc est ad victo-

ad victoriam: & tamen non omnes sunt æquales quo ad excellentiam: aliunde ergo, quam ab vltimo fine, sumendum est discrimen penes dignitatem in scientijs practicis. Quidam interpretes dicunt Diu. Thomam intelligendum de fine proximo: nam etiam cognitio Dei per fidem, quæ per dilectionem operatur, vita æterna dicitur à Christo Domino Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Verum beatitudo viæ non dicitur vita æterna simpliciter, sed in radice, quia est meritoria beatitudinis patriæ, ad quam tanquam ad finem ordinatur: quare cum Diuus Thomas dixerit in maiore, practicarum scientiarum illam esse digniorem, quæ ad vlteriorem finem non ordinatur, ineptè subsumeret in minore eum finem, qui ad alium vlterius refertur, hoc est beatitudinem viæ: Caietanus autem §. *Aduerte*, interpretatur Diu. Thom. de beatitudine patriæ, aitque præstantiam scientiæ practicæ sumi à fine proximo intrinseco vel extrinseco, quoniam intrinsecus dignificatur ab extrinseco, atque adeò in idem recidit, vt scientiæ practicæ dignitatem metiamur ab hoc, vel ab illo. Quæ responsio non est adæquata, tum quia finis intrinsecus refertur ad extrinsecum, atque adeò vterque nequit esse proximus, tum quia duæ artes cõuenire possunt in eodem fine extrinseco, & quia differunt penes intrinsecum, differunt etiam penes dignitatem, qua ratione militaris, equestris, ac pedestris conueniunt in eodem fine victoriæ extrinseco, & tamen ipsæ ratione proprij finis intrinseci, qui est pugnare hoc, vel illo modo, sunt inæquales dignitate.

Ioan. 17.

Caietan.

VIII. Vt autem fundamentum Diui Thomæ rectè procedat debet fieri comparatio inter scientias habentes fines subordinatos, vt recte notat Caietan. nam inter non subordinatos fieri potest, vt ea, quæ ad vlteriorem finem non dirigitur, sit minus præstans ea, quæ dirigitur, quoniam præstantius est ministrare arti superiori, quam habere principem locum in inferiore. Qua ratione scientia equestris, quæ est subordinata, & seruit scientiæ bellicæ ducis, excellentior est arte pistoria, quæ nulli alij subordinatur. At quoties ex pluribus scientijs vna per se intendit finem, qui non dirigitur ad vllum finem ipsarum, imo vero ad ipsum reliquarum fines proprij referuntur, ea est præstantior cæteris. Ita docet Aristoteles libr. 1. Ethic. cap. 1. & per omnia discurrendo facilè patet: nam inter scientias fabrefactorias architectonica est præstantissima, quoniam intendit consummationem totius fabricæ, ad quam singulorum opificum opera vltimo diriguntur, inter militares excellit scientia ducis, quoniam primo, ac per se intendit victoriam, ad quam omnium reliquarum militarium fines tandem referuntur: & hæc ipsa est minus præstans ciuili, quoniam victoria, quæ est finis ipsius, dirigitur ad finem ciuilis, qui est felicitas politica. Hoc autem modo se habet Theologia, quatenus practica est, comparatione reliquarum scientiarum practicarum, nam, cum eius finis siue proximus, qui est operatio secundum virtutes ordinis diuini, siue remotus, qui est terminus, ac merces proximi, nimirum beatitudo æterna, sit ordinis supranaturalis, non potest dirigi ad finem naturalium scientiarum: & quoniam est in se finis superioris ordinis supponens perfectionem naturalem a scientijs naturalibus intẽtam, ad ipsum cæteri fines referuntur: atque adeò Theologia est excellentior omnibus alijs scientijs practicis. Ex quo patet argumentum Diu. Tho. habere vim, siue intelligatur de fine proximo, siue remoto, verũ ipse de remoto videtur intellexisse, nã etiam victoria est finis remotus scientię bellicę ducis, proximus enim est aptè, & accõmodatè disponere, ac promouere exercitũ ad victoriæ consecutionẽ, & tamen ex eo, quod cæteræ militares ordinẽtur ad finem victoriæ à duce per se intentum, scientia eius præfertur reliquis: eodem modo fatebit vt finis remotus Theologiæ per se intentus per proximum, sit etiam finis, ad quem reliquæ scientiæ vltimo referãtur.

Caietan.

Aristoteles.

IX. Aduertendum aliqua exemplaria Diui Thomæ aliter habere, sic enim habent: *practicarum illa nobilior est, quæ ad vlteriorem finem ordinatur*, quam lectionem solam, vt veram recipit Sylueſt. art. citato: Sed eodem recidit, siue hoc, siue alio modo verba accipiantur: illa enim scientia practica, quæ respicit finẽ vlteriorem, vel posteriorem respectu finium aliarum scientiarum, non ordinatur vlterius ad finem earundem, ac proinde illis perfectior censenda est: & ita verba illa, *ad vlteriorem finem ordinatur*, intelligi debent per comparationem ad fines aliarum scientiarum, ita vt sensus sit, illa inter cæteras scientias practicas est dignitate prima, quæ ordinatur ad finem vlteriorem finibus aliarum, hoc enim ipso aliarum fines ad finem huius diriguntur, & ipsa manet omnium dignissima. Obiectio vero facta contra

Sylueſt.

Caietan.

Caiet. non concludit: nam q̃uis duæ scientiæ conueniant in eodem fine vltimo, non habebunt æqualem dignitatem, si vna alteri subordinetur, vt militaris ciuili: vel si nõ ita subordinentur, vt finis vnius referatur ad proprium finẽ alterius, & differant proprio fine, vt se habent equestris, ac pedestris: & quia Theologia habet se primo modo, non secundo, nihil concludit obiectio contra traditam doctrinam.

X. Ex dictis facilè soluuntur argumenta in contrarium: in primis fundamentum Durandi supponit opus meritorium esse subiectum Theologiæ, cuius oppositũ ostendi tract. 3. cap. 3. Deinde Theologiam nõ esse certiorem scientijs naturalibus, quod tamẽ nõ esse verum simpliciter constat ex dictis cap. præced. Alia argumenta sic dilue. Ad primum dicendum est Theologiam ea ex parte, qua deficit à vera ratione scientiæ propter suam ineuidẽtiam, esse secundum quid minus nobilem naturalibus, præstare vero ea ex parte, qua conuenit, hoc est ratione certitudinis, quæ in ipsa est maior, vt dictũ est cap. præced. certitudo verò, cùm sit firmitas penes veritatem, confert maiorem excellentiam habitibus, & actibus, qui versantur circa verum, quã euidentia: alioquin diceremus quamuis notitiam experimentalem, atque intuitiuam rei cõtingentis ratione euidentiæ esse præstantiorem actu fidei circa eandem rem, quod est falsum: itaque in ratione certitudinis, Theologia potest dici absolutè nobilior scientijs, quamuis desit euidentia. Secundi argumenti negãda est maior propositio: ad cuius probationem respondeo nõ esse de ratione virtutis, vt feratur in obiectum materiale perfectissimo modo, quo illud est aptum natũ terminare operationem: nã si illud opus esset, ex habitibus, qui habent Deum pro obiecto, sola charitas haberet rationem virtutis, cæteræ enim non attingunt Deum perfectissimo modo, quo is terminare potest operationem virtutis, & ita actus omnes religionis non essent actus virtutis, quia non accedunt ad perfectionẽ charitatis: assensus item supernaturales nõ essent actus virtutis, quia in ratione notitiæ non accedunt ad perfectissimum modum, quo Deus agnosci potest, quæ duo sunt aperta absurda. Ex quo patet, etsi assensus Theologicus nõ attingat Deum perfectissimo modo, quo ipse in se attingi potest, nõ proinde excludi à ratione virtutis intellectualis, ad quam satis est vt attingat verum inuariabiliter, ac certò secundum propriam rationem formalem sui obiecti: nam Aristotel. lib. 6. Ethic. cap. 3. habitus semper veros cõstituit virtutes intellectuales, Theologia vero est habitus verus, ac certus, vt constat ex tract. 4. cap. 1. & ideò quamuis ex motiuo ineuidente procedat, habet modum virtutis intellectualis, imò secundùm rationem, & certitudinem veritatis superat omnes scientias naturales. Solutio tertij sumi potest ex dictis: nã Theologia etiam ratione subiecti materialis, saltem quoad extensionem veritatum complexarum, quas de ipso ostendit, præstat Metaphysicæ: itemque ratione principiorum, quæ quoad certitudinem superant principia Metaphysicæ: Theologia vero ita illius principijs vtitur, vt non ijs solis nitatur, sed adiuncto semper altero principio reuelato, quod, cùm longè præstet principijs naturaliter euidentibus, semper reddit medium Theologicum simpliciter excellentius medio pure Metaphysico. Ad quartum respondeo, non quidquid continetur sub ratione aliqua communi perfectiore, esse perfectius eo, quod continetur sub minus perfecto: fieri enim potest, vt hoc ratione propriæ speciei habeat perfectiores rationes, quibus excellat, vt per se patet in homine, qui continetur sub corpore corruptibili, & tamen est perfectior cœlo contento sub incorruptibili. Eodem modo Theologia etiam quatenus practica est, habet nobilius obiectum, & præstantiora principia, ratione quorum superat naturales scientias etiam speculatiuas. Ad vltimum eodem modo respondetur: nam operatio, quam dirigit Philosophia moralis, mensuratur secundum rectam rationem pure naturalem, ea vero, quam dirigit Theologia, regulatur secundum rectam rationem supernaturali lumine, ac principio fultam: & ita praxes vtriusque, & consequenter ipsæ quoque scientiæ sunt re ipsa, & dignitate inæquales.

Supponitur, & explicatur propria, ac vera ratio subalternationis.

Caput V.

I. POst comparationem ratione certitudinis, ac dignitatis, sequitur comparatio penes modum subalternationis. Hæc vero commodè explicari nequit, nisi prius constet in quo ea consistat. Quod quia ad dialecticos spectat, ab ijs supponendum esset, nisi Doctores Theologi variè ea de re opi-

narentur: ex quo etiam natà est varietas opinionum circa subalternationé Theologiæ. Ea propter hoc capite ex magis communi opinione decernam, quæ nam requirantur ad veram rationem subalternationis, deinde vero ijs suppositis ostendam, quid dicendum sit de Theologia.

II. *Durand.* Durand. q. 7. prologi num. 11. & q. 8. num. 6. ad veram rationem subalternationis exigit, vt subiectum subalternantis sit verè causa efficiens, vel finalis subiecti subalternatæ. Id vero probatur tam in practicis, quam in speculatiuis: in practicis quidem, quoniam eæ sunt subordinatæ secundum fines, ita vt immediatus finis subalternatæ dirigatur vlterius ad finem subalternantis, sicut videre est in equestri, militari, ciuili: nam finis equestris dirigitur ad victoriam, qui est finis immediatus militaris, & victoria ad fœlicitatem politicam, quę est finis Ciuilis, in speculatiuis autem idem ostenditur: nam ad subalternantes pertinet scire propter quid ad subalternatas quia: ergo subalternans scit causam eius, quod subalternata scit, quod est. Patet consequentia, quoniam scire propter quid est scire causam, propter quam res est: cùm verò tota ratio, & causa scientiæ propter quid reducatur ad naturam subiecti, tamquam ad primum principium, consequens est, vt subiectum subalternantis sit causa subiecti subalternatæ, de quo habetur scientia quia.

III. *Aristot.* *Fonseca.* Scientiæ subalternatæ aliæ sunt practicæ, aliæ speculatiuæ, in practicis autem duplex modus subalternationis considerari potest: alter secundum subiectum, aut principia quomodo accipit Aristot. lib. 1. Posteriorum text. 30. vbi nõnullas practicas docet subalternari speculatiuis, quæ subalternatio non potest esse secundùm fines, vt notat Fonseca, lib. 4. Metaph. cap. 1. quæst. 2. sect. 2. nam cum speculatiua non consideret finem sub ratione agibilis, non potest subalternare sibi practicas secundùm ordinem ad finem, sed ratione subiecti, aut principiorum. Hic vero modus subalternationis conuenit cum eo, qui conuenit speculatiuis, & ideo non opus est vt seorsim examinetur. Alio modo subalternantur practicæ inter se secundùm fines, vt tradit Durand. vbi suprà num. 11. & 15. Aureol. in 1. d. 48. q. vn. art. 3. Hispal. quæst. 1. prologi, art. 3. notab. 1. Heru. q. 6 § *Quantum ad primum.* Nicolaus Bonettus. lib. 2. Metaph. cap. 6. Iauell. lib. 1. Metaph. q. 2. & Fonseca vbi supra, cùm scilicet fines subordinantur, ita vt finis vnius dirigatur ad finem alterius: quæ doctrina sumitur ex Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 1. vbi cum habitum, cuius finis vlterius refertur ad finem alterius, sub altero esse dicit, quibus verbis, lib. 1. Poster. citato vocat scientiam subalternatam, nempè eam, quæ est subaltera: & adhibet ibidem exemplum frœnofactoriæ, & reliquarum: quæ arma fabricantur, & subordinantur equestri, hæc militari architectonicæ, hęc vero ciuili, vt ibidem explicat D. Thomas lect. 1. & secunda secundæ, quæst. 23. art. 4. ad secundum. Huius vero ratio est, quoniam finis in practicis habet se tamquam principium in speculabilibus, & quę est dependentia conclusionum speculatiuarum in scientijs subalternatis à principijs subalternantium, eadem ferè est dictaminum practicorum scientiarum subordinatarum ab intentione finis vltimi ad quem omnes diriguntur.

Aristot. *S. Thom.*

IV. Loquendo igitur de subalternatione practicarum ratione finium dico primum. Ad subalternationem practicarum non requiritur per se vt subiectum subalternantis sit causa subiecti subalternatæ: requiritur tamen, vt finis huius sit causa finalis subiecti, ac finis illius. Quoad priorem partem facilè exemplis probatur: nam victoria non est propter gubernationem ipsam politicam, quæ est subiectum scientiæ ciuilis architectonicæ: sed propter pacem, vt est pars fœlicitatis politicæ, atque vniuersalis, & ad hunc finem per se respicit: & ita quamuis subiectum, & finis immediatus interdum coincidant, & tunc ars subalternata sit propter finem, qui est alterius subiectum, quemadmodum frænofactoria est propter ipsum equitandi vsum, qui est subiectum equestris, tamen non semper practicæ subordinatæ sunt propter subiectum, vel immediatum finem subalternantium, vt constat in militari, ac Ciuili, præsertim cum ipse vsus imperandi, & gubernãdi Rempublicam præcedat vsum militaris: quod fieri nõ posset, si militaris per se ordinaretur ad ipsum. Dixi vero tantummodo requiri, vt finis vnius sit causa finalis subiecti, ac finis alterius, quoniam in hac habitudine per se consistit ratio huius subordinationis, vt sumitur ex Aristot. citato, ac ratione: quandoquidem principia harũ scientiarum per se sumuntur à fine, in ordine ad quem adaptari debent media, quæ sunt operationes, vel opera, de quibus tamquam de subiectis agunt practicæ subordinatæ: nomine verò subiecti non intelligo materiam ex qua, sicut se habet ferrũ comparatione artis effectricis armorum, sed opus ipsum, vel

Durand.

operatio-

operationem, quæ fit ab arte, & ita arma ſunt propter vſum militaris, vſus propter victoriam, & ſic in cæteris.

V. Dico ſecundùm. Ad rationem ſubalternationis ſcientiarum ſpeculatiuarum non requiritur, vt ſubiectum ſubalternantis ſit cauſa finalis, vel efficiens ſubiecti ſubalternatæ. Hæc eſt communis contra Durand. Fundamentum eſt, quoniam Philoſophus 1. Poſtereor. t. 30. inter ſubalternantes numerat quaſdam Mathematicas: hæ vero ſecundùm ſententiam eiuſdem non conſiderant cauſam efficientem, ac finalem, ſed ſolam formalem: atque adeò ad ipſarum ſubalternationem nihil refert, vtrum ſubiectum ſubalternantis ſit cauſa finalis, vel efficiens ſubiecti ſubalternatæ: ſiquidē hic modus cauſæ nō conſideratur à Mathematico, nec ratione eius dicitur ſcire propter quid. Idque euidenter cernitur in exemplis adductis ab Ariſtotele, de cuius ſententia muſica ſubalternatur arithmeticæ, & perſpectiua geometricæ: nec tamen numerus, qui eſt ſubiectum arithmeticæ, eſt cauſa efficiens numeri ſonori, circa quem verſatur muſica: neque item quantitas continua, vel linea, quā conſiderat geometra, eſt cauſa efficiens lineæ viſualis, quæ eſt ſubiectum perſpectiuæ. Huic argumento reſpondet Durand. q. 7. nu. 10. id, quod communiter dicitur lineam viſualem eſſe ſubiectum perſpectiuæ, nō ſic eſſe intelligendum, quaſi ſit reuera ſubiectum, hoc enim cenſet eſſe viſionem: ſed quia perſpectiuus agit de viſione cōſiderando modos, rationes, ac paſsiones eius, ſecundùm quas linea, vel quantitas eſt vario modo viſa. Quæ ſolutio in primis accommodari nequit ſubiecto muſicæ, perſpicuum enim eſt numerum nullo modo eſſe cauſam finalem, vel efficientē numeri ſonori. Deinde eſt abſolutè aliena à mente Philoſophi, communi ſententia, & ratione à mente Philoſophi, quoniam Ariſtot. ſubalternas appellat eas, quę ita ſe habent vt ſubiectum ipſarum, alterum ſub altero ſit: hoc autem nō intelligitur ratione ſolius cauſalitatis: ergo, cùm ſubdit, *vt perſpectiua ad geometriam*, nō ſignificat ſubiectum huius eſſe cauſam ſubiecti illius. Aſſumptio conſtat, quoniam Philoſophus ibidem medicinam, & geometriam numerat inter ſcientias, quarum vna nō eſt ſub altera: & tamē geometria dicit propter quid eius, quod medicina dicit quod eſt: ergo licet ex eo, quod vna ſcientia ſit propter quid, altera quia ſequeretur ſubiectū vnius eſſe cauſam ſubiecti alterius, nō propterea ſat eſſet, vt ſint inuicem ſubalternatæ: quare nō propterea Ariſt. perſpectiuam ait eſſe ſub geometria, quod magnitudo, ſiue linea ſit cauſa viſionis. Et ita communis ſententia nō viſionem, ſed lineam viſualē conſtituit proprium ſubiectū perſpectiuę, ſicut muſicæ ſubiectū eſt numerus ſonorus, ita S. Thom. opuſc. 42. c. 14. Ægyd. in prologo, 2. p. primæ partis principalis, q. 1. art. 1. Henr. art. 7. q. 4. Aur. vbi ſupra & q. 1. prologi, art. 1. dū agit cōtra tertium dictum S. Thom. Baſſol. q. 6. art. 3. §. vlt. Capreol. q. 1. art. 2. ad 7. Durandi contra 2. Concluſionem, Lincon. in 1. poſt. tex. 30. & alij cōmuniter. Denique ratione idē oſtēditur, quoniam viſio ſecundùm ſe habet alia principia, ex quibus cognoſcitur in Philoſophia naturali, neq; habet paſsiones æqualitatis, inęqualitatis, proportionis, & ſimiles, quæ in perſpectiua demonſtrantur de linea viſuali per principia ſumpta à geometria: quare nequit eſſe ſubiectum perſpectiuæ.

S. Thom. *Ægyd.* *Henric.* *Aureol.* *Baſſol.* *Capreol.* *Linconienſ.*

VI. Ex dictis facilè diſſoluitur fundamentū Durandi. Nā ex eo, quod ſubalternans ſciat propter quid, ſubalternata vero quia, rectè quidē ſequitur ſubalternantē ſcire cauſam eius, quod ſubalternata ſcit quia: nō tamen ſequitur hāc cauſam neceſſario debere eſſe ſubiectū ſubalternātis: poteſt enim eſſe aliqua eius paſsio, exempli cauſa hanc propoſitionem: *vulnera circularia tardius curantur*, Chirurgus ſcit quia, geometra propter quid: nec tamē cauſa eius, quod Chirurgus ſcit quia, eſt ſubiectū ipſum geometriæ, ſed quędā paſsio circuli, nempè quod eius partes magis diſtēt ab inuicem, quā partes aliarū figurarū: Ex hoc enim ſequitur tardius coire, & cōſequenter tardius ſanari. Ité effectus, quē ſcit Chirurgus, nō eſt ſubiectum ipſius, ſed quædā eius paſsio: ſubiectū enim eius eſt corpus vulneratū per ſanādum: effectus vero qui ab ipſo ſcitur quia, eſt corpus effectū vulnere circulari tardius, ac difficilius curari. Et quod in hoc exemplo patet, in cęteris quoque poteſt euenire: itaque nō neceſſario ſequitur ſubiectum ſcientiæ propter quid eſſe cauſam ſubiecti quia: Et quāuis hoc admitteretur, nō requiritur vt ſit cauſa finalis, vel efficiens, ſicut cōtendit Durand. non ſolū enim per has duas cauſas ſcitur propter quid, ſed etiā p alias: vt enim ait Ariſt. vbi ſuprà, Geometra, ac Arithmeticus ſciunt propter quid: qui tamē cauſam finalē, aut efficientē minimè cōſiderāt.

Durand.

VII. Excluſa ſententia Durandi conueniunt cæteri Doctores communiter in prima, ac præcipua proprietate ſcientiæ ſubalternatæ: nempè vt ſit de ſubiecto aliquo modo eodem: conſtat autem ex ſubalternatis, quas Ariſtot. recenſuit: nam perſpectiua, quæ ſubalternatur altimetriæ, conuenit

cum

cum illa in eodem subiecto, nempè linea, item musica cum arithmetica in numero, licet aliquid addant. Verùm subiectũ potest esse idem bifariam, nempè vel omninò idem, vel cum addito: Et quidem Ægyd. Henr. Aur. Hispal. vbi proximè Soncin. q. 1. prologi, conclusione 2. & lib. 4. Metaphysicæ, q. 9. & aliqui recentiores existimant de ratione scientiæ subalternatæ non esse: vt subiectũ eius addat aliquid subiecto subalternantis: sed dari veram rationem subalternationis, si vna scientia cognoscat quia de eodẽ omninò subiecto idem prorsus, quod alia scit propter quid. Quæ opinio suaderi potest, quoniam Aristot. non aliud assignat discrimen inter subalternantem ac subalternatam, quam quod hæc sciat quia, illa propter quid. Hoc ipsum probat Henric. in machinatiua, & nauali: quarum hæc subalternatur astrologiæ, illa stereometriæ hoc est parti illi geometriæ, quæ agit de corpore, siue de solidis: nam naualis, & astrologia considerant idem, videlicet coniunctionem astrorum in præsagium tempestatis, aut tranquillitatis futuræ, quam Astrologus cognoscit per rationem, & causam illius, atq; adeò propter quid; Nauta verò solùm per sensum, atque experientiam, vt signum tantùm illius, & cõsequenter quia. Item stereometria considerat per rationem, & causam, modum constructionis ædificiorum ex corporibus solidis, quam machinatiua, siue imaginatiua, vt vocat Aristot. considerat per executionem operis ex consuetudine operandi, & ita penes subiectum nullum est omninò discrimen, sed solùm penes modũ sciendi easdem veritates de eodem subiecto.

Ægyd. Henric. Aureol. Soncina.

VIII. Dico tertiùm. Nec pertinet, nec sufficit ad veram rationem subalternationis, vt eædemmet veritates formaliter sciantur à subalternante, & subalternata. Ita expresè docent Scot. q. 3. prologi in quinta lateral. §. vltimo cum interpretibus, Bassol. q. 5. art. 1. §. *Contra istam*, & q. 6. art. 3. §. *De subalternatione eius dico*, Aquilan. q. 3. art. 1. Toletan. q. 2. art. 3. Conclusione prima contra S. Thom. ex Lincon. in 1. Poster. text. 30. & est sententia omnium, quos mox referam docentium subiectum subalternatæ scientiæ addere differentiam accidentalem subiecto subalternantis. Prior pars potest inductione ostendi: nam scientia quatenus coërcetur limitibus proprij obiecti formalis, scirẽ nequit veritates eas, quę necessario extrahunt subiectum materiale à propria ratione formali: at veritates eæ, quæ sciuntur quia à subalternatis extrahunt subiectũ à ratione formali subalternantis: quare fieri nequit vt subalternans per se propriè, ac formaliter sciat easdem veritates, quas subalternatæ sciunt quia. Assumptio constat in ijsdemmet scientijs, quæ in exemplum proferuntur ab Henrico: Etenim stereometria, vtpote Mathematica speculatiua, abstrahit à materia sensibili: machinatiua vero nequaquam, sed considerat corpora solida coniuncta cum qualitatibus naturalibus requisitis ad materiam ædificij. Item astrologia considerat coniunctiones astrorum secundùm numerum, ac proportiones, neque curat de vllis qualitatibus naturalibus, aut apparentijs, quę cum eiusmodi coniunctionibus considerantur à nauta tamquam prognostica tempestatis futuræ: non enim nauta habet rationem solummodo coniunctionis planetarum, sed colorum, affectionũ & aliarum circumstantiarum, ex quibus omnib. sumit inditia tempestatum. Itaque neque stereometria scit formaliter, quomodo aptari debeant corpora grauia, aut leuia, dura, aut mollia, aspera, aut tersa ad substructionem ædificiorum, quod tamen scit machinatiua: neque Astrologus scit sub qua apparentia luna in plenilunio, aut nouilunio sit signum tempestatis. Non sufficere vero probatur, quoniam Aristot. eo ipso cap. ostendit diuersitatem sciendi quia, & propter quid in eadem scientia, ac diuersis, si vero sola diuersitas penes siue quia, & propter quid sat esset ad rationem scientiæ subalternatæ, ac subalternantis, eadẽ scientia nõ sciret quia, & propter quid, sed semper scire quia pertineret ad diuersam scientiam ab ea, cuius est scire propter quid. Itaque discrimen illud traditum ab Aristotele nimirũ quod subalternans sciat propter quid, & subalternata quia, idem est, ac si dicatur subalternans scit causam eius effectus, quem esse agnoscit subalternata, ad quod nequaquam requiritur, vt subalternans sciat ipsum effectum in se, quem scit subalternata; quod patet ex dicto Philosophi eodem capite afferentis, etiam earum scientiarum, quarum vna sub altera non collocatur vnam scire propter quid, alteram quia, qua ratione geometra scit propter quid vulnera circularia tardius curantur, quod medicus scit quia, at vero ad geometram non spectat scire vulnera tardius, vel citius curari. Et ita, quamuis sciat partes circuli plurimum inter se distare, quæ est causa difficilis curationis vulnerum circularium, non tamen formaliter scit hanc propositionem vulnera circularia tardius curantur, quamuis scire eam possit descendendo ad materiam

Scot. Bassol. Aquilan. Toletan. Limonienſ.

teriam ſubalternatæ. Ex his patet reſponſio ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ: nã Ariſtot. licet dixerit ſubalternantem ſcire propter quid, ſubalternatam quia, non dixit in eo conſiſtere propriam rationem formalem ſcientiæ ſubalternantis, ac ſubalternatæ, cùm eiuſmodi rationem admiſerit eodem capite in ſcientijs non ſubalternatis, ſiue omninò diuerſis, ſiue pertinentibus ad eandẽ ſcientiam totalem. Exempla vero, quæ adducuntur, potius fauent ſententiæ traditæ, quam oppoſitæ.

IX. Verùm, priuſquam declarem requiraturne ex parte ſubiecti aliqua additio, & qualiſnam eſſe debeat, oportet expendere prius opinionẽ Caietani, qui quoad ipſam conclusionem ſentit cum Ægyd. & Henr. ex alio tamen fundamento. Is itaque 1. p. quæſt. 1. art. 2. §. *Circa hanc diſtinctionem*, concedit quidem plures conditiones interuenire in ſcientia ſubalternata, tamen cæteras, verbi gratia, quod ſciat quia, quod addat cõditionem accidentariam ſubiecto ſubalternantis, etſi quæ aliæ ſunt, eſſe per accidens: per ſe verò eam ſolam, qua D. Thomas ſubalternatam diſtinxit à ſubalternante, nempè quod ſubalternans non ſumit, ſua principia ex alia, ſed proprio lumine penetrat, ſubalternata vero ſumit ex alia. Scientiæ, inquit, omnes conueniunt in eo, vt habeant concluſiones viſibiles in alio, hoc eſt in principijs, à quibus omnes neceſſariò oriuntur, & ita nec ſubalternans, nec ſubalternata habet euidentiam Concluſionum in ſe ipſis, ſed in principijs ex habitu intellectus. Differunt vero, quoniam Concluſiones ſubalternantis ſunt viſibiles immediatè ex, & in principijs abſque interuentu alterius habitus: Concluſiones vero ſubalternatæ mediatè, quia inter ipſas, & principia prima interiacet habitus ſcientiæ ſubalternantis, qui reſpectu Concluſionum ſubalternatæ, habet rationem habitus principiorum: itaque ſcientiæ ſubalternatæ illud ſolùm eſt eſſentiale, vt non habeat immediatam euidentiam ex principijs, ſed interuentu alterius, cuius Concluſiones ſumit vt principia. Ex quo plura infert corollaria, quorum duo faciunt ad præſens inſtitutum. Alterum eſt, habitus per ſe principiorum proximorũ ſubalternatæ eſt habitus ſcientificus ſubalternantis. Secundum, ſcientia ſubalternans & ſubalternata, non neceſſario opponuntur ex parte ſubiecti, vel obiecti, ſed potius ex parte conditionum medij: quia ſcilicet medium ſubalternantis immediatè coniungitur principijs per ſe notis: ſubalternatæ vero mediatè, mediante ſcilicet habitu alterius ſpeciei. Deinde verò aduertit in propria illa ratione ſubalternationis duo concurrere. Primum eſt ineuidentia in ſe, hoc eſt negatio euidentiæ ex terminis cum euidentia ex, & in alio, hoc eſt cum euidentia habita per diſcurſum ex principijs: ſecundum eſt mediatio principiorum proximorum, quę eſt cauſa illius ineuidentiæ in ſe. Ex quibus primum, inquit, eſt formale & ſemper omninò requiſitum: ſi enim ſaluari poſſet illa ineuidentia cum viſibilitate in alio abſque mediatione, nihilominùs ſubalternaretur illi.

Dico quartùm. Ad rationem veræ, ac X.
proprię ſubalternationis requiritur, vt ſubiectũ ſubalternatæ addat aliquid ſubiecto ſubalternantis. Hæc eſt communis, vt conſtabit ex Doctoribus infra citandis. Colligitur apertè ex Ariſtotele lib. 1. Poſter. text. 30. vbi oſtendere volens, quomodo demonſtratio quia & propter quid, ad diuerſas ſcientias pertineant, diſtinguit duo genera ſcientiarum differentium: alterum earum, quarum vna ſub altera collocatur, quam interpretes, & cæteri Doctores ſubalternatam vocant, alterum earum, quæ ita ſe nõ habent: & omnes ſub prio re membro numeratæ ab Ariſtotele addunt aliquid *Ariſtot.* ſubiecto ſubalternantium. Deinde verò inter non ſubalternatas numerat eas, quarum ſubiecta ita ſe habent, vt vnum non contineatur ſub altero, & nihilominùs vna ſcit quia, altera propter quid: etſi prior demonſtrare velit, ſumere debet principia à poſteriore. Ex quo colligitur de ratione ſubalternatæ eſſe, vt ſubiectum eius addat aliquid ſupra ſubiectum ſubalternantis. Et hoc ipſum indicant verba ipſa Ariſtotelis, quæ ſic habent: *alio autẽ modo differt propter quid ab ipſo quia, quod eſt per aliam ſcientiam vtrumq; ſpeculari: huiuſmodi autem ſunt quæcumq; ſic ſe habent adinuicem, quod alterum ſub altero eſt*: Ex quorum verborum contextu patet, cùm Ariſtoteles ait: *alterum ſub altero eſt*, loqui de obiecto, ſiue ſubiecto ipſo ſcientiæ quia, & propter quid, & velle vt alterum ſub altero ſit: ſi verò vnum nihil addat ſuper aliud, erit omninò idem, ideoque non poterit alterum ſub altero contineri. Præterea Ariſtoteles ibi peritos ſcientiarum ſubalternantium appellat ſimpliciter Mathematicos, peritos verò ſubalternatum appellat ſenſibiles: hæc vero diuerſitas appellationum non aliundè prouenit, quã ex eo, quod ſubalternatæ addunt ſubiecto ſubalternantium aliquid ſenſibile, verbi gratia perſpectiua altimetriæ viſuale, muſica Arithmeticæ rationem ſoni.

Verùm

XI.

S. Thom. Verùm hæc additio, vt notat S. Thomas opuscul. 42. cap. 14. & lib. 1. Poster. lect. 25. & Heruæus, quæst. 6. prologi. §. *Quantum ad primum*, dupliciter fieri potest: vel ita vt subiectũ vnius sit species subiecti alterius, sicut animal est species corporis naturalis: & ideò scientia de animali, est sub scientia naturali: vel ita, vt subiectum inferioris addat aliquid materiale subiecto superioris, sicut se habet perspectiua ad Geometriam: nam hæc est circa lineam, & alias magnitudines, illa verò circa lineam visualem: visualis verò non est species lineæ, sed conditio materialis, & de hoc modo additionis ait D. Thomas vbi supra, loqui Philosophum eo loco: Ex quo colliguntur cõditiones necessariæ ex parte subiecti scientiæ subalternatæ contentæ sub subiecto subalternantis, & illud cõtrahentis; prima est, vt non sit differentia essentialis contrahens superius ad constitutionem vnius per se, sed aliquid extrinsecum subiecto subalternantis, & cum illo cõstituens compositum per accidens. Ex huius defectu, partiales scientiæ de particularibus generibus, aut speciebus corporis naturalis non subalternantur physiologiæ, quatenus agit de ente mobili. Quam esse communem sententiam Philosophorum, & *Lychet.* Theologorum docet Lychetus, quæst. 3. prologi in fine, quod dupliciter fit, vt notat *Henric.* Henr. in summa art. 7. quæst. 4. vel ita, vt additamentum habeat se per modũ formæ, vt se habet visuale ad lineam: nam coloratum, siue lucidum, ex quibus coalescit visuale, habent rationem formæ respectu quantitatis, vel per modum materiæ, vt se habet sonus ad numerum: nam numerus contractus ad sonũ quasi materialiter determinatur ad vnum genus rei, & quemadmodum numerus hominum, & animalium materialiter tantùm distinguuntur penes numerata, ita numerus sonorũ materialiter contrahitur, ac distinguitur ab alijs numeris: secunda conditio additamenti est, vt non conueniat per se subiecto *Ægyd.* scientiæ subalternantis, quod Ægydius in prologo, in 2. p. primæ principalis, quæst. 1. art. 1. intelligit, cum ait non debere causari per se ab illo: nam, si per se insit subiecto subalternantis, ex ipsius principijs sub eadem abstractione demonstrari poterit, atque adeò pertinebit ad eandẽ scientiam, sicut cæteræ proprietates, quæ per se insunt illi subiecto, nec poterit conflare rationem aliam subiecti, quod rectè expressit *S. Bonauent.* D. Bonauentura, q. 2. prologi ad secundum cum dixit non quamlibet determinationem trahentem subiectum in partem, hoc est contractiuam subiecti efficere subalternationem; sed determinationem distrahentem, hoc est exuentem subiectum propria abstractione, & ratione formali, subalternantis, & inducentem illi nouum modum abstractionis, & rationis formalis: *nam scientia*, inquit, *de linea recta non dicitur subalternari Geometriæ, sed scientia de linea visuali*: nempè quia linea recta continetur sub abstractione Geometrica, linea verò visualis aliquo modo extrahitur ab illa sumens nonnihil de abstractione Philosophiæ naturalis: rectitudo est per se passio, vel saltem altera pars disiunctiuæ passionis, quę in Geometria demonstratur de linea; at ratio visualis non est per se passio lineæ, nec de ea in Geometria demonstratur. Albert. lib. 1. Poster. tractat. 3. cap. 7. *Albert.* ex communi sententia has duas conditiones requiri docet, & ex ipso Louanienses, *Louanienſ.* & Colonienses in commentar. tractat. 4. *Colonienſ.* lib. 1. Poster. Chrysostom. Iauell. tom. 1. *Iauell.* tractat. 11. de Syllogismo demonstratiuo, *Fonſeca.* cap. 7. & lib. 1. Metaph. quæst. 2. Fonseca, *Molina.* lib. 4. Met. cap. 1. quæst. 2. sect. 2. Molin. *Bonettus.* 1. p. quæst. 1. art. 2. disp. 3. & Bonettus vbi supra, & alij: tertia est vt ex eiusmodi coniunctione resultet aliqua per se scibilitas subordinata scibilitati superioris scientiæ: qualis reperitur in subiecto musicæ, ac perspectiuæ. Defectu huius de linea alba, & de numero saporum, non est vlla specialis scientia subalternata Geometriæ, vel Arithmeticæ, quoniam linea alba, qua alba, non habet speciales proprietates, aut rationem scibilitatis: sicut linea visualis, nec numerus saporum, sicut numerus sonorum.

XII. Motiuum Caietani non est firmum: nam qua facilitate ipse ait per accidens se habere ad rationem scientiæ subalternatæ, vt subiectum eius addat aliquid supra subiectum subalternantis, eadẽ negatur iuxta veriorem, & communiorem sententiam, & magis conformem doctrinæ Aristotelis, ex quo sumpta est distinctio scientiæ subalternatæ, ac subalternantis: Et ita sola ratio ineuidentiæ in se, atque ex se cum euidentia ex, & in alio, non sufficit ad veram rationem subalternationis: An vero vtraque necessaria sit, mox dicendum: huius enim quæstionis solutio pendet ex alia, nimirum vtrum opus sit, vt subalternata recipiat principia à subalternante: si enim hoc opus non est, absque euidentia ex alio potest cohærere ratio scientiæ subalternatæ. Partem negantem asserunt Ægyd. & Henric. vbi supra: nam quamuis non negent aliquas subalternatas sumere princi-

pia à

pia à subalternantibus, tamen aiunt id non esse simpliciter necessarium, vt putant rem se habere in nauali, & machinatiua. Non enim Nautæ vtuntur principijs astrologiæ, vel architecti stereometriæ.

XIII. Dico quintum. Ad rationem subalternationis, opus est vt subalternatæ sumant principia à subalternantibus: Ita docent Bassol. quæstion. 5. prologi. §. penultim. ad quintum argumentum, & quæst. 6. art. 3. §. vltimo. Argent. quæst. 2. art. 3. Toletan. quæst. 2. art. 3. conclusione 1. contra Sanctum Thomam. Paulus Venetus in 1. Poster. t. 30. Hispalens. Colonien. Iauell. & Fonseca citati, quod non est ita intelligendum, quasi necesse sit, vt subalternatæ vtantur ijsdem principijs, quibus subalternantes, hoc enim fieri non potest, iam enim ex propria facultate demonstrarent propter quid, cuius oppositum docet Aristotel. sed vt benè notat Caietanus debet intelligi ita, vt conclusiones subalternantium assumantur, vt principia subalternatarum: qua ratione se habet propositio illa geometrica, *partes circuli tardius coeunt inter se, quàm partes aliarum figurarum*, ad illam, *vulnera circularia tardius curantur*: nam prior illa nō est principium in geometria, sed conclusio demonstrata. Item tali die fore hanc, vel illam solis ac lunæ oppositionem, vel coniunctionem, non est principium, sed conclusio in astrologia, quam tamen naualis sumit vt principium, ex quo simul cum apparentijs alijs diuinat; quæ futura sit tempestatum ratio, aut varietas, iuxta quam cursum suum moderatur. Non item, sicut notat Henric. vbi supra quæst. 5. ad 3. sat est, vt subalternata sumat vnum vel alterum principium à subalternante: sed intelligi debet de vniuersali ratione principiorum, quæ subalternata sumit à subalternante, carens proprijs, vt videre est in perspectiua, cuius demōstrationes omnes resoluuntur ad principia geometriæ: & in musica, quæ non procedit aliter, quàm ex principijs arithmeticæ. Defectu huius medicina non propriè subalternatur geometriæ, vt patet ex Philosopho, qui lib. 1. Poster. ostendere volens etiam inter scientias non subalternatas alias scire, quia, alias propter quid, vtitur exemplo medicinæ ac geometriæ. Vnde patet lapsum fuisse Aureol. vbi supra, quatenus docet ex sententia Aristotel. medicinam propriè subalternari geometriæ. Neque item Philosophia naturalis subalternatur perspectiuę: & tamen medicina supponit aliquod principium geometriæ & naturalis Philosophiæ, quatenus agit de iride, supponit principia perspectiuæ; non tamen subalternantur, quia principia eiusmodi non desendunt in totam scientiam.

Bassol. Argentinas. Toletan. Paul. Venet. Hispalens. Colonien. Iauellus. Fonseca. Caietanus. Henricus. Aristoteles. Aureol.

XIV. Verùm adhuc vna supereſt dubitatio: nam si subalternatæ non sumunt principia ipsa subalternantium, sed conclusiones, aut eas sumunt ex sola fide, & hoc modo non erunt scientiæ: aut ex demonstratione eadem, qua vtuntur subalternantes, & tunc iam scient propter quid, cuius oppositum, ait Aristotel. aut ex sensu atque experientia, & hoc modo non dicentur verè sumere principia ex alijs, sed habere à semetipsis: nam experientia, quæ circa sensibilia obiecta versatur, magis pertinet ad subalternatas, quę inuoluunt ex parte subiecti aliquid sensibile, quàm ad subalternantes, quæ abstrahunt à materia sensibili. Circa hanc difficultatem variè opinātur Doctores, quos retuli tractat. 4. cap. 6. Nam Capreol. & alij putant, sat esse si principia sint per se nota superiori scientiæ, & ita non exigunt aliud, quàm vt supponantur ab ipsa: sed hunc modum dicendi iam supra refutaui, quoniam destruit veram rationem scientiæ, & traducit ad genus assensus obscuri geniti ex fide humana. Alij volunt, vt continuetur cum superiore scientia, hoc est, vt sumpta conclusione iam demonstrata à superiore scientia procedatur ad conclusiones inferioris: quod contingit, si idem homo sit peritus verbi gratia altimetriæ ac perspectiuæ, nam quatenus geometra scit propter quid conclusiones altimetriæ ac perspectiuæ, quatenus perspectiuus ex ijs deducit conclusiones circa lineas visuales: verumtamen, quoniam in ipso propter coniunctionem vtriusque scientię, vna continuatur alteri, verè scit propter quid, sed hic etiam modus, vt dixi, per se nō requiritur ad rationem scientiæ subalternatæ. Denique alij volunt vt eædem conclusiones, quæ in subalternantibus demonstrantur, aut demōstrari possunt, sint principia in subalternatis, accedente aliqua experientia sensuum, ex qua moueatur intellectus ad assentiendum euidenter propositioni: quam proinde deinceps sumit vt principium: sicut in chirurgia experientia comperitur vulnera circularia tardius curari, quod deinde in vsu medicandi sumitur vt principium: item naualis experimēto deprehendit, quando hæc, vel illa astra, hoc vel illo modo opponuntur, aut coeūt, fieri tales motus in aere, vel mari: idq; deinceps adhibet vt principium ad suam artem. Inter has sententias illa mihi distincte placet, vt dicam ad vsum subalternatarum

Capreolus.

per se non requiri, vt sciant causas ac rationes principiorum, neque etiam vt teneant demonstrationes, quibus ostenduntur à subalternantib. posse nihilominus id facere ex cõtinuatione cum eisdem, per se verò requiri, vt principia, quæ à subalternantibus supponunt demonstrata experientia aut ratione aliqua à posteriore, euidenter intelligant, alias nullo modo erũt scientię.

XV. Ex dictis constat ad rationem subalternatæ non esse satis ineuidentiã in se cum euidentia in alio, absque mediatione principiorum, vt vult Caietan. Sed requiri, vt principia, quatenus per se assumũtur à subalternata, non sint per se & in se euidenter cognita à priore, possint tamen ita cognosci ex principijs subalternantis: & prętera vt sit de subiecto contrahente accidentaliter subiectum subalternantis: nam si sufficeret ineuidentia in se, & euidentia in alio, chirurgia subalternaretur geometriæ: q̃ est contra Philosophum, si verò respõdeat non sequi, quoniam nullo modo est de eodem subiecto, concedere debet satis esse ad subalternationem, vt duæ scientię versentur circa idem obiectum, si adsit conditio regulationis seu euidẽtię in alio: q̃ prętera quam quod sit contra mentem D. Thomæ & Aristotelis, facilè impugnatur, quoniam hoc dato sequitur notitiam discipuli assentientis principio, aut cõclusioni ex sola autoritate magistri habentis euidẽtiam illius esse subalternatam scientię magistri: quod licet concedat Capreol. vbi supra est apud omnes alios inauditum, vt notat Durand. q.7. prologi, n.6. & benè refutat Aureol. q.1.ar.1.dum impugnat sententiã D. Thomæ ad fin. & in 1.d.48.q.vn.ar.3. neq; habet vllum fundamentum in doctrina Aristotelis, aut D. Thom. qui semper recurrit vel ad subiecti additionem, vel ad principia, quæ subalternata sumit subalternante: in hoc verò casu non est sumptio alicuius principij & deductio conclusionis, sed mera fides habita enũtiationi propositæ à magistro. Deinde si ad rationem subalternatę sat esset ineuidentia in se, & euidentia in alio, omnes demonstrationes post primam de subiecto sciẽtiæ subalternantis haberẽt veram ac propriam rationem scientiæ subalternatæ: id verò falsum est, nemo enim vnquam dixit demonstrationes geometricas pertinere ad scientiam subalternatam. Id autem sequi perspicuè ostenditur: nam conclusio secundę demonstrationis est ineuidẽs in se, hoc est nõ ex terminis, & habet immediatè euidentiam ex, & in principijs primis: ergò assensus illius hoc modo genitus erit particeps propriæ ac veræ rationis scientiæ subalternatę, nec respõderi potest assensum eiusmodi esse euidẽtem in se, vel enim significat ipsum esse formaliter euidẽtem per medium terminum vel ex terminis: hoc secundum est falsum, vt patet: primum non tollit rationem ineuidẽtiæ in se, quæ est propria scientiæ subalternatæ, siquidem per cõiunctionem cum subalternante potest fieri euidens, hoc est euidẽter attingens suum obiectum, & manere in ratione subalternata, vt admittit idem Caietan. Respõdebitur iterum eam euidẽtiam nõ esse propriam subalternatę, sed sumptã à subalternante: & ideò adhuc subalternatã posse dici ineuidentiam in se, nõ verò subalternantem: quæ euidentiam non aliunde mutuatur: Sed contra vel intelligitur eiusmodi euidentiam nõ esse formaliter ipsius scientiæ subalternatæ, vel non esse ab ipsa effectiuè ac radicaliter. Primũ est falsum, nulla .n. notitia est euidens formaliter per euidentiam superioris scientiæ: secundum quoque dici debet de scientia subalternãte cuius euidentia effectiuè & radicaliter non est ab ipsa, sed ab eius principijs: quare nullo modo dici debet ad rationem scientiæ subalternatæ sat esse ineuidentiam in se cũ euidentia in, & ex alio. Deniq; requiri mediationem principiorum facilè ostẽditur, quoniam ea sublata intelligi nequit additamentum subiecti vnius ad subiectũ alterius. Prętera si inter cõclusiones subalternatæ, & principia prima subalternantis nihil mediat, iam subalternatæ ꝑ priè, ac per se scient propter quid, & nõ erũt eius principia cõclusiones subalternantis: cuius oppositũ omnes, imò & ipse Caietan. docet: sed principia eadem erunt vtriq; communia. Imò verò, vt paulo antè argumẽtabar, eadem met propositio cognita ab vno ineuidenter in se habebit rationẽ notitiæ subalternatæ, & cognita ab alio euidenter habebit rationem notitię subalternãtis, quod est absurdum.

Capreolus. Durand. Aureol.

XVI. Colligendo itaq; ex dictis ea, quæ per se necessaria sunt ad rationem scientiæ subalternatę. Primũ est vt sit de subiecto aliqua ratione eodem cum subiecto subalternantis. Secundum, vt sit de subiecto minus latè patente, & addente conditionem aliquam accidẽtalem subiecto subalternantis. Tertium, vt ex cõiunctione illa resultet aliqua scibilitas seu ratio formalis diuersa à ratione formali subalternãtis, sub qua speciales proprietates sciantur formaliter in subalternata: quarum formalis notitia per se nõ pertineat ad subalternãtem. Quartũ deniq; vt subalternata sub propriæ scibilitatis terminis nõ resoluat euidenter conclusiones

suas

suas in prima principia, quorum cognitio per se spectat ad subalternantem: quas conditiones Caiet. li. 1. Poster. t. 30. fusè explicat consentiés cum cómuni sentétia, vt mirum sit quomodo 1. p. sui oblitus, oés ferè tanquam accidentarias reiecerit præter vltimam. Quãuis autem ad verã subalternationem hæc omnia requirantur, nonnunquam ppter participationem aliquã ipsarũ dicuntur scientiæ subalternatæ minus propriè, quamuis non oés has conditiones exactè retineãt: Duo verò modi sunt frequẽtiores: alter, quẽ tradunt Durand. q. 8. prologi. Iauell. li. 1. Met. q. 2. Louaniẽs. & Molin. vbi supra cùm scientia agit de subiecto inferiore, quamuis non addat subiecto superioris conditionem accidẽtariam, sed essentialem, quomodo nõnunquam dicũtur scientiæ aliæ naturales subalternari Metaphysicæ: alter ratiõe principiorũ, quomodo scientiæ naturales dicũtur subalternari eidẽ Metaphysicæ, à qua probantur ipsarũ principia, sed de his satis: iam videndum vtrum Theologia respectu alicuius scientiæ sit subalternans, aut subalternata.

Durand. Iauellus. Louaniens. Molin.

Theologia propriè, ac simpliciter nulli scientiæ subalternatur, secundùm quid autem subalternatur beatæ, & nonnullis naturalibus.

CAPVT VI.

I. EXplicata propria notione scientiæ subalternatę iuxta sententiam Arist. & cõmunem, facilè erit ad institutum applicare comparando Theologiam nostrã inprimis cum diuina atq; beata, deinde cum sciẽtijs naturalib. Partem verò, quæ asserit Theologiam nostrã subalternari diuinæ ac beatæ, defendũt Thomistæ. Capreol. q. 1. prologi, ar. 1. conclus. 2. & ar. 2. ad argumenta contra secundam conclus. Hispalens. q. 1. ar. 1. conclus. 2. & ar. 4. ad argumenta cõtra eandem conclus. Soncin. q. 1. cõclus. 2. Sylvest. in conflato. q. 1. ar. 11. Caiet. & Iauell. 1. p. q. 1. ar. 2. præcipuum fundamẽtum ipsorũ est, quia sic videtur D. Tho. docuisse, nam 1. p. q. 1. ar. 2. vt ibidem Caieta. interpretatur, diuidit sciẽtiam in subalternantẽ ac subalternatam, quæ à subalternante sua principia sumit: & postea theologiam collocat sub secũdo membro diuisionis: item super Boet. de Trinitat. q. 2. ar. 2. ad 5. cùm dixisset in sciẽtijs subalternatis supponi, ac sumi aliqua principia à subalternantibus: quæ nõ sunt per se nota, nisi superiori sciẽtiæ, statim subiũxit: *& hoc modo se habent articuli fidei, qui sunt principia huius scientiæ ad cognitionem diuinã, quia ea quæ sunt per se nota in scientia, quã Deus habet de seipso, supponuntur in scientia nostra, & ei creditur ea indicanti nobis per suos nuncios.* Idem fere dicit ad 7. & q. 14. de verit. art. 9. ad 3. Ex quib. argumentatur Capreol. omnis scientia sumens sua principia ex alia, est illi subalternata, Theologia sumit per fidem principia sua à scientia diuina, vel beata: ergo illis subalternatur.

Capreol. Hispalens. Sylvester. Caietanus. Iauellus. S. Thom. Soncin.

II. Oppositam sententiam defendũt cęteri Doctores communiter. Fundamentum sumitur à natura & conditionib. sciẽtiæ subalternatæ ex parte obiecti, medij, & subiecti. Ex parte obiecti, quoniam debet addere aliquid supra subiectum subalternantis. Theologia nostra nihil omninò addit supra subiectũ scientiæ diuinæ, ac beatorũ: vt enim dictum est, Deus sub eadem ratione Deitatis est omniũ earum subiectum. Item ex parte obiecti requiritur, vt ex additione formæ accidẽtariæ ad subiectũ subalternantis resultẽt aliquæ passiones, quas per se dem. nõstret subalternata, nõ verò subalternãs: Theologia verò nostra nullas proprietates Dei cõsiderat, quæ per se nõ attingantur scientia diuina, atq; beata. Deinde verò ex parte medij, quoniã principia subalternatæ debent esse aliquo modo distincta à principijs subalternantis, ita vt, qꝑ est principium in subalternata, sit cõclusio in subalternãte: At quę in Theologia sunt principia per fidem, plurima pertinẽt ad obiectũ primarium sciẽtiæ diuinæ atq; beatæ, & ita respectu eius nõ possunt habere rationem conclusionis. Item cõclusiones subalternatæ pertinere non debent ad subalternantẽ: at scientia diuina & beata extendit se ad ipsas conclusiones Theologicas. Denique ex parte subiecti; quoniam subalternãs & subalternata non repugnant in eodẽ subiecto: idem. n. potest esse simul geometra & perspectiuus, arithmeticus & musicus: at Theologia nostra cohærere simul nequit cum scientia beata, quoniam nostra est ineuidẽs beata euidens, quæ omnes ineuidentiæ tenebras ab animo depellit circa illud obiectum, quod euidenter apprehendit.

III. Vt hæc argumenta dissoluat Caietan. cõmentus est rationem illã sciẽtiæ subalternatæ, quam cap. superiore retuli, negãs necessitatem cæterarum conditionũ, & in particulari eius, quæ exigit additamentum accidentariũ ex parte subiecti scientiæ subalternatæ ad subiectũ subalternãtis. Hoc posito respondet ad argumenta: Ad primum quidem dicẽs non esse de ratione subalternatę, vt addat aliqd ex parte obiecti materialis, sed sat esse, vt addat ex parte formalis: sicut nostra Theologia addit rationem reuelationis: Ad secundum ait non requiri

per se euidentiam principiorũ in subalternata, sed sat esse, vt sumantur nota lumine superioris scientiæ. Ad alteram eius partem ait esse distinctionem, quoniam principia Theologica à conclusionibus distinguuntur. Ad tertium respondet Theologiam nostram per se non repugnare cum beata: quoniam nõ habet ineuidẽtiam necessariò coniunctam, sed per accidẽs, ratione status viatorum: in patria verò futura euidẽtem.

IV. *Caietanus.*

Verùm cum Caietan. hoc loco singularẽ sententiam tueatur, & oppositã eius, quam ipsemet lib.1.Poster.text.30.cum cõmuni defendit, & contrariam D. Thom. saltem quoad conditionem de additamento accidentali subiecti subalternatę ad subiectum subalternantis, non est in hac parte audiẽdus. Nec primo argumento sufficienter respõdet: nam additio, quæ se habet ex parte rationis formalis sub qua, siue propter quã non reddit subiectum contractius, neq; ex ea resultant proprietates aliquę, aut passiones per se scibiles in scientia subalternata, quod necessarium esse dixi cap. superiore, neq; ex Aristot. colligitur talis ratio additamenti, sed eius q̃ se habeat ex parte subiecti materialis: ita vt subiectum materiale, de quo agit subalternata, contineat in se aliquid non cõtentum in subiecto materiali subalternãtis, præuidens huius argumẽti vim Bannes 1.p.q.1.ar.2.dub.2.ad 3. fingit aliã rationem additamẽti accidẽtalis: ait.n. Deũ, prout relucet in creaturis, quasi accidẽtaliter contrahi, & ita cognosci p̃ species creaturarũ, quatenus verò cognoscitur lumine gloriæ cognosci eius puritatẽ ac substantiam, prout est in se, quam solutionem indicat Capreol.ar.2.cit.ad 4. Aureoli ex primo loco positis contra 2.concluſ. vbi etiã dicit eam rationem additamẽti esse nõ apparens, quem sequitur Soncin.ead.q. ad secundum Aureoli contra 2. concluſ. Verũ neq; hic modus est accõmodatus, nã aliud est loqui de modo & instrumẽto cognitionis, aliud de obiecto, & ad subalternationis rationẽ nõ sat est varietas penes modũ vel instrumenta: sed penes subiectum, quod attingitur cognitione: at verò Theologiæ nostræ, ac beatæ idem omnino est subiectum, quod agnoscitur, licet sint diuersa instrumenta, & modus cognoscendi.

Bannes. *Capreolus.* *Soncin.*

V.

Nec verò solutio secundi argumenti est adæquata, nam licet demus ad rationẽ subalternatę minimè req̃ri, vt principia à subalternante accepta sciat à priore resoluta vsque ad principia prima & immediata, tamen necessario concedendum est requiri aliquam euidentiã, aut à posteriore, & experientia, aut à priore per cõtinuationem ad scientiam superiorem: Theologia verò viatorũ non potest habere euidentiã à sensu & experientia: mysteria enim supernaturalia sunt suprasensibilia, neq; ex ijs euidenter agnosci queunt in via: non habet continuationem cum scientia beata, qua carent viatores, & ex hac etiam parte deficit à ratione scientiæ subalternatæ. Ad cuius rationem quædam requiruntur per se primo, quædã ratione generis, in quo cõuenit cum scientia subalternante. Id verò est, vt habeat veram rationem scientiæ, prout est gradus quidam genericus distinctus à cæteris numeratis à Philosopho lib.6.Ethic. c.3. nimirum ab opinione, arte, & prudentia, itemq; ab intellectu principiorũ, in qua ibstractione vẽdicat, vt sit habitus cert' & euidẽs per discursum cõparatus, hanc verò euidentiam cum certitudine coniunctã, vt iam probatum est supra, non habet Theologia: ideoq; quemadmodum excluditur à ratione veræ scientiæ, ita etiã non est sciẽtia subalternata. Solutio quoq; alterius partis eiusdem secundi argumenti claudicat: nam quãuis principia reuelata differant à conclusionibus Theologicis, alioquin non esset vllus discursus Theologicus, tamẽ ipsæmet cõclusiones Theologicæ per se formaliter sciuntur à beatis: qui vnico intuitu vident in verbo ea, quę viatores de reb. diuinis longo studio & rationis discursu assequũtur: in propria verò subalternatione scire ipsum, quia non pertinet ad subalternantẽ, vt sumitur ex Arist. loco sæpè adducto. Solutio tertij nititur falsa doctrina iã superius refutata: nimirum quod Theologia nostra secundùm se non vendicet ineuidentiam: & ideò non est probanda.

VI.

His positis: Dico primũ: Theologia non est simpliciter subalternata scientię diuinę vel beatæ: secũdùm quid tamen habet modum aliquem subalternationis. Prior pars est communis Theologorum: ita Ægid. in prologo, 2.parte primæ partis principalis q.1.ar.2. Heruæus q.1.§. *Tertius modus*, & q. 6.§. *Ad primam quæst.* quodlib.11.q.18.ad 2. Henric. in sum. art.7.q.5. Durand.q.7.prologi, à num.12. Scotus q.3.in q.5. literali.§. vlt. Aureol.q.1.ar.1.dum impugnat 3. & 4. dictum S. Thomę, & in 1.q.citata. Bassol.q. 5.prologi, art.1.§. *Contra istam*, & q.6.art.3. §. *Præterea*, & §.antepenult. & vlt. Aquilan. q.3.ar.1. Toletan.q.2.ar.3.cõcluſ.1. Argent. q.2.ar.3. & apud ipsum Gerard. Senens. Palatius q.6. Maior.q.4. prope fin. neque D. Tho. vnquam, quod ego legerim, expresè dixit Theologiam subalternatam esse propriè scientiæ diuinæ aut beatæ: sed solum quandam proprietatem scientiæ subalternatæ

Ægidius. *Heruæus.* *Henricus.* *Durand.* *Scotus.* *Aureolus.* *Bassolis.* *Aquilan.* *Toletan.* *Argent.* *Gerard.* *Palatius Maior.* *S.Thomas.*

natæ illi tribuit: nimirum quod eius principia sumantur nota lumine superioris scientiæ, quemadmodum sumuntur principia subalternata à subalternante. Ex eo verò, quod aliquis doctor tribuit vni scientiæ aliquid commune alteri, quod non sufficit ad propriam ipsius rationem constituendam, non censendus est asserere vnam esse omninò eiusdem rationis cum altera: vt autem constat ex dictis etiam de sententia ipsius D. Thomæ, ad constituendam integram rationem scientiæ subalternatæ, non sat est vt sumat sua principia ex altera scientia, quare ex eo, quod ait D. Thom. Theologiam nostram sumere sua principia, vt nota lumine scientiæ diuinæ atque beatæ, colligi nó debet ipsum existimare eam esse verè ac propriè subalternatam: & ita fatetur Argent. & Palat. cit. Bannes 1. p. q. 1. ar. 2. dubio 2. & Molina d. 3. Idem etiam voluit Richard. q. 2. prologi, solum enim docet Theologiam esse scientiam ad modum earum, quæ procedunt ex principijs notis in lumine superioris scientiæ, quales sunt subalternatæ, quamuis Carthusian. ad finem prologi existimet illũ cum D. Thoma fuisse in opposita sententia. Probatur autem assertio, inprimis quoniam Theologiæ deest propria ratio generis scientiæ subalternatæ, non enim habet veram ac propriam rationem scientiæ, vt iam ostendi tract. 4. cap. 6. deinde quoniam caret alijs proprietatibus requisitis ad veram rationem subalternationis, vt constat ex argumentis initio propositis pro opinione negãtium eam esse subalternatam, quæ saltem probant nõ esse simpliciter ac propriè talem, nec solutiones Caietani satisfaciunt, vt iam ostendi. Argumentum verò Capreoli & Caietani contra hanc assertionis partem facilè eluditur negando id, quod assumunt, nempe ad veram propriamque rationẽ subalternatæ sat esse, vt vna scientia sumat sua principia nota lumine superioris scientiæ, nam plures aliæ conditiones requiruntur, vt patet ex dictis.

Argentinas. Palatius. Bannes. Molin. Richard.

Carthus.

VII. *S. Thomas.*

Altera eiusdem assertionis pars videtur mihi intenta à Diuo Thoma, qui quo ad principia voluit Theologiam nostrã subalternari beatæ, & quoad hoc solam dixit esse similem alijs subalternatis: quam etiam tradit Gerson 3. p. tract. de illuminat. cordis, alphabet. 69. litera N. AEgidius, Richardus, Heruæus, Argentinas, Palatius, & Molina citati; suadetur autem ratione: Theologia nostra, diuina atque beata distinguuntur, vt per se patet, non vt scientię omninò disparatę, quandoquidem sunt de eodem subiecto, & nituntur lumine diuino intellectuali, nec se habent, vt ex æquo participãtes idem lumen, sed cum quadam inæqualitate ac subordinatione nostræ ad illas: & nostra sumit sua principia per se nota lumine ipsarum: ergo habet aliquam rationem subalternationis, si nó propriam & perfectam, secundum quid tamen & imperfectam. Neque cæteri Autores, qui impugnant sententiam D. Thomæ, quasi asserat Theologiã esse simpliciter subalternatã scientiæ beatæ, hãc assertionis partem negarent: neque eorum argumenta eam impugnant, sed priorem: & ideò soluenda sunt, quatenus huic parti aduersantur. Ad primum dicendum, cõditiones eas requiri solum ad propriam & veram rationem subalternatæ, eademq; modo soluendum secundum quoad priorem eius partem. Ad secundum dicẽdum ad rationem subalternationis secundum quid sat esse, vt principia ipsa, quæ assumuntur à subalternante, sint distincta à conclusionibus, quas subalternata ex principijs deducit: vt reuera principia immediatè reuelata distinguuntur à conclusionibus Theologicis. An verò has ipsas conclusiones agnoscat etiam subalternans nec ne, non refert ad minus perfectam rationem subalternationis: Denique maior propositio tertij argumenti solum est vera, si intelligatur de propria subalternatione, nequaquam verò si intelligatur de minus propria, de qua nunc loquimur, & ideò neganda.

VIII. Explicato modo subordinationis, quem habet Theologia viatorum respectu Theologiæ diuinæ atque beatæ, sequitur vt explicetur habitudo eiusdem ad habitus viæ, ac scientias naturales. Quod attinet ad habitus viæ supernaturales, nulla est difficultas, omnes enim fide nituntur, quæ præest Theologiæ tanquam habitus principiorum. Ex quo patet non propriè dictũ à D. Bonauentura q. 2. prologi ad 2. Theologiam reduci ad scripturam sacram per modum cuiusdã subalternationis, etenim vt superius ostendi, de scriptura sacra, vel habemus scientiam terminorum, & proprij sensus literalis à Spiritu sancto intenti, vel assensum fidei circa veritates reuelatas: prior non est propriè scientia, sed subdit locũ penetrationis terminorũ: posterior respectu Theologię est instar assensus principiorum, scientia verò non dicitur subalternari habitui primorum principiorum: quare inter Theologiam ac fidem non est vlla ratio subalternationis, sed solum subordinatio instar scientiæ ad intellectum, qui est habitus principiorum.

S. Bonauent.

Gerson. AEgid. Richard. Heruæus. Argent. Palatius. Molin.

IX. Si verò comparetur cum scientijs naturalibus practicis, planum est non subordinari illis, vt asserunt Doctores mox citandi: fundamentum est, quoniam subordinatio in scientijs practicis sumitur ex fine: nam illi, quæ respicit finem vltimum, ad quem aliarum fines diriguntur, cæteræ omnes subordinantur: at finis Theologiæ, quatenus est practica, non refertur ad finē scientiarum naturalium: imò ipse est finis vltimus, ad quem fines earum referuntur, vt ait D. Thom. 1.p.q.1.art.5. ergo Theologia secundùm rationē scientiæ practicæ, nulli omninò scientiæ naturali subordinat. *S.Thom.*

X. Si verò cum speculatiuis comparetur, Mayron. q.21.prologi, ad 7. cēset eam subalternari metaphysicæ, quod de ea Theologiæ parte, quæ de Deo agit, concedit Ocham. q.1.prologi, lit. M. Fundamentū esse potest, quoniā scientiæ vnius ad alterā duplex est subordinatio, ex qua sumitur subalternatio, altera ratione subiecti, altera ratione principiorum: vtroq; autem modo Theologiam subordinari metaphysicæ ostenditur. Ratione quidē subiecti, quoniā subiectum Metaphysicę est ens, sub quo secūdùm rationē analogicā collocatur *Deus*, qui est subiectum Theologiæ: omnis autē scientia de subiecto directē constituto sub subiecto alterius, subalternatur illi, ergo Theologia subalternatur Metaphysicæ. Ratione verò principiorum subordinari omnibus constat, quoniam nititur omniū principijs, imò & conclusionibus determinatis ad propriū discursum: etenim Theologus pro materiæ diuersitate vsurpat veritates cōplexas euidenter cognitas in scientijs omnib. naturalib. ad probādas suas cōclusiones: modò enim assumit propositiones Metaphysicales, modo naturales, modo morales. Ex quo etiā sequitur scientias naturales scire ipsum propter quid cōclusionum Theologicarum: nam Theologia scit Christum esse risibilem: at Philosophia naturalis scit, propter quid sit risibilis, nēpe quia scit animal rationale esse risibile: Theologia item scit Deum esse vnum: metaphysica autem scit, cur sit vnus. *Mayron. Ocham.*

XI. Dico secundum, Theologia non subalternatur propriè vlli scientiæ naturali: ita docent Ægid. in prologo 2.p. primæ partis principalis, q.1.art.1. Henric. in sum. art.7. q.5. Duran. q.8. prologi, nu.6.7.& 8. Scot. q.3. in 5. laterali, §. ad *secundā*, cum Scotistis ibidē Aureol. q. vlt. ar. vlt. ad 2. argu. ex 4. obiectis. Basso. q.3.§. penul. ad 5. argum. & q.6. ar.3.§. vlt. Aquilan. q.3. ad fin. Heruæ. q.6.§. *Ad 2. quæst.* huius verò sententiæ rationem assignat Henric. in sum. art.7. q.4. & 5. dicens de ratione propriæ subalternationis esse, vt subalternans dicat propter quid eiusdem veritatis, cuius solum quia nouit subalternata: At verò veritatū, quas Theologia scit quia, nulla scientia naturalis scit propter quid: etenim veritates purè Theologicæ, vtpotè supranaturales excedunt principia scientiarum naturaliū, atq; adeò impossibile est, vt hæ agnoscāt causam, & dicant propter quid eorum, quę Theologia agnoscit quia: quod deinde fusè probat discurrendo per quatūor modos sciendi, quia, & propter quid, quos colligit ex Aristotele. Verum tametsi admittatur principium illud, nimirum de ratione scientiæ subalternantis esse, vt sciat propter quid id, quod subalternata scit quia, quod requirit AEgid. art. 1. & 2. Durand. q.7. & 8. prologi, Linconiensis in 1. Poster. tex. 30. Louaniensis. Colonien. Caietan. Paul. Venet. Sotus ibid. & q.5. ad 6. negat tamen esse necessarium Caietan. & alij, sed licet id verum sit, non videtur verum nullam scientiam naturalem saltem incōplete scire propter quid veritatum Theologicarum, namq; scientia, ex qua sumitur principium naturaliter euidens, vt coniunctum alteri reuelato inferat conclusionē Theologicā, sciendo id principium siue conclusionem à se demonstratam scit propter quid conclusionis: vt enim scientia subalternans dicatur scire propter quid, non opus est, vt applicet principium conclusioni, neque vt eius veritatem formaliter agnoscat, vt ipsemet Henric. admittit, & colligitur ex Arist. 1. Poster. cap. 10. asserente geometram scire propter quid vulnera circularia tardius curantur, qui tamen nō scit eam propositionem formaliter, quoad ipsum quod est, quidquid in contrarium dicat Aureol. vbi supra: eodem modo, tametsi veritas Theologica, quæ interdum reducitur in alterum principium naturale, pendeat etiā ex principio supernaturali, & proinde formaliter in se cognosci nequeat virtute alicuius scientiæ naturalis, tamen quia principium sumptum à scientia naturali, continet causam passionis demonstrabilis à Theologo, non minus scientia naturalis dici potest scire propter quid illius veritatis, quàm geometra scire propter quid medicinæ, & perspectiuus scientiæ naturalis de iride, & tamen Aristoteles lib.1. Poster. simpliciter admittit geometram scire propter quid vulnera circularia tardius curantur, quod Chirurgus scit, quia ex ipsa experientia: & perspectiuum scire propter quid de iride, quod Philosophus naturalis scit quia: ergò etiam *AEgidius. Henricus. Durand. Scotus. Aureol. Bassolis. Aquilan. Heruæus. AEgid. Duran. Linconien. Louanien. Colonien. Caietanus. Venetus. Soto. Caietan. Aristoteles. Aureol.*

scien-

sciētiæ naturales dici possunt scire propter quid veritatū Theologicarū, quandoquidē hæ ex parte resoluuntur in principia naturalia: quomodo nō incongruè quis diceret Philosophum naturalē ex eo, quod scit animal rationale esse risibile, scire ꝓpter quid Christus sit risibilis: atque adeò si ad rationem subalternationis simpliciter, sat est, vt subalternans sciat ꝓpter quid, & subalternata quia, Theologia subalternabitur sciētijs naturalibus, quorum principijs vtitur.

XII. Durand. Ægid. Henricus.

Omisso itaq; hoc fundamento vt minùs firmo, itemq; fundamento Durandi, quod opus sit subiectum subalternantis esse causam subiecti subalternatę, quod falsum esse superiore capite ostendi, facilè ostenditur cōmunis sententia ex ratione propria subalternatiōis ibidē explicata: nam vt arguit Ægid. respectu cæterarū præter Metaphysicā, deest prima cōditio: Deus enim, q̄ est subiectū Theologiæ, nō cōtinetur sub ente mobili, aut vllo alio subiecto scientiarum naturaliū: Et quāuis Henric. vbi suprà q. 5. ad 2. & q. 6. ad 2. & 3. velit etiam non contineri sub subiecto Metaphysicæ, quādoquidē sub eo solummodò cōtinetur, quatenus cognoscibilis ex creaturis lumine naturali, non aūt quatenus cognoscibilis est per reuelationē, & lumen supernaturale, non est audiendus, quoniā aliud est cōsiderare subiectū quoad ꝓpriā entitatē naturalē, aliud quoad rationē formalē cōpletam, sub qua consideratur; ad rationē verò subalternationis, non est opus, vt subiectū subalternatę cōtineatur sub subiecto subalternātis quoad rationē formalē cōpletā, sub qua venit in eius considerationē, sed sufficit, vt cōtineatur sub subiecto subalternantis quoad rationē formalē quæ: & ideò licet Deus sub alio lumine, ac principijs cōsideretur à Metaphysico, ac Theologo, non proindè secundùm rationem formalem, quæ consideratur à Theologo, hoc est secundùm deitatem, est extra latitudinem entis in cōmune sumpti, de quo agit Metaphysicus: atq; adeò defectu huius conditionis Theologia non excludetur à ratione subalternatiōis respectu Metaphysicæ. Excluditur tamē defectu secundæ: nā, licet Deus nō sit cōpositus ex genere, ac differentia, nostro tamē intelligēdi modo est aliquid p se sub ente directè constitutū, nō per additionem differentiæ extrinsecæ, sed per suā propriā entitatē, qua est primū ens, singulare tamē per se, de quo ens in communi essentialiter prædicatur: quod dissoluit rationē subiecti scientiæ subalternatæ: Et ideò Theologia ex parte subiecti nulli subalternatur. Non etiam ex parte principiorū: etenim quāuis Theologia sumat nonnulla principia ex sciētijs naturalibꝰ, nō tamē vniuersim, imò in plerisq; discursibus vtitur vtroq; principio reuelato, & quoad præcipuas conclusiones nō vtitur vllis principijs naturalibus, vt benè notat Bassol. q. 6. prologi artic. 3. §. vltimo; Ex quo colligitur non habere subordinationem essentialem ad scientias naturales: si enim illam haberet, omnis assensus Theologicus resolueretur per se, & necessariò in principiū aliquod naturale, sicut conclusiones perspectiuæ omnes resoluūtur in cōclusiones, vel principia geometrica: & assensus reliquarum ꝓpriè subalternatarū in principia sumpta ex subalternātibus: secundo suaderi potest eadem assertio: quoniā Theologia, vt dictū est suprà, habet rationē sapientiæ, & considerat altissimas causas superiori modo, quā sciētiæ naturales, quare nequit ijs subalternari, semper enim subalternans cōsiderat causas superiores, & vniuersaliores ijs, quas considerat subalternata. Deniq; nulla sciētia subalternata regulat veritates subalternantis, aut eius errores coarguit, Theologia verò, vt dicā capite sequente, dirigit, ac moderatur scientias naturales, nè aberrent à veritate: ergò non subalternatur ijs. Bassol.

XIII. Ex dictis facilè dissoluuntur argumenta initio proposita: nam primum deficit, qiua licet Deus sub ente cōmunissimè sumpto collocetur, non addit tamen differentiam accidentalem, quod requiritur ad ꝓpriam rationem subalternationis. Ad secundum respōdetur, ad veram subalternationē non sat esse, vt vna scientia sumat aliqua principia ex altera, sed omninò requiri, vt discursus subalternatæ maiore ex parte nitatur principijs sumptis à subalternante, quod longè aliter se habet in Theologia, vt dictum est suprà. Eodemque modo respondetur ad vltimum, nempè non propterea sciētiam esse subalternantem alterius, quia scit propter quid vnius, vel alterius cōclusionis, quas altera scit quia: atq; adeò tametsi concedatur Philosophum naturalem saltem incompletè scire propter quid alicuius conclusionis Theologicæ, non proindè erit subalternans respectu illius, quia per se de ratione Theologiæ non est, vt procedat ex principijs naturalibus, alioquin non esset discursus Theologicus qui non constaret altero saltem principio naturaliter cuidente, quod est falsum, vt iam dixi.

XIV. Ex his constat Theologiam non subalternari propriè illi scientiæ naturali; an verò subalternetur impropriè, quispiā dubitauerit. Et videri forsā possit subalternari:

tum quia subiectum eius collocatur sub metaphysicæ subiecto, tum quia sumit aliqua principia naturalia. Verùm si subalternatio sonet aliquem modum subiectionis, ac subordinationis, neque impropria admittenda est: nam sapientia, ac regina reliquarum scientiarum, qualem esse Theologiam suprà ostendi, non subordinatur, aut subijcitur ancillis, sed potiùs eas sibi subijcit. Nec verò ex eo, quod subiectum eius directè subest subiecto Metaphysicæ dicenda est illi subalternari. Ad hoc enim requiritur vt subalternans, saltem quo ad notitias, ac rationes proprias communiores, descendat in subalternatam communicando illi clariorem notitiam terminorum: quod minimè præstat Metaphysica in ordine ad Theologiam: cum enim hæc non procedat ex penetratione terminorum, sed ex reuelatione ineuidente, non indiget ad assensum suorum principiorum, vel conclusionum accurata, & exacta notitia apprehensiua subiecti, aut passionum de ipso demonstrabilium: sed sat illi est confusus conceptus illorum, qualem homines communiter habent absque scientia Metaphysica. Et ita ex eo præcise, quod versetur circa subiectum directè substans subiecto metaphysicæ, non sumit illa ratio subalternatiõis. Vndè Ægid. ar. 1. citato, quãuis concedat alias scientias naturales aliquo modo subordinari metaphysicæ, negat tamẽ subalternari illi Theologiã, quia non subijcitur, neq; ordinatur ab illa, ex parte verò principiorum non nihil subordinationis apparet, etenim principia omnia, ex quib. per se pendet assensus cõclusionis, sunt regulæ, ac mensuræ veritatis illius: at ex principijs naturalib. assumptis à Theologo ad ostendendam cõclusionem aliquam Theologicã, per se pẽdet assensus Theologicus, quare ea habent rationẽ mẽsuræ, respectu Theologiæ, & consequenter hæc est aliquo modo subalternata ijs scientijs, à quibus principia desumit. Huic argumento facilè respõdere se putant Ægid. ar. 1. citato ad 4. Héric. q. 5. ad 3. & Aureol. vbi suprà, dicentes Theologiã nõ sumere principia ex scientijs naturalibus, quasi regulas, siue mensuras sui assensus, sed tanquam instrumenta, quibus vtitur: quemadmodum militaris vtitur instrumentis fabrilium ad suum finem consequendum, nec tamen proindè illis subordinatur, quin verò illæ subordinantur ipsi, siquidem habent finem subordinatum fini ipsius. Verùm huius responsionis vim sequenti capite expendam. Nunc verò respondeo, etsi ex hac parte non nihil subordinationis esse videatur, non tamen per se; quoniam, si eadem illa principia reuelentur, iam dari potest assensus Theologicus absque dependentia ad illa. Accedit quod, vt iam alibi dixi, principia naturalia quodãmodo absorbent à principio fidei, & traducũtur à ꝓpria ratiõe formali, atq; adeò ex nullo medio purè naturali ꝓcedit discursus Theologicus: & idcirco per principiũ fidei simul cõcurrens extrahitur Theologia à subordinatione respectu sciẽtiarũ naturaliũ: sed quoniã parũ refert, vtrũ dicatur Theologia ratione principiorũ secundũ quid, per accidẽs, & impropriè subordinari sciẽtijs naturalibus, facilè hoc admitti potest absq; eius detrimento: nam adhuc potest absolutè dici sapientia, considerare supremas causas, & simpliciter reliquas huius vitę scientias mensurare ad modum cap. sequente explicandum.

Ægidius.

Aegid. Henricus. Aureol.

Theologiæ non subalternantur scientiæ naturales speculatiuæ, subordinatur tamen moralis practica.

Caput VIII

DIxi de subalternatione Theologiæ respectu aliquarum scientiarum. Nunc videndum an ipsi reliquæ subalternentur. Et quidem si de supernaturalibus sermo sit, perspicuum est nullam illi subalternari. De naturalibus est aliqua dubitatio. Henricus in sum. art. 7. q. 4. sentit scientias omnes naturales propriè, ac per se subalternari Theologiæ. Fundamentum eius est id, quod cap. 5. ex ipso retuli: nimirum quoniam existimat de ratione ꝓpriæ subalternationis non esse, vt subiectum subalternatæ scientiæ addat differentiam accidentalem subiecto subalternantis, neque vt ab illa sua principia sumat; sed satis esse vt ambæ agant de eodem subiecto differentes solùm quoad modum considerandi quia, & propter quid: Theologia autem scit propter quid omnium veritatum, quæ sciuntur quia in scientijs naturalibus: ergò quamuis illarum subiecta non addant differentiam accidentalem subiecto Theologiæ, neque ab ea principia mutuentur, verè, ac propriè erunt illi subalternatæ. Assumptionẽ ostendit, quoniã Philosophi in eis, quæ pertinent ad res creatas solummodò principaliter cõsiderant causas proximas colligatas

I.

Henricus.

gatas naturaliter suis effectib⁹, quas supponunt, dicentes de eis quia sunt: nō respiciūt autem ad primum omniū principium volūtarium separatum, quod est causa ꝑpter quid omnium effectuū: id verò considerat Theologia ascribēdo Deo causalitatē omnium, quæ fiunt super principia ipsa ꝑpria singulorū: Ex quibus nō est certū iudiciū quousq; recurratur ad primā causam, quā considerat Theologus, hoc est volūtatem diuinā, à qua omnis pendet effectus, iuxta sententiam Aug. lib. 3. de Trinit. quā refert idem Henricus. *Nihil fit, quod non de interiori aula summi Imperatoris, aut mandatur, aut permittitur in ſtius totius creaturæ immensa quadā Republica.* Idem quoq; censet de practicis. Probat autē, quandoquidē in his ipsum ꝑpter quid sumitur à fine vltimò, respectu cuius à quolibet alio fine mediato sumitur ipsum quia: atq; adeò scientia, quæ attingit finem vltimū operandorum, secundū quē totum opus regulari debet, est subalternās respectu scientiarū inferiorum, quæ attendunt fines proximos, & intermedios non cognoscēdo rationē finis vltimi: Deus aūt quatenus est bonum creaturę rationalis, est finis vltimus omnis scientiæ operatiuæ, omnis enim refert proximè, vel remote ad felicitatem hominis, quæ cōsistit in possessione Dei, quaten⁹ est bonū supernaturale: hunc aūt finē inter scientias viæ sola Theologia attingit dictans propter illum omnia fieri debere: ergò illi subalternātur omnes scientiæ practicæ.

II. *Durand. Scotus. Basso. Heruæus*

Contra verò Durand. q. 8. prologi, nu. 5. 9. & 10. Scot. q. 3. in 5. laterali, §. *Ad secundam quæstionē*, cum interpretibus ibidem, Basso. q. 6. prolog. ar. 3. §. vlt. & ar. 4. §. *Ad rationes*; Heruæ. q. 6. §. *Ad tertiā quæstionē*, existimant nullā prorsus scientiā naturalē speculatiuā, aut practicā subalternari Theologiæ. Præcipuū fundamentū est, quoniā scientiæ subalternatæ resoluuntur in subalternantem, scientiæ verò naturales resolui nequeunt in Theologiā, ergò nō subalternātur illi. Assumptio ostenditur quoniā assensus euidēs resolui nequit in obscurū, & ineuidentem. Assensus scientiarū naturaliū sunt euidētes, assensus verò Theologicus ineuidens: ergò illi in hunc resolui haud quaquā possunt. Eadēq; ratio militat in scientijs practicis: nā licet Theologia, quaten⁹ practica est, intēdat vltimū finē, quē tandē respicere debēt fines omniū practicarū naturaliū, directio tamē finiū intermediorū ad vltimū nō est euidens, neq; naturaliter agnoscitur ab alijs scientijs practicis: atq; adeò ipsæ nō recipiunt directionē à Theologia, nec per se respiciunt eius finē: neq; ad perfectā rationē scientiæ in suo genere indigent eius directione: perfectio quippè naturalis in suo genere potest esse completa sine admistione rerū ordinis supernaturalis: omnis autē scientia practica subalternata ad suam perfectionē indiget directione, & applicatiōe subalternantis ad finē eius vltimum: quare naturales practicę non subalternanē Theologię. Et confirmatur quoniā scientiæ practicæ, quę versantur circa eandem omninò materiā diuersō solùm modo nō sunt subordinatæ, nisi interueniat aliqua ratio prioris tum in intentione, tum in executione, ita vt subordinata priùs via executionis attingat suū finē, quam subalternans: hæc aūt priùs intendat propriū finem, qui est vltimus, quam illa suū, q. est proximus: hic ordo nō seruatur inter Theologiā, & practicas naturales, ergò hæ non subordinantur illi: Maior propositio cōstat ex ratione ꝑpria subordinationis practicarū scientiarū, quæ consistit in eo, vt subordinatæ dirigātur ad finē intentum à subalternante, q. est vltimus, scilicet in executione, & proindè debet esse primus in intentione: contra verò fines subordinatarū sunt priores quoad executionē, posteriores quoad intentionē. Assumptio ostenditur quoniam ordo essentialis nullo casu, aut suppositione possibili prætermitti potest, eiusmodi verò ordo inter fines Theologiæ, & practicarum naturalium prætermitti potest, facta aliqua suppositione non impossibili; Etenim si Deus ordinasset hominem solùm ad finem naturalē prætermitteretur eiusmodi ordo manentibus scientijs practicis naturalibus, adhuc enim dictarēt de operationibus rectis, & rationi cōformibus in ordine ad felicitatem naturalē, quin via intētionis præcederet finis supernaturalis: ergò is ordo non est essentialis: atque adeò ex eo non sumitur ratio subalternatiōis, quæ necessariò conuenit scientijs.

III. Obseruandum hic est scientias practicas habere duplicē modū subalternationis, nēpè ratiōe subiecti & finis: inter quos est hoc discrimen, q. in subalternatione ratiōe subiecti id habet se ꝑ additionē ad subiectum subalternantis: in subalternatione verò ratione finis subalternantiū finis habet se per additionē ad finē subalternatarū, q. supponitur tanquā mediū ad finē subalternantiū. Priore modo scientiæ practicæ subalternari possunt speculatiuis, quandoquidē non repugnat vt subiectum, quod ab vna scientia consideratur absq; habitudine ad operationē, cōtractū per aliquā differentiā cōsideretur ab alia in ordine ad opus, vt cōstat in ijs practicis, quæ subalternanē Mathemati

cis

cis speculatiuis. Posteriore modo nequaquam subalternari possunt: nam speculatiuæ non habent pro obiecto finem operabilem, atque adeò ratione finis nõ possunt subalternare sibi scientias practicas. Hoc posito quæstioni hoc ordine satisfaciam; primo comparabo Theologiam cum speculatiuis naturalibus, deindè cũ practicis, idq; dupliciter vel cõsiderando ipsam quà speculatiua, vel quà practica est.

IV. Dico primum. Scientiæ naturales speculatiuæ propriè loquendo non subalternantur Theologiæ. Ita expresse docent Ægidius q. 1. citata, art. 3. Palat. q. 6. Durand. Scot. Bassol. & Heruæus relati numero. 2. quam probant argumenta 2. loco proposita. Deindè verò ostenditur ex conditionibus propriæ subalternationis traditis cap. 5. Priores enim, quæ sumuntur ex parte subiecti, perspicuũ est illi deesse: nam Deus, qui est subiectum Theologiæ, est natura singularis, cui proindè subiecta scientiarum naturalium nequaquam subsunt, nec se habent per additionem ad illum, vt per se patet, deindè verò etiam deest vltima conditio sumpta ex parte principiorum: nam quamuis Theologia modo aliquo sit regula, & mensura veritatum naturalium, ad modum infrà explicandum, eius tamen principia, aut conclusiones, non sumuntur à scientijs naturalibus: imò nec sumi possunt: ergò neque ex parte principiorum habet veram rationem subalternantis. Assumptionem ostendo, namque principia prima scientiarum naturalium sunt nota ex terminis, quæ verò ita nota sunt, non possunt esse conclusiones Theologiæ, quæ est ineuidens, vt superiùs ostendi: ergò principia scientiarum naturalium non sumuntur ex Theologia: Et cõfirmatur, quoniam plurima sunt principia scientiarum naturalium, quæ non sunt reuelata, neque ex reuelatis deducta: quare illa sumi nequeunt à Theologia. Accedit quod scientia sumens principia ab alia habet indigentiã, neque potest scire propter quid absque ope illius: scientiæ verò naturales conclusiones suas euidenter, & propter quid agnoscunt absque ope Theologiæ; nam quis dixerit Mathematicum, vel Philosophum naturalem non habere vllam demonstrationem propter quid, aut ad eam habẽdam Theologiæ ope indigere? sanè Aristoteles, & reliqui Philosophi admittunt in scientijs naturalibus demonstrationes constantes primis, & immediatis, causisq; conclusionũm, quæ suaptè natura gignunt scientiam: neq; vllus ipsorum in scientijs naturalibus agnouit vllam indigentiam opis externæ scientiæ supernaturalis: ergò non est vera subalternatio earum respectu Theologiæ ex parte principiorum. Præterea vel scientiæ naturales indigent per se ope Theologiæ ad explicatiorem notitiam terminorum, vel ad probationem suorum principiorum: non ad primum: nam Theologia quoad apprehensionem, ac notitiam simplicem terminorum conuenit cum scientijs naturalibus, & potiùs eã ab illis mutuatur, quam ipsa illis impertiatur: non ad secundum, ergò non est ex parte principiorum vlla subalternatio naturalium ad Theologiam. Posterior assumptionis pars suadetur, tum quia, vt suprà dictum est, assensus euidens ex terminis, qualis est principiorum naturalium, non indiget alia probatione: tum quia in Theologia non est vndè principia reliquarum scientiarum probari possint: nam, quamuis fortè vnum, vel aliud ex Theologicis principijs probaretur, id etiam de mente ipsius Henrici non est satis ad subalternationem, sed est opus, vt principia ex subalternante sumpta descendant in totam subalternatam, & omnes eius conclusiones: id verò præstari nequit à Theologia, quam viatores habent, non enim assignabitur vna eius conclusio, aut principium, quod necessariò applicari debeat omnibus, ac singulis principijs, aut conclusionibus scientiarum naturalium. Nam cum Theologia procedat ex reuelatis, nõ plus se extendit, quã patiantur principia reuelata, ex reuelatis autem concludi nequeunt omnia, quæ pertinent ad alias scientias naturales, vt p se patet: imò si attẽtè res perpendãt pauca admodũ ad naturales scientias pertinẽtia probari possũt ex reuelatis.

Ægidius. Palatius. Durand. Scotus. Bassol. Heruæus

V. Huic argumento respondebit aliquis ex doctrina Henrici vbi suprà dicendo ex reuelatione agnosci omnipotentiam, ac voluntatem diuinam, quæ sunt prima principia, & causæ rerum omnium creatarum: atque adeò ex his principijs pendere notitiã propter quid omnium, quæ in scientijs naturalibus agnoscuntur. Verùm solutio non tollit argumenti vim: Etenim scientiæ maiore ex parte non considerant rerum existentiam, sed connexionem necessariam inter passionem, ac subiectum: quæ abstrahit à singularibus, quorum propriè est existentia: atq; adeò eiusmodi veritates reduci nequeunt ad voluntatem diuinam, à qua non pendent rerum essentiæ, & connexiones necessariæ, sed existentia, & ea, quæ existentiam supponunt. Deindè verò, esto depẽderẽt, vt scientia aliqua dicat scire propter quid effectuũ, quos alię considerãt, non satis est scire in confuso, & in cõmuni

ad cau-

ad causam eiusmodi reduci omnes effectus, sed etiam requiritur, vt attingat id, secundùm quod effectus continentur in causa; nam rusticus scire potest in confuso solē, ac stellas, secundùm varias coniunctiones esse causam mutationum, quę diuersis anni temporibus interueniunt; verùm quia nec varietatem coniunctionum agnoscit, neq; percipit vim ipsarum, dici nequit scire ꝓpter quid sit tanta varietas temporum: similiter quāuis Theologus ex reuelatis intelligat effectus omnes creatos reduci in Deum, tanquā in primam causam: ignorat tamen quid ipse decreuerit, aut quæ in eius omnipotentia contineantur: multa enim continentur, quæ ignoramus, ideoq; non potest meritò dici scire ipsum ꝓpter quid effectuum, quos scientiæ naturales discursu proprio assequuntur: atq; adeò modus hic agnoscendi Deum tanquam primā causam non est satis ad constituendam veram subalternationem scientiarum naturalium respectu Theologiæ ex parte principiorum. Ex quibus etiam patet solutio ad argumētum Henrici: inprimis enim fundamētum contentum maiore propositione cōmuniter reijcitur à Doctoribus, & meritò: nam vt explicat D. Thomas ibidem lect. 25. subalternatæ subiectum se habet ad subiectū subalternantis per additionem, vt etiam se habet subiectum naualis eius, de qua loquitur Philosophus, ad subiectum astrologiæ, Astrologus enim considerat numeros, ac motus astrorum, Naualis autē cōsiderat eadem astra cum addit one sensibili, hoc est quatenus sunt signa apparentia serenitatis, vel tempestatis, licet autē propositio vera esset, adhuc neganda est assumptio: cuius ꝓbatio supponit demonstrationes naturales per se recipere existentiā, quod est falsum. Quod si hoc ipsum admittamus, adhuc respondeo particulares scientias considerare particulares causas iuxta singularū abstractionem: nam prima, vt potè cōmunis omnibus, & singulas res proprios motus agere finens, non venit in cōsiderationem singularum scientiarum, sed supponitur ab omnibus, nec proinde Philosophi sciūt solùm quia, quoniā posita rerum existentia, & abstrahēdo à causa ipsius, sequi necessariò debēt effectus, ad quos causæ naturā ipsa sunt determinatæ, & ex euidente notitia causarū euidenter agnoscuntur effectus: atq; adeò licet aliquis ex imperitia Deū esse nesciret, si tamen Mathematicę studio incumberet, ex terminorū explicatiōe nō minùs acquirere, veram scientiam quā Theologus. Quin vero, & si notitia primę causę per se necessaria esset ad habendā scientiā propter quid rerum omnium naturalium, ad id non sufficeret ea, quæ per Theologiam habetur, quoniam non attingit Deū secundùm particulares rationes, queis continet diuersos effectus: quod omninò requiritur ad hoc, vt dicatur scire propter quid ea, quæ ab alijs scientijs agnoscuntur.

D. Thom.

VI.

Dico secundum scientiæ naturales, si nō propriè, aliquo tamen modo subordinantur Theologiæ. Hanc statuo secundùm mentem Ægidij q. citata art. 1. & 3. Aureo. q. vltima prologi art. vltim. ad 2. argumētum ex 4. obiectis: & Henrici vbi suprà. eiusdem sententiæ sunt Doctores, qui affirmant Theologiam esse principalem alijs imperantem, & in sui obsequium omnibus vtentem. Ita Sanct. Thom. quęst. vnica prologi art. 1. in corpore, & quæst. 2. super Boetium de Trinitate art. 3. ad 7. Henricus in summ. art. 7. qu. 6. Gerson 3. p. lib. 3. de consolat. Theologiæ prosa 4. alphab. 55. lit. y. & 4. p. tracta. de concord a Metaphysicæ alphabet. 20. lit. T. & V. Marsilius quæst. 2. prologi art. 2. fundamentum est, quoniam cum Theologia habeat rationem sapientiæ, necesse est vt habeat aliquam supereminentiam suprà scientias naturales, quæ subiectio habet rationem cuiusdam subordinationis, & subalternationis. Ea verò sumitur partim ex subiecto, partim ex principijs: ex subiecto quidem non ratione vniuersalitatis, sed excellentiæ, & causalitatis, quandoquidem Deo omnia subijciuntur, non vt vniuersali in prædicando, sed vt præstantissimo enti, quod est mensura cæterorum, & vniuersalissimæ causæ, à qua omnia pendent, & omnia illum respiciunt vt finem vltimum, in quem tendunt. Et hoc modo Ægid. concedit scientias naturales subalternari Theologiæ. Ex parte verò principiorum, eatenus subiectas habet scientias naturales, quatenus nititur superioribus principijs, quæ non retractat ob vllam apparentem euidentiam principij inter Philosophos vsurpati, imò dogmata Philosophica expendit ad regulam primæ veritatis respuendo, & corrigendo, si quæ illi contraria occurrunt, approbando verò, quæ eidem consentiunt, vt docent Sanctus Thomas 1. part. quæstion. 1. articul. 6. & in 2. Scripto quæst. 2. prologi art. 2. ad 2. Henric. art. citato. quęst. 6. Gerson. 3. part. cit. & 4. p. sermone de Angelis, alphabet. 1. lit. R. Ex fide enim, ac Theologia habemus quarundam rerum naturalium cognitionem: quam sola ratio naturalis acquirere non poterat, & expositionem quorundam principiorum naturalium,

Ægid. *Aureol.* *Henricus.* *S. Thom.* *Henricus.* *Gerson* *Marsil.* *S. Thom.* *Henricus.* *Gerson.*

quæ

quæ à Philosophis absque distinctione admittebantur. Et hac solùm ratione Theologia confert aliquid principijs Philosophicis, quasi superior mensura eorum veritatem, vel falsitatem dijudicando, nó quidem in vniuersum, vt rectè notat Henricus q.6. citata ad 6. nam pleraque sunt, de quibus Theologus ex proprijs nullum iudicium ferre potest, quãdoquidem nullam habent affinitatem cum reuelatis, ex quibus Theologus procedit, qualia sunt, quæ pertinent ad scientias Mathematicas, & plurima etiam ad Philosophiã naturalem. Porrò argumenta Bassol. non pugnant contra hanc assertionem: nam ad hunc modum subordinationis non requiritur euidentia ex parte scientiæ superioris, sed sat est certitudo veritatis: qua confutetur falsitas opposita, vel fulciatur veritas consonans principijs, quæ sumuntur, vt mensuræ regulandi: & ideò, quamuis Theologia sit ineuidens, tamẽ propter certitudinem veritatis, qua excellit omnes scientias naturales potest tanquam Superior dijudicare de dogmatibus naturalium iuxta regulam primæ veritatis, quam sequitur.

VII. Dico tertium scientię naturales practicæ habent modum aliquem peculiarem subordinationis respectu Theologiæ. Hęc est de mente Henric. q. 4. 6. & 8. cum verò practicæ vt dictum est suprà subalternentur speculatiuis: Itemque practicis secundùm rationem subordinationis ad eundẽ finem vltimum, naturales practicæ non subalternantur Theologiæ quatenus speculatiua est. Ratio est, quoniam hæc subalternatio præcipuè cõsistit in ratione principiorum, quæ sciuntur à subalternante, supponuntur à subalternata, ita vt ipsa sciat quia eius, cuius subalternans scit propter quid: hoc autem non conuenit moralibus practicis respectu Theologię: nam ipsę habent propria principia ex terminis nota ad quæ resoluunt suas Conclusiones, nec ad id indigent auxilio Theologiæ, nisi fortè communi modo paulò antè explicato, vt corrigantur ab ea, si quomodo propter obscuritatem luminis naturalis interdum exorbitent à verò. Porrò conclusiones eas, quæ per se pendent ex aliquo principio reuelato, exempli causa, Trinitas est adoranda, confessio integra, & cum debito dolore facienda, & similes deducere ad ipsam Theologiã spectat, & non ad Philosophiã moralem: & ideò ex hac parte non sumitur ratio subalternationis. Neque item ex eo, quod in Sacra scriptura traduntur pleraque præcepta iuris naturalis alioquin euidentia lumine naturæ, ex quibus conclusiones practicæ colliguntur: Etenim Philosophia moralis elicit sua dictamina practica ex ijsdẽ principijs, non quatenus subsunt diuinæ reuelationi, sed quatenus naturali lumine innotescunt: discurrere autẽ ex ijsdem quatenus reuelata sunt, non illius, sed Theologiæ proprium munus est. Intelligiẽ verò assertio proposita de subalternatione, siue subordinatione ratione finium, quo modo accepta probatur argumento secundo Henrici initio proposito, nempè quia fines reliquarum scientiarum tendunt omnes ad finem Theologiæ, vt etiam dixit D. Thomas 1.p.q.1. art.5. cui argumento non satisfacit solutio, quam adhibet Durand. numer. 9. & Bassol. vbi suprà, nimirum quod scientiæ practicę naturales non dirigunt operationes, quas mẽsurant ad finem suparnaturalem, nec illis euidens est huiusmodi directio: Enim verò ad subordinationem practicarũ non omninò requiritur, vt ministrantes per se directè, ac euidenter intendant finem architectonicę vtẽtis ipsarũ ministerio, sed sat est, vt principalis intẽdens vltimum finem omnium, eas applicet ad operationes proprias, vel ipsarum instrumentis vtatur, ex intentione vltimi finis; Exempli causa ars frenofactoria, & fabricatrix armorum subordinatur militari, quæ est in duce, & hæc politicæ, quæ est in Summo Principe, vel concilio Reipublicę, nec tamen opus est, vt fabricator armorum intendat finem victoriæ, sed vt ea fabricetur apta ad suum munus, & si ignoret modum ijs vtendi: sufficit autem, vt milites ex præscripto Ducis vtantur armis ad finem victoriæ: quam etsi ipsi per se non intendant, & frequenter ignorent, quomodo ex suo facto sequi possit, quia iubentur ea facere, quorum habitudinem ad victoriam ignorant, operantur tamen propter illam ex directione ducis, qui scit quomodo singulorum opera, atque industria ad vniuersalem finẽ victoriæ accommodari debeat, eaque ad eum finem dirigit: hunc etiam sæpè latent consilia Principum, & ignorat quomodo militię, immò, & victoriæ, quam intendit vsus redundet in bonum commune Reipublicę: Et tamen artes, quæ fabricantur arma, subordinantur militari equestri, & pedestri, hæ scientiæ ducis, hæc autem ciuili: Eodem prorsus modo cum finis Theologiæ sit supremus, atque vltimus, in quem practicarum omnium fines tendere debent, & ea tanquã Regina cęterarum operationes, ac fines dirigat ad proprium finem, qui est supernaturalis hominis beatitudo: quamuis hæc habitudo ignoretur ab alijs scientijs, non

Henricus

S.Thom.

Durand. Bassol.

proin-

proindè desinent habere rationem subordinationis, quæ potiùs consistit in passiuo vsu ipsarum, & operationum, quas superior scientia ordinat ad proprium finem, quam in cognitione finis ipsius: etsi enim illum ignorent dummodò sciant proprium, atque immediatum, & conformiter ad illum operentur, ita vt is sit aptus dirigi in vltimum finem, quem superior sententia intendit, verè illi subordinantur.

VIII. Ex his facilè soluitur secundum argumentum adductum pro opinione Basiol. negãdum quippè est, quod supponitur, nimirum ad subordinationem practicarum requiri vt directio, & habitudo operationum, seu finium ipsarum ad eum, quem principaliter intendit subalternans, sit euidenter cognitus à scientia subordinata. Negandum etiam, quod additur, scilicet practicas morales non recipere directionem à Theologia: nam cum intentio finis sit mensura mediorum, Theologia intendens finem vltimum supernaturalem præscribit normas superiores dictaminibus moralibus scientiarum naturalium, iuxta quas illa moderanda sunt; quod verò dicitur practicas naturales per se non respicere finem Theologæ, verùm est, sed ex eo nihil contra dicta sequitur, sat enim est ad subalternationẽ, de qua agimus, vt respiciant proprium finem, & operationes, quas Theologia dirigit ad finem supernaturalem. Ad confirmationem respondetur subordinationem inter practicas scientias quandam esse à natura, quomodo omnes subordinantur politicæ, quæ intendit felicitatem ciuilem naturalem, aliam ex ordine gratiæ, quam omnes habent ad Theologiam secundùm rationem practicam. Inter quas partim conuenit, partim differt: conuenit quidem, quoniam scientia superior dirigit subordinatas ad finem proprium ipsius, in quo consistit propria ratio subordinationis: differt autem, quoniam hæc directio suaptè natura semper esse potest à suprema practica naturali, non semper autem à Theologia, sed facta suppositione reuelationis diuinę, & prædestinationis creaturæ rationalis ad finem supernaturalem, ideoque licet aliter esse potuerit, non proindè modo desinunt aliæ scientię subordinari Theologiæ: quemadmodum, licet esse potuerit status hominum purè naturalis absque gratia, & caritate ordinis diuini, quæ facta hac suppositione, tunc non dominaretur alijs virtutibus, nõ proindè modo desinit ea esse omnium Regina, earumque actus imperare, ac dirigere ad proprium finem, vt explicat D. Thomas in 3. d. 27. q. 2. art. 4. quæstiuncula 3. & secunda secundæ. q. 23. art. 4. in responsione verò ad 2. tribuit ei similem modum dirigendi illi, quem Philosophus lib. 1. Ethicor. cap. 1 tribuit habitibus practicis architectonicis respectu ministrantium, in hoc ergò cõsistit subordinatio, vt quemadmodum virtutes naturales in statu priori naturali, non indigent directione, aut imperio caritatis supranaturalis, constituto verò statu ordinis supranaturalis ex decreto diuino, & communicatione donorum supranaturalium, iam respectu finis supranaturalis virtutes cæteræ manent subiectæ charitati, ad cuius imperium proprios actus eliciunt, ita scientiæ practicæ naturales in statu purè naturali, ac respectu finis vltimi naturalis, non indigent per se directione Theologiæ, at posito supranaturali ordine, & præstito nobis à deo fine supranaturali, quẽ Theologia practica intendit, eius est naturales practicas ad eundem finem dirigere.

TRACTATVS SEPTIMVS, DE LOCIS THEOLOGICIS.

POSTQVAM de causis, subiecto, & natura Theologiæ dictum est, sequitur, vt priusquam aggrediar ad disputandum de Deo, non nihil dicam de principijs Theologicis; nam autore Philosopho lib. 1. Poster. cap. 1. antè ingressum scientiæ supponere oportet de principijs quod sint vera. Hanc tractationem alij de locis appellant, quatenus scilicet sunt notæ quædã, ac sedes, ex quibus argumenta depromũtur. Ad quem modum Aristoteles, & post eum Marcus Tullius libros Topicorũ scripserunt, & inter Theologos Melchior Canus de locis Theologicis iustum volumen edidit. Non est autem præsentis instituti singulos eorum exactè explicare: plerique enim ad aliã Theologiæ partem, maximè ad materiam de fide, pertinent: sed breuiter ostendere, quam vim, & vsum habeãt ad discursus Theologicos. In primis autem vim, ac naturã loci Theologici describam, tradamq; discrimẽ eius à locis scientiarum naturalium, simul etiam in suas partes diuidam: deindè verò de singulis ordine differam, præcipuè verò de Sacra Scriptura, quæ primum, ac præcipuum locum vendicat. *Aristot.*

De natura, & discrimine, inter locos Theologicos.

Caput I.

I. Locum esse thesaurum argumentorum ad faciendam fidem constat ex Rhetorica, ac Dialectica, omnis autem persuasio autoritate, vel ratiõe nititur: & ideò ad discendum, vt ait Augustinus lib. 2. de ordine cap. 9. autoritate ducimur, & ratione: autoritas fidem flagitat, & ratione præparat hominem: ratio ad intellectum, cognitionéq; perducit, vt asserit idē Aug. lib. de vera religione c. 24. Et quãquam ratio antiquior, ac prior, quia in ipsa rerũ natura fundatur, autoritas ordine doctrinæ præcedit, aperitq; ianuam ad disciplinas: quas, cùm præeunte autoritate acquirere homo cœperit, tunc demum discet, & quanta ratione sunt prædita ea ipsa, quæ sequutus est antè rationem, & quid sit ipsa ratio, quam post autoritatis cunabula firmus, & idoneus sequitur, atq; comprehendit. Ratio huius est, quoniam hominũ animus crassis ignorantiæ tenebris opacatus non potest primo intuitu in ipsam veritatis lucem aciem intendere, nisi sub autoritatis vmbra, ideoq; meritò Apostolus antiquorum Patrum autoritatem nubem appellat, *habentes*, inquiens ad Hebræos 12. *impositam nubem testiũ*, quia verum testimonium quasi nubes ipsos veritatis radios mitiores quodammodo ad mentis oculos traducit, hoc idē rectè notat D. Augustin. lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ c. 2. his verbis: *quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiorumq; velatur perspicuitati, synceritatiq; rationis aspectum idoneum intendere nequeunt saluberrimè comparatum est, vt in lucem veritatis aciem tutubantem, veluti ramis humanitatis opacata inducat autoritas*, quod si verùm est in ijs scientijs, quas homines naturali discursu ratiõis acquirere possunt, quanto certius existimãdum est in ea, quæ est suprà vires, suprà lumen naturale intellectus, cuius ianua non nisi credentib. aperitur? Nam, si prima principia naturalium scientiarum ianuas meritò appellauit antiquitas, iure optimo fides Theologiæ ostium dici potest. Nec verò mens nostra vtitur autoritate deserta à ratiõe, nam cum sit rationalis, nunquam actus eius sine vera, vel saltem apparente ratione reperitur. Dupliciter autem considerari potest vsus rationis in ordine ad scientiam: vel quatenus rectitudinem discursus considerat, & quoad hoc assensus omnis discursiuus ratione gignitur, est enim discursus maximè proprius actus rationis: vel quatenus præbet assensum principijs, quæ sunt causæ assensus conclusionis: & his quidem absque vlla omninò ratione, vel motiuo assentiri impossibile est: & cum ex autoritate mouetur ad assensum, hoc ipsum ex ratione est propter quod dixit Diuus Augustin. lib. de vera religione cap. 24. nec ipsam autoritatem deseri à ratione, cùm consideratur, cui sit credendum; nam hîc etiam ratio suum locum habet, quatenus expendit autoritatem dicentis an digna sit, cui credatur: sed enim ratio, quam Theologi ab autoritate distinguunt, non hoc modo sumitur, sed pro principio aliquo, siue motiuo assentiendi sumpto ex natura rei sublata quauis autoritate dicentis: quæ ideò ratio appellatur quoniam innotescit ex studio rationis; cuius testimonio innititur assentiens, non verò alieno.

II. Hinc oritur celebris diuisio locorum in insita, atq; extrinseca: illa insunt in ipsis rebus, hæc extrinsecus assumuntur: illa ratione, hæc autoritate continentur. Verùm vt rectè notat Albertus tract. 1. sum. quæst. 5. m. 2. ad 4. longè patens est discrimen inter modum, quo Theologia, cæteræq; scientiæ vtuntur autoritate, & ratione, nam apud illas autoritas non gignit scientiam, aut certitudinem, sed solùm præparat rationi locum, vt ait Augustin. & qui solùm credit homini magistro adhuc habet formidinem expositus errandi periculo. Adueniente autem ratione euanescit credulitas, quia iam adest proprij intellectus testimonium per resolutionem ad rationis fundamenta. Itaque in humanis autoritas est argumentum satis infirmum, & imperita multitudini accommodatum, ratio aptior peritis, vt citato lib. de ordine obseruat Augustin. & ideò in exordio scientiarum naturalium multa supponuntur, vel etiam petuntur ab auditoribus, qui nondum ijs exactè percipiendis idonei sunt, quæ postea in progressu ratione reddita demonstrantur. At Theologiæ potissimum fundamentum est autoritas non ratio, & ita ab autoritate incipit, in eandemque resolu tur, ratio verò nisi autoritatis adminiculo fulciatur, parum, aut nihil ad Theologiam conducit, vt suo loco dicam. Et ita hoc potissimum differt Theologia à scientijs naturalibus quoad vsum autoritatis, ac ratiõis, quod his autoritas est manuductio, ratio, fundamentum, Theologiæ ratio subit locum manuductionis, autoritas fundamenti, quo tota discursus Theologici fabrica nititur. Qua de causa rectè D. Aug.

scriptu-

scripturarum diuinarum autoritatem firmamentum appellat, sic enim lib.13.confess.cap.15. *quis nisi tu Deus noster fecisti nobis firmamentum autoritatis super nos in scriptura tua diuina.* Notandum verò cur appellet firmamentum super nos: nimirú quia principia ea, quæ mens suaptè vi, & lumine naturali percipit, sunt quidem firmamenta, quibus eius scientia nititur, verùm non super ipsam, quia captum eius non excedunt: sed quodámodò infrà ipsam, quia de ipsis iudicat reducens, atq; expendens ea ad primam mensuram naturalē veritatis: at principia ex autoritate diuina sumpta, quia superant captum intellectus creati, nec veniunt in examen veritatis, sed captiuum redigūt intellectum in obsequium fidei, sunt quidem firmamenta assensuum subsequentium, qui ex illis per discursum gignuntur, sunt tamen suprà mentem.

III. Ex quo sumitur ratio à priore huius differentiæ, non enim ideò Theologia non vtitur ratione, quia non sit, sed quia fugit aciem mentis nostræ: nam vt benè notat D.Thomas super Boëtium de trini. quæst. 1.ar.4.ad 7. explicās testimonium Richar. de Sanct. Victo. dicentis omnia necessaria, quæ fide creduntur, habere suas rationes, non solùm probabiles, sed etiam necessarias, nulla omninò est veritas complexa, cuius non sit aliqua assentiendi ratio: nam, si per se nota est, assensū exigit ex sola penetratione terminorum: si eiusmodi non est, causam, siue rationem habet à priore, propter quam vera sit: atque adeò ipsæ veritates, quas ex fide credimus, vel discursu Theologico probamus, rationes habent: quas si mens nostra clare, distinctéq; perciperet, testimonio fidei, vel discursu ex principijs creditis non egeret. sumitur itaq; distinctio ex proportione intellectus humani ad penetrandas rationes, ac principia scientiarum naturalium, & improportione ad supernaturalium rerum causas, & principia perscrutanda, hoc notat August. lib. 6. confess. c. 5. *cum essemus*, inquit, *infirmi ad agnoscendum liquida ratione veritatem, & ob hoc nobis opus esset autoritate sacrarum literarum, iā credere cœperam*, &c. ideò autoritatis opē requiri fatetur, quia ratio non sufficit.

D. Thom.

August.

IV. Hinc patet Theologiam ex vtriusq; locis argumenta depromere, argumentatur enim ab autoritate, quæ inter argumenta remota continetur, item à diffinitione, à causis, ab effectibus, quæ ad insita pertinent. Nam ex diffinitione fidei tradita à Diuo Paulo ad Hebræos 11. *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, colligit sine fide non dari spem, quoniam hæc illa, quasi fundamento nititur, item de ijs, quæ in prospectu sunt, non esse fidem, à causa argumentatur Diuus Paul. primæ ad Corinth. 15. cum ex Christi resurrectione nostram probat: ab effectu Christus, cùm ex miraculis propria virtute factis probat se esse Deum. *si mihi non creditis, operibus credite*, Ioan. 10. itaq; vsus singulorum locorum, qui à Dialecticis tradi solent, non minùs est familiaris Theologo, quam naturalium scientiarum peritis: quod fusè ostendit Ioachimus Perionius lib. 1. Topicorum Theologicorum. His verò ipsis aut vtitur ex autoritate, aut vt solo naturali lumine cognitis: si primo modo reducendi erunt ad diuersos locos autoritatis: si posteriore ad locum ex ratione, cuius agnitio quoniam à scientijs naturalib. supponitur, nō est cur fusius à Theologo explicetur. Potest autem sumi locus Theologicus propriè, & communiter, siue minùs propriè: locus Theologicus propriè dictus est thesaurus argumentorum de rebus diuinis infallibilis autoritatis sigillo munitus: nam licet ex alijs quoque principijs Theologus discurrat, vt in progressu constabit, hoc solùm est proprium ac necessarium: nam si cætera adsint, desit autem autoritas infallibilis, non est argumentum Theologicum ex principijs, est verò si hoc adsit, etiam si cætera desint; communiter accipitur locus Theologicus, prout continet quoduis argumentum aptum ad probandam conclusionē Theologicam, siue sit omninò certum, siue non: & hoc modo sumitur quando diuiditur à Theologis, in eadem q; acceptione eius diuisionem prosequar.

Hebr. 11.

1. ad Cor. 15.

Ioan. 10.

Ioachim. Perion.

V. Autoritas verò omnis, vt ait Augustin. lib. 2. de ordine cap. 9. vel est diuina, vel humana, seu potiùs creata: diuina in sua radice vnica est, & quoad veritatis immobilitatem semper eadem, quocunque enim varietur penes modos, quibus applicatur semper habet infallibilitatem: verùm pro diuersitate applicationis diuersos quoque constituit locos. Ea verò habet communem modum, quo se immediatè hominum animis insinuat, nempè Dei locutionem, seu dictionem ad extra, vt patet ex consuetudine Prophetarum sæpè repetentium, *hæc dicit Dominus*, quam dictionem, reuelationem, aut verbum Dei appellamus. Id verò proditum est posteritati scripto, vel verbo solùm; ex quo duo sumuntur loca: alter est verbum Dei scriptum, quod scripturis canonicis continetur; alter verbum Dei non scriptum, quod traditiones Apostolicas, concilia, &

Augustinus.

Patres appellant. Quoniam verò non sat est ad faciendam fidem verbum ipsum Dei, nisi nobis tale esse constet, opus fuit teste fide digno, cuius autoritate de illo certi redderemur: non est autem alius, quam Ecclesia, cui Deus commisit thesaurum verbi Dei, & dedit Spiritum sanctũ, qui maneat cum ipsa in æternum, Spiritum veritatis, qui docet, & suggerit omnia per verbum Dei reuelata: & ita Ecclesiæ testimonium de verbo Dei est infallibile. Id verò triplici ratione præbet: vel vnico ore, & confessione vniuersi populi Christiani sub vno pastore Christi Vicario, & Petri successore Romano Pontifice, vel ore ipsius capitis de cathedra aliquid decernentis, vel denique per repræsentationem pastoribus in generali concilio legitimè congregatis: & ita autoritas Ecclesiæ triplicem quasi locum continet, ex quibus constat ita autoritatem diuinam quinque locis diffundi: duobus quidem prioribus continentibus immediatam reuelationem Dei, tribus alijs testimonium infallibile, siue propositionem certam, & indubitatam reuelationis olim factæ.

VI. Autoritas verò creata diuiditur in Angelicam, & humanam, Angelica non est eiusdem rationis: variatur enim propter diuersum statum Angelorum, quorum alij beati, alij reprobi sunt, quia tamen vsus autoritatis Angelicæ rarus est apud Theologos, non est cur in plures locos diuidatur. Autoritas verò humana, vel est de rebus gestis, & ita est locus ab historia, vel de dogmatibus aut principijs, siue Theologicis, siue naturalibus: si sit penes naturalia, est alter locus ab autoritate Philosophorum, siue illi à nostra fide alieni, siue Christiani sint: si verò sit penes dogmata fidei, aut conclusiones ex ipsis deductas ad tria genera reduci potest, aut enim sumitur ex antiquis Patribus, aut ex Theologis scholasticis, aut vtriusque iuris peritis. & ita emergunt tria alia loca nimirum vnus ab autoritate Patrum, ad quos interpretes sacrarum literarum, & spiritualis Theologiæ tractatores reuocari possunt, alter ab autoritate Theologorum scholasticorum; tertius denique ab autoritate iuris peritorum, & ita sex loci sunt ab autoritate creata: quibus si addas locum à ratione, erunt septem: qui coniuncti quinque alijs ab autoritate diuina, conflant numerum duodenarium locorum Theologicorum; sunt autem locus à verbo Dei scripto, à traditionibus Apostolicis, à communi vniuersalis Ecclesiæ sensu, à decretis Summorum Pontificum, à diffinitionibus conciliorum, ab autoritate angelica, ab autoritate Patrum, Theologorum, iuris peritorum, sententia Philosophorum, ab historia, denique à ratione naturali: quæ omnia ferè tradit Can. lib.1. de locis. cap.vltim. & copiosè tractat cæteris libris, & recentiores interpretes D. Thom. 1.p. quæst. 1. ad art. 8. non nulla ex ijs prosequuntur. Ego verò à longiore tractatione abstinebo: solùmmodo verò dicam de singulis, & ipsorum vsu, quantum sat erit ad sciendum, quæ nam vis insit probationibus in Theologia vsurpari solitis, & quæ argumenta sint propria Theologo, quæ extrinseca. Quod in progressu operis vsui erit, nè eadem semper repetere, & inculcare opus sit. Id tamen in commune præmoneo ex his omnibus, non sumi certum, & irrefragabilè argumentum, sed ex quibusdam certum, ex alijs probabilè, vt in singulorũ explicatione constabit. *Can.* *S. Thom.*

De sensu literali Scripturæ Sacræ.

Caput II.

I. VErbum Dei esse dignum, cui fides habeatur, & assensum illi præstitum nequaquam aberrare à vero, solus negabit, qui Deum nescit: autoritas enim diuina, vt ait August. lib.2. de ordine cap.9. obtinet apicè omnis prorsus autoritatis, quia Deꝰ, vt alibi ostendendum est, nec fallere, nec falli potest; atq; adeò vbi cõstiterit de verbo Dei, non est vllo modo de eius veritate dubitandum. Quæ opinio omnibus hominibus à natura insita est, vt perspicuè sumitur ex antiqua mortalium consuetudine consulendi oracula, quibus diuinam autoritatem inesse arbitrabantur: quam persuasionem fides corroborat. Marci 13. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* & Psal. 116. *veritas Domini manet in æternum.* & Psal. 118. *in generatione, & generationem veritas tua.* Nõ itaq; de verbo Dei certo dubitat, aut disputat Christianus, sed ipsum reuerenter suspicit vt normã, ex qua de cæteris iudicat: ob quam causam meritò affirmauit Gregor. Nazianz. prima inuectiua in Iulianum satis post medium doctrinam Christianam esse Pythagoricam, non quidem quoad dogmata, sed quo ad perdiscendi modum; nam sicut Pythagoræ discipulis ad amplectendam sententiam erat sufficiens, & irrefragabile argumentũ, *ipse dixit*, ita Christianis ad credendum sufficit dixisse Deum, & Christum eius. Nec vllus hominum etiam à nostra fide alienus *August.* *Marc. 13.* *Psal. 116.* *Psal. 118.* *Nazianz.*

negabit

negabit autoritatem diuinam esse maxima fide dignam; sed iam videndum quibusnã monumentis contineatur verbum Dei. Id verò à sanctis Patribus, & recentioribus Theologis, qui contra hæreticos disputãt, bifariam diuiditur, nempè in scriptum, & non scriptum: & quoniam scriptum notius est, de eo priùs, deindè de non scripto dicã.

II. Verbum Dei scriptum, confessione omnium Patrum, & Doctorum Christianorũ libris canonicis continetur, in quib. omnes diuinam autoritatem & veritatem recognoscunt: & quamuis interdum de eius interpretatione dissentiãt, de veritate sensus à Spiritu sancto intenti non dubitant. Et quidem ad probãdum eos cõtinere verbũ Dei nobis, qui Christiani, & Catholici sumus, sat est autoritas Ecclesiæ, quæ eos in canonẽ recipit in Concilio Trident. sess. 4. *Concil. Trid.* decreto de Canon. scripturis testata priùs Deum esse illorum autorem: nec verò hæc receptio voluntaria fuit, sed ex antiqua Ecclesiæ Patrum traditione: qui libris, indice illo à Concil. scripto, contentis pro scripturis diuinis vsi sunt. Quod latè confirmant Ioannes Driedo lib. 1. de catalogo Sacræ *Driedo. Cano. Medina. Cathar. Sixt. Senens. Bellarmin. Rugerius.* Scripturæ, Canus lib. 2. de locis à c. 5. vsque ad 11. Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide, Alphõsus de Castro. lib. 1. aduersus hæreses c. 2. Sixtus Senẽs. lib. 1. biblioth. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei, Iulius Rugerius opusculo de libris canonicis, & Garcia Galarza lib. 4. institutionũ Euangelicarũ. *Galarza.* Libros igitur Canonicos tanquã fundamẽta suæ disputationis, ac scientiæ suscipere debet Theologus: quapropter enim Canonici dicti sunt, non solum quia ex Ecclesiæ Canone, siue regula tanquam libri Sacri suscipiendi sunt, sed etiã quoniam ipsi sunt Canones, siue mensurę, ad quas veritas omnis Theologica reuocari, & expendi debet. Ea propter Trident. vbi suprà, cum sacrorum librorũ Indicẽ texuissent, antequam ad dogmata stabilienda accederet, præmisit: *Omnes itaq; intelligãt, quo ordine, & via ipsa synodus post factum fidei confessionis fundamentũ sit progressura, & quibus potissimum testimonijs, ac præsidijs in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit vsura.* Quæ conclusio refertur ad antecedens decretum: quasi dicat Concil. ideò præmissa est approbatio traditionum apostolicarum, & librorum Canonicorũ, vt omnes sciãt eorũ testimonijs tanquã fundamentis vsuram synodum ad dogmata stabilienda: qui mos fuit vsitatus ab initio nascentis Ecclesiæ supponentibus sanctis Patrib. ad veritatis Theologiæ cognitionem canonẽ, siue regulam scripturæ reuelatæ. Ita magn⁹ Dionysius lib. de diuinis *Dion.* nominibus paulò post principiũ: *Sin autem,* inquit, *diuinorum scriptorum veritatem sibi habet propositam, nos quoq; hac quasi norma, & luce adhibita,* siue vt alia versio habet, *hoc & nos canone & lumine vtentes constanter ad defendenda nostra pro virili parte veniemus,* non aliter ad Christiana, & Theologica dogmata tuenda accedere volens, quam diuinorũ librorum veritate, tanquam norma proposita. Ad quam deindè sequentes Patres libros suos elaborasse auctor est Athanas. *Athanas.* in synopsi, enumeratis enim omnib. libris canonicis testamenti noui, *hi sunt,* inquit, *et tot noui testamenti libri canonici, & fidei nostræ, velut primitiæ quædam, vel certæ anchoræ, & fulcimentacula, vtpotè ab ipsis Apostolis Christi, qui & cum illo conuersati, & ab eo instructi sunt, conscripti, & expositi, quamuis posteà ad istorũ normam, & consonantiam alij innumeri sint à Patribus elaborati.* Itaque Patrum scripta verè Theologica, quibus vera fides nutritur, defenditur, explicatur, vel vberior scientia traditur, ex sacris libris tanquam ex fonte promanarunt, & in eorum veritates tanquam in prima principia, & primam veritatis normam resoluuntur. Sed ne in re perspicua diutius immorer, consulendus Aug. lib. 11. contra Faust. cap. 5. & 6. & *Augustin.* lib. 2. contra Cresc. Gram. ca. 32. vbi docet scripturas Canonicas adhibendas tanquam regulam ad veritatem dijudicãdam, quo etiam sensu, scriptores ipsos sacros appellat canonicos, nempè quia reliquorum scribentium Canon esse debent, sicut Tironem suorum scriptorum canonem Tullius appellabat lib. 16. Epist. 17. *Tullius.*

III. Itaque, qui de hoc canone dubitat, excludendus à Theologia, quia aberrat ab ostio: sicut ij, qui in scientijs negant prima principia, & ideò scientiam non assequuntur: quod significauit Apostolus primæ ad *1. ad Tim. 6.* Timotheum 6. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonib. Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens:* ecce cum infidelitate coniungitur insciția, quia non nisi per fidem scripturarum peruenitur ad scientiam iuxta dictum Esai. 7. toties à Patribus ad *Esai. 7.* hoc institutum, inculcatum, *nisi crediteritis non intelligetis.* Videndum tamen quo modo eo vtendum sit Theologo. Certum verò est sacram Scripturam habere diuinam autoritatem in eo sensu, quo ab Spiritu sancto dictata, & ab scriptore sacro conscripta est: hunc enim semper intellexisse, si non omnes, saltem literalem sensum scripturæ, concors est sententia Doctorum, sed difficultas consistit in agnoscendo proprio sensu, qui ab Spiritu sancto, & scripto-

scriptore Sacro intentus est; Et ideò ad huius loci declarationem oportet agere de sacræ Scripturæ sensibus: & qui nam eorũ inseruiant disputationibus Theologicis, maximè quia hoc non habet alium locum in Theologia: & ideò à Diuo Thoma in principio 1. partis quæst.1. & alijs Theologis ibidem tractari solet: sed quoniam hęc materia magna ex parte pertinet ad interpretes sacrarum literarum, solùm ea delibabo; quæ ad vsum huius loci Theologici facere videbuntur, multa supponens ab alijs disputata, alia relinquens.

S.Thom.

IV. Certum itaque inter omnes Doctores, imò mea quidem sententia de fide est, in Scriptura non esse vnam solummodò sententiam, sed eundem locum habere posse plures sensus: non opus est singulos Patres, & Doctores referre, omnes enim communi consensu id recipiunt. Quod fusè probat Salmeron. 1. tomo in Euangelia prolegomeno 7. Iulius Rugerius opusculo de sensibus scripturæ cap.1.2.& 3.& alij. Hoc perspicuum fit ex eo, quod Euangelistæ non nulla loca testamenti veteris referunt, & applicant ad Christum Dominum, quæ tamen alio quoque sensu accipiuntur, exempli gratia. Matth.2. applicatur ad reuersionem Christi Domini ex Ægypto, dictum illud Oseæ 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum*, & tamen in ipso Propheta sermo est etiam de reditu populi Israëlitici, vt ex ipso contextu compertum est, & 1.ad Cor. 9. Paul. primæ ad Corinth.9. illud Deutero. 25. *Non alligabis os boui trituranti* applicat prædicatoribus verbi Dei, qui non sunt fraudandi necessarijs vitæ alimentis, & tamen sicut eo loco sermo erat de rebus alijs, sic ad literam quoque de bobus intelligebatur: & ad Galat 4. ex eo quod dictum est à Domino Abrahæ Genes.21. *eijce ancillam, & filium eius*, probat cessationem legalium: sic enim concludit. *Itaque fratres non sumus ancillæ filij sed liberæ, quà libertate Christus nos donauit.* Nullum verò momentum haberet hoc argumentum, nisi cessatio legalium secundùm aliquem sensum verbis illis Geneseos contineretur, nec est opus longiore probatione, omnes enim recipiunt, hanc veritatem.

Salmeron. Rugerius. Matth.2. Oseæ 11. 1.ad Cor. 9. Deut.25. ad Galat.4. Genes.21.

V. Porrò sensus scripturę alius est literalis, siue historicus, alius spiritualis, siue mysticus: literalis, vt communi cõsensu docent Doctores mox citandi, est qui primo, ac per se immediatè continetur verbis, non quia alius prior continetur, ac supponitur: ita vt verborum significatio primo, ac per se tendat in obiectum eiusmodi sensus, quin priùs terminetur ad aliud, ratione cuius in illud tendat. Exempli gratia, cùm dicitur Genes.22. Isaac portasse ligna, quibus erat à Patre concremandus Deo in holocaustum, sensus literalis est de Historia Isaac portantis ligna; hæc enim per se primo describitur, nec supponit aliquid aliud priùs significatum: at verò sensus de Christo portaturo crucem in qua crucifigendus erat, non est literalis, quoniam non primo significatur illis verbis, sed secundario quatenus significatur historia Isaac, qui erat figura Christi; nam quia signum figuræ, significat etiam figuratum, priùs est significatio literalis terminata ad figuram, quam spiritualis ad figuratum, & quod in hoc exemplo patet, in alijs quoq; dicendum est.

Genes.22.

VI. Est autem duplex sensus literalis; nempè simplex siue proprius, & figuratus, siue Metaphoricus: prior consistit in propria significatione verborum, posterior in figurata, siue Metaphorica: hunc verò secundum quidam interdum vocant sensum spiritualem, & mysticum: ita Lyran. in 3. prologo postillæ bibliorum, quo etiam modo loquũtur nonnulli Patres citandi numero 8. sed huiusmodi sensus non est propriè mysticus, & spiritualis, sed literalis, vt docent Albert. in sum. tractat.1. quæst.5. m.4.ad primum, secundum, & tertium, Diuus Thom.1.parte quæst.1.artic.10.ad tertium quodlibet.7. quæst.6.artic.16. & lect.7.in cap.4.ad Galat. Henricus in sum. artic.16. quæst.3.ad primum, & quintum, & quodlibet.3. quæstion. 18. Abulens. quæst.28. in cap.13. Matth. Burgensis in additionibus super vtrumque prologum Lyrani ad quartum, & septimum, Sylvest. in rosa aurea tractat.1.cap.2.3.4.5.&7.& 1.parte conflat. quæstion. 1. articul.21. circa solut.ad primum Ioannes de Turrecremata quæst. 2.in Dominicam sexagesimæ; Driedo lib. 2.de scripturis cap.2. Sixtus Senens. lib.3. bibliothecæ 1.parte. cap.2. Castro libro 1. aduersus hæreses cap.3. Adamus in prologo, in Esaiam, Iulius Rugerius opusculo de sensibus scripturæ cap. 2. & 13. Salmeron prologom. 7. & 19. Sebastianus Oxomensis regul.32. de sensibus scripturæ, Garsias Galarza lib.3. Institution. Euangelicarum cap.2. Ille verò sensus, qui consistit in propria significatione verbi per metaphoram translati non est literalis, sed grammaticalis, & solùm primum literæ corticem tenet, & scriptoris sententiam non assequitur, in ea parte scripturæ reperitur, quæ

Lyran. Albert. S. Thom. Henricus. Abulens. Burgens. Sylvest. Turrecrem. Driedo. Sixt. Senens. Castro. Adamus. Rugerius. Salmeron. Oxomens. Galarza.

ad sym-

ad symbolicam Theologiam pertinet, vt cùm dicitur Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* Deus habitat in caligine, & pleraque alia, qua ratione totus ferè liber canticorum ex vna continua metaphora constat. In his igitur simplex verborum significatio propria dicitur habere sensum grammaticalem, cuius notitia plurimum conducit ad verum sensum sacrarum literarum, qui consistit in significatione eius rei, ad quam vocabula per metaphoram transferuntur: qua ratione cum prata ridere dicuntur, proprius sensus non est, quod verè rideant, sed quod vireant, ac floreant, instar hominis ridentis, cuius risus modestus est flos quidam, & viror animi iucundi; similiter cùm Deus in caligine habitare dicitur, literalis sensus figuratus est ipsum esse inuisibilem, quemadmodum ea, quæ latent in caligine, imperuia sunt obtutibus humanis.

VII. Porrò sensus literalis metaphoricus interdum consistit solum in vno vel altero vocabulo: quod totam enuntiationem reddit simpliciter metaphoricam, quamuis voces aliæ sumantur in propria significatione: vt cùm dicitur, prata rident, pluit tristis hyems: in quibus orationibus vox *prata*, & vox *hyems* accipiuntur in propria significatione, trahuntur tamen ab alijs ad metaphoram, sub qua latet sensus literalis. Aliquando verò tota oratio est longa quædam allegoria: ita vt nullum, aut ferè nullum eius vocabulum, secundùm propriam significationem aptetur proprio ac vero sensui literali: qui modus seruatur in parabolis: eiusmodi fuit ea qua, vt refert Tit. Liuius decade 1. lib. 2. vsus est Agrippa ad sedandam Romanorum seditionem propolita parabola membrorum humani corporis coniurantium contra stomachum, ac denegantium illi debita alimenta; in qua nihil omninò erat, quod in sensu proprio ciuibus aptari posset, sed tota oratio figuratè accipienda erat, ita vt singula membra significarent ciues, &c. Obseruandum verò est cum Molina, 1. parte quæstion. prima, artic. 10. disp. 2. quotiescunque in oratione interseruntur verba, siue simplicia, siue coniuncta per modum parabolæ, quæ alioquin non dicuntur propriè de re aliqua, si adhibeatur verbum, indicans similitudinem, accipienda in sensu proprio, exempli gratia, CHRISTVS non propriè dicitur agnus, sed metaphoricè, & ita cùm Ioannis 1. dicitur, *Ecce agnus Dei*, nomen *agnus* sumi debet metaphoricè, vt constet sensus literalis: at quando Esai. capit. 53. ait, *Tanquam agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum*, sumi debet propriè: quoniam similitudo est inter duo saltem, & ita nomen *agnus* ibi non sumitur pro Christo, sed pro vero agno, cui Christus quoad mansuetudinem & patientiam, similis esse dicitur. Item cùm dicitur Matth. 13. *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* &c. Nam similitudo sumpta à mercatore ad hominem salutis suæ studiosum consistit in proprio sensu vtriusque, & ita quotiescunque adhibetur nota similitudinis vel comparationis, nisi aliud obstat, verba sumuntur in propria acceptione, vt constet distinctio duorum, inter quæ fit comparatio similitudinis. Et ita frequenter Christus Dominus vsus est parabolis dicens, simile est regnum cælorum fermento, grano synapis, homini Regi, & alijs, si verò non adhibeatur nota similitudinis, & perspicuum sit verba non accommodari in propria significatione, tunc si metaphora consistit in simplici voce, sensus literalis immediatus non est res propriè significata, sed ea cui per metaphoram nomen applicatur, verbi gratia, cùm dicitur Apocal. cap. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*, nomen *Leo* non accipitur pro vero leone, sed pro Christo, qui propter similitudinem fortitudinis immediatè significatur per metaphoram nomine leonis: alioquin si nomen *leo* propriè sumeretur, deberet esse aliquis leo oriundus à tribu Iuda, quia sensus literalis à Spiritu sancto intentus est verus, & tunc resurrectio Christi, & victoria de mundo ac diabolo, non contineretur in sensu literali, sed mystico signato per rem, & non immediatè per vocem, quod est falsum, nec verò modus hic loquendi est nouus, aut solum in sacris literis vsurpatus, in scriptis enim prophanis eodem modo sumuntur verba, non enim quando Virgilius ait lib. 12. AEneid. *Fontemq; ignemq; ferebant*, significat fontem ipsum, sed aquam fontis: & quando Demosthenes dicitur fulminasse, non de veris fulminibus, sed de magnifico dicendi genere intelligi debet.

VIII. De sensu verò parabolarum controuersia est: Nam Alens. 1. part. quæstion. prima, m. 4. artic. quarto ad secundum, & artic. quinto, & aliqui recentiores dicunt sensum literalem ipsarum coalescere ex duabus quasi partibus: prius enim quodammodo concipitur totus earum discursus, deinde verò sensus per eam intentus: atque ita sunt duæ quasi partes sensus parabolici,

bolici, prior versatur circa rem ipsam, à qua sumitur similitudo: posterior circa eam, ad quam significandam adducitur. Exempli causa in parabola lignorum, quæ varias arbores adierunt, vt eas sibi constituerent in Regem: & ab eis repudiatæ, tandem abierunt ad rhamnum, quem consentientem in regem elegerunt, ab eoque postea igne consumptæ sunt, prius concipi debet totius parabolę discursus, deinde verò eius ad veritatē applicatio: ita vt prior pars sit veluti propositio exempli, à quo debet sumi similitudo ad finem parabolæ: posterior verò sit quasi applicatio: vt in ea ipsa parabola lignorum fuit applicatio facta à Ioathan filio Ierobaal ad viros Sichē, Iudic. 9. *Sin autem peruersè* (nempe egistis in Ierobaal, vnguentes Regem Abimelec) *egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, &c.* Contra verò Abulens. quæst. 28. in cap. 13. Matth. & Salmeron. tom. 7. in Euangelia, tractat. 1. num. 13. censent sensum literalem nullo modo versari circa propria significata parabolarum: sed quemadmodum vox vna translata immediatè sumitur pro re, ad quam transfertur significatio vocis, vt cùm dicitur, *prata rident*, non significatur risus, sed viror campi, ita cùm tota oratio est parabolica, immediata significatio est res ipsa, ad quam significandam assumitur parabola; vt cùm Christus dixit Luc. 8. *Exijt qui seminat, seminare semen suum*, sensus est, prodijt prædicator ad enuntiandum verbum Dei: & hoc indicat Christus, cùm in interpretatione huius parabolæ non vsus est verbis assimilationis aut comparationis, sed absolutæ enunciationis, cùm dixit: *Semen est verbum*, quasi vellet explicare, quid nomine seminis intellexerit: deinde cū ait, *qui secus viā, hi sunt, &c.* Satis indicat verba illa, *aliud cecidit secus viam*, significare immediatè eos, à quibus diabolus aufert verbum Dei, ne credentes salui fiant. Et hic dicendi modus mihi verior videtur: nam totus ille discursus parabolæ secundum grammaticalem sensum acceptus, nullam rem significat, præter eam, ad quam assumitur ex instituto significandam. Itaque sensus eiusmodi solū est grammaticalis non literalis: quamuis ad literalē eruendū necessario omninò sit, grāmaticalē probè intelligere, nam sicut qui nesciret propriam significationem verbi *rideo*, difficile intelligeret quid sit prata ridere, ita qui ignorauerit grammaticalem totius parabolæ, & discursus eius significationem, nesciet ex ea verum sensum literalem eruere. Et hæc sententia est de mente doctorum, quos retuli numero 5. qui simpliciter asserunt sensum metaphoricum, & parabolicum esse literalem, nec alium in propria significatione verborum cognoscunt.

IX. Veruntamen duo obseruanda sunt circa sensum parabolarum, alterum est non oportere, vt propriæ verborum significationi respondeat aliquid in re ipsa, quod ita fuerit: sed sat esse, vt esse potuerit: ita post Diuum August. notat Alens. 1. parte, quæst. 1. m. 4. art. 4. ad secundum. & Castro cap. 3. citato: idq; in parabolis à Christo adhibitis videre est: non enim opus est, vt fuerit aliquis filius prodigus cum ijs omnibus circumstantijs, quæ describuntur in Euangelio, quin verò parabolę sumi interdum possunt à rebus impossibilibus, vt illa Iudic. 9. sumpta à lignis, quæ iuerunt vt vngerent sibi regem. Nam cùm tota veritas cōsistat in significatione rei, ad quam aptantur parabolæ, parum refert vtrum illæ reipsa sint, an non: vtrum possibiles vel impossibiles, dummodò aptè rem significent: quoniam non sumuntur simpliciter vt res significatæ, sed vt signa. & ita vt ait Alens. citatus, & Henric. in sum. art. 16. q. 5. ad primum, in parabolis est veritas propriè secundùm significationem rerum, sicut in historijs secundùm significationem vocum, quia parabola præcisè sumitur, vt signum sensus, quem scriptor intendit. Alterum est, ad vim argumenti Theologici nihil referre, vtrum discursus ipse parabolæ pertineat ad sensum literalem, necnè: nam ex eiusmodi similitudinibus, siue parabolis in se præcisè consideratis absque sensu, ad quem significandum inducuntur nihil dogmaticum deduci potest: sed ex sensu illo, qui est literalis per parabolam significatus. Exempli gratia, in parabola Virginum per oleum charitas & opera, per lumen lucernę, fides accipitur. Et ideò quomodocunque explicetur parabola, siue per modum similitudinis, intelligendo ipsam primo in sensu literali, siue immediatè intelligendo rem ipsam per parabolam intentam, rectè exinde argumentum sumitur ad probandum ad salutem non sat esse fidem sine operibus. Idemq; de cæteris dicendum. Quod tamen intelligi debet, dummodo constet verus sensus intentus per parabolam iuxta regulas infra tradendas: nam si non constet, eadem est ratio, ac de quouis alio loco obscuro, cuius sensus literalis certo non constat.

X. Hæc vera sunt, si de re ipsa loquamur, quāuis apud Patres fuerit diuersus modus loquēdi, nam interdū sensum literalē, siue literam vocant solū grammaticalē, quando

per

per ſymbola res diuinæ enunciantur, quatenus dicunt intellectum ſcripturarum ſecũdùm literam eſſe pernicioſum, & recurrendum eſſe ad ſenſum ſpiritualem, ſi ſecũdùm literã durè vel malè ſonent. Verbi gratia, cũ dicitur in Pſal. 109. *Ex vtero antè luciferum genui te*, non eſſe accipiẽdum ſecũdũ ſenſum literalem, id eſt, grammaticalẽ, quaſi in Deo ſit verè vterus corporalis, ſed recurrẽdum ad myſticum, hoc eſt ad vim fœcunditatem q; naturæ paternæ, ex quâ verbum per actum intellectus notionalem genuit. Ad hunc modum loquuntur Orig. lib. 4. Periarchon. cap. 2. & homil 3. in Pſal. 36. Nyſſen. in lib. de vita Moyſis. Ambroſ. lib. 5. in Lucam, cap. de miſſione Apoſtolorum Ioannis. Cyrillus lib. 9. contra Iulian. Caſſian. collat. 8. cap. 3. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 1. & 2. eodem modo loquitur Auguſt. lib. 6. Confeſſ. c. 4 cùm ait ſe paulatim affici cœpiſſe ad veritatem fidei, cùm multa, quæ ſecundùm literam durè ſonabant, verbi gratia, cùm Deo in ſacris literis tribuuntur membra corporis, audiret exponi ab Ambroſio ſecundùm allegoriam: & in hunc ſenſum intelligũt Diuum Paul. 2. ad Corinth. 3. cùm ait, *Litera occidit, ſpiritus vitificat*. Origen. hom. 7. in Leuit. Athanaſ. de communi eſſentia trium perſonarum, Aug. lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 5. & lib. de vtilitate credendi cap. 3. & Gregor. in 4. Reg. cap. 7. Verùm hi Patres non volunt, vt locus conſtans eiuſmodi locutionibus metaphoricis, careat verò ſenſu literali per ſe primo intento à Spiritu ſancto, ſed non accipiendum ſenſum grammaticalem natum ex propria ſignificatione verborum. Iam verò D. Paul. non loquitur de litera ad hunc modum, ſed de ſcriptura veteris teſtamenti, quàm nomine literæ deſignat, & diſtinguit à nouo, quod nomine ſpiritus intelligit: vt optimè ex verbis ipſius, & Patrum teſtimonijs oſtendit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 3. Et ita quamuis litera, hoc eſt, ipſe quoque verus ſenſus literalis inſtrumenti veteris occidere, dicatur occaſionaliter, quatenus oſtendebat culpam, nec ſanabat per gratiam, & nunc etiam occidat Iudæos hærentes in ſolis figuris, nec peruenientes ad Chriſtum, per quem facta eſt gratia & veritas, & communicatus eſt ſpiritus vitæ credentibus, nihilominus illius quoque ſenſus literalis verus, & ab Spiritu ſancto intentus eſt: alioquin non dixiſſet Zacharias in Cant. Lucæ 1. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum eius*, nec Diu. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Et ita certum omninò eſt nullum ſcripturæ locum carere ſenſu literali immediatè intento ab Spiritu ſancto per verba ſacri eloquij, ſiue ea propriè, ſiue metaphoricè, aut parabolicè accipiantur.

Pſal. 109. Orig. Nyſſen. Ambroſ. Cyrill. Alex. Caſſian. Gregor. Auguſtin. 2. ad Cor. 3. Origen. Athanaſ. Auguſtin. Gregor. Bellarm.

De ſenſu myſtico, vel ſpirituali ſcripturæ ſacræ.

CAPVT III.

I.

SEnſus myſticus vel ſpiritualis ex communi ſententia doctorum, quos retuli cap. præcedenti, ſi Lyranum excipias, diffinitur ſententia per verba ſcripturæ remotè ſignificata, nimirum interuentu rei, & figuræ ſignificatæ ſecundùm ſenſum literalem, per quam diffinitionem diſtinguitur à litterali, q immediatè ſumitur ex ſignificatione verborum ad nullam rem aliam terminata: myſticus verò cõtra immediatè ſignificatur per res, remotè verò per voces proximè ſignificatiuas rerum, quæ ſunt figuræ obiecti ſenſus myſtici. Sed obijcies ſenſum metaphoricum ſiue parabolicum eſſe literalem, & nihilominus non ſumi immediatè ex ſignificatione verborum, ſed rerum: nam quando dicitur, *Vicit leo de tribu Iuda*, Apocalyp. 5. vel *agnus occiſus ab origine mundi*. Apoc. 13. primò ſignificatur leo, & agnus, deinde verò figuratè Chriſtus per vtrumque. & tamen vterque locus ad literam accipitur de Chriſto Domino. Reſpondeo in ſenſu metaphorico nequaquam ſignificari per ſe primo res ipſas, quæ reſpondent propriæ verborum ſignificationi, imò nullo modo ſignificari: tunc enim, vt in adductis exemplis res oſtendatur, opus erat, vt re ipſa fuiſſet aliquis leo de tribu Iuda victor, qui fortitudine ſua atq; victoria figuratè ſignificaret robur, & victoriam Chriſti de morte, diabolo, & mundo, item vt eſſet agnus aliquis occiſus ab initio mundi, qui morte ſua figuratè repræſentaret mortem Chriſti: vtrumque vero eſt falſum: atq; adeò pertinere nequit ad ſignificatum ſcripturæ ſacræ, quę eſt verbum Dei veriſſimum abſq; vllo næuo mendacij. Non igitur in metaphorica locutione ſignificatur res, quæ alioquin eſt proprium ſignificatum vocum ſed voces extrahuntur à proprio ſignificato, & transferuntur ad aliud immediatè ſignificandũ per metaphoram: quomodo cùm Chriſtus dicitur *agnus occiſus ab origine mundi*, vox *agnus* ſumit ad ſignificandũ immediatè Chriſtũ ꝓpter ſimilitudinẽ aliquã ratione manſuetudinis ac patientiæ: eodem modo fideles dicũtur oues Chriſti, & ſex-

Apoc. 5. Apoc. 13.

Luc. 1. 2. Pet. 1.

centa

centa alia huius generis. At verò in sensu mystico ita res sumuntur ad significãdum alias, vt ipsæ prius significentur: atque adeò de ipsis verificari debeat historia, quæ ipsa sumitur in sensu mystico ad alterius rei significationem. Qua ratione in historia patriarchæ Ioseph, venditio non sumitur metaphoricè: sed verè ac propriè secũdùm sensum historicum seu literalem, intelligi debet Iosephum fuisse venditum à fratribus: deinde vero in ea ipsa venditione fundatur sensus mysticus de venditione Christi à discipulo traditore significata per venditionem Iosephi procuratam, præcipuè à Iuda, vno ex fratribus: quæ doctrina sumitur ex Diuo Thoma quodlibet. citato, artic. 2. in corpore, & ad primum. *S. Thomas.*

II. Ex tradita diffinitione constat sensum mysticum fundari debere in literali: ita vt ille, qui non nititur vero, ac germano sensu literæ, nullo modo sit sensus scripturæ: atque adeò nec mysticus, ita expressè docet Albert. in sum. tract. 1. quæst. 5. m. 4. D. Thom. 1. parte quæst. 1. ar. 10. quodlib. 7. quæst. 6. ar. 14. ad primum. Henric. art. 16. q. 3. in corpore, Burgens. in additionibus super vtrumque prologum Lyrani, Sylvester in Ros. aurea tract. 1. cap. 4. Sixtus Senensis vbi supra cap. 4. Adamus in prologo in Esai. Molina 1. p. q. 1. art. 10. disp. 4. Iulius Rugerius opuscul. citato c. 13. Sebastianus Oxomens. regul. 32. de sensibus scripturæ, Salmeron prolog. 19. & ex Patribus. Chrysost. in 2. procem. in Psalm. vbi sic ait, *Non enim aduersatur historia sublimiori contemplationi, sed contra ea est basis & fundamentum altiorum intelligentiarum.* Gregor. homil. 40. in Euangelium: *In verbis sancti eloquij fratres charissimi, prius seruanda est veritas historiæ, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriæ: tunc namq; allegoriæ fructus suauiter carpitur, cùm prius per historiam in veritatis radice solidatur.* Eadem de causa homil. 15. in Ezechiel. literam appellat limen exterius sacræ scripturæ, allegoriam limen interius, *quia per literam ad allegoriam tendimus.* Ratio est, quoniam sensus mysticus est, qui significatur per verba scripturæ non proximè & immediatè, sed remotè: quia significatur per res, quas primo voces significant; si ergo sensus mysticus ab aliquo adinuentus non supponit veritatem historiæ, nullo modo significatur eo loco scripturæ: non proximè, quoniam non est literalis, non remotè, quoniam non significatur per figuram, quæ est obiectum sensus historici, vel literalis. Ex quo patet esse cohibendam nimiam licentiam interpretum, qui non habita ratione sensus literalis, mysticos fingunt ad placitum, & nonnunquam contra literalem. *Albert. S. Thomas. Henricus. Burgens. Sylvester. Sixt. Senen. Adam. Molin. Rugerius. Oxomens. Salmeron. Chrysostom. Gregor.*

Sed hoc posito dubium est, an oporteat vt sensus mysticus fuerit à Spiritu sancto intentus, vel à scriptore sacro intellectus. Vtrumque enim requiri suadetur: quoniam vt sententia pertineat ad sensum orationis vocalis aut scriptæ, opus est, vt loquens vel scribens in animo eam præhabeat, & significare intendat: voces enim sunt signa conceptuum, nec amplius significãt quo ad veritatem & falsitatem, quàm sit in mente loquentis: quapropter illi solummodo sensus dici possunt contineri in scriptura, qui ex intentione diuina significantur, & ab scriptore sacro intelliguntur: reliqui verò omnes suppositicij & adulterini censendi sunt. Quomodo si ad te scribam epistolam in vno sensu, quam tu in alio accipias, dicere iure possum non esse eam sententiam literarum mearum. Deinde etiam scriptori sacro debere omnes patere ostenditur: quoniam sensus omnes scripturæ habent infallibilem autoritatem ex diuina reuelatione: at nisi scriptor sacer intelligat sententiam, quam Spiritus sanctus intendit, non erit reuelata; reuelatio enim respicit veritatem, hæc verò nequaquam innotescit, quamdiu ignoratur obiectum reuelatum: verbi gratia, Deus per somnium spicarum & vaccarũ Pharaoni immissum, Genes. 41. intendebat significare illi fœcunditatem septem annis proximis futuram, postea verò sterilitatem totidẽ: quam significationẽ quamdiu ignorabat, nõ erat completa diuina reuelatio, nec sufficiens testimonium, aut argumentum ad cognoscendam futuram fertilitatem, vel sterilitatem: similiter cùm Deus per figuram in sensu literali reuelatam intendit prædicere figuratum, si scriptor ignorat habitudinem signi, quam habet figura respectu figurati, profectò dici nequit reuelatam esse veritatem figurati, hoc est scripturam, quatenus habet sensum mysticum, esse à Deo reuelatum scriptori. III. *Genes. 41.*

Aliqui recentiores referunt Abulens. quæst. 57. in cap. 2. Matth. & quæst. 28. in cap. 1. quasi dicat illum esse literalem sensum scripturę, qui intenditur à Spiritu sancto: siue vocibus, siue rebus proximè significetur: mysticum verò, qui nõ ex intentione Spiritus sancti, sed ex concionatorum arbitrio & voluntate pendet, sed immeritò imponitur illi hæc sententia: nam quæst. illa vigesimaoctaua & alibi expressè docet sensum, qui significatur IV. *Abulens.*

per

per res significatas, semper esse mysticum, nunquam literalem; ac proinde non potuit negare sensum mysticum intendi aliquando à Spiritu sancto cum eadem quæstion. 28. concedat omnia cæremonialia ordinata fuisse à Deo in figuram futurorum, quæ mysticè significabant. Frequenter tamen docet sensum mysticum non esse sensum scripturæ, nempe quatenus scriptura est, quia non significatur à verbis, sed à rebus, vt ipse se non semel explicat. Quod verò aliquando dicit sensum mysticum esse illum, qui pendet à nostro beneplacito, significat omnes, qui non repugnant literæ posse rectè accommodari, & esse veros: neque ideò negat fuisse intẽtos à Spiritu sancto.

V. Quod ad primum attinet, communis est sententia Doctorum, sensum omnem scripturæ non solùm literalem, sed etiam mysticum esse intentum à Spiritu sancto, omnes enim ideò dicunt sacræ scripturæ proprium esse sub vna littera habere plures sensus, quia est à Spiritu sancto: qui potest nõ tantùm voces, sed etiam res accommodare ad aliquid significandũ. Ita Chrysostom. hom. 37. in Genes. Gregor. lib. 2. moral. cap. 1. D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 10. q. 4. de potentia, ar. 1. quodlib. citato, art. 16. & lect. 7. in cap. quartum ad Galat. Lyran. in prologo 1. bibliorum. Sylvest. in rosa aurea tract. 1. cap. 2. & in conflato q. 1. ar. 22. Cathar. in 2. clau. script. tit. de fructibus ex allegorico sensu, & plures alij, ad quam rem accommodat Alens. 1. p. quæst. 1. m. 4. ar. 3. D. Thom. lect. 7. cit. & Henric. ar. 16. quæst. 3. illud Sapien. 7. *Spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex*, quia in vnica scriptura plura significat, idque constat, quoniam litteræ, siue orationis meæ sensus non est, quem ego significare non intendo.

Chrysostom. Gregor. D. Thomas. Lyran. Sylvest. Catharin. Alens. D. Thomas. Henricus. Sapient. 7.

VI. Sed cùm eidem scripturæ loco multiplices sensus à Doctoribus assignẽtur, dubium est an omnes à Spiritu sancto sint. D. Thom. q. 4. de potentia art. 1. in corpore videtur inclinare in partem affirmantem: nam cùm dixisset probabile esse Moysi, & alijs scriptoribus sacris diuinitus cõcessum fuisse, vt diuersa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & sub vna serie litteræ designarent, ita vt quilibet eorum sit sensus autoris, deinde subdit: *Vnde aliqua verba ab expositoribus sacræ scripturæ litteræ aptentur, quæ autor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus sanctus intellexerit: qui est principalis autor diuinæ scripturæ.* Ex quo patet de mente Diu. Thomæ omnem veritatem, quæ sãlua litteræ circumstantia potest diuinæ scripturæ adaptari, pertinere ad sensum intentũ à Spiritu sancto, suaderi verò hoc potest: quoniam Spiritui sancto nota erat ea expositio: atque adeò si vera sit, & litteræ congruè adaptetur, ab eo intendebatur: quoniam multo plures sensus sunt à spiritu diuino intenti, quam hucusque fuerint ab expositoribus inuenti, vt ait Chrysost. hom. 3. in Genes. Augustin. lib. 12. confess. c. 31. & D. Thom. quodlib. 7. q. 6. ar. 14. ad 5. Idem sentit D. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana c. 27. *Quando autem*, inquiens, *ex eisdem scripturæ verbis non vnum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi lateat quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati, ex alijs locis sanctarum scripturarum doceri potest: id tamen eo conante, qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur autoris, per quem scriptura illa sanctus operatus est Spiritus: siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens à quocunque alto loco diuinorum eloquiorum: ille quippe author in eisdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori, vel auditori sine dubitatione præuidit: imò vt occurreret, quia & ipsa est veritati subnixa prouidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius & vberius potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari.* Ex quibus apparet, etsi dubius fuerit Augustin. Vtrum scriptor sacer singulos sensus ab expositoribus datos intellexerit, non dubitasse tamen, vtrum Spiritus sanctus eos intenderit: idem etiam docet Castro lib. 1. ad-uersus hæreses cap. 3. Caietan. art. 10. citato.

Chrysost. Augustin. S. Thomas. Augustin. Castro. Caietanus.

VII. Hæc sententia, quia extollit profunditatem & diuitias sacrarum literarum, defendi potest ad eum modum, quem Diu. Thom. quæst. 4. de potentia art. 1. indicat, hoc est, si sãlua litteræ circumstantia possit scripturæ adaptari: quomodo verò rectè adaptetur, explicat Henric. in sum. art. 16. quæst. 6. potest verò vnico verbo dici, eum sensum mysticum rectè adaptari literæ, qui non sit impertinens. Duobus autem modis erit impertinens; primo si non congruat circumstantiæ litteræ, quæ potius aliud indicat: secundo verò, si non faciat ad intentionem litteræ, hoc est, ad ædificationem fidei, & morum, ad quam tota scriptura sacra dirigitur. Priorem modum excludit Clemens Papa cap. *relatum*, distinction. 37. vbi sic habetur:

S. Thomas. Henricus.

Sunt

Sunt multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque sponte præsumpserit, sed fieri non oportet: non enim sensum extrinsecum, alienum, & extraneũ debetis quærere, aut quoquo modo ipsum scripturarum authoritate confirmare, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis, Sensum alienum & extrinsecum appellat, quoniam nõ fundatur in litera, nec illi cõgruit, vtrumque verò explodit Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 36. his verbis: *Quisquis scripturam diuinam, vel quamlibet eius partem intellexisse sibi videtur, vt in eo intellectu non adificet istam charitatem Dei, & proximi nondum intellexit: quisquis verò inde talem sententiam duxerit, vt hinc ædificandæ charitatis sit vtilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit eo loco sensisse probatur, non perniciose fallitur.* Defectu vtriusq; censet Augustin. nõ attingi verum sensum: vel si sit præter intentionem scripturæ, quia non ædificat, nec conducit ad finem charitatis: vel si sit alienus à mente scriptoris. Easdem regulas tradidit Bernard. sermon. 51. in Cantica: *Non sanè a prudente dediuersitate sensuum iudicabor, dummodo veritas vtrobique nobis patrocinetur, & charitas, cui scripturas seruire oportet, eo ædificet, quo plures ex eis in opus suum veros erudierit intellectus.* Porrò licet negandum non sit Spiritum sanctum præuidisse omnes sensus adhibendos ab interpretibus, qui in se contineant doctrinam veram, nõ tamen constat vtrum omnes qui adhibentur, sint accommodati litteræ. Et idcirco non omnes sensus mystici communiter traditi, quamuis aliquin pij necessario recipiendi sunt tanquam intenti ab Spiritu sancto. Itaque omnem sensum mysticum litteræ congruentem, & fidei regulæ ac morum disciplinæ conformem intentum fuisse ab Spiritu sancto credendum est: & si talis esse constet, tanquam diuinus recipi debet: & è contra nullus est verè sensus mysticus, qui non sit intentus à Spiritu sancto, vt probat argumentum initio propositum.

Augustin. *Bernard.*

VIII. Quod attinet ad secundum, Albert. in 1. dist. 1 art. 5. sentire videtur solum sensum literalem non mysticum intellectum fuisse ab scriptore sacro, quandoquidem hoc discrimen inter illos statuit, quod literalis sit intentus à scribente, mysticus à Spiritu sancto illuminante. Verùm non repugnat vt scriptor sacer intellexerit, atque intenderit nonnullos sensus mysticos, nõ tamen opus est vt omnes agnouerit, ita D. Thom. quodlib. 7. quæst. 6. articul. 14. ad quintum, & quæst. 4. de potentia artic. 1. Sylvest. in rosa aurea tract. 1. cap. 2. Molin. 1. p. quæst. 1. art. 10. Disput. 4. Prior pars colligitur ex doctrina August. lib. de mendacio c. 5. sic enim habet: *Credendum est illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, omnia, quæ scripta sunt de illis, propheticè gessisse, atque dixisse: nec minus propheticè eis accidisse quæcunque sic acciderunt, vt eodem prophetico spiritu memoriæ literisq; mandanda iudicarentur.* Loquebatur autem de quibusdam figuris testamenti veteris, quibus ait contineri propheticas prædicationes eorum, quæ in nouo contigerunt; & hæc ait sanctos illos patres propheticè egisse, dixisse, & eodem prophetico spiritu conscripta esse. Ex quo colligitur ipsum sentire, habuisse eos præuisionem rerum figuratarum in figuris, quas vel ipsi exhibebant, vel scribebant. Fundamentum est, quoniam hoc facilè erat Deo, nec vllam continet absurditatem, sed maximam congruentiam: quare congruum est, vt ita fuisse credamus. Neque Albert. hoc negasse videtur, sed tantum in eo distingui sensum literalẽ à mystico, quod ille necessario intẽdatur à scriptore canonico, hic verò non necessario, quod non tollit, quod minus etiam intelligi possit, quod sat erit ad discrimen constituendum inter hos sensus, quod ibi Albertus intẽdit: non esse verò necessarium, vt omnia omninò nouerint, sumitur ex multiplici varietate sensuum, & ex profunditate sermonum Dei, quam penitus exhaustam esse à quouis scriptore sacro non est credendum.

Albert. *S. Thomas.* *Sylvester.* *Molin.* *August.*

IX. Ad argumentum verò, quo oppositum suadebatur, respondeo, vt aliquid verè dicatur à Deo reuelatum, sat esse, vt Deus proponat signum illius ab aliquo intelligendum, licet non intelligatur ab eo, cui manifestata est figura: nam si Rex mittat per internuntium signum aliquod ad ducem exercitus, cuius vim nuntius non intelligat, intelligat autem is ad quem mittitur, vere dicetur Rex significasse hoc, aut illud duci per internuntium: quoniam ex intentione Regis signum destinebatur ad id significandum. Infallibilitas autem reuelationis diuinæ non prouenit ex notitia eius, cui fit reuelatio tanquam internuntio, seu legato ad homines, sed ex testimonio seu locutione diuina mediatè vel immediatè aliquid significante. Cùm verò Deus per verba significat res, & his mediantibus alias, eo ipso testificatur de veritate figuræ, & figurati: ita vt quicunque postea agnouerit figuram sub ratione figuræ, agnoscat etiã figuratũ vt à Deo per illam significatũ. Quin verò verè dici po-

test

teſt ſcriptori ſacro percipienti ſenſum literalem figuræ, fuiſſe reuelatum figuratum ipſum mediatè ſcilicet, & implicitè in figura: qui loquendi modus non abhorret ab vſu ſacrarum literarum: nam Gen. 41. cùm Deus immiſiſſet ſomnium Pharaoni, cuius ille interpretationem nondum audierat, ait Ioſeph ad eum, *ſomnium Regis vnum eſt, quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni*, nempè in figura ſomnij, quod habuerat, ſimiliter Daniel. 2. nondum Regi Nabuchodonoſor comperta erat ſignificatio ſtatuæ, quã viderat in ſomnijs, & tamen ait Daniel ad illum: *eſt Deus in cœlo reuelans myſteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus*: ventura enunciaſſe dixit, quæ figurabantur in ſtatua, cùm tamen ſolius figuræ explicatam notitiam haberet. Itaque licet ſcriptor ſacer nõ intelligat ſenſus omnes myſticos, & figuratos, omnes tamen dici poſſunt ipſi à Deo reuelati, nempè in figura, quã agnoſcit. Nec vero ad faciendã fidem quidpiam intereſt, vtrum ipſe eos omnes explicitè agnouerit, an non: nam, cùm hoc ipſi ignoremus, aliundè eorum intelligentiam, & veritatem ſumere debemus.

Gen. 41.

Daniel. 2.

X.

Diuiditur autem ſenſus myſticus in allegoricum, moralem, ſeu tropologicum, vt alij vocant, & anagogicum: hanc diuiſionem deſumptam ex Eucher. in præfatione lib. ſpiritualium formul. & Caſſian. collat. 14. cap. 8. explicant Alenſ. 1. p. quæſt. 1. m. 4. art. 4. Albert. in ſum. tract. 1. quæſt. 5. m. 4. & in 1. diſt. 1. art. 5. D. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 10. cùm Caietan. & alijs interpretibus ibidem, quodlib. 7. quæſt. 6. art. 15. & dict. 7. in cap. 4. ad Galatas: Henric. in ſum. art. 16. quæſt. 3. Abulenſ. quæſt. 28. in cap. 13. Matthæi. Lyran. in 1. & 3. prologo Bibliorum, Sylueſt. tract. 1. citato cap. 3. & 7. Caſtro, lib. 1. aduerſus hæreſes, cap. 3. Sixt. Sen. vbi proximè, cap. 3. Adam. & Driedo vbi ſupra, Bellarmin. lib. 3. de verbi Dei interpretatione, cap. 3. Galarza, lib. 3. inſtit. cap. 8. Salmeron. prolegom. 7. cuius diuiſionis integritas, & adæquatio colligitur in hunc modum: veritas quam diuinæ literæ per figuras rerum tradunt, ordinatur vel ad rectè operandum, vel ad rectè credendum: ſi ad rectè operandum eſt ſenſus moralis: ſi verò ad rectè credendum, adhuc opus eſt diſtinctione ex parte credibilium, etenim vt auctor eſt Magnus Dion. c. 4. cœleſtis hierarchiæ, ſtatus præſentis Eccleſiæ eſt medius inter ſtatũ Synagogæ, & Eccleſiæ triumphantis: & ideò teſtamentũ vetus fuit figura noui, vtrumq; vero ſtatus beatifici: & ita ſenſus myſticus ordinatus ad credendum fundatus in figuratione noui teſtamenti per vetus dicitur allegoricus, quatenus ea, quæ teſte Apoſt. 1. ad Cor. 10. *in figura contingebant illis*: explicatur de Chriſto, & Eccleſia; quatenus autẽ fundatur in eo modo figurationis, quo vetus ac nouum ſunt typus Eccleſiæ triumphantis, eſt anagogicus. Qui tres ſenſus ſimul cum literali comprehẽduntur his duobus verſibus.

Eucher. Caſſian. Alenſ. Albert. S. Thom. Caietan. Henric. Abulenſ. Lyran. Sylueſt. Caſtro. Sixt. Sen. Adam. Driedo. Bellarm. Galarz. Salmeron.

Litera geſta docet: quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas anagogia;

Reperiri autẽ hos tres ſenſus in ſacris literis, ſiue hoc ſiue illo nomine appellentur, patet ex Apoſtolo Paulo in primis quidem de morali, ſecundùm quem 1. ad Cor. 9. ex illo Deut. 25. *Non alligabis os boui trituranti*, elicit nõ neganda alimenta neceſſaria prædicatoribus Euangelij, de allegorico vero cum ad Galat. 4. ex Agar, & filij eius expulſione è domo Abrahami colligit ceſſationem legalium: denique de anagogico cum in Epiſtola ad Hebr. cap. 9. docet tabernaculum manu factum, & ingreſſum ſacerdotis in ſancta ſanctorũ fuiſſe exemplar veri, in quod *Chriſtus verus Pontifex per proprium ſanguinem introiuit*. Eſt autem obſeruandum cum Alenſ. Sylueſtro, & Salmerone citatis, hanc ſenſuum varietatem ſolùm habere locum, quando ſenſus eſt myſticus, & ſupponit literalem: nam, ſi ſenſus literalis ſit de moribus, non dicitur tropologicus, verbi cauſa cum in Pſalmo 33. dicitur, *declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam*; de moribus agitur, nec tamen eſt ſenſus tropologicus, vt enim ait D. Thom. quodlib. citato quæſt. 6. art. 15. ad tertium, non dicitur moralis ſenſus omnis is, per quem mores inſtruuntur: ſed ſolùm is per quem inſtructio morum ſumitur ex ſimilitudine aliquarũ rerum geſtarum. & hoc modo ſenſus moralis eſt pars ſpiritualis: quod idẽ dicendum eſt de alijs: nã quando de Chriſto ait Eſai. 53. *ſicut ouis ad occiſionem ducetur*, nõ eſt ſenſus allegoricus: quia non præmittitur ſecundum ſenſum literalem, hiſtoria aliqua, ſiue figura verè ſignificata repræſentans Chriſti paſſionem, item cum de beatis dicitur 1. Ioan. 3. quod ſimiles Deo erunt, quia videbunt eum ſicuti eſt, non eſt ſenſus anagogicus, quia nihil ſignificatur ſecundum literam, quod ſit figura futuræ beatitudinis. Aduertendum eſt etiam prædictam diuiſionem non eſſe communem apud omnes: aliqui enim vocant omnes illos tres ſenſus allegorias, ita Baſilius hom. 9. in Hexam. & Aug. lib. de vtilitate credendi, cap. 3. alij ſolùm diuidunt in litera-

1. ad Cor. 10.

1. ad Cor. 9. Deut. 25.

Ad Galat. 4.

Ad Hebr. 9.

Alenſ. Sylueſt. Salmer.

Pſal. 33.

S. Thom.

Eſai. 53.

1. Ioan. 3.

Magn. Dion.

Baſil. Auguſtin.

lem, & mysticum, alij in plura & pauciora membra, vt videre est apud Adam. & Salmeron. citatos, & fusius apud Iulium Ruger. opusc. citato à cap. 5. vsque ad 9.

Adam. *Salmeron.* *Ruger.*

XI. Hi verò sensus omnes reperiri possunt in vtroque testamento in eadem met sententia: non tamen est opus, vt singulæ omnes contineant, sed solus literalis ex necessitate requiritur. Tota hæc doctrina traditur à D. Thom. citato quodlibet. art. 13. ad quintum, Paulo Burgens. in addit. super primum & secundum prologum, Liran. circa secundum dubium, Sylvest. tract. citato cap. 7. Adamo in prologo in Esaiam, Bellarmin. cap. 8. citato, Molin. art. cit. d. 4. Salmer. prolegom. 19. & Galarza vbi proximè, prima eius pars inprimis quoad vetus testamentum est manifesta in opere sanctuarij: ibi enim præter sensum literalem de ordine, ac ratione cæremoniarum, & sacrificiorũ legalium continebatur sensus allegoricus adimplendus in Christo & in Ecclesia: item anagogicus quoad repræsentationem tabernaculi cœlestis, & sacrificij laudis labiorum confitentium Deo in æternum, ac dicentium, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c. denique moralis, quatenus ex cæremonijs illis, & cultu externo diuini numinis instruuntur homines ad cultum internum. In nouo autem testamẽto in vna historia ingressus Christi sedentis super asinam in sanctam ciuitatem possunt omnes reperiri, moralem assignauit Chrysostomus in cap. 21. Matth. cum ait eo facto Christum nobis regulam reliquisse, ne maiora requiramus, quam necessarius vsus exigat. Hieronym. tetigit allegoricum, cum dicit factum Apostolorum vestimenta sua ponentium super asinam Christo sessuro, significare opus esse animæ dogmatibus Apostolicis, vt super eam Christus sedeat. Denique idem Hieron. Rem. & alij tradunt anagogicum, cùm aiunt illũ Christi ingressum in terrestrem Hierusalem fuisse figuram introitus in cœlestem. Quapropter reijciendus Abulens. quæst. 28. in cap. 13. Matth. qui in testamento nouo non agnoscit sensum allegoricum inductus auctoritate Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 3. ex eo enim quod ille ait testamentum vetus quadrifariam exponi, colligit non eodem modo exponi nouum, etenim Augustin. ipse, vt notat Bellarmin. vbi proximè, loca aliqua noui testamenti explicauit allegoricè, vt tractat. 122. in Ioan. & alibi. Deinde vero eo loco non adhibuit terminum excluſiuum: sed forte ita locutus est, quoniam vetus testamentum erat vmbra futurorum bonorum, in quo omnia in figura contingebant, & ideò magis ferax est allegoriarum, at in nouo in quo reuelatur veritas olim adumbrata, non tam frequenter inuenientur allegoriæ: non tamen hoc tollit quo minùs etiam reperiantur aliquæ. Nam vt ait Chrysost. citatus, Dominus ita prophetias adimplebat, vt alterius prophetiæ ipse daret initium, quæ futura erant ipsis factis significando: quia nimirũ vt ait D. Thom. loco citato, ipsum verum Christi corpus & ea, quæ ab ipso vel in ipso geruntur, sunt figura corporis mystici eiusdem Christi, hoc est Ecclesiæ, & eorum quæ in ipsa geruntur, & ideò ea, quæ ad literã de Christo ipso dicuntur, possunt allegoricè exponi referendo ad corpus eius mysticum & moraliter referendo ad actus nostros, qui ad eius exemplar reformari debent; tandem anagogicè, quatenus in ipso est nobis iter ad gloriam demonstratum. Secunda pars perspicua est cuiuis mediocriter versato in sacris literis; non enim in quauis sententia Patres omnes sensus agnoscunt. Tertia vero asseritur præter Doctores citatos à Cassiano, Collatione 8. cap. 3. Abulens. citato, Henrico, art. 16. quæst. 4. & Driedone, cap. 2. citato, & patet in nouo testamento, maximè in ijs sententijs, quæ de futuro statu gloriæ loquuntur, quæ enim allegoria, quæ tropologia aut anagogia cernitur in illis verbis ad Coloss. 3. *cùm autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria*, vel in illis, 1. Ioan. 3. *cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*. Ratio D. Thom. est, quoniam priora sunt figura posteriorum, non econtra: atque adeò, quæ pertinent ad beatificum, vtpote postrema omnium, quæ sacris literis continentur, sunt figurata, non vero figuræ: ideoque sensus literalis de futura beatitudine, nequit esse fundamentũ sensuum spiritualium.

Chrysost. *Hieronym.* *Remigius.* *Abulens.* *Augustin.* *Augustin.* *Bellarmin.* *S. Thom.* *Burgens.* *Sylvest.* *Adam.* *Bellarm.* *Molina.* *Salmer.* *Galarza.* *Cassian.* *Abulens.* *Henric.* *Dried.* *Ad Coloss. 3.* *1. Ioan. 3.*

An sint plures sensus literales eiusdem loci.

Caput IV.

I. EOdem Scripturæ loco plures sensus literales contineri negarunt Alens. 1. p. quæst. 1. m. 4. à 2. ad vltimum, & 4. p. quæst. 15. m. 4. art. 1. in corp. Albert. tract. 1. sum. quæst. 5. m. 2. ad quintum, Henric. in sum. art. 16. quæst. 2. ad secundum, & quæst. 3. Eandem sententiam ex professo defendit Michaël Medina de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 25. probat autem

Alens. *Albert.* *Henric.* *Medina.*

primo,

primo, quoniam opposita admuenta est ab auctoribus, vt defendant testimonia quædam instrumenti veteris, quæ habent alium sensum literalem, recitata esse ab Euangelistis & Apostolis in sensu literali diuerso: ad quod sat est, vt accipiantur in sensu mystico, vt fusè ostendit. Secundò scriptor sacer non erat purus amanuensis, qui solùm verborum sonum percipit, & sententiam non intelligit: sed scribendo conceptus suæ mentis exprimere volebat: quare ille est sensus literalis, quem is intendebat: est autem præter consuetudinem scribentium, vt eisdem verbis plura intelligant: ideoque non credendum ita accidisse. Tertiò nulla ex hoc sequitur vtilitas Ecclesiæ: nam in tali Scriptura necessariò interueniret æquiuocatio, hæc autem tenet lectorem incertum, ac suspensum de significatione, ac veritate sententiæ. Denique nullus locus proferetur, qui non explicetur commodè inprimis literaliter, deinde vero mystice: quapropter, cùm hoc non aliundè possit ostendi, sine fundamento asseritur.

II. Contrariam sententiam Abulens. existimat de fide quæst. 57. in cap. 2. Matth. & quæstion. 28. in cap. 13. Fundamentum ipsius est, quoniam Paul. ad Hebr. 1. ex illo 1. Paralip. 22. *Ego ero illi in patrem, &c.* probat Christi diuinitatem, argumentum autem à sensu mystico non est validum: intelligitur vero locus ille ad literam etiam de Salomone, iuxta seriem contextus, & communem expositionem. Ergo illius loci necessariò sunt duo sensus literales. Secundò non potest dici Scripturam impleri, nisi secundum sensum literalem: at de aliquibus locis Scripturæ habentibus aliquem sensum literalem manifestum alibi dicitur impletas fuisse in alio sensu: ergo necessariò eiusdem loci plures sensus concedendi sunt. Minorem ostendit ex illo, Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*: nam ad literam intelligitur de agno paschali, & tamen, Ioan. 19. dicitur de Christo, *hoc autem factum est vt impleretur Scriptura, quæ dicit, Os non comminuetu ex eo.* Similiter, Oseæ 11. dicitur de populo Israëlitico, *ex AEgypto vocaui filium meum.* & tamen, Matth. cap. 2. accommodatur Christo illis verbis, *vt adimpleretur quod dictum est à Domino, &c.* Maiorem probat multipliciter: primo quoniam tunc dicitur compleri Scriptura, quando fit id, quod per eam significatur: at sensus mystici non significantur per Scripturam, sed per res significatas per Scripturam. Secundò quoniam Scriptura quando impletur, verificatur: & tamen in sensu mystico Scriptura nunquam est vera, vel falsa, ergo in sensu mystico non impletur, Minor probatur, tum quia propositio tunc est vera, vel falsa, quando res ita se habet, vel aliter, quam ipsa significet: at sensus mystici non sunt sensus Scripturæ, sed rerum significatarum per Scripturam: tum quia sensus mystici sæpè sunt discordantes, & contrarij: si igitur ab illis Scriptura sumeret veritatem, & falsitatem, esset simul vera, & falsa: quod est absurdum. Tertiò quia alioqui tolleretur omnis certitudo Scripturarum: nam, cùm quælibet Scriptura possit habere tot sensus mysticos, quot ei voluerimus applicare, nesciremus quando esset impleta; imò nunquam putaremus esse impletam, quia semper sunt alij sensus applicabiles.

III. Dico primùm. Non est de fide, aut fidei proximum eundem locum Scripturæ habere plures sensus literales, hoc patet ex auctoribus citatis in contrariam partem, non enim credendum est viros tam doctos asserturos fuisse aliquid contra fidem: & ita Cardinal. Bellarmin. lib. 3. de verbi Dei interpretatione, cap. 3. sententiam affirmantem non improbabilem appellat, quasi nullam maiorem certitudinem habeat, quare rigida videtur censura qua Bannes 1. parte quæst. 1. art. 10. dubio 7. conclusione 3. oppositam notat, vocans eam temerariam, ad hoc enim requiritur, vt saltem sit contra communem Theologorum: at sententia negans non est: nam habet bonos auctores, nempè Alens. Albert. Henric. & Medin. supra citatos, pro sententia vero affirmante ex antiquis Theologis præter Diuum Thomam, ferè nullus refertur: sed solùm recentiores, ijque non sunt tot, vt tantam certitudinem sententiæ affirmanti concilient, vt oppositæ temeritatis notam mereatur. Probatur autem quoniam eiusmodi sententia nec habetur in sacris literis, aut Apostolorum traditione non est ab Ecclesia definita, aut communi Patrum consensione recepta, tametsi enim plerique Patres eadem loca nunc hoc, nunc illo modo interpretentur, tamen id facere potuerunt ex studio assequendi proprium sensum literalem: quem quia certo non deprehendebant, varios excogitabant secundùm regulam fidei, vt lectori fieret optio eligendi optimum, nec vero clarè asseruerunt dari posse duos sensus literales eiusdem loci.

Abulens. *Ad Hebr. 1.* *1. Paral. 22.* *Exod. 12.* *Ioan. 19.* *Oseæ 11.* *Matth. 2.* *Bellarmin.* *Bannes.*

Nam præter Augustinum cæteri, quorum testimonia ad hoc institutum adducuntur, explicari aliter possunt: nempè Chrysost. homil. 21. in Genes. vbi tantum loquitur de fœcunditate vniuersæ scripturæ, & sensuum eius in vniuersum: & ideò explicari potest de multiplicitate sensuum literalis, ac mystici, & huius varietate, non vero de pluritate solius literalis. Basilius autem, cùm in procœmio operis de Spiritu sancto docet scripturæ sacræ literas, & apices expendendos, non voces solùm, & orationes, de vniuersa scriptura loquitur: cuius etiam, quando vnicum tantum sensum literalem habet, omnia illa consideranda sunt: Id verò, quod Diuus Hieronym. Epistola 103. quæ est ad Paulinum de Apocalypsi ait: *Ioannes tot habet Sacramenta quot verba, parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est, in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Exponi congruè potest de sensibus mysticis, vt indicant verba illa, *tot habet sacramenta*, quæ potius sonare videntur sensum figuratum, & latentè sub literali, quã literalem: quod colligitur ex simili phrasi in eadem Epistola vbi sermo est de Leuitico in quo: *singula*, inquit, *sacrificia, imò singulæ penè Syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus spirant cœlestia Sacramenta*; quod de sensibus mysticis absque dubio intelligi debet, non enim secundum literalem est tam fœcundus ille liber, qui totus quoad literam versatur in cæremonijs legis: præterea intolerabilis esset hyperbole, asserere in singulis verbis esse multiplices sensus literales, quod dictum de mysticis tolerabilius, ac verius est: nec obstat quod aliqui dicunt Hieronym. non loqui de sensibus mysticis, quoniam horum fœcundius est testamentum vetus, quam nouum. Non enim hoc necessariò concedendum est, si singulos vesteris testamenti libros consideremus, & cum singulis noui comparemus. Accedit quod Hieronym. scripta Ioann. non cum illis comparat, sed cum alijs noui testamenti libris, de quibus post vetus cœpit agere, maximè quia iam similia dixerat de nonnullis libris veteris testamenti, nempè de libro Iob. de quo sic ait: *singula in eo verba plena sunt sensibus.* & de Leuitico dixerat etiam singulas syllabas plenas esse Sacramentis.

Chrysost. *Basilius.* *Hieronym.*

IV. Ad primum argumentum Abul. negandum est antecedens: tametsi enim sensus allegoricus, quamdiu latet, non sit efficax argumentum fidei, cùm tamen sit intentus à Spiritu sancto, suaptè natura vim habet, vt ostendam inferiùs, cap. sequenti. Esse verò Salomonem typum Christi notum erat apud Hebræos, cùm quibus Paulus loquebatur, & ideò potuit ex sensu mystico eius loci probare diuinitatem Christi. Ad secundum argumentũ respondetur, quamdiu sensus literalis non est impletus, nequaquã dici impleri scripturam, per spiritualem: quoniã ordo rei postulat, vt id, quod primo, ac per se verbis significatur, fiat prius tamquam figura rei per ipsum significatæ: cùm verò literalis adimpletus est, tunc verè dici posse impleri scripturam, ratione secundarij significati: nam cum primarium iam sit completum, cùm dicitur adimpleri scripturam, satis indicatur sermonem esse de figurato per primarium: at vero duæ illæ sententiæ, *Os non comminuetis ex eo, & ex AEgypto vocaui filium meum:* iam fuerant impletæ quoad primum significatum verborum scripturæ: ideoque satis indicatur sermonem esse de adimpletione secundarij, siue spiritualis significati; posse vero ita dici constat ex Patribus, qui eiusmodi loca adimpleta dicunt secundum sensum mysticum, de primo loco id asserunt August. tract. 12. & Chrysost. homil. 84. in Ioann. Theophylactus & S. Thom. in c. 19. Ioannis. De secundo Hier. in c. 11. Oseæ, Chrysost. hom. 8. in Matth. Theophyl. & S. Thom. in c. 2. Matthæi, & alij ibidem. Ad primã eiusdem maioris confirmationem respondeo tunc adimpleri scripturam, quando adimpletur complete, non solùm quoad ipsum verborum significatum, sed etiam quoad secundarium, ac figuratum: per metonimiam enim sumitur continens pro contento, & idem est dicere adimpletam esse scripturam, ac figuram per eam primo significatam: nam quia significatum continetur in signo, dicitur adimpleri signum, cùm completur id, quod figurat significatum: præsertim cum auctor signi intendat per illud remotè significare figuratum interuentu figuræ, vt se res habet in sacris literis. Secundæ confirmationis assumptio neganda est: nam sicut scripturæ remotè significant figurata, ita ea significando sunt veræ, & eorum adimpletione verificantur: cùm vero ad huius impugnationem dicitur sensum mysticum non esse sensum scripturæ, concedendum est, si intelligatur de proximo, atque immediato; negandum, si de remoto. Et hoc sufficit ad veritatem: cùm rursus obijcitur esse contrarios, negandum est. Licet enim possint esse disparati, hoc est, nõ habentes necessariam connexionem inter se, nõ tamen contrarij:

August. Chrysost. Theophyl. S. Thom. Hieronym. Chrysost. Theophyl. S. Thom.

nam

nam omnes, qui verè sunt sensus scripturæ mystici, intenduntur ab Spiritu sancto, qui simul contraria affirmare nequit. Tertiæ confirmationi respondetur negando sequelam maioris: præcipua enim ratio certitudinis consistit in adimpletione sensus literalis: qua posita non est absurdum, si ignoremus vtrum quoad omnes mysticos sit impleta. Nec verò id est verum, quod ad improbationem adducitur, nimirum scripturâ habere tot sensus mysticos, quot illi voluerimus applicare, vt constat ex dictis cap. præcedente.

V. Dico secundùm, probabile est eundem scripturæ locum habere plures sensus literales, pro hac sententia refertur communiter à Doctoribus D. Thom. 1. parte quæst. 1. art. 10. videntur autem sumpsisse occasionem ex verbis vltimis in corpore eius articuli, quæ sic habent. *Quia vero sensus literalis est, quem auctor intendit: auctor autem sacræ scripturæ Deus est, quia omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconueniens, vt dicit Augustin. 12. confes. si etiam secundum literalem sensum in vna litera scripturæ plures sint sensus*; quibus verbis indicat eandem literam habere plures sensus non solùm mysticos, sed etiam literales: præsertim cum vtatur ad hoc testimonio D. Augustin. lib. 12. confes. vbi duos sensus literales admittit, vt patebit ex dicendis. Verùm contra hanc expositionem se offert non leuis difficultas quia non est credendum Diu. Thom. sibi in eodem art. contradicere, contradicet autem si ita intelligatur; cùm enim in primo argumento obiecisset multiplicitatem sensuum parere confusionem, atque æquiuocationem, quæ à sacris literis remouenda est, respondet negando eiusmodi multitudinem sensuum facere æquiuocationem, quoniam non ita multiplicantur, vt vna vox multa significet, sed ita, vt res ipsæ significatæ per voces aliarum rerum sint signa. Qua responsione supponit, si immediatè per voces multa significentur, dari confusionem, & æquiuocationem alienam à sacris literis: sensus autem literalis etiam de mente Diu. Thom. est, cùm res significatæ immediatè per voces: atque adeò si sint plures, erit confusio, & æquiuocatio. Et ex solutione huius argumenti, vt inquit Sylvest. in rosâ aurea tract. 1. cap. 6. aliqui Thomistæ negant de sententia Diu. Thom. esse plures sensus literales: Alij verò affirmant, & respondent D. Thom. in solutione illa ad primum solùm reddere rationem multiplicitatis sensus literalis, ac mystici, non vero plurium literalium. Verùm hæc responsio non omninò satisfacit: quandoquidem omnis loquutio sophistica abesse debet à Scriptura diuina; in argumento vero ex eo, quod sint plures sensus, arguitur æquiuocatio, ac fallacia: quapropter si Diu. Thom. ex eo negat æquiuocationem, & confusionem, quia omnes sensus fundantur supra vnum literalem, planè admittit æquiuocationem, si concedit plures sensus literales. Cùm vero in corpore art. ait secundùm sensum literalem in vna litera plures sensus contineri, non ita debet intelligi, quasi sensus ipsi literales plures esse possint, sed ita vt iuxta, siue congruenter ad vnum sensum literalem plures alij mystici contineri possint. Profecto dubium est, quænam fuerit mens Diu. Thom. mihi tamen cum communi sententia interpretum videtur eum admisisse plures sensus literales eiusdem loci: tum quia hoc ipsum docet, quæst. 4. de potentia, art. 1. tum vero quia 1. parte quæst. 1. eo ipso, art. 10. simpliciter docet esse plures sensus, alterum literalem, alterum mysticum, deinde vero ad finem quasi aliud de nouo addens subdit verba superius relata, ex quibus etiam idipsum elicitur: inprimis ex ratione, quia sc. *sensus literalis est, quem auctor intendit, & Deus omnia simul intelligit*, si enim solùm vult, vt sint plures sensus, vnus literalis, alij mystici, quorsum præmittit, *sensus literalis est quem auctor intendit, Deus autem omnia intelligit*, ad intentionem enim vnius sensus literalis, non opus est omnia intelligere; quare idcirco id præmisit, quia vult, vt vna litera contineantur plures sensus literales, quos omnes oportet vt intendat, atque intelligat auctor scripturæ, idem colligitur ex eo, quod non absolutè hoc asserit, sed solùm dicendo, non est *inconueniens*, cùm tamen initio articuli absolutè asserat esse plures sensus, literalem sc. & mysticos: præterea cum addit, *si etiam secundum sensum literalem in vna litera sint plures sensus*, terminus ille, *etiam*, idem valet ac si dicatur, non solùm secundum sensum literalem ac mysticum, sed etiam secundum ipsum literalem sit multiplicitas. Ratio vero dubitandi soluitur dicendo primum illud argumentum solùm procedere de multiplicitate sensuum alterius literalis, aliorum mysticorum, de qua ex instituto agit Diu. Thom. quamuis per transennam addiderit etiam illud de sensuum literalium pluritate: & ideò sufficienter

Sylvest.

solui argumentum dicendo, non esse æquiuocationem, quando plura ita significantur, vt vnum significetur proximè per verba, reliqua remotè per res significatas: an vero quando plura per vocem significantur, sit semper æquiuocatio fallax, non dici à D. Thom. quandoquidem id non erat necessarium ad solutionem argumenti, & proprij instituti, an vero sit infra dicam.

VI. Tam multa dixi de sententia S. Thomæ, quoniam inter Scholasticos ipse est huius sententiæ coriphæus, quem plures alij sequuntur: nempè Lyran. in 2. prologo bibliorum, Abulens. quæst. 57. in cap. 2. Matth. & quæst. 28. in cap. 13. & in cap. 18. Deuteron. quæst. 6. in cap. 24. Numer. quæst. 6. & 7. & sæpè alibi: Burgen. in addition. super vtrumque prologum Lyrani, Sylvest. in rosa aurea tractat. 1. cap. 1. regul. 3. & cap. 6. & 1. parte conflati, quæ. 1. art. 22. Caietan. 1. parte, quæst. 1. art. 10. Driedo, lib. 2. de sacra script. cap. 2. Castr. lib. 1. contra Hæres. c. 3. Sebastianus Oxomens. regula 10. de sensibus scripturæ in fine. Salmeron prolegomeno 8. & 9. can. 11. Iulius Rugerius opusc. cit. cap. 10. Molin. 1. parte, quæst. 1. art. 10. disp. 3. Bellarmin. & Bann. vbi supra, conciliat autem magnam huic sententiæ probabilitatem, auctoritas D. Augustin. lib. 12. confes. cap. 30. ac 31. & præcipuè, cap. 28. vbi sic habet: *Deus per sermonem vnum in literis sacris plerumq; nō vnam solum, sed plures etiam literales voluit significare sententias.*

Lyran. *Abulens.* *Burgensis.* *Sylvester.* *Caietan.* *Dried.* *Castro.* *Oxomens.* *Salmeron.* *Ruger.* *Molina.* *Bellarm.* *Bannes.* *August.*

VII. Fundamenta huius sententiæ sunt ferè oppositæ fundamentis contrariæ, inprimis autem id, quod Michaël de Medina ait fuisse occasionem eius: nempè quia ex eodem loco sumuntur argumenta ad diuersa fidei dogmata stabilienda: solus autem sensus literalis ad hoc inseruit. Secundò quoniam nullum est absurdum, aut repugnantia in hac sententia: ea vero redundat in maiorem gloriam Dei, auctoritatem scripturarum, & fructum populi Christiani: meritò ergo ita credere debemus. Maior propositio patet quoniam Deus est infinita præditus sapientia, & vnica ratione potest plures sententias indicare: nam, si rebus plura figuratè significat, cur non poterit vocibus totidem significare, si ciuitas Hierusalem significat Ecclesiam, animam nostram? & cœlestem patriam, quo exemplo vtitur Diu. Thom. 1. parte quæst. 1. art. 10. & alij doctores communiter ad ostendendam multiplicitatē sensuum spiritualium, cur etiam vox Hierusalem, non poterit eadem immediatè

S. Thom.

significare, alia quidem propriè, alia metaphoricè, nō enim semper in sensu literali sumitur pro terrestri, vt patet in Apoc. 21. *Vidi sanctam Ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cœlo*; vbi ad literam sumitur pro Ecclesia primitiuorum, si sponsa figurate significat Ecclesiam vniuersam, & vnamquamque animam, cur vox, *sponsa*, hæc eadem simul immediatè non significabit? Nec vero in hoc significandi modo est vlla deceptio: tunc enim multiplex vocabulū est sophisticum, ac deceptorium, cùm in vno sensu conceditur à respondente, & in alio sumitur ab arguente ad eum cauillandum: at si loquens vtrumque sensum intendat, tunc sub vtrolibet accipi potest eius assertio ab audiente absque præiudicio veritatis, & periculo deceptionis: & ita constat sententiam affirmantem nō continere vllum absurdum. Iam vero hanc fœcunditatem scripturæ quoad sensus literales magis decere gloriam Dei patet; quoniam, quidquid Deo attribuimus supra communē vsum mortalium, magis dignū censeri debet, auctoritas vero scripturarū maior est, si eas æstimemus omnes tamquā viuum sapientiæ thesaurum, siue etiam fontem iugi diuinarum sententiarū vena scaturientem: hoc enim ipso maiori veneratione habetur, quo plures sensus latent iuxta dictum August. lib. 12. confes. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*; vtrumque indicasse videtur, Dan. 12. *claude sermones, & signa librum vsq; ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*, quem locum ita interpretatur Hieron. vt dicat idcirco præceptum à Deo esse prophetæ, *vt inuoluat sermones, & signet librum vt legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diuersa opinentur*, & tamen Propheta ait, multiplex erit scientia, quod Hieronymus interpretatur de inquisitione veritatis historicæ, siue sensus literalis: quare, si hæc scientia est, vera vtique erit: nam falsum sensum nequaquā appellat propheta scientiam: cadit ergo in eundem locum scripturæ multiplex sensus historicus. Denique vtilitas magna est Ecclesiæ dū pluribus à Deo sententijs paucis sermonibus eruditur: quo discendi ardor accenditur, & fructus vberes intelligentiæ proferuntur.

August. *Hieronym.* *Apoc. 21.* *Daniel. 12.*

VIII. Vt autem Maior huic sententiæ accedat auctoritas facit vsus Patrum, qui plures eiusdē loci sensus tradunt, & quamuis,

vt iu-

vt superius obseruaui, ex hoc præcisè capite nō sumatur irrefragabilis autoritas, quoniam studio inquirendæ veritatis propter obscuritatem loci poterant varias interpretationes adhibere, vt ita tandē verum, germanumque sensum attingerent: tamen duo sunt, ex quib. efficax ducitur argumētum: alterum est, si patres cōmuniter vnū aliquē locum secundum duplicem sensum accipiant: nam cum ex p̄cepto Ecclesiæ, vt infra dicam, scripturas teneamur interpretari iuxta cōmunem Patrū expositionem, nihil in ea falsi reperiri debet, alioquin erraret Ecclesia præcipiendo, vt eorū interpretationes amplectamur; alterum apud plerosq; efficax est, si vel Ecclesia in definitione dogmatū, vel patres in eorundē confirmatione vtantur eodē loco, modo sub vno sensu, modo sub alio, dixi apud plerosq;, quoniā licet sit sententia D. Tho. & aliorū ex solo sensu literali posse sumi argumentū fidei irrefragabile, tamē alij volūt etiam sumi posse ex mysticо, qua de re inferius dicam: porro cum Salmer. prol. 8. de sensu literali & spirituali scripturæ Gabriel. Vasq. 1. p. disp. 18. & alij diligēter expenderint, q̄ nam loca duos sensūs admittant, vel ex ipsius scripturæ, vel ex patrum interpretatione, non est cur ijs repetendis immorer, solum aduerterim nonnulla loca esse, quorum sensus à diuersis assignati, si à Spiritu S. intenti sunt, nō possint ita distingui, vt alter sit literalis, alter mysticus, cuiusmodi est locus ille Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terrā*, cuius interpretatio fuit occasio D. Aug. li. 12. confess. tam fusè disputandi de vero sensu literæ ab Spiritu S. & scriptore sacro intento, nam oēs quos numerat c. 20. & 21. si in eum locū quadrāt literales sunt, nec vllus alterius figurā continet, idem patet in sententia Esai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quæ de generatione æterna verbi, & de temporali Christi à patribus intelligitur, & aliter etiam à recentioribus, at nec æterna generatio est figura temporalis, neque hæc illius.

IX. Hanc sententiam quidam recentiores ita tēperandā cēsent, vt sensus literales nō sint nimiū diuersi, & parū cohærentes, hoc .n. potius est vitium scriptoris, q̄ doctrinæ fœcunditas: deinde vero ita, vt omnes sint ab scriptore sacro intellecti, atque intenti. Mouentur autem quoniam scriptor sacer non est amanuensis, qui solum dictata excipit, non percipiens mētem dictantis, sed ipse suas cōceptiones exprimere voluit: & ad hunc sensum verba vsurpauit, cuius oppositū accidisset, si in totum, vel in partem laterent eum sensus literales à Spiritu S. intenti: at in sensu mystico hoc nō est necessariū, quandoquidē sat est scriptorē intelligere res, quæ immediatè significantur per verba, q̄ quis ignoret ad quid amplius significandum à Spiritu S. dirigantur. Quæ quidem cōditiones, etsi rationabiles appareāt, nō videtur necessariæ, & ita priorē respuit Salmerō. vbi supra, & Syluest. ex doctrina Burgens. cit. 1. parte conflat. q. 1. ar. 22. circa fol. ad 1. & in rosa aurea tract. 1. c. 6. admittit plures sensus literales per dictionē mere æquiuocam; nec illā adhibent alij doctores, qui absq; addito dicunt eundē locū habere posse plures sensus literales, nec est ratio cōuincens, nam si plures sensus literales admittūtur, opus est vt eædē voces immediatè determinētur ad obiecta per se diuersa, nec cōuenientia in communi significatione eiusdem nominis aliquo modo vna, hic .n. modus significandi potiꝰ habet vnū sensum analogicū, q̄ plures: itaq; ad rationē plurium sensuū opus est vt obiecta significentur, non solū quatenus cōueniunt, sed etiam quatenus differunt, verbi gratia cum dicitur Isai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* significatur vtraq; generatio Christi æterna, & tēporalis, non solū secundum rationē analogicā generationis, sed etiā vnaquæque secundum suam propriam, eodēq; modo quæuis alia omnino diuersa significari possūt ijsdē scripturæ verbis, dūmodo tamen contineantur in significatione vocū propria, vel metaphorica, & ita Salmeron. vbi supra, notat vnam ex radicibus multiplicationis sensuum literalium esse diuersam, & æquiuocam significationem verborum Hebraicorum. Cur enim, si verba sint æquiuoca non poterit Spiritus S. vti simul vtraq; eorum significatione? sane nō video in hac re vllam repugnantiam, aut indecētiam, nec est vitium vllum plures sententias diuersas ijsdem verbis occulere, hæc enim est vna ex causis, cur testimonia Dei sint mirabilia, vt ea vocat propheta, Psalm. 118. qui etiā subdit, *ideo scrutata est ea anima mea*, nam profunditas, ac fœcunditas scripturarum ad studium, & contemplationem ipsarum inuitat.

Salmeron. *Syluester.* *Salmeron.* *Psal. 118.*

X. Posterior quoq; conditio nō est vnde probetur necessaria. Quāuis .n. fieri potuerit, vt scriptor sacer plures sensus intellexerit, vt sumitur ex Augustin. toto illo ferè libro 12. confess. maximè cap. 31. tamen nō apparet vlla necessitas, vt docet Syluest. in rosa aurea tract. 1. ca. 2. & D. August. cit. lib. 12. confess. postquam c. 31. probabiliter asseruit Moysem p̄uidisse oēs illos sensus veros de quib. erit controuersia, ne videretur in hoc cōstituere rationē sensus veri

Syluest. *Augustin.*

literalis, subdit capit. 32. sequente. *Postremo Domine qui Deus es, & nō caro, & sanguis, si quid homo minus videt, nunquid & spiritum tuum bonum, qui deduxit me in terram rectam, latere poterat, quidquid eras in eis verbis tu ipse reuelaturus legentibus posteris, etiam si ille, per quem dicta sunt, vnam fortasis ex multis veris sententiam cogitauit.* Similia docet lib. 11. de ciu. cap. 19. Astipulatur autē ratio Augusti. nā vel hoc requiritur ad rationē reuelationis, vel ad autoritatē scriptoris, vel ad ædificationē, ac certitudinē nostram, non ad primū, nam doctores cōmuniter asserunt, & aduersarij admittunt plerosq; sensus mysticos latuisse scriptorem sacrum, nec proinde nō desinunt esse reuelati ex intentione Spiritus Sancti; non ad secundum quoniam, vt scriptor sacer non dicatur simplex amanuensis, sat est si vel vnum sensum intelligat, qui proinde principalis sit, vt ait D. Augustin. loco proximè citato: nec derogat autoritati scribæ, si non omnia prorsus arcana, quæ literis continentur, intelligat, dummodo præcipui negotij notitiam habeat. Deniq; ad ædificationē, & certitudinē nostrā parū id facit, quandoquidē principiū firmū totius certitudinis veritatū reuelatarū nititur prima veritate per suos internūtios loquente: atq; adeo, siue illi intelligāt, siue non, dūmodo sententia proponatur à Deo reuelata certissima est, quin vero ea ponam' eos intelligere, quid id nobis prodest, quibus incertū est, vtrū intellexerint, nec ne. Itaq; sic existimo probabile scriptorē sacrū sensus oēs literales percepisse, eosq; verbis suis exprimere voluisse, vt nihilominus non necessarium, sed solum cōgruū existimem: quia, cum id Deo fuerit facillimū, & magis optandū & accōmodatū officio scriptoris sacri, ita factū fuisse videtur.

XI. Primum argumentū Medinæ conciliat aliq; probabilitatem sententiæ affirmanti; Verū quia oppositæ sententiæ autores negant ex sensu mystico sumi efficax argumentū fidei, dicent omnia loca, q̄ adducūtur, non explicari cōmodè in sensu mystico, pro qua re consulendus Salmer. vbi supra. Deinde q̄uis cum Medina concedatur ex sensu mystico sumi efficax argumētum fidei modo explicādo ca. seq. adhuc respōdebitur loca aliqua habere duplicē sensum quorū neuter est mystic', vt supra dixi. Ad secundū patet solutio ex dictis, nā scriptor, qui sensum aliquē literalē agnoscit, non est purus amanuēsis. Ad tertiū negādū est antecedēs, est. n. maxima vtilitas ex multiplici sententia Spiritus S. vt tali recepta à populis ex interpretatione, & doctrina pastorū & doctorū Ecclesiæ. Quamuis autē interueniat equiuocatio, & propterea nonnullū dubiū de vero sensu, non est noua res in sacris literis, vt propter earū profunditatem nō possint interpretes de vero semper intellectu eius cōuenire, & quod ex obscuritate nasci permisit Deus ad acuendū studiū, & pariendas multiplices expositiones, vt ait Hieron. in c. 12. Dan. cit. quid mirum, si nasci quoq; voluerit ex multiplicitate sensuū coniuncta cum aliqua æquiuocatione, quanq̄ vero ea non est propria æquiuocatio, q̄ ad sophistriam pertinet, & q̄ proprie dicitur fallacia æquiuocationis, vt rectè notat Sylvest. ca. 6. citat. nam hæc propriè tunc interuenit, cū enūciatio est in vno sensu vera, in altero falsa, ex quo p̄betur occasio errandi, quando vero vterq; sensus est verus, & cohærens textui, nō inducit ambiguitatem, sed auget intelligentiā, si vterq; recipiatur. Solutio vltimi argumēti postulabat, vt expēderentur ea loca, q̄ ab authoribus sententiæ affirmantis dicuntur habere plures sensus literales, sed quoniam, vt dixi, hoc cum laude alij p̄stiterunt, & potius ad interpretem sacræ scripturæ, quam ad Theologū pertinet, hoc labore supersedeo: sunt enim, vt apud citatos authores videre licet, aliqua loca, quæ vix, aut nullo modo aliter explicari possunt, quam admittendo duos sensus literales. *Hieronim.* *Sylvester.*

Ex quo sensu sumi possit firmum argumentum Theologicum.

Caput V.

I. NVnc vidēdum, vtrum omnes hi sensus, an vero aliquis, & quisnam sit aptus ad disputationes Theologicas. Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide c. 25. existimat etiā sensū mysticū, siue spiritualē adhiberi posse ad cōfirmanda dogmata: fundamētū est quoniā scriptura sub omni sensu vero, & intento à Spiritu S. adhiberi potest ad cōfirmationem veritatis: sensus autē mysticus est verus, & à Spiritu S. intentus: quare inseruire poterit ad discursus Theologicos. Deinde vero probat ex vsu Paruli frequenter argumenta sumētis ex scripturæ sensu mystico: vt 1. ad Cor. 9. nam cum ratione prius suasisset prædicatorem Euangelij alendum ab ijs, quibus prædicat, subdit. *Nunquid secundum hominem hæc dico, an & lex hæc non dicit. Scriptum est enim in lege Moysi. Non alligabis os boui terentis: nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hoc dixit? nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in* *Medin.* *1. ad Cor. 9.*

ad Galat. 4. ad Hebr. 5. & 7.

1. Reg. 7.

Dionys.

Psalm. 109. Ierem. 18.

D. Thom.

Abulens.

Lyran.

Burgens. Sylueſter.

Dried.

Sixt. Senens. Palacius. Caſtro. Molina. Bellarm. Salmeron.

Chryſoſtom.

Auguſtin.

Cant. 1.

ſhe, qui arat, arare: quod rurſus confirmat ex alio ſenſu myſtico, *neſcitis quoniã, qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui alteri deſeruiunt, cum altari participant.* eodem modo vſus eſt ad Galat. 4. ad Hebr. 5. & 7. item q; ad Hebr. c. 1. cum illud 2. Reg. 7. dictum de Salomone, *ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium,* adducit ad probandum Chriſti diuinitatem.

II. Econtra verò non oẽm ſenſum literalẽ eſſe aptũ diſputationi Theologicæ ſuadetur, quoniã vt ex Magno Dionyſ. in Epiſt. ad Titum cõmuniter vſurpant doctores, Theologia ſymbolica nõ eſt argumentatiua: atq; adeo loca ſcripturę, q̃ ſub ſymbolis cõtinent veritatẽ, adduci nequeunt ad efficaciter probandum: pleraq; vero, quorum ſenſus literalis eſt parabolicus, cõſtãt ſymbolis; vt cum dicitur Pſ. 109. *ex vtero ante luciferũ genui te,* item cũ Iere. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquut⁹ ſum aduerſus eã, agã & ego pœnitentiã ſuper malo quod cogitaui, vt faceremei,* & ſexcenta id generis.

III. Alij ex ſolo ſenſu literali ſumi volunt efficax argumentũ, ita D. Tho. 1. p. q. 1. art. 10. ad primũ & quodl. 7. q. 6. a. 14. ad quartũ. Abulenſ. q. 57. in c. 2. Matt. & q. 28. in ca. 13. & q. 25. in li. 1 Paral. c. 22. & q. 19. in ca. 28. & ſæpe alibi, Lyran. in prolo. 2. Biblior. Paul. Burgẽſ. in addit. ſuper vtrũq; prolog. Lyran. Sylueſt. in roſa aurea, tract. 1. c. 1. regula 3. ca. 2. & 6. & prima parte cõflati q. 1. ar. 22. circa ſolut. ad primũ. Dried. c. 2. cit. Sixt. Senenſ. li. 3. biblioth. 1. p. c. 4. Mich. de Palac. q. 6. prol. Caſtr. li. 1. aduerſ. hæreſes ca. 3. Molin. 1. p. q. 1. ar. 10. diſp. 5. Bellarm. lib. 3. de verbi Dei interpret. ca. 3. Salmero. prolog. 19. Fundamentũ eſt: quoniam ſenſus myſtici ſunt innumeri, & noui ſemper inueniri poſſunt propter eximiã fœcunditatẽ ſanctæ ſcripturæ, cuius infinitus theſaur⁹ nondũ eſt exhauſtus: ideò enim fons appellatur, vt notat D. Chryſoſt. hom. 3. in Geneſ. ex tot autẽ ſenſibus, qui traduntur à doctoribus, incertum eſt, vtrum omnes ſint à Spiritu S. ex qua incertitudine redditur dubia veritas cuiuſq; ſenſus non literalis: pſertim quia non eſt ita obuius, ſed latens in cortice literæ, ideoq; coniecturis, & diſcurſu extrahendus: in quã deductione poteſt eſſe deceptio, cum lumine diligentiaq; humana nitatur, & hoc argumentandi genere vſus Donatus & eius aſſeclæ, vt refert Auguſti. lib. de vnitate Eccleſiæ ca. 14. & 19. ſuam hæreſim, ſiue ſchiſma ſuadere volebant ſumpta occaſione ex verbis Cant. 1. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* ex hoc colligentes Eccleſiam ſolũ eſſe ad meridianã plagam Africæ, quam ipſi incolebãt. Et eodẽ modo Lutherus ex illo 1. Pet. 2. *vos autẽ genus electum, regale ſacerdotium,* concludit hæreticã ſententiam: nempe omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, neque eſſe differentiam inter Laicos & Sacerdotes. Pro hac ſententia refertur Auguſtin. Epiſtol. 48. quæ eſt ad Vincentium Donatiſtam, vbi ſic ait: *Quis autem non impudentiſſime nitatur aliquid in allegoria poſitum proſe interpretari, niſi habeat etiam manifeſta teſtimonia, quorum lumine manifeſtentur obſcura.* Eodem modo D. Hieron. in comment. in ca. 13. Matth. cum retuliſſet interpretationem quorundam per ſata tria farinæ intelligentium ſanctam Trinitatem, ſubiungit: *pius quidem ſenſus, ſed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad autoritatem dogmatum proficere.*

1. Pet. 2.

Auguſtin.

Hieronim.

IV. Sane in hac quæſtione quoad rem ipſam, nulla apparet difficultas, nam ſenſus ab Spiritu Sancto non intentus non habet infallibilem veritatem: & ita ſi is, qui tanquam myſticus proponitur, non eſt ab Spiritu Sancto intentus, vim non habet ad dogmata confirmanda. Nec mirum, quoniam non eſt ſenſus ſcripturæ: nam ſenſus ſigni non eſt omnis is, qui à quouis videnti ſignum haberi poteſt, ſed qui habetur, & ſignificatur ab eo, profert ſignũ, quod eſſe debet expreſſiuum cõceptus, ſiue ſententiæ eius qui eo vtitur. Contra verò, omnis ſenſus intentus ab Spiritu S. cõtinet infallibilẽ veritatẽ: atq; adeò ſecundum ſe omnis habet infallibilẽ autoritatẽ, ſiue ſit literalis, ſiue myſtic⁹, qua in re nõ eſt vlla diſſenſio inter autores. Tota difficultas eſt quoad nos: etenim, vt principiũ aliq̃ per ſe notũ ſit etiã quoad nos, oportet vt nobis innoteſcat ex terminis, & q̃diu ij nõ penetrãtur: nõ dicitur per ſe notũ nobis, ſimiliter eſto ſententia aliqua intenta ab Spiritu S. in ſacris literis, & ideo infallibiliter vera, quatenus nititur primæ veritati, ſit ſecundũ ſe principium Theologicũ, non tamen eſt etiam quoad nos, niſi nobis conſtet de reuelatione, ſeu intẽtione Dei volẽtis per verbũ ſuũ ſcriptũ illã ſignificare. Et hoc ſolũ voluit D. Tho. vt patet ex doctrina ipſius quodli. 7. q. 6. art. 14. ad quartum, vbi ait quod ex ſenſu ſpirituali trahi non poſſit efficax argumentum, non naſci ex defectu autoritatis, ſed ex ipſa natura ſimilitudinis, in qua fundatur, quæ poteſt pluribus adaptari: & ideò præſens difficultas magis conſiſtit in declarando vtrũ ſenſus myſtici ſufficiẽter conſtent nobis ad gignendum aſſenſum fidei infallibilẽ, nã ſi cõſtent eadẽ certitudine, qua literalis, non minus, ac ille inſeruiẽt ad ſtabiliẽda dogmata: atq; adeò videbitur

S. Thom.

alicui

alicui eandē in vtrisq; esse rationē, nā etiam pleriq; sensus literales latent, & aliter, atq; aliter à doctoribus idem locus explicatur: ex qua obscuritate, ac dubio locus eiusmodi, quamdiu non est maior certitudo de sensu literali, non habet etiam vim, aut auctoritatem irrefragabilem ad dogmata diffinienda, sed quia vt omnes communiter admittunt præcipua vis scripturæ ad stabilienda dogmata consistit in sensu literali de eo primum dicam.

V. Dico primum. Sensus literalis proprius p̄bet infallibile argumētū Theologo, hæc est cōmunis, & facilè ostenditur, nā sensus literalis proprius vt plurimū cōstat Ecclesiæ, atq; adeò sufficienter applicari potest nobis tanq̄ sententia à Deo reuelata: nam quis neget ex illo Deut. 6. *Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, rectè ostēdi vnitatem Dei? aut ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, ostēdi verbi diuini incarnationē, & sexcenta alia huius generis: q̄ qui negat, eo ipso cēsetur negare mētē, ac sensum eius, qui illa scripsit, & cōsequenter incredulus respectu eius iudicari. Quod si aliquādo sensus literalis est obscurus, vt infra dicam: & ideò q̄ diu ex certa regula nō cōstat nobis vtrū hic, aut ille sit intētus ab Spiritu S. non habet firmā autoritatē, vt firmū, & infallibilē assensum gignat: ac proinde interim nō debemus p̄cipitare sententiam statuendo rem de fide, q̄ non est, vel negando quæ vera est, vtrumq; enim periculum habet: tamen hoc non est commune cunctis sensib. literalibus simplicibus, siue proprijs, nam proprius sensus facilius innotescit, q̄ metaphoricus, & mysticus, non est tamen negādum ob rerū diuinarū sublimitatē, quibus significandis nō habemus propria vocabula, sed vtimur ijs, queis loquimur de creaturis, dubitari interdum posse de proprio sensu scripturæ, in quo dubio recurrendum quoq; erit ad normā Ecclesiæ, vt infra dicam.

Deut. 6. Ioan. 1.

VI. Dico secundum. Sensus literalis metaphoricus, seu parabolicus frequēter potest vsui esse ad dogmatum stabilimentum, nō tamen semper. Hanc vt ostēdam, obseruo sensum metaphoricum, seu parabolicum frequenter esse talem, vt non sit minus clarus, & perceptibilis quam proprius: eiusmodi sunt sententiæ harum orationū, *prataridēt, quid faciat lætas segetes, mitte agnum Domine dominatorem terræ.* Isai. 16. *Oculi Domini super iustos* Psalm. 33. & similes: alij sunt magis abstruti, ac reconditi, qui non consistunt solum in translatione vnius verbi, sed in toto orationis contextu: qualis est parabola zizaniorum, parabola seminis iacti in viam, in spinas &c. q̄ discipuli nō intelligētes dixerūt Christo Domino Matt. cap. 13. *ed disserenobis parabolam istam*, & aliæ eiusdem generis. Hoc posito facile ostenditur assertio quoad priorē partem, quæ est de mente doctorū asserentium huiusmodi sensum esse literalem, quos retuli ca. 2. nu. 5. nullus enim negat ex sensu literali posse desumi efficax argumentum; Probatur vero, quoniam locus scripturæ, cuius sensus constat, est aptum fundamentum dogmatum: at sensus metaphoricus, frequenter constat non minus, quam simplex, & proprius: ergo ex illo desumi potest argumentum fidei: Assumptio cōstare potest exemplis, nam ex illo Ier. 18. *Si gens illa pœnitētiam egerit, & ego pœnitentiam agam*, satis aperte colligitur de fide Deum parcere verè pœnitentibus, q̄uis verba illa, *ego pœnitentiam agam*, non propriè, sed per metaphorā dicantur de Deo: & ex illa Psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, de fide cōstat Deum habere peculiarem prouidentiam iustorū, & exaudire orationes ipsorum, quamuis sensus sit metaphoricus tribuens Deo aures, & oculos, queis caret, plura alia eiusdē generis occurrent passim in sacris literis. Hoc sensu non semel vsus est Augustin. lib. vnico contra Donatist. post collationem, probans ex parabola sagenæ missæ in mare, itemq; ex parabola zizaniorū in Ecclesia militante non necessario oēs debere esse bonos, sed permistos etiā bonis malos, qui separabūtur ab inuicē in die iudicij, quando extrahetur sagena, & bonis ligētur in vasa, mali verò mittentur foras. Secunda pars eiusdē assertionis est de mēte Hiero. vbi supra, loquitur. n. de sensu parabolico dubio, qui nō facit certitudinē fidei nec p̄ficit ad dogmatū autoritatē: similiter loquitur D. Aug. ibid. citat. & in hoc sensu accipi debet, quod ait Magn. Dionys. cum Theologiā symbolicā docet nō esse argumētatiuā, quādo scil. est incerta, & obscura symboli significatio, vt si scriptura sacra vtatur metaphora leonis, & aliunde non cōstet verus, ac germanus sensus, ex tali loco nihil certi concludi potest, quoniam vt ait Diu. Tho. quodlib. citato hac ipsa de re loquens, nomen *leo* propter diuersas proprietates significati proprij transferri potest per metaphoram ad significādum Deum, regem, diabolum: & ita nisi aliunde cōstet verus sensus, ratione huius dubij locus eiusmodi non præbebit efficax argumētum fidei. Huiusmodi sunt pleriq; in cantico cāticorū: tot⁹. n. sensus literalis est metaphoricus: & quis nā german⁹ sit, multis in locis ignoratur propter obscuritatē scripturæ.

Isai. 16. Psal. 33. Matth. 13. Augustin. Hieronim. Augustin. Mag. Dionys. S. Thom.

& mul-

& multiplicem doctorũ interpretationẽ; simile est illud Esai. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina, &c.* propter crebras enim metaphoras proprius sensus literalis manet obscurus, ac dubius quoad nos. plura his similia sunt in sacris literis, quorum sensus literalis quoad nos est ignotus, ideoque non habet vim astruendi aliquid de fide.

VII. Dico tertium. Nonnulli sensus mystici etiam quoad nos habent vim, & autoritatẽ infallibilem: eam tamen non habent quatenus præcisè mystici sunt, nisi aliunde infallibiliter constet eiusmodi esse. Prima pars traditur à Bann. 1. p. q. 1. ar. 10. dub. vlt. & Galarz. li. 3. instit. c. 7. neq; ab vllo negatur. Ostenditur autẽ, quoniã omnis sensus, quẽ nobis certo cõstat esse intẽtũ à Spiritu S. habet autoritatem fidei: ex scriptura vero cõstat nonnullos sensus, qui mystici cõmuniter habẽtur, esse intentos à Spiritu S. ergo ex illis sumi potest argumentũ infallibile. Assumptio patet: Nam ex Paul. ad Rom. 9. habetur Iacob. & Esau. esse figurã populi gentilis, ac iudaici. & ita recte ex loco illo Malach. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, colligitur reprobatio synagogæ, & vocatio atq; electio gentium: item illud Oseæ 11. *ex Aegypto vocaui filium meum*, Matt. ca. 2. adimpletu esse dicit, cum Christus in Aegyptum fugiens postea rediit in terram Israel: ex quo cõstat reditũ Christi saltem mystice significari prophetia illa Oseæ, atque adeò ex eo loco infallibiliter constat reditus Christi ex Aegypto. Mitto alia huius generis, q̃ passim occurrẽt. Secũda pars est de mente negantiũ ex sensu mystico sumi argumentũ fidei efficax, & facilè probatur, quoniã signũ indifferẽs de se ad plura significanda, & ex instituto impositũ ad aliquid determinate significandũ, nõ habet vim significãdi quoad illos, qui ignorãt eius institutionẽ, & impositionẽ: at figuræ, siue res per verba scripturę per se primo significatæ, nõ sunt signa naturalia, ac determinata ex se ad significãda obiecta sensus mystici: sed indifferẽtia, & instituta ad placitũ Dei intẽdentis per eas significare alias in sensu mystico, ergo nisi cõstet nobis institutio Dei volentis per eiusmodi figuras hoc potius, q̃ illud significare, certo deprehendi nequeunt sensus mystici ex lectione, & intelligẽtia scripturæ secundũ sensum literalem. Quomodo verò certo deprehẽdi possit sensus siue mysticus, siue literalis, inferius dicam. Nunc hoc solũ contendo, ex præcisa lectione & studio singulorũ locorũ non posse certo cõstare, quisnam sit sensus mysticus, q̃is probabiliter ex rerũ cõuenientia sumi possit, & in hoc est differentia inter spirituale, ac literalem: quod literalis q̃is propter obscuritatẽ sacrarũ literarũ, & mysteriorũ profunditatẽ interdũ lateat, sæpe tamen est apertus, & ex sola lectione cõstat, vt magna ex parte videre est in euangelijs: at mysticus ex p̃cisa verborũ lectione, nunq̃ cõstat, nisi quando vnus locus explicat alterius allegoriã, aut tropologiam: ideoq; Patres sensum literalẽ comparãt cortici, intra quẽ latẽt recõditi sensus mystici: ita loquitur Bern. ser. 4. in Cãt. & Greg. Naz. ad Nemes. *est*, inquit, *in scripturis nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis, alter externus, nec literæ corticẽ excedes, ille à paucis perspicitur, hic à plerisq; intelligi potest.* *Bernard.* *Nazianzen.*

VIII. Ex dictis occurri facile potest omnib. obiectionib⁹, & duæ extremæ sentẽtiæ cõciliari. Nam, qui negãt ex sensu mystico sumi efficax argumentũ ad dogmata, loquũtur ad sensum secundę partis nunc explicatæ: qui vero aiunt, ad sensum primæ: sic enim expresse se explicat Medin. vbi supra §. *Valent ergo*, vbi postquam cõclusit à sensu mystico valere argumenta, subdit *quamuis non à quocumq; sed quæ à semel iam recepto, & approbato nectuntur: nam à mystico sensu, quem sibi quisq; voluntarie confinxit, producta argumenta valere non dicimus*, & in fine ait à figuris, quando tales publice habebantur, & quando iam semel fuerat statutũ earũ rerũ esse typos, nõ inualidas rationes produci. Id vero, quod ibi dẽ subdit, nimirũ à sensu mystico sumi efficaciores rationes, quam à literali, dictum videtur per exaggerationẽ: nam, cum vterq; sensus innitatur autoritate diuina, si vtrumq; constat esse à Deo, æquè firmũ argumẽtũ ex vno, atq; ex altero sumi debet. Porrò primũ argumentũ pro ipsius opinione adductũ solu cõcludit sensum mysticũ secundũ se habere infallibilẽ autoritatẽ, quatenus intentus est à Spiritu S. cum quo stare potest, vt non sit quoad nos, quamdiu non constat: vt re ipsa non constat ex sola lectione, aut intelligentia literalis sententiæ, qua continetur. Ad argumentum sumptum ab autoritate, & vsu Diui Paul. dicendum hoc ipso quo Diu. Paul. spiritu Dei afflatus loca illa scripturæ interpretatur secundum sensum mysticum, constare nobis de veritate illius: & consequenter omnes sensus eiusdẽ generis traditos in Euangelio, aut quauis alia scriptura canonica habere infallibilẽ autoritatem. At, inquies D. Paul. sumebat argumẽtum ab eiusmodi sensu, seu à scriptura sic eo sensu: & proinde opus erat, vt iam antea sensus ille haberet etiã quoad nos autoritatẽ, alioquin friuola esset eius argumẽtatio.

Hæc dif-

Hæc difficultas longiorem exigit explicationem quam vt in solutione argumenti cõmode tradi possit: ideò nunc breuiter respõdeo argumẽtationes, q̃ in sacris literis cõtinentur, posse cõsiderari dupliciter: nẽpe vel vt solo discursu humano fieri, & cõcipi possunt, vel vt nitũtur inspiratione diuina; si priore modo cõsideretur, non semper sunt necessariæ: qualis est illa eiusdẽ Apostoli 1. Cor. 15. *Si mortui non resurgunt, neq; Christus resurrexit*: quoniã non repugnat secũdũ se, vt Christus resurgeret, q̃uis alij mortui nõ essent resurrecturi: etsi reuelatũ non fuisset resurrectionẽ Christi esse causã resurrectionis nostræ, collectio illa esset solũmodo probabilis; at Apostol⁹ vtens illa argumentatione ex instinctu diuino hoc ipso infallibiliter arguit: quoniã ipsa argumẽtatio est infallibilis, quoad cõnexionẽ cõsequentis cũ antecedente. Eodẽ modo, cũ ex scriptura sumpta secundũ sensum mysticũ arguit ad stabiliendũ aliquod dogma, si sensus ille mysticus antea notus, ac certus erat, tunc argumẽtatio à quocũq; fieret necessaria foret, qua ratione cũ Paulus in epist. ad Hebr. cap. 1. ex illis verbis. 2. Reg. 7. & 1. Paral. 22. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filiũ*, colligit diuinitatẽ Christi, cum tamen verba illa, ad literam intelligãtur de Salomone, rectè ad homines argumẽtabatur, apud quos receptissimũ erat Salomonẽ esse typũ, & figuram Christi: si vero sensus antea fuisset obscurus, ac minime receptus, tunc Apostolus argumẽtatur vt Magister, assertione sua supponẽdo veritatẽ antecedentis, & ex eo sic posito inferẽdo cõsequẽs, vt patet in loco illo sumpto ex Deut. 28. *Nũquid de bob⁹ cura est Deo?* supponit quippe boues triturãtes esse typũ cõcionatorũ verbi Dei, deinde vero ex dicto illo, *nõ alligabis os boui triturãti*: deducit p̃dicatorẽ Euãgelij ex Euãgelio viuere, posse, ac debere, & quẽadmodũ pleraq; alia in suis epistolis magistraliter dicit nõ p̃bãdo, sed Apostolica autoritate asserẽdo, ac docẽdo, ita boues eos fuisse typũ p̃dicatorũ sua autoritate cõfirmat. Ad argumentũ oppositę sententiæ respondetur, licet nõnulli sensus literales parabolici, quia obscuri sunt, & incerti, nõ sint quoad nos apti ad faciendã fidẽ infallibilẽ, tamen hoc nõ esse commune omnibus, sicuti est mysticis: qui nisi aliũde cõstent, ex solo loco, quo cõtinentur certo deduci nequeunt sola ratione, ac discursu naturali absq; inspiratione diuina: at literales etiã metaphorici non necessariò indigent alio testimonio reuelato, vt patet cũ Christus Dominus dictus est à Ioanne Baptista *Agnus Dei*, ab Euangelista *Lux vera*, Ioan. 1. à seipso *Lignum vitæ, vide*, Luc. 24. *vitis vera*, Ioan. 14. à Malach. cap. 4. *Sol iustitiæ*, & sexcenta alia, quorũ sensus sola lectione, & mediocri attentione innotescit propter affinitatem metaphoræ. Argumentum adductum pro communi sententia solum probat id, quod à me dictum est, scilicet sensus mysticos nisi aliunde constet, non habere vim probandi.

1. ad Cor. 15.
ad Hebr. 1.
2. Reg. 7.
1. Paral. 22.
Deut. 28.
Ioan. 1.
Luc. 24.
Ioan. 14.
Malach. 4.

Quomodo eruendus verus sensus scripturæ.

Caput VI.

QVemadmodũ, vt vtamur principijs scientiarũ naturaliũ, opus est notitia simplicium terminorũ, ex qua pendet euidens assensus ipsorum, ita, vt Theologus vtatur principijs reuelatis, oportet, vt percipiat sententiã Dei reuelantis: nam q̃diu ignorat, quid ab eo reuelatũ sit, haudquaq̃ potest ex fide assentire, & habere principia discursus Theologici. Ideò Christus Dominus Luc. 24. Apostolis primis Ecclesiæ magistris, *Aperuit sensum, vt intelligerent scripturas*: hoc donũ si omnes Theologi haberent, cõpendiaria via tenderent ad scientiã: sed quia nõ oẽs Apostoli, non omnes Prophetæ, opus est studio, oratione, & cõmentatione ad verũ sensum assequendũ, nam vt ait Diu. Hieron. citat. ab Anton. 3. p. tit. 5. c. 1. §. 1. *Quod Apostolis suggerebat Spiritus S. hoc aliis cõfert quotidiana in lege Domini meditatio*: Sed quoniam, vt ait Clem. Rom. & habetur dist. 37. c. *Relatũ est, non secundũ proprii ingenii intelligentiã legi, aut doceri debet scriptura*, oportet breuiter tradere modũ deprehendendi verũ sensum eius sub ea certitudine, quæ ad speculationẽ Theologicã requiritur. non est autem animus tradere normas rectè interpretandi, quod spectat ad sacræ paginæ interpretes, cõsulatur Pagnin. libr. vn. Isagog. ad sacras literas, Cathar. in claues scripturæ, Sebastianus Episcop. Oxomẽs. in regulis de sensib. scripturę, Franciscus Ruizius in regulis intelligendi scripturas sacras, Salmer. to. 1. in Euangelia prolog. 9. 10. 11. 12. 19. & 20. sed solum intendo explicare, quænam sit norma infallibilis, quæ probabilis veri sensus scripturæ: vt ex eo Theologus argumentari possit. I.

Hieron. S. Anton.
Clem. Rom.
Pagnin. Catharin. Oxomens. Ruizius. Salmeron.

In primis autẽ reijcienda est temeraria p̃sumptio hæreticorum: qui sacras literas perspicuas, & faciles intellectu dicũt, atque adeò non alia diligentia, aut examine opus esse, præterq̃ nuda lectione ipsarum, hoc enim repugnat ipsis scripturis, patribus, & experientiæ: si scripturæ cuilibet peruiæ sunt, cur Christus dixit Iudæis, Ioa. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam* II.

Ioan. 5.

æternam

æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonia perhibent de me, cur Luc. 24. aperuit discipulis sensum, vt illas intelligerent? cur Actor. 8. Eunuchus Candacis Reginæ interroganti Philippo diacono *putasne intelligis quæ legis*, respondit, *& quomodo possim, si non aliquis ostenderit mihi?* cur Petrus 2. epist. cap. 3. ait in epistolis Pau i esse *quædã difficilia intellectu?* non esse vero ad proprium sensũ interpretandas docet Clem. Rom. vbi supra, sanè qui eas perspicuas esse dicit parũ vel nihil ex ipsis attigisse cẽsendus est, qui enim eas assiduè perlegit semper plura, ac profundiora mysteria agnoscit, vt de se fatetur Diu. Augustin. Epist. 3. *Tanta est*, inquiens, *Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem si eas solas ab ineunte pueritia, vsq; ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere:* & Epist. 119. cap. vltim. ingenuè fatetur plura se in scripturis, nescire, quã scire, communis est hac de re cõsensus Patrum, ita Irenæus lib. 2. ca. 47. Origen. lib. 7. contra Celsum, Chrysost. hom. 40. in illud Ioan. *Scrutamini Scripturas*. Ambros. epist. 44. ad Constãt. Hieron. epist. ad Pau in. de studio scripturæ, & epist. ad Algas. q. 8. August. li. 2 de doctrina Christiana capit. 6. & plures alij relati à doctoribus mox citandis. Nec verò multis opus est testimonijs, cum vsus ab initio nascentis ecclesię ad hæc tempora hoc ostendat, nam, si scripturæ non essent obscuræ, non tanta opus esset industria, ac labore, quantũ patres omnes suis quiq; ętatibus adhibuerunt, nec tot fuissent in ecclesia hæreses exortæ ex praua lectione scripturarũ: longiorẽ cõfirmationẽ vide apud Driedon. lib. 2. de script. c. 3. Michael. Medinam. l. b. 7. de recta in Deum fide à cap. 1. ad dec. mũ, Iul. Kuger. opusc. de obscur. sacræ script. per priora. 8. c. Bellar. libr. 3. de verbi Dei interpretatione c. 1. & 2. Salmer. tom. 1. in Euangelia prologomeno. 2.

1. Ioan. 24. *Actor. 8.* *2. Petr. 3.* *Clem. Rom.* *Augustin.* *Irenæus, Origen. Chrysost. Ambros. Hieronym. Augustin.* *Driedo. Medina. Kugerius. Bellarmin. Salmeron.*

III. Ex hoc sequitur, ad assequendũ verum sensum scripturę vt plurimum non sat esse nudã eius lectionẽ, sed ꝓterea requiri certã interpretationẽ: hæc autẽ ab alio Magistro haberi nequit, q̃ ab Spiritu sancto, qui fuit eius autor iuxta sententiã D. Pet. epist. 2. c. 1. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit: non enim humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt Dei sancti homines.* Et res est perspicua: nã obscuru dictũ ad placitũ loquẽtis significãs nullꝰ alius interpretari certo potest, q̃ ipse, aut ij, qui inẽ eius perfectã habeãt: & hac in re conueniũt Hæretici cu Catholicis. Sed dissentiũt in statuenda norma certa infallibilis interpretationis secundũ mentem Sancti. Hæretici enim cuiuis homini cõmissam volunt clauẽ scientiæ, ita vt secundũ ꝓprium spiritũ de verò sensu scripturę ꝓnũcię, ac debeat iudicare: nec teneatur stare iudicio Ecclesiæ: nos aut nullꝰ priuati interpretationẽ, eo quod illius sit, tanq̃ certam, & infallibilẽ recipimus. Non vacat aũt rationes audire eorum, ac soluere: factum id est iam luculenter à doctoribus numer. 4. referendis: iactent quantum libet hæretici spiritũ suum, & se omnes docibiles à Deo ꝓdicent: nam spiritus eorum, spiritus vertiginis, & tempestatis, quo per tot errorũ anfractus, per repugnantes doctrinas circumacti ad stygium littus electi tunc demum agnoscent non habuisse se spiritum Christi, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum timoris domini, sed spiritum superbiæ, ac dissentionis, namq; non omnib. dari spiritũ interpretandi scripturas pater. 1. ad Cor. 12. *alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ alii interpretatio sermonum*, & Ioan. ca. 4. primę suæ Canonicæ, *Charissimi nolite omni spiritu credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, multi enim pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Conuincitur aute ratione; aut scripturæ interpretatio certa, & infallibilis conuenit vnicuiq; fideli, aut solis pijs, & sanctis: nõ vnicuiq;, namq; spiritus diuinus nõ est spiritus erroris, scimus autem plurimos antea fideles ex peruersa interpretatione scripturæ incurrisse hæresim, vt enim ait August. libr. 7. de Genes. cap. 9. non ob aliud sunt hæretici, nisi quod scripturas nõ recte intelligentes, suas falsas opiniones cõtra earũ veritatẽ peruicaciter asserunt, & Paul. 1. ad Tim. 1. fideles aliquos ait à fide naufragauisse, quoniam conscientiam repulerunt: non incurrissent vero hæresim, si haberent infallibilẽ assistentiam spiritus ad interpretationẽ verbi Dei. Non dari vero necessariò cuiuis Pio, & Sancto, præterq̃ quod ostẽdi posset exemplis aliquorũ, qui prius sanctam vitam egerunt, postea vero in hæresim lapsi sunt, vt Origenes, tamen efficacius ostẽditur ex erroribus aliquorum patrũ in particulari, etiam sanctissimorum: quos illi quidẽ sine pertinacia tenuerunt, sed tamen errauerũt: non errabunt autem, si infallibilem spiritus illustrationem haberẽt. Quin vero, etsi lumen spiritus, adesset omnib. pijs, ac sanctis viris, cum nemo sciat virum odio, vel amore dignus sit, incerta omnino esse debet eius interpretatio, ac proinde non statuẽda tanq̃ infallibilis norma veritatis, & veri sensus scripturarum diuinarum.

1. ad Cor. 12 *1. Ioan. 4.* *Augustin.* *1. ad Tim. 1.*

IV. Itaq; cum hæretici etiã scripturas iactẽt,

& ijsdem vtantur Catholici, nec discrepét scripturis, sed sententijs, vt enim libr. 2. de Trin. ait Hilar. *de intelligentia hæresis est, non de scriptura: sensus non sermo sit crimen.* Vtriq; se tegunt scripturis tanq̃ vestimentis ouiũ Christi, sed Hæretici intrinsecus sunt lupi rapaces propter feros, & rabidos sensus literæ, vt ait Vinc. Lyrinens. lib. contra prophanas hæresim nouitates, ca. 36. Catholici vero sunt verè oues Christi, quia vocẽ eius audiũt, non solũ quoad sonũ, sed etiã quoad spiritus intelligẽtiã. Cum, inquã, hęc ita sint, & vnusquisq; dicat se sequi sensũ scripturæ, iudice opus est, qui hãc litẽ dirimat: nõ enim credendũ est, reliquisse Deũ ecclesiam destitutã sufficiente p̃sidio ad conseruandã, & tuendam veritatem, à Christo, & Spiritu Sancto per Apostolos acceptã: aliàs nõ esset colũna, nec firmamentũ veritatis, sed circumferretur omni vento doctrinę. Cum vero nõ sit vlla persona priuata, fatẽdũ necessariò est ipsam Ecclesiã habere infallibilem autoritatẽ declarandi libros canonicos, & germanũ scripturæ sensum tradendi, quem fideles oẽs recipere tenentur. Quæ sentẽtia est veritas Catholica à principio nascentis Ecclesię ad hæc nostra tẽpora ipso vsu cõprobata, & inprimis quidẽ cum dubium esset Antiochiæ subortũ de obseruatione legaliũ, quæ q̃stio ex scripturarum intelligentia non parum pendebat, ad eam decidendã non recurrerunt fideles Antiocheni per se ipsos ad scripturas, sed ad Ecclesiam, q̃ erat Hierosolymis constans ex Apostolis, ac senioribus: deinde verò idem successu tẽporis p̃stitũ est. Itaq; ab Ecclesia tanquã à viuo thesauro scripturę petenda est vera eius interpretatio: nam qui ex proprio iudicio sumit regulã infallibilem interpretandi, non se scripturarum autoritati subijcit ad fidem, sed eas sibi subijcit ad errorem, vt de Manich. dixit Diu. Aug. lib. 32. contra Faustum cap. 19. hanc veritatem ex instituto fusè confirmant, & contra Hæreticos defendunt Canus lib. 12. de loc. cap. 7. Castro lib. 1. aduersus Hæreses ca. 4. Michael. Medina lib. 7. de recta in Deum fide, Iulius Rugerius opusc. ul. de sacrę scripturæ interpretatione à cap. 9. Bellarm. li. 3. de verbi Dei interpretatione, & Staplet. controuersia 2. li. 5. à cap. 1. vsque ad 11. & controuer. 6. lib. 10. & 11.

Hilarius. *Vincentius.* *Augustin.* *Canus.* *Castro.* *Medina.* *Rugerius.* *Bellarmin.* *Stapleton.*

V. Non ita tamen ad Ecclesiæ autoritatẽ recurrendum est, vt hæc ad omnia necessaria sit, sed ad obscura, ac difficilia loca, quorum sentẽtia pertinet ad dogmata quæ in controuersia versantur: nam ipsa scriptura interdum est adeò clara, vt expositione non egeat, qualia magna ex parte sunt præcepta moralia: nam quid difficultatis est in percipiendo sensu illius sententiæ Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Itaque cum non omnia loca sint nimis obscura, nec omnia ab ecclesia declarata, statuenda sunt documenta aliqua in vniuersum, ex quib⁹ certo diiudicari possit quisnam sit verus sensus scripturę, q̃ fusiùs Autores citati p̃bant ex scriptura, & Patrũ testimonijs. Primum verò est, huiusmodi sensus repugnans alteri loco scripturæ non est intentus ab Spiritu S. congruẽs vero cũ illo quoad veritatẽ nõ proinde certo constat, an sit verus sensus posterioris, nisi cum vnus alterũ explicat: hoc documentũ quãtum ad priorẽ partẽ tradit S. Tho. q. 4. de potentia art. 1. & alij doctores cõmuniter, & per se patet, nã verũ non repugnat vero: atq; adeò, cũ sensus omnis ab Spiritu S. intẽtus sit verus, fieri nequit, vt sensus vnius loci, qui alteri repugnat, sit verus, aut intentus ab Spiritu S. Ex hoc principio dixit Apostolus ad Galat. 1. *Si quis euangelizauerit præter id, quod accepistis, anathema sit,* & ibidẽ, *tam cito transferimini in aliud Euangeliũ, quod non est aliud.* Quasi dicat, proponitur vobis aliud diuersum ab eo, quod p̃dicaui vobis, & vos illud recepistis, cũ tamen, si vere Euangeliũ Dei est, nõ sit aliud, sed vnũ, idẽq; quoad veritatẽ, clarius idẽ docuit Ioã. c. 4. primæ suæ canon. *Qui nouit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritũ veritatis, & spiritũ erroris,* itaq; de mente Ioannis Apostoli certissima regula dijudicandi spiritũ erroris est, si repugnat verbo veritatis dicto, vel scripto ab homine per gratiam, & reuelationem Spiritus S. Oppositum huius erat in vsu apud Manic. vt Autor est August. li. de Hæresib. hæres. 46. & contra Faust. lib. 28. c. 2. qui ex Euangelio solũ recipiebant id, quod ipsorũ hæresim non impediebat: quod Hæreticis omnib. solemne fuisse docet Tertull. lib. de præscript. aduers. hæret. c. 17. & alij; posterior eiusdẽ documẽti pars est manifesta: nõ .n. opus est, vt omnis veritas fidei tradatur quouis scripturæ loco: & p̃inde fieri potest vt sensus quoad veritatẽ cõgru⁹ alteri loco, nõ sit accõmodatus illi, ad cuius expositionẽ adhibẽtur, exẽpli gratia, Deũ esse Trinũ est dogma fidei secundũ germanũ sensum illius loci 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt,* nec tamen proinde necessario deducitur, tria sata farinæ, de quibus agitur in parabola frumenti Matt. 13. significare sanctissimam Trinitatem. Porro huius secundæ partis moderatio patet etiam: non enim dubiũ est ea loca, quæ à Christo

S. Thom. *ad Galat. 1.* *1. Ioan. 4.* *Augustin.* *Tertullia.* *1. Ioan. 5.*

Domino,

Domino, ab Apostolis, vel Euangelistis explicantur, intelligẽda esse secundũ eũ sensum, quo explicãtur, verbi gratia locus ille Oseæ. 11. *Ex Aegypto vocaui filiũ meũ*, de Christo absq; dubio debet intelligi, quoniã Euangelista Matth. capi. 2. testatur impletam fuisse prophetiam illam in Christo: nõ curo modo vtrũ sit sensus literalis, an mysticus: sed solũ cõtendo, cum locus vnus scripturæ explicatur alibi à scriptore sacro, sensũ eiusmodi verè in illo loco contineri. *Osee. 11.* *Matt. 2.*

VI. Secundũ documentũ, sensus qui habetur ex traditione Apostolorũ, est verus ac indubitatus. Ratio est: quoniã Apostoli sicut errare nõ potuerũt in scribẽdis libris de fide Christiana, ita neq; in illis explicandis: ad vtrũq;. n. habebãt infallibilẽ assistẽtiam Spiritus S. quẽ Christus misit eis vt Magistrũ, qui declararet ea etiã, q̃ ab ipso Christo audierant, & quia nõdum plene capere poterant, non benè forsan intellexerant, iuxta illam eiusdẽ Christi promissionem Ioan 14. *Ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*, quin vero Luc. 24. Christus Dominus ante ascensionem *aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*, itaq; nõ est dubitandum eos esse germanos sensus scripturæ, qui ex Apostolorũ traditione habentur. hoc documento frequẽter vtitur Augustin. libr. contra Faust. Manich. lib. 13. cap. 5. lib. 28. cap. 2. deniq; lib. 33. cap. vlt. vbi in hunc modum concludit: *Quapropter breuiter vos admoneo, vt, Si autoritatẽ scripturarũ omnib. præferendã sequi vultis, eam sequamini, quæ ab ipsius præsentia Christi tẽporib. per dispensationes Apostolorũ, & cæteras, ab eorũ sedibus successiones Episcoporũ vsq; ad hæc tẽpora toto orbe terrarũ custodita, cõmẽdata, clarificata peruenit.* Item Tert. li. 4. cont. Marcion. ca. 5. *his fere compendiis vtimur, cũ de Euangelio fide aduersus hæreticos expedimur: defendentibus & tẽporum ordinẽ posteritati falsariorũ præscribentẽ & autoritatẽ Ecclesiarũ traditioni Apostolorũ patrocinantẽ.* Irenæus lib. 4. c. 63. *agnitio veræ est Apostolorũ doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo secundũ successiones Episcoporũ, quæ peruenit vsq; ad nos custodita sine fictione scripturarum tractatione plenissima, neq; ablationẽ recipiens: lectio sine falsatione, & secundũ scripturas expositio legitima, & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia.* Notandum est quomodo dicat custoditam in Ecclesia doctrinã Apostolorũ, nimirũ tractatione plenissima scripturarũ ab ipsis accepta, & per successiones Pastorũ, atque Doctorum ad posteros transmissa. Itaq; nemini Catholico dubium esse debet sensum scripturæ ex Apostolorum traditione acceptum esse verum, ac germanum, vnde vero possit agnosci sitne aliquid ex traditione, infra dicam. *Ioan. 14.* *Luc. 24.* *Augustin.* *Tertullia.* *Irenæus.*

Tertiũ documẽtũ, sensus scripturę traditus, aut approbatus ab Ecclesia est verus, & fallibilis. In hoc etiã cõueniunt oẽs Catholici. Ecclesia vero, vt infra dicam, tripliciter cõsideratur: vel tota per vniuersũ mundũ diffusa sub vno capite visibili, hoc est Pontifice Romano Christi in terris Vicario coadunata, q̃ Christus *vnum ouile* appellauit Ioan. 10. vel tota per repręsentationem in concilio generali legitime cõgregato, vel in ipso capite, cuius est reliqua mẽbra omnia dirigere. Quibus tribus modis Ecclesia cõsiderata falsum circa fidem, & mores tanquam verum approbare nequit, vt dicã in loco de Ecclesię autoritate: at vero interpretatio scripturarum ad fidem pertinet, nam S. Hieron. eum, qui in scripturis errat, nempe cum pertinacia, hęreticũ dicit: explicans enim locum Pauli ad Galat. 5. vbi inter opera carnis hæresis refertur, *hæresis*, inquit, *ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi eligat vnusquisq; disciplinã quã putat esse meliorem: quicunq; ergo scripturã aliter intelligit, quã sensus Spiritus S. flagitat, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest*, fieri ergo nequit, vt vel vniuersa Ecclesia capite, ac mẽbris omnibus circa verũ scripturæ sensum decipiatur vel in cõcilio falsum sensum approbet, vel capite ex cathedra docente à vero abhorreat, & ideò Aug. li. 12. confess. c. 25. de hac ipsa scripturarũ interpretatione agens eam vocat diuinã, & cõmunẽ nõ huius, aut illius, *veritas*, inquiẽs, *tua Domine nec mea est, aut illius, vel illius sed omniũ, quos ad eius cõmunionẽ publice vocas, terribiliter admonẽs nos, vt nolimus eam habere priuatã, ne priuemur ea: nã quisquis id, quod tu fruendũ omnib. præponis, sibi proprie vendicat, & suũ esse vult, quod omniũ est, à commum propellitur ad sua id est à veritate ad mendacium*, quibus verbis supponit sanctus pater cõmunẽ omniũ sententiã esse veritatem. Tertull. lib. de præscript. ca. 19. *solum disputandũ est, quib. cõpetat fides ipsa, cuius sint scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani: vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarũ, & expositionum, & omniũ traditionum.* Et meritò sane, nam sicut sensum, ac mentẽ dogmatum Philosophiæ Platonicæ nõ nisi à discipulis Platonis homines exquirunt, sensum autẽ doctrinæ peripateticæ à sectatoribus Aristotelis, ita quoq; sensum scripturarũ videre sola potest ecclesia fundata doctrina Apostolorum, & Prophetarum, iuxta Apostolum ad Ephes. 2. itaq; sensus scriptu- *Hieronym.* *Augustin.* *Tertullian.* *ad Ephes. 2.*

VII.

ræ, quem vel Ecclesia tota terrarum orbe diffusa amplectitur, vel in concilijs approbat, vel ore Pontificis Romani confirmat, tanquã verus ac proprius haberi debet.

VIII. Quartũ documentũ, sensus, qui cõmuni Patrũ cõsensione recipitur, est etiã in dubitatus, ac germanus sensus scripturæ. Fundamẽtũ huius est, quoniã, vt infra dicã, Ecclesia amplectitur, & iubet fidelibus, vt sequãtur cõmunẽ expositionẽ Patrum, neq; cõtra eam scripturas interpretẽtur: quare si ipsi verũ scriptũrę sensum nõ attigissent, iuberet sequi falsum, ac proinde is error in vniuersam Ecclesiam redundaret.

IX. Verum, quoniã multa sunt in sacris literis, quorũ sententia neq; ex traditione, neq; ex Ecclesiæ definitione habetur, neq; in singulis possumus ad cõmunẽ Sanctorũ expositionẽ recurrere, quod maximè optãdũ esset: neq; semper cõmunis sentẽtia reperitur, vel quia diuersa sentiunt, vel quia pauci locũ aliquẽ interpretati sunt, præter communes regulas traditas ab alijs scriptoribus illa est maximè congrua, quam post Basil. hom. 9. in Hexa. initio Tertull. li. de carne Christi, & Aug. li. 8. de Gen. ad lit. c. 1. & 7. & li. 11. c. 1. li. 3. de doct. Christia. c. 6. & 10. & serm. de Abraham, & immolatione Isaac, tradunt Abulen. q. 4. in c. 17. Iosue, & q. 5. in cap. 13. li. 2. Paral. Molin. 1. p. q. 1. art. 10. disp. 2. Paul. Burgens. in addit. super vtrumq; prolog. Lyrani, Salmeron. prolog. 8. & 9. can. 33. & alij recentiores, nimirũ vt quantum fieri poterit, verba scripturæ in propria significatione accipiamus, nisi secundũ illã reddat sensum absurdũ à regula fidei, & ratione alienũ, ita vt raro, & cum necessitate ad metaphoras, & allegorias recurramus. Ratio huius documẽti est, quòniã Deus cum hominib. humano more loquitur, eorũ se captui accõmodãs: cõmunis aũt modꝰ loquẽdi inter homines cõtinetur proprijs vocabulis, q̃uis interdũ metaphoras nõ excludat. Quapropter errãt illi, qui sensum propriũ literalẽ quasi mortẽ ipsam fugiunt existimãtes hoc velle Apostolũ, cũ dixit 2. ad Cor. 3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Etenim apud sanctos Patres sensus hic maximæ curæ & honori fuit, & cũ primo q̃rendũ, & quantũ salua fidei regula fieri poterit, retinendum suaserunt. Cuius exemplũ præbuit Christus Dominus, qui pleraq; testamẽti veteris testimonia in sensu literali proprio interpretatus est nempe illud Genes. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Matthæi. 19. de matrimonio explicauit. quod si Patres inrerdũ mysticè exponunt, nõ proinde historiam tollunt, vt mouet Athanas. sermone quod in illa verba Euang. Matt. 21. *Ite in Castellũ quod contra vos est,* vbi sic ait: *hæc cum dico, historiã non aufero, nõ enim spiritui literã tollimus, sed spiritus vim officiaq; literæ conseruat,* idem notat Chrysost. proœm. in Psal. & Hier. in c. 4. Amos, Greg. hom. 40. in Euang. imo Augustin. lib. 8. de Genes. ad lit. c. 2. cum præcipuum vocat interpretẽ, qui secũdũ proprietatẽ vocũ sine absurdo interpretatur scripturas, sic enim ait: *sane inquam, quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum literam accipere, id est non aliter intelligere, quam litera sonat, & potest euitare blasphemias, & omnia cõgruentia fidei catholicæ prædicare, non solum ei non est inuidendum, sed præcipuus, multumq; laudabilis intellectus habendus est,* si vero aliquid absurdũ sequitur, ad sensum metaphoricũ recurrendũ, vt monet Hieron. in id lia. 29. *Conuertetur Libanus in Charmel, &c.* Orig. li. 4. Periarch. c. 2. Aug. li. 3. de doct. Christia. ca. 5. 10. 11. 12. & ibid. li. 11. de Gen. ad lit. c. 1. & li. de catechiz. rudib. c. 26. vt cum scriptura de Deo loquẽs vsurpat voces in proprio sensu significantes humana membra, passiones, & alia indigna Deo, quę proinde metaphorice sumi debent. Et hoc modo intelligendi sunt Patres, qui monẽt non sumendã esse purã literam, & sensus literales in multis reprehendunt, vt Greg. Nyssen. de vita Moys. Athanas. de cõmun. essent. trium person. Cyrill. li. 9. cont. Iuliã. Hieron. in Epist. ad Galat. ca. 5. *vbi multorũ,* inquit, *malorũ occasio est, si quis in scripturæ carne permaneat.* Aug. de vtilit. creden. c. 3. & alij.

Itaq; cauendũ est vtrũque extremũ: ne vel allegoriam, aut metaphorã fingamus, vbi non est: vel secundũ propriũ verborũ sensum scripturam interpretemur, vbi metaphoricus est. Quia primum extremum non declinarunt Lutherani, & alij nostri temporis hæretici contra communem, & antiquam Ecclesiæ sententiam, ac traditionem negarunt veram ac realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistię sacramento, explicantes perspicua verba Christi Domini Matt. 26. *Hoc est corpus meũ,* non proprie secundum sensum metaphoricum. Alij, quorum meminit Augustin. li. 7. de Gen. ad lit. c. 2. ex eo quod habetur Genes. 2. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem,* sumpserunt occasionẽ erroris; non distinguentes enim locutionem metaphoricam à propria, verbum, *inspirauit,* in propria acceperunt, & ideò asseruerunt animam esse de substantia Dei, quasi particulam aliquã ab eo in hominis corpus emissam. Quo etiam morbo laborant Iudæi, vt autor est

X.

D. Hie-

Athanas. Chrysost. Hieronym. Gregorius. Augustin. Hieron. Origen. Augustin. Basilius. Tertullian. Augustin. Abulens. Molin. Burgens. Salmeron. Nyssenus. Athanas. Cyrill. Alex. Hieron. Augustin. 2. ad Cor. 3. Genes. 2. Matt. 19. Matt. 26. Augustin. Genes. 2.

D.Hieron.in c.36.Ezech. qui omnia metaphorice dicta à Prophetis accipiunt in propria significatione: & q̃ sub metaphora Regni dicuntur de felicitate spirituali tempore Messiæ, de temporali interpretantur: & in hoc sensu videtur Apostolus dixisse, *litera occidit*, quoniã scriptura metaphorica secũdũ sensum grammaticalẽ tantũmodo intellecta, incredulis est occasio peruersæ doctrinæ. Eodem vitio corrupti fuêre antropomorphitæ, qui legẽtes in sacris literis Dei manus, pedes, caput, & alia membra ipsum corporeum esse affirmarunt: quod rationi, & scripturæ repugnat.

De vsu loci ab autoritate scripturæ.

Caput VII.

I. S. Thom.

SCripturæ autoritas, vt notat D. Tho. 1. p. q. 1. ar. 8. & lect. 1. in c. 2. Mag. Diony. de diuinis nominibus, ex doctrina ipsius Dionysij ibid. solũ vim habet apud eos, qui illã recipiũt: atq; adeò in disputationib. cõtra gẽtiles minimè adhibẽda, nisi fortè per modũ defensionis: vt si quis, ne absurdę sentẽtiæ assertor videatur, gentili argumẽtanti ex ratione naturali, q̃ homini fidei lumine carenti, necessaria & euidẽs videtur, respõdeat eius argumentũ nõ habere vim, quoniã cõcludit falsõ cõtra doctrinã diuinitus reuelatam, qua traditur assertio, q̃ ipse tueatur nõ ex propria inuentione, sed ex autoritate religionis diuinitus institutæ. Hic vero cauendũ est, ne ex praua interpretatione nostra sententiã ridiculã, imo falsam, quasi ex scripturæ autoritate tueamur, ex quo alij doctrinam fidei despectui habeãt existimantes sentẽtiam scripturæ esse, cum sit error hominis. Hoc documentum tradit Aug. li. 1. de Genes. ad lit. c. 19. & li. 2. c. 1. & explicat exemplo quorundam simplicium, qui contra quendam Philosophum mordicus tuebãtur terræ molem aquis initi, idq; asseruebant ex Psal. 135. *Qui firmauit terram super aquas.*

Augustin.

Psal. 135.

II. Inter eos vero, qui scripturas admittũt, vti eis possumus dupliciter: vel ad dogmata tuenda, ac probanda, vel ad cõclusiones Theologicas deducẽdas. Porro in dogmatũ defensione, aut cõfirmatione vtẽdũ semper vero, atq; indubitato sensu scripturæ: namq; si sensus nõ certò cõstat, neutiquam potest cõcludere rem tanquam de fide certam. Etenim quotiescunque licet dubitare de motiuo assentiendi conclusioni, de ipsa quoq; dubitare licet, cum nõ sit maior huius, q̃ illius certitudo: atq; adeò, quamdiu nõ cõstat certo, atq; infallibiliter hunc esse sensum scripturæ, non potest ex illo sumi efficax argumentũ fidei, nam hoc ipso, quo dubitatur de sensu, dubitatur an sententia, quæ eo sensu nititur, sit à Deo reuelata: & contendere de reuelatione, vbi certa regula non est, dicendo scriptorem sacrum hoc potius, quam illud intellexisse *temeritas audaciæ, non scientiæ est, nec visus, sed typus eam peperit*, vt ait Augustin. libr. 12. confess. cap. 25. qui ibidem se incertum esse fatetur de vero, ac germano sensu, quem Moyses intendit primis illis verbis, Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: & tamen ex multis vnum præ cæteris ipse verũ credebat. Itaq; in asserenda propositione aliqua tanq̃ de fide ex scriptura secundũ sensum nõ omnino certũ sed tantum probabilem duo sunt pericula: alterũ naufragij charitatis, alterum fidei: charitatis quoniã dissensus penes fidei dogmata diffidiũ parit animorum: atq; adeò si sententiam alterius ex fragili fundamento tanq̃ hæreticam refutes, ille, quia non videt vrgens testimoniũ, non cõuincitur, & vterq; sicut in dissensione veritatis perseuerat, ita à fraternæ charitatis vinculo dissoluitur: fidei vero periculum incurritur quoniam sensum, qui nõ est infallibilis, mordicꝰ tueris, nõ quia scripturæ, sed quia tuus est, vt docet D. Augu. adeo vt, etiã si postea dilucidè cõstet germanus ac verus sensus, eũ reijcias quia tuus non est, & qui alterum sine causa erroris insimulabas, in verã hæresim incurras: propterea monet Diu. August. li. 1. de Genes. ad alteram cap. 18. *Vt in rebus obscuris, atq; ab oculis nostris remotissimis, si qua in scriptura diuina legimus, quæ possunt salua fide, qua imbuimur, alias atq; alias parere sententias, in nullã illarum nos præcipiti affectione, ita prouiciamus, vt si fortè diligentius discussa veritas eam labefactauerit, corruamus, non pro sententia diuinarũ scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus scripturarum esse, quæ nostra est: cum potius eam, quæ scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Quæ duo pericula vt vitentur, tenendum est consilium Cassian. collat. 8. cap. 4. vbi sic habet: *de his, quæ aperta explanatione probata sunt, nos quoq; constanter possumus definire, audenterq; nostram proferre sententiam, ea vero, quæ meditationi, & exercitio nostro reseruans scripturis Sanctis Spiritus diuinus inseruit, quibusdam ea volens indiciis & opinionibus colligi, ita pedetentim debent, cauteq; cõferri, vt sit eorũ assertio, vel cõfirmatio in disputantis, vel suscipientis arbitrio collocata. Nonnunquã enim cum super vna re diuersa promatur sententia potest vtraq; rationabilis iudicari, & sine detrimento fidei, vel fixe vel mediè susciꝑi, id est, vt eis nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur: priorią; sequens opinio derogare*

Augustin.

Cassianus.

derogare non debeat, cum neutra earum fidei inueniatur obsistere. Queis verbis complexus est methodum aptam Theologo in assertionibus fidei tenendam.

III. Sed petes quomodo internosci possit verus, & indubitatus sensus à probabili, id vero ex dictis cap. pręced. perspicuum est, nam sensus ab ipsa scriptura alibi traditus, & traditione Apostolorum deriuatus, ab vniuersa Ecclesia receptus, à Pontifice de Cathedra, vel ab vniuersali concilio in diffinitionibus fidei propositus, & à patribus cõmuniter receptus, pro vero atq; infallibili habendus est. Cæteri, dummodo fidei regulæ, aut contextui non repugnent, & vt ait Aug. li. de doctr. Christ. c. 36. geminã Dei, & proximi charitatẽ ædificẽt, vt probabiles recipi possunt, si habeant Autores probabiles, vel apparẽte ratione nitantur: non enim quidquid alicui in mentẽ venit, recipi debet, vt probabilis sensus scripturę. Non nego propter sacrę scripturæ profunditatem, & fœcunditatem, posse semper in Ecclesia nouos, eosq; probabiles sensus eiꝰ adinueniri, neque ideò solum refutandos, quia noui sunt, dummodo tamen propositis regulis non repugnent. Itaque in primo gradu probabilitatis erunt ij sensus, qui in concilijs, & Pontificum decretis tradũtur, quando per se non conducunt ad diffinitionẽ eius dogmatis, de quo ex instituto disputatur, in secundo gradu sunt ij, qui si nõ ab omnibus, à magna tamẽ Sanctorũ parte traduntur, licet alij repugnent; in tertio ij, quos recentiores interpretes sacrę paginæ, vel Theologi proponunt: in vltimo tandẽ ij, qui sumũtur ex ratione, nam hanc quoque interpretationem admittit D. Augu. li. 3. de doctr. Christ. ca. 28. illis verbis: *vbi, autẽ talis sensus eruitur, cuius incertũ certis Sanctarũ scripturarũ testimoniis nõ possit aperiri, restat, vt ratione reddita manifestus appareat, et tamsi ille, cuius verba intelligere quærimus, eum fortè non senserit,* hũc tamen modũ paulo post ait esse periculosum, si tamen fiat cũ debita submissione, nõ est reprehẽdendus, maximè viro in sacra Theologia, & scripturis versato, nã aliàs periculosũ est, ne scriptura q̃ alijs est odor vitæ in vitam, sit alijs odor mortis in mortẽ: vt fuit Luthero, Caluino, & alijs, qui ꝓtergressi terminos, quos posuerũt Patres nostri, & ꝓprio discursu, ac ratione fulti in ꝓfunda scripturarũ abyssho fidei naufragiũ fecerũt, ideo hãc causã expositionem, quæ sola ratione absq; autoritate nitꝰur, dixi habere vltimũ locũ ꝓbabilitatis: quoniã sicut ꝓphetia, & scriptura õnis diuina nõ est volutate humana adducta, ita neq; interpretatio sola raõe humana fulciri debet: ideoq; merito quiuis potest rationi suæ, iudicioq; diffidere, quãdo sine duce ingreditur obscurũ locum scripturæ.

Augustin.

IV. Non est tamen negandũ licere interdũ ad dogmatũ defensionẽ, & confirmationẽ vti scriptura secundũ sensũ alioquin ꝓbabilẽ conformẽ regulis fidei: ita tamen, vt in cõfirmatione nõ eo solũ nitatur probatio, tunc enim cõsequentur absurda supra posita, sed postq̃ ex loco alio certo res efficaciter ostensa fuerit, non est incõmodum ad maiorẽ confirmationẽ loca alia secundum sensum probabilẽ afferre: qui fuit etiam vsus Patrũ, ita Hieron. contra Luciferianos ex eo quod Genes. 1. dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, colligit in baptismo dari Spiritum S. cum tamen sensus hic mysticus pius sit, & bonus, non tamẽ omnino certus: item si non sit alius locus, qui secundũ sensum indubitatũ rem cõfirmet, q̃ tamen de fide est propter traditionẽ apostolicã, vel Ecclesiæ diffinitionẽ, per cõmode adhiberi potest locꝰ secundũ sensũ probabilẽ aliquo ex ꝓdictis modis, sensus. n. congruus diffinitioni fidei de prõptus ex scriptura, fidẽ suo modo fulcit. Quo dispuãdi genere vtũtur Theologi scholastici, & cõtrouersiarũ scriptores: qui tamẽ, vt cũ fructu laborẽt, debẽt esse cauti in loci huius vsu, & ita scripturã secũdũ sensus probabiles eo modo adducere, vt iudicẽt nõ ijs ꝓpue locis fidẽ Catholicã niti: alioquin ꝓbebunt hæretĩcis occasionẽ irridẽdi & cauillãdi fidẽ verã apud imperitos, quasi incertis fundamẽtis cõtineatur. In defensione vero dogmatis maior est licentia adhibẽdi scripturas secundũ sensũ probabilem, verũ dogma duob. modis defendi potest, nimirum vel q̃ sit vera doctrina fidei à Deo reuelata: vel quod non sit doctrina hæretica, aut catholicę repugnans. Si priore modo dogma tuendũ erit, & rectè procedatur, produci priꝰ debet testimoniũ secundũ sensũ certũ, atq; infallibile, vel principium aliud fidei certũ, & tũc demũ adhiberi possunt alia secũdũ sensũ probabilẽ: q̃uis nõ negarim, si sensus sit probabilis ex graui autoritate, probabiliter etiã ex eo defendi posse assertionẽ aliq̃ tanq̃ dogma fidei. Si vero quis sententiam aliq̃ defendat esse ab hęresi alienã, sufficiens argumẽtũ sumet à probabili expositione scripturæ: si enim cõtra ipsum objiciatur aliquis locus obscurus non probatus ex alio, nec ex apostolica traditione, Ecclesiæ defensione, aut cõmuni Patrũ expositione declaratus, rectè explicari potest adhibita aliquorũ Patrũ, vel doctorũ expositione, aut reddita congruente ratione: & ita, nisi aliunde sententia sit absurda,

vel falsa, conuinci non poterit ex loco, qui secundum aliquam expositionem probabilem vel illi fauet, vel saltem eam nõ condemnat.

V. Hæc de vsu scripturæ quoad hæreses impugnandas, vel sententiam Catholicam tuendam. Deinceps agendum de vsu eiusdem ad proprios discursus Theologiæ ex immediatè reuelatis, non reuelata in se colligentis. Pro quo eadem ferè doctrina accommodari potest. Verùm prius obseruandum aliud esse ex vero sensu scripturæ sententiam, ac dogma fidei eruere, aliud vero ex ipso textu veritatem aliquam, quæ nõ continetur in eo formaliter, per discursum colligere. Ad primum enim non est opus alia probatione quam vera, & certa interpretatione textus, quæ ad assensum fidei se habet instar expositionis terminorum, sicut enim principia naturalia penetratis terminis absque discursu creduntur vera, ita reuelata, postquã ex vera, certaque expositione talia esse constat, à Christiano absque alia disquisitione creduntur. Ad secundum vero non sat est scripturæ interpretatio, aut vni⁹ propositionis assẽsus, sed alterius assumptio: hæc vero, vt supra dixi, vel reuelata, vel naturaliter euidens necessariò esse debet. Hoc posito facilè apparet quomodo scriptura vtendum sit in discursu propriè Theologico, nempè sumendo secundum verum, ac indubitatum sensum, vtramque præmissam, vel saltem vnam, assumpta altera naturaliter euidente: ex quo fit, vt si cum altera propositione euidente coniungatur locus scripturæ secundum sensum non adeò certum, sed solummodo probabilem, per eiusmodi discursum non gignatur assensus propriè Theologicus, sed opinio: patet, quoniam propositio scripturæ, quando proponitur sub sensu probabili, & non infallibiliter certo non firmat intellectum dubitãtem, an sub eo sensu fuerit reuelata: quia tamen propter rerũ obscuritatem, & humanæ mentis habitudinem, non omnia possunt exactè perueſtigari, & comprehendi, est optimus, & valdè vsitatus apud Theologos modus disputandi ex sacris literis secundum probabiles sensus intellectis, maximè accedente aliquorum Patrum expositione: qui est multo magis proprius, quam is, quo plerique vtuntur ex sola ratione naturali ducentes argumenta: hic enim, vt infra dicam, non per se pertinet ad Theologum, nisi quatenus inseruit ad probandum præmissam aliquam naturalem, ex qua cum aliqua de fide conficiatur Syllogismus verè Theologicus.

VI. Hæc accipi debent de scriptura secundum sensum verum, qui vel certo constat, vel probabiliter existimatur: nam si in primo cortice literæ præseferat aliquem sensum, qui facilè ex regulis fidei, ac documentis traditis falsus esse deprehenditur, etiamsi assumatur ad verum dogma probandum non est vsus, sed abusus scripturæ temerarius, & errandi periculo expositus, vt ait Diuus Augustin. lib. 1. super Genes. cap. 18. & 19. in quo multi decipiuntur multa ad assertionum suarum confirmationem, congerentes ex scriptura perperam intellecta: quare apud imperitos, qui parum attendunt ad veram scripturæ sententiam, se venditant cum præiudicio veritatis: quæ totius humanæ vitæ, ne dicam studij Theologici, scopus esse debet. Est & alius in scholis abusus argumentandi ex scripturis per accommodationem: qui locus, etsi popularibus concionibus inseruiat, & vsui sit Patribus in homilijs ad populum, à scholis tamen, vbi nuda veritas ex firmis argumentis requiritur, ablegari debet. Id vero monuerim locum ab exemplo non esse solùm per accommodationem: sed interdum habere vim stabiliendi veritatẽ aliquã quando persona, à qua sumitur, commendatur in sacris literis, & in eo facto non reprehenditur: tunc enim sumitur scriptura in sensu literali, siue historico: & ex eo quod à Sancto aliquo viro factũ legitur, idem alijs licere concluditur. Qua ratione Christus Dominus, Luc. 6. ex facto Dauidis in necessitate comedentis panes propositionis concludit fas esse discipulis ob famem spicas ex alieno agro vellere, & granis earum vesci; item ex eo quod Philippus diaconus baptizauit Eunuchum Candacis Reginæ, Actor. 8. rectè deducitur baptismum conferri validè posse à non sacerdote. In huius tamen loci vsu cauendum est periculum: nam nonnulla facta legimus à Sanctis viris, tum in veteri, tum in nouo testamento, quæ vel ex dispensatione, vel ex particulari instinctu Spiritus sancti facta sunt: & in his euentis non valet argumentum ab exemplo, nisi omnia sint paria, hoc est similis dispensatio, vel inspiratio. Ideoque in ijs consulenda semper regula fidei recepta, & interdum lumen ipsum naturale, quibus si factum aliquod antiquorum Patrum repugnet, dispensationi, vel inspirationi tribuendũ, ita polygamiam Patriarcharum excusabimus ex dispensatione, factam, Martyrum semetipsos in flammas præcipitantium, & inferentium necem ex inspiratione.

Augustin. *Luc. 6.* *Actor. 8.*

VII.

Ad calcem huius capitis, ac loci ex teſtimonio ſcripturarum vnum ſupereſt explicandum. Vtrum ſcilicet eodem loco ſcripturæ ſub diuerſis ſenſibus accepto ſumi poſsit argumentum Theologicum. Cui quæſtioni inprimis reſpondeo, ſi intelligatur de argumento probabili, nullum eſſe dubium, namque ſaltem probabile eſt ſcripturam nonnunquam continere plures ſenſus literales: certum vero continere plures intentos à Spiritu ſancto partim myſticos, partim literales: atque adeò ſi adſit probabilis auctoritas, vel ratio ad interpretandum eundem locum ſecundum plures ſenſus, ex vtroque ſumi poteſt argumentum probabile. Quod non abhorret ab antiqua Patrum conſuetudine, qui eodē loco ſub alio, atque alio ſenſu vtebantur ad cōfirmationem dogmatum. An vero ſumi queat argumentum certum & infallibile, dubium eſt: Nam qui aiunt ex ſolo ſenſu literali depromi certum argumentum dogmaticum, & ſimul negant eſſe plures ſenſus literales eiuſdem loci, conſequenter debent negare eundem locum, ſub diuerſis ſenſibus inſeruire poſſe ad dogmatum confirmationem. Veruntamen, quantum ex ſuperioribus colligi poteſt, ſententia affirmans eſt communis, & vera, communis quoniam ij, qui cenſent ex ſolo literali ſenſu duci poſſe firmum argumentum, docent etiam eidem loco ineſſe plures ſenſus literales, ita expreſſe traditur à Burgenſ. in additione ad vtramque prologū Lyrani, & Syluestro in roſa aurea tract. 1. cap. 6. qui vero hoc ſecundum negant, admittunt ex ſenſu myſtico deduci poſſe infallibile argumentum fidei, atque adeò, licet quoad alia diſſentiant, conſentiunt tamen in eo, vt dicant eundem locum ſub diuerſis ſenſibus adduci poſſe in ratum, certumque fidei teſtimonium. Ratio vero eſt manifeſta: quoniam omnis ſententia intenta ab Spiritu ſancto in ſcripturæ reuelatione eſt infallibilis, & apta gignere firmum aſſenſum fidei: vt autem conſtat ex ſuperioribus, eodem loco ſcripturæ continentur ſub eadem litera plures, ac diuerſæ ſententiæ à diuino Spiritu intentæ: ergo quæuis earum eſt aptum fidei teſtimonium: & conſequenter, cùm pertinere poſsint ad veritatem diuerſorum articulorum, ex eodem loco ſub diuerſis ſenſibus ſumi poteſt argumentum ad diuerſa dogmata comprobanda, diuerſasque ex ijs concluſiones Theologicas concludendas. Sicut ex illo, Eſai. 53. *Generationem eius quis enarrabit*, concludi poteſt conſubſtantialitas Chriſti ſecundum diuinitatem cum Deo Patre, ſecundum humanitatem cum Virgine matre quæ duo pertinent ad diuerſos fidei articulos.

Burgenſ. Syluest.

Eſai. 53.

Ex traditionibus Apoſtolicis deſumitur infallibile argumentum fidei.

Caput VIII.

I. Hæretici gloriantur, ſe. doctrinamque ſuam niti puro verbo Dei: quod non aliud admittunt, quam ſcriptum contentum libris canonicis, quorum ſententias ad libitum contorquentes in multiplices errores labuntur, traditiones vero omninò reſpuunt, nec vllam in ijs fidei ſtabilitatem agnoſcunt vocantes inuenta, ac doctrinas hominum. Catholici vero omnes, vt mox dicam, traditiones Apoſtolicas recognoſcunt, vt doctrinam Spiritus ſancti, quo inſpirati locuti ſunt Apoſtoli, qui verbo tenus multa docuerunt. At quamuis concedatur diuinam ipſis auctoritatem ineſſe, fortè inquiet aliquis ipſarum vſum non eſſe admodum neceſſarium: quoniam in ſacris literis, ſi rectè intelligantur, continentur omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, vt aſſerit Ambroſ. Catharin. in ſua claue ſcripturarum, in vſu primæ clauis, in decimo errore. Itaque tria hoc capite explicanda ſunt. Primum dari in Eccleſia traditiones à Chriſto Domino, & Apoſtolis deriuatas. Secundum eſſe valde vtiles, imò vero neceſſarias ad doctrinam fidei, & morum, & Concluſiones Theologicas confirmandas. Vltimum denique quænam ſint veræ traditiones Apoſtolicæ, & quæ notæ ipſarum.

Amb. Cathar.

II. Prius autem, quam hæc tria explicentur, oportet intelligere quid traditionis nomine intelligatur. Eſt autem doctrina non ſcripto, ſed verbo tradita: nam quamuis interdum traditio latè ſumatur pro doctrina tradita ſiue verbo, ſiue ſcripto, vt conſtat ex Apoſtolo ſecundæ ad Theſſ. ſecundo. *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram*, iuxta quam acceptionem ea quoque, quæ ſcripto produntur, traditiones nuncupantur, vt conſtat ex dicto accuſatorū Stephani, Act. 6. dicebant enim ipſum dicere: *quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locū iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes*, eæ vero ſcripto continebantur. Commu-

Actor. 6.

niter

niter tamen traditio accipitur pro doctrina non scripta à primis ipsius doctoribus, vel ab alijs ipsorum nomine, sed voce tradita, & per temporum successiones memoria retenta, & conseruata, ideoque colligitur ex verbis Christi Domini ad pharisæos, Matth. 15. & Marc. 7. vtrobique enim loquens de traditionibus ipsorum dixit: *suos autem dicitis*, quasi doctrina eiusmodi dictis seniorum contineretur: quo etiam modo loquebatur Apostolus primæ ad Corinth. 11. cùm acturus de sacrosancto Sacramento Eucharistiæ sic ait: *ego enim accepi à Domino quod tradidi vobis.* Non est autem vllus alius locus in Epistola ad Corinthios, vbi Paulus de hoc mysterio loquatur, & ita cum dicat se tradidisse illis veram de Eucharistia doctrinam, intelligendus est de traditione nõ scripta, sed per verbum enunciata. Possunt autem esse traditiones tum Dei, tum hominum, hæ sola auctoritate humana nituntur, illæ diuina: de humanis loquitur Christus locis citatis apud Matth. & Marcum, itemque Paul. ad Colos. 2. *videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* quæ si opponatur doctrinæ, ac traditionibus diuinis, reprobandæ sunt, vt patet ex doctrina Christi, & Pauli, si vero non repugnent, vim aliquam auctoritatis habent, sed non diuinam. Traditiones vero diuinæ sunt, quæ originem habent à veritate Dei docentis per se, vel creatu[illegible]m acipientem ab ipso infallibilem doctrinam: Ex eo enim, quod per Angelos, aut viros sanctos tradantur hominibus, non desinunt esse diuinæ: quemadmodum mandata contenta lege Moysis, quamuis eius ministerio proposita fuerint populo Israëlitico, non desinunt esse mandata Dei, vt constat ex verbis Christi, Marc. 7. *Irritum facitis præceptum Dei, vt traditiones vestras seruetis. Moyses enim dixit, honora patrem tuum, & matrem tuam, &c.* quod præceptum Dei prius appellauit, deinde vocat dictum Moysis. Eodem modo possunt esse traditiones diuinæ ministerio hominum publicatæ: & hoc modo nunc de traditionibus loquimur, dum quærimus vtrum in Ecclesia sint traditiones diuinæ, non scriptæ per Apostolos Ecclesiæ verbo communicatæ, & viua voce, atque vsu quasi de manu in manũ ad posteros traductæ.

III. Dico primùm, in Ecclesia sunt traditiones diuinæ non scriptæ, pertinentes ad fidem, ac mores. Hæc est omninò certa fide, patet ex citato loco Paul. 2. ad Thess. 2. vbi ex æquo commendat traditiones per sermonem, ac per Epistolam. Et Concilium Tridentinum sessione 4. initio, antequam librorum canonicorum indicem proponat, asserit veritatem fidei contineri libris scriptis, ac sine scripto traditionibus, eoque proposito subdit, *si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris, & canonicis, non susceperit, & traditiones prædictas sciens, ac prudens contempserit, anathema sit*, ex quo damnans eos, qui libros canonicos non susceperint, & traditiones contempserint, eandem harum, ac illorum auctoritatem recognoscit, & in diuersis partibus varia fidei dogmata ex sola traditione confirmat, vt inferius constabit. Eodem quoque argumento vtuntur Patres aduersus hæreticos, ad errores ipsorum conuincendos. Hanc assertionem fusè probant Castro, lib. 1. aduersus hæreses, cap. 5. Can. lib. 3. de locis, Stapleton. controuers. 7. lib. 12. Cardinal. Bellarmin. de Verbo Dei non scripto, lib. 4. & alij, quos refert capit. 1. Breuiter tamen ad præsens institutum ostenditur: quoniam Apostoli plurima ad fidem pertinentia tradiderunt verbo, non scripto: Deus autem, qui ea reuelauit in ædificationem Ecclesiæ, & consummationem sanctorum, nequaquam debuit permittere, vt perirent, atque abolerentur ex memoria fidelium: ergo præter Verbum Dei scriptum admitti debent in Ecclesia traditiones. Assumptio per se euidens est: nam Christus Dominus constituit Apostolos magistros orbis vniuersi non solùm pro ipsorum vita, sed etiam pro toto tempore Ecclesiæ, ideò enim vera doctrina dicitur Apostolica; frustraretur autem Deus fine suo, si necessaria ad conseruationem, augmentum, & consummationem Ecclesiæ Apostolis è vita sublatis abolerentur. Maior propositio ex ipsamet scriptura deducitur, etenim Paul. 1. ad Corinth. 11. *cætera cum venero disponam*, & citato loco ad Thessal. testatur se aliqua per sermonem tradidisse. Præterea Christus Dominus misit Apostolos prædicare Euangelium: quod absque dubio Thomas, Philippus & alij Apostoli, quorum nulla extant scripta canonica, præstiterunt: ergo quod ab his, & alijs traditum est, habebat auctoritatem fidei infallibilem, alioquin ante librorum canonicorum scriptionẽ nõ erat in Ecclesia sufficiens auctoritas, ac motiuum fidei diuinæ:

Concil. Trid.

Castro. Canus. Stapleton. Bellarmin.

1. ad Cor. 11. 2. ad Thess. 2

quod

quod est absurdum, & contra verbum Dei scriptum in actis Apostolorum. Nam ex prædicatione Philippi diaconi recepit Samaria verbum Dei, nó vtique scriptum, sed vocali prædicatione traditum: quo etiam modo ab eodem Euangelizante Christum instructus de fidei mysterijs credidit Eunuchus Candacis Reginæ, vt habetur Actor. 8. Itaque certum omninò est Apostolos verbo prædicasse Euangelium, & eiusmodi prædicationem sat esse ad habendam fidem diuinam. Ex quo vlterius sequitur, antequam Apostoli dispergerentur per orbem vniuersum, & Matth. omnium primus scriberet Euangelium. Verbum Dei reuelatum tempore Nouæ legis non scriptis traditionibus fuisse contentum, & habuisse vim obligandi fideles ad credendum. Hanc autem vim non amisit ex eo, quod Apostoli, & Euangelistæ Mysteria fidei literis consignarint: ergo etiam modo illam habet.

Actor. 8.

IV. Respondent hæretici, quamuis hæc ita se habeant, non esse alias traditiones præter eas, quæ scripto continentur: quoniam Apostoli, & Euangelistæ scriptis complexi sunt omnia, quæ sunt necessaria ad fidem. Verùm hæc responsio gratis sumitur, & nullo fundamento nititur: non enim proferent vllum scripturæ testimonium, aut Ecclesiæ decretum, quo id asseratur: neque est ratio conuincens, siquidem non alia excogitari potest, quam necessitas scripti ad conseruationem Verbi Dei reuelati, hæc vero nulla est, namque per memoriam, & continuam successionem fidelium absque scripto seruari potest Verbum Dei sufficienter ad salutem, & fidem faciendam. In antiquis enim patriarchis, qui tempore legis naturæ vixerunt ante legem scriptam, viguit fides, & Verbum Dei reuelatum: & tamen non constat de scriptura ipsius, imò traditiones aliquas absque scripto ad posteros dimanasse certum est: qualis fuit traditio de circumcisione, & alijs pertinentibus ad cultum vnius veri Dei, vt constat ex capit. 17. & 18. Gen. Sicut ergo eo tempore per traditiones non scriptas conseruabatur Verbum Dei, ita quoque tempore legis Nouæ conseruari potest quoad ea, quæ scripta non sunt: atque adeò ex hoc cap. colligi non potest, omnia prorsus ad fidem, & mores pertinentia contineri Verbo Dei scripto. Contra vero esse traditiones non scriptas in libris Canonicis, docet Concilium Tridentinum vbi supra, docent communiter patres videndi apud auctores citatos: & colligitur ex verbis Diui Pauli 2. ad Timoth. 1. *formam*, inquit, *habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, bonum depositum custodi*, & cap. 2. *& quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*: quædam igitur Apostolus Timotheum docuerat, quæ non haberentur in scripturis, & quæ tamquam depositum, apud semetipsum, vel apud idoneos tantum depositarios Verbi Dei custodire deberet, nec tradere fidelibus omnibus, at quæ per scripturas traduntur sine discrimine omnibus proponuntur: quare Diuus Paulus aliqua verbo viuo docuerat Timotheum, quæ, vt ipse idoneis tantum hominibus verbo etiam traderet, hortabatur. Quod de omnibus Apostolis asserit D. Basil. lib. de Spiritu, capit. 27. vbi cum egisset de sanctuario, eiusque arcanis mysterijs, à quibus vulgus arcebatur, subdit, *ad eundem modum etiam ij, qui ab initio res Ecclesiasticas sanciuerunt Apostoli, & Patres in occulto, ac silentio mysterijs auctoritatem conseruarunt: neque enim omninò mysterium est, quod ad populares, ac vulgares aures effertur: hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum.*

2. ad Tim. 1.

Basil.

Gen. 17. & 18.

Concil. Trid

V. Quod attinet ad secundum. Vtilitas, ac necessitas traditionum præcipua est ad euertenda dogmata nouatorum, & profanas vocum nouitates: nam, cùm in sacris literis non contineantur expresè omnia, quæ ad fidem, ac mores pertinent, & nonnulla loca sint obscura, ac difficilia intellectu, quæ hæretici non intelligentes imperite, imò verò impiè deprauant, & ad falsos sensus detorquent, maximè conducunt traditiones ad fidei puritatem conseruandam: inprimis quidem conseruando in corde Ecclesiæ, in viuo memoriæ thesauro dogmata non scripta, qualia sunt pleraque ad sacramentorum veritatem, administrationem, & vsum pertinentia: hæc enim quia tempore Apostolorum erant in communi praxi Ecclesiæ, visum illis est non oportere, vt singula scriptis commendarent, sed sat esse communem traditionem ab vniuersa Ecclesia receptam, & vsu confirmatam. Qua de causa pleraque horum definit Concilium Tridentinum ex traditione, verbi gratia, sessione quinta in decreto de peccato Originali, paruulos esse baptizandos in remissionem peccatorum. Alia vero, quorum in sacro textu mentio fit, à traditione explicantur: qualia

Concil. Trid.

sunt,

ſunt, quæ ad Euchariſtiæ, & pœnitentiæ ſacramenta pertinent: de his enim eſt Verbum Dei ſcriptum, quod tamen impij hæretici conantur falſis interpretationibus eludere: conuincuntur tamen falſitatis ex perpetua Eccleſiæ traditione ab Apoſtolis deriuata: Verba illa Iacobi Apoſtoli, cap. 5. *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum*, quæ hæretici in alienum ſenſum detorquent, Concilium Tridentinum ſeſsione 14. cap. 1. ex traditione Apoſtolica per manus accepta interpretatur de vero ſacramento extremæ vnctionis: eademque ratione ſeſsione 23. cap. 1. & 3. ex eadem traditione iuncta locis Scripturæ deducit nonnulla ſpectantia ad ſacerdotium, & ſacram ordinationem. Quæ conſuetudo non eſt noua in Eccleſia, ſed ab ipſius exordio ad hæc noſtra tempora continuata: ſemper enim in dubijs quæſtionibus de fidei myſterijs Patres ad traditiones recurrebant: & cum hæretici pro ſe quoque Scripturas, malè tamen intellectas proferrent, Concilia, & Patres non ſolùm Verbum Dei ſcriptum, ſed etiam traditiones obijciebant: ex quibus contendebant elici debere verum, ac ſanum ſenſum Scripturarum, & puram atque ſynceram dogmatum veritatem: Ita Cœleſtinus Papa in decretis ad Epiſcopos Galliæ decreto 11. ex traditione Apoſtolica ſupplicandi Deo pro obtinendo gratiæ auxilio, probat contra Pelagium gratiæ neceſſitatem: ex eadem probat Innoc. in epiſt. ad Concil. Carthag. & Mileuit rectè eos de exortis hæreſibus Apoſtolicam ſedem conſuluiſſe.

Iacob. 5.

Concil. Trid.

Cœleſtin.

Innocent.

VI. Vt autem tertium explicem, obſeruo traditiones interdum appellari Apoſtolicas, interdum Eccleſiæ, interdum Patrum: Apoſtolicæ dicuntur à Concilio Tridentino ſeſsione quinta in decreto de peccato Originali, & ſeſsione 23. cap. 3. Eccleſiæ Catholicæ appellantur, eadem ſeſsione capit. 1. has vero eaſdem dici traditiones Patrum conſtat ex Epiſtola Manſueti Epiſcopi Mediolanenſ. nomine Concilij ibidem celebrati ad Conſtantin. Imperatorem, quæ habetur ſecundo tomo Concil. ante ſextam Synodum Conſtantinop. nã cum dixiſſet ſe pari reuerentia ſuſcipere traditiones Sanctorum Apoſtolorum, ſubdit, ſeu reuerendiſsimorum Patrum, qui in prædictis Concilijs affuerunt: pro eodem accipiens traditionem Apoſtolorum, ac Patrum. Eodem modo appellantur in Concilio Chalcedonenſi actione prima à Lucentio Epiſcopo Vicario ſedis Apoſtolicæ, itẽ actione 7. Synodi Conſtantinop. lecta in Chalcedonenſ. actione 1. dicuntur traditiones Apoſtolorum, quia ab ijs ſunt promulgatæ fidelibus: dicuntur traditiones Eccleſiæ, quoniam eas ipſa ſeruat, & cõtinua ſucceſſione tranſmittit ad poſteros: dicuntur traditiones Patrum, quoniam ab ijs vt pręcipuis Eccleſiæ Paſtoribus, atque Doctoribus cuſtodiuntur, defenduntur, explicantur. Verùm primus ipſarum auctor Deus eſt, à quo eas Apoſtoli acceperunt, vt indicat Paulus cum de Euchariſtia loquens, *ego*, inquit 1. ad Corinth. 11. *accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, tradiderat vero nondũ ſcripto, ſed voce. Duplex autem modus acceptionis traditionum à Deo, explicatur à Concil Tridentino ſeſsione 4. in decreto de ſcripturis Canonicis: nam, cùm dixiſſet fidei veritatem contineri libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, ſubdit, *quæ*, nimirum traditiones, *ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab alijs Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos vſq; peruenerunt*. Itaque omnes in Deum auctorem referuntur, ſiue à Chriſto immediatè, ſiue ex Spiritus ſancti inſpiratione acceptæ: ideoque æqualem habent auctoritatem. Vt enim ait beatus Cyprianus in ſermone de lotione pedum: *ſicut par eſt Spiritui ſancto, & Chriſto diuinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas, & poteſtas: nec minus ratum eſt, quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem præcepit*. priore modo habetur ex traditione Apoſtolica chriſmatis compoſitio ex Deo, ac balſamo, & eiuſdem benedictio, hanc enim Chriſtum Dominum in die vltimæ Cœnæ inſtituiſſe, ac docuiſſe Apoſtolos tradit Fabianus Papa Epiſt. 2. cap. 1. eodem modo docet, Ioan. 3. in ſua decretali, Apoſtolos ſolùm, & eorum ſucceſſores poſſe per manus impoſitionem tradere Spiritum ſanctum, hoc illis Chriſto præcipiente, ac denunciante. De poſteriore modo loquitur D. Cyrill. Alexand. lib. 1. contra Iulian. agens enim de Apoſtolis ſic ait: *quæ verè audierunt à Deo, ea ex vno ſpiritu locuti ſunt: & de hoc dubitare nos non ſinit ſapientiſsimè dicens ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis: proinde gloriamur in fide de Deo, quam à ſanctis Patribus, qui olim fuerunt, accepimus non vitiatam*: nam quamuis hæc verba accommodari poſsint etiam traditionibus ſcriptis, tamen verba Chriſti

Concil. Trid.

Manſuet.

Trid.

Cõc. Chalced

Conc. Cõſtant.

1. ad Cor. 11.

Concil. Trid.

Cyprian.

Fabian.

Ioan. 3.

Cyrill. Alex.

quorum

quorum auctoritate nititur ſententia Cyrilli reſpiciebant doctrinam vocali locutione prædicandam, monuerat enim Chriſtus, Matth. 10. ne ducti ad iudicum tribunalia, præmeditarentur quid loquituri eſſent, quia ex Spiritus ſancti inſpiratione ſuggerendum illis erat, quid dicerent: & tunc ſubdidit: *non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Ex dictis ſumi poteſt definitio traditionum ad mentem Concilij Tridentini citata ſeſſione 4. in hunc modum, *traditiones Apoſtolicæ ſunt ſententiæ Apoſtolorum, ad fidem, vel mores pertinentes, vel ore tenus à Chriſto, vel à Spiritu ſancto dictatæ & continua ſucceſſione in Eccleſia conſeruatæ.*

Matth. 10.

Concil. Trid.

VII. Verùm quoniam traditiones non continentur ſcripto Canonico, opus eſt apponere notas, quibus veræ à falſis internoſci poſſint. Plures autem traduntur ab auctoribus citatis, quæ omnes ad tria capita reduci poſſunt. Primum eſt definitio Eccleſiæ. Secundùm vniuerſalis, & immemorialis vſus eiuſdem à tempore Apoſtolorum. Tertium ſententia, ſiue teſtimonium commune Patrum afferentium dogma aliquod tamquam à maioribus acceptum. Ex primo conſtat id, quod definitũ eſt à Concilio Tridentino ſeſſione 7. Can. 1. de inſtitutione ſacramentorum: nimirum quod ſint à Chriſto inſtituta haberi ex traditione Apoſtolorum, quoniam non continetur vlla Scriptura canonica, vt docet D. Thom. 3. p. quæſt. 64. art. 1. ad ſecundum. Hinc etiam nata eſt acclamatio fieri ſolita in Concilijs, *hæc eſt doctrina patrum, hæc eſt fides Apoſtolorum:* nam Patres & Apoſtolos indiſtinctè nominando eos etiam comprehendunt, qui nihil ſcriptum reliquerunt: & cùm multa diffiniantur, quæ expreſsè non continentur in ſacris literis, non aliter dici poteſt eam eſſe doctrinam, vel fidem Apoſtolorum, niſi ratione traditionum non ſcriptarum. Ex ſecundo habetur adorationem Euchariſtiæ niti eadem traditione, quoniam hæc eſt totius Eccleſiæ vniuerſalis conſuetudo, cuius initium neſcitur poſt tempora Apoſtolorum: hoc ſignum ſumitur ex Baſilio de Spiritu ſancto, cap. 27. *Si conſuetudines,* inquit, *quæ ſcripto proditæ non ſunt, tamquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur,* vbi conſuetudinem ſcripto non proditã pro traditione accipit. Ex hac radice pro Baptiſmo paruulorum, & remiſsione culpæ originalis arguit Auguſt. Epiſt. 28. & 105. & pro non rebaptizandis hæreticis, lib. 1. contra Creſcon. c. 33. hanc vero conſuetudinẽ etiam nondum in Concilijs approbatam habere vim fidei, ſumitur ex D. Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 7. *multa,* inquit, *non inueniuntur in literis Apoſtolorum, nec in Concilijs poſterorum: & tamen, quia per vniuerſam cuſtodiuntur Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur,* hac ratione Concilium Tridentinum ſeſſion. 21. cap. 1. ex iudicio, & conſuetudine Eccleſiæ definit laicos, & clericos non conficientes nõ obligari iure diuino ad communionẽ ſub vtraque ſpecie. Ex tertio denique conſtat de fide eſſe ex traditione pueris remitti peccatum Originale in Baptiſmo, quoniam hæc eſt mens cunctorũ Doctorum Eccleſiaſticorum. Vſus autem huius loci eſt æquæ auctoritatis, ac Scripturæ diuinæ ex Baſil. & Chryſoſt. docet Stapletonus, lib. cit. cap. 6. & ratio eſt euidens, quoniam vtraque habet infallibilem veritatem ex immediata reuelatione Dei, & quidem inter Catholicos ex æquo vterque adhiberi poteſt. At vero contra hæreticos multo fortius argumentum ſumi à traditionibus ex doctrina patrum oſtendit Canus, lib. cit. cap. 3. in 4. fundamento: quandoquidem ij Scripturas intorquent, ac peruertunt falſis interpretationibus: at traditiones, cum ſint vſu, & cõſuetudine, vel communi Sanctorum atteſtatione comprobatæ, nõ poſſunt ita facilè in prauum ſenſum traduci: & in multis inſeruiunt ad pleniorem expoſitionem Scripturæ, & veri dogmatis confirmationem. Sed de his forte plura, quã præſens locus poſtularet: ſed quia iacienda ſunt fundamenta, & ſupponenda principia, quibus vti debet Theologus in diſcurſu Theologico, viſum eſt hæc aliunde decerpere ad ſtabiliendam veritatem.

Concil. Trid.

S. Thom.

Baſilius.

Auguſt.

Concil. Trid.

Baſil.

Chryſoſt.

Stapleton.

Canus.

Eccleſiæ auctoritate continetur irrefragabile fidei argumentum.

Caput IX.

SI verbum Dei ſcriptum, & non ſcriptũ recte ab omnibus intelligeretur, non opus eſſet alia auctoritate infallibili ad vtriuſque propoſitionem, atque interpretationem. Verùm ex eodem teſtimonio Catholicus veram fidem, hæreticus peruerſum dogma elicit; hæreticis enim, vt auctor eſt Tertullian. lib. aduerſus Hermog. cap. 19. *mos eſt etiam ſimplicia Scripturarum verba torquere,* qui vt ait Martinus Papa in Concilio Lateran. conſultatione tertia, *ipſis pa-* I.

Tertullian.

Martin.

ternis

ternis doctrinis abuuntur: & proinde sunt similes sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, quasi paternis velati doctrinis, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, id est, mortalibus, & fœtidis dogmatibus, propterea opus fuit, vt iuxta suauem prouidentiã Dei relinqueretur nobis norma aliqua certa dijudicandi vera dogmata à falsis, verbum Dei à doctrinis dæmoniorum, & interpretãdi obscura loca scripturæ, & incidentes quæstiones de fide iuxta doctrinam Christi, & Apostolorum dirimendi, vt rectè docuit Vincentius Lirinẽsis aduersus prophanas hæres. nouationes: *Hic forsitan, inquiens, requirat aliquis, cùm sit perfectus scripturarum canon, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur autoritas? Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non vno eodemq; sensu omnes accipiũt, sed eadem eloquia aliter atque aliter, alius atq; alius interpretatur, vt pene quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Hæc autem est autoritas vniuersalis Ecclesiæ, cuius iudicium in rebus fidei & morum est infallibile.

II. Ecclesiæ autem nomine intelligitur vniuersus cætus fidelium sub vno pastore Vicario Christi, seruans vnitatem fidei in vinculo pacis. Quam non posse in fide errare, constat ex promissione Christi Domini Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam,* præualerent autem si facerent, vt à veritate fidei aberraret, ad quod alludunt Epiphanius in Anchorato, Hieronym. Chrysost. Euthym. Theophyl. in comment. eius loci, & alij Patres, qui portas inferi hæreses vocant. Idem sumitur ex Paulo 1. ad Corinthios 3. appellante Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, non esset autem fundamentum, sed fluctuaret omni vento doctrinæ, si esset exposita erroribus ad substantiam fidei attinentibus. Eius autem tanta erat apud Augustin. vt verè dixerit lib. contra Epistol. Manichæi cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moueret autoritas,* & hanc ipsi autoritatem, ex ipsarum scripturarum testimonio esse ait lib. 1. contra Cresc. cap. 33. *Quamuis* inquit, *huius rei certè de scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas.* Et quoniam inter Catholicos, qui veram, de qua agimus, Theologiam sequuntur, hæc veritas est indubitata, & firmata autoritate Symboli Nicæni, quod in Missa canitur, *vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam,* sine vera autem fide, neque sancta esse potest, quia sine fide impossibile est placere Deo, nec seruare vnitatem aut coniunctionem cum Christo Domino, qui eam sibi in fide desponsauit, vt exhiberet sibi sponsam sine macula, & ruga, sine ruga erroris in intellectu, sine macula culpæ in affectu. Quoniam inquam hæc veritas indubitata est apud Catholicos, non opus est longiore cõfirmatione, quæ videri potest apud Doctores infra citandos.

III. Porrò ex Ecclesiæ autoritate tribus modis argumentari licet, nempe ratione capitis, ratione corporis totius sub eodem capite vbique terrarum diffusi, vel in generali concilio legitimè congregati, in quo est tota Ecclesia, non quidem re ipsa, sed repræsentatione. Nunc illud pro certo statuendum, scilicet ex citata promissione Christi fieri non posse, vt Ecclesia erret, ac proinde, quotiescunque verum erit dicere, hæc est sententia vniuersalis Ecclesiæ de dogmate fidei, certum & infallibile est sententiam eam ad fidem pertinere: quotiescunque autem aliquo ex tribus modis enumeratis aliquid in Ecclesia tenetur, verum est dicere, vniuersalis Ecclesia hoc sentit, quare ex omnibus illis habetur irrefragabilis autoritas Ecclesiæ. Assumptio patet inprimis in ipso capite: nam cùm caput sit præcipua corporis pars mouens, ac dirigens reliquas, quod conuenit capiti simpliciter dicitur de corpore: Summus autem Pontifex Christi Vicarius militantis Ecclesiæ caput est, ad eumque pertinet Ecclesiam instruere, inferiores Prælatos, & oues vniuersas illuminare, & confirmare iuxta præceptum Domini sub persona Petri successoribus omnibus impositum, Luc. 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,* atque adeò eius sententia merito censetur sententia vniuersalis Ecclesiæ: quæ illi se conformare tenetur, & eius sicut grex pastoris ductum sequi, & ita quemadmodum, cùm Petro dictum est Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum,* quia destinatus erat à Christo summus Ecclesiæ pastor, totam Ecclesiam repræsentabat propter Apostolatus sui primatum, vt ait Diu. Augustin. tractat. 50. in Ioan. & enarratione in Psalm. 108. initio. Ita cùm summus Pontifex successor Petri, & Christi Vicarius aliquid ex cathedra diffinit, Ecclesia

per illius os diffimit: quemadmodum homo dicitur loqui ac videre, quia caput, in quo sunt loquendi & videndi instrumenta, per ea loquitur, ac videt. Quo sensu *Chrysost.* Chrysost. homil. 87. in Ioan. Petrum appellat, *os reliquorum Apostolorum*, quia princeps ac vertex erat cœtus Apostolici, cuius locum cùm teneat Summus Pontifex, ipse quoque totius Ecclesiæ os meritò appellari potest, tanquam vniuersalis Pastor ac Doctor, cui à Christo commissa est cura pascendi oues ipsius, & ita vt notat *Canus. Stapleton.* Canus lib. 4. de locis cap. 4. & Stapleton. controuers. 1. lib. 1. cap. 2. post *Innocentium. Chrysost. Euthym.* Innocentium c. *Nouit.* de iudicijs. Chrysostom. homil. 61. in Matth. & Euthym. cap. 28. Ecclesiæ nomine ipsi pastores intelliguntur, præsertim verò summus Pontifex, vt constat ex illo Christi Domini, *Matth. 18.* Matth. 18. *Quod si non audierit eos dic Ecclesiæ*, quia non aliter intelligitur dicendum Ecclesiæ, quàm dicendo pastoribus eius, & capiti, qui totam Ecclesiam repræsentant. Et ita id, quod *Matth. 16.* Christus Ecclesiæ promisit Matth. 16. *portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Cathedræ Romani Pontificis tribuit Augustin. *Augmst.* in Psalm. contra partem Donati tom. 7. *Numerate*, inquit, *vel ab ipsa Petri sede, & in illo patrum ordine quis cui successit, videte ipsa est petra, quam superbiæ non vincunt inferorum portæ.*

IV. Hoc argumentum firmissimum est, & olim à patribus vsurpatum, & ob eius contemptum natas in Ecclesia hæreses cõqueritur Diuus Cyprianus lib. 1. epist. 3. & in *Cyprian.* lib. de vnitate Ecclesiæ: nam cùm fraudes diaboli in disseminandis hæresibus describisset, causam & remedium subdit dicens: *Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non redditur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina seruatur*, deinde verò fusè explicat quid nomine capitis intelligat, & tandem concludit, *qui Ecclesiæ renititur ac resistit, qui cathedram Petri, supra quã fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Si Petri cathedra non haberet prærogatiuam veritatis fidei, deseri sanè posset, quin Ecclesia desereretur, quare cùm Cyprian. neget eum esse in Ecclesia, qui deserit cathedram Petri, sentit omnes fideles Ecclesiæ membra astringi, vt eius fidem sequantur: atque adeò ab ea sumi irrefragabile argumentum. Ita *Athanas.* Athanasius & cæteri Episcopi AEgypti, Thebaidos, & Lybiæ in quadam Epistol. ad Felicem Papam tom. 1. Concil. *Semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica sancta sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus: præfatam Apostolicam & summam expetimus iuxta canonum decreta sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes & dogmata, atque subleuationes ceperunt*, & infra, *Tu prophanarum hæresum & impetitorum, atque omnium infestantium depositor, vt princeps & doctor, caputq; omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.* Ita Episcopi Tarraconens. in epistola ad *Epist. Tarrac.* Hilarium Papam. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam: inde responsa quærentes, vnde nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Ita etiam patres concilij Mileuitani ad Innocentium scribunt, *Concil. Milev.* vt Pelagianorum hæresim ab ipsis damnatam reprobet: & causam reddunt: *arbitramur enim autoritate sanctitatis tuæ de sanctarum scripturarum auctoritate depromptæ facilius eos, qui tam peruersa ac pernicioſa sentiunt, esse cessuros.* Basil. in epistola ad Romanum *Basilius.* Pontificem per Sabinum diaconum data: *quia pietati tuæ datum à Domino est, quod adulterinum est à legitimo, ac puro discernere, ac fidem patrum sine vlla subtractione prædicare*, sic Damasum de fidei quæstione Hieronym. *Hieronym.* consulit epistola ad eundem de hypostasibus, sic Cyprian. Cornelium lib. 2. epist. 8. *Cyprian.* Hæc verò Papæ autoritas maximè enituit in Concil. Chalcedonens. nam post dis- *Cõcil. Chalc.* cussionem dogmatis Euthychiani, & damnationem Dioscori, & fidei confirmationem, cùm edita esset diffinitio fidei non continens omnia, quæ erant in epistola Leonis Papæ, legati eius præsidentes concilio subscribere noluerunt, nisi fieret diffinitio iuxta formam epistolæ Leonis: itaque solius Leonis Papæ autoritas patres Concilij adegit ad fidei diffinitionem aliter formandam. De hac summi Pontificis autoritate fusè agunt Bellarmin. lib. 4. de *Bellarmin. Stapleton. Canus.* Romano Pontifice à capite primo vsque ad decimumquartum, Stapleton. controuersia 2. lib. 6. Canus lib. 6. de locis, & alij.

V. Secundus modus argumentandi ex autoritate Ecclesiæ copiosè tractatur à Cano lib. 4. de locis, & Stapletono cõtrouersia 3. lib. 7. estque firmissimus: nam illa verè est Ecclesia Christo in fide desponsata, cuius cor est Spiritus sanctus, qui illam significat, agit: cum qua Christus vsque ad consummationem sæculi futurum se spopondit, cùm discipulis dixit Matth. vltimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Hæc inquam fidelium vniuersa collectio, sicut fidem amittere, aut errare circa religionis nostræ dogmata nunquam potest, ita quoq; communis eius sensus de rebus fidei est infallibilis norma veritatis. Et ita quotiescun-

Canus. Stapleton. *Matth. vlt.*

que

que constiterit teneri aliquid ab omni Ecclesiæ corpore, tanquam ad fidem pertinens, absque dubio à Theologo assumi potest vt principium fidei, vt colligitur ex Augustin. epistol. 86. ad Casulanum, vbi *in his*, inquit, *rebus, vbi nihil certè statuit scriptura diuina, mos populi Dei, vel institutа maiorum pro lege tenenda sunt.* Et ex eodem principio Concil. Tridentin. session. 13. cap. 5. & 6. ex communi vsu Ecclesiæ decernit venerabile Eucharistię Sacramentum cultu latriæ adorandum, & in sacrario asseruandum: & session. 14. cap. 5. necessitatem confessionis sacramentalis ex sensu vniuersalis Ecclesiæ, *ex institutione*, inquiens, *sacramenti pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere.* & Cælestin. Papa ad Episcopos Galliæ decreto 12. contra Pelagium ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ exorcizandi catechumenos antè baptismum, colligit omnes antè gratiam esse sub potestate diaboli; verum in huius loci vsu obseruandum est, quod notauit Stapleton. libro citato, cap. vltimo, dogmata fidei alia esse communia & nota Christianis omnibus: alia, quæ nó in omnium notitia versantur, sed solum Ecclesiæ pastoribus, & alijs viris doctis nota sunt, & ad priora quidem adduci potest etiam ipsius vulgi consensus coniunctus sententiæ pastorum, & hoc indicare voluit Waldens. doctrinal. fidei lib. 2. cap. 19. cùm dixit: *Certus sum quod fides Ecclesiæ testimonium laicorum non excludit, sed includit*, quem immeritò propterea carpit Canus lib. 2. de locis cap. 7. quasi iudicium, & autoritatem iudicandi de rebus fidei tribuat laicis: defendit autem Stapletonius vbi suprà, quoniam non iudicium, sed testimonium illis præbet: quia scilicet ex consensu communi ipsorum, quatenus sunt membra Ecclesiæ sub suis pastoribus, habetur etiam testimonium de veritate fidei, vt ipse etiam Canus admittit lib. 4. capit. 4. prima, secunda, & tertia assertione, sicut se explicat in quarta, quod in ijs accipiat Ecclesiam, prout est omnium fidelium congregatio: & iam olim ex populi consensu aduersus Pelagianos argumentum sumpserat Augustinus lib. 1. contra Iulian. cap. 2. versus finem, vbi sic habet: *Et ipse populus aduersum vos propterea murmurat, quia non est talis quæstio, quæ possit cognitionem etiam fugere popularem: diuites, & pauperes, excelsi atque infirmi, docti atque indocti, mares & fœminæ nouerunt, quid cuique ætati in baptismate remittatur*, & paulò inferius, *quasi parua sit eius assertio, quod in hoc fidei firmissimo & antiquissimo fundamento, ipsa toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo.* Ex quo Augustini testimonio constat sententiam multitudinis, quoad ea mysteria, quę non fugiunt scientiam popularem, valere etiam ad faciendam fidem, & conuincendos errores. Ratio verò est, quoniam vnanimis consensus multitudinis prouenit ex doctrina pastorum: atque adeò continet Ecclesiæ vniuersæ testimonium. Quoad ea verò, quæ excedunt captum multitudinis, sufficit communis consensus pastorum Ecclesiæ, vt ait Canus vbi supra conclusione 4. fundamentum est, quoniam in Ecclesia est depositum, siue thesaurus veritatis Catholicæ, vt ait Iren. lib. 3. cap. 4. vocans ipsam, *Amplum quoddam, & dives depositorum, in quod Apostoli omnia, quæ sunt veritatis, plenissimè contulerint, vt omnis quæcunque velit, ex ea potum vitæ sumat.* Hoc autem depositum non manet apud imperitam multitudinem, vt patet, sed apud pastores & Doctores, idque colligitur ex illo Paul. 1. Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt:* quare, cùm pastores omnes in eandem sententiam consentiunt, irrefragabile est argumentum apud Theologum, propterea in Concil. Ephesin. in epistola ad Nestorium præcipitur ei, vt iuret sentire sè, quæ vniuersi Episcopi per Orientem & Occidentem crederent: quia ipsi, vtpotè capita & doctores populorum, sunt vice totius Ecclesiæ, quam errare est impossibile: & de Concil. Nicæno primo scriptum reliquit Theodoret. in vita Beati Iacobi Nisibensis Episcopi, *Obtinuit illa quæ per vniuersum orbem vicerat, ac diuulgata fuerat fidei confessio.* Hoc loco vsi sunt Patres Concil. Trident. session. 13. cap. 1. ad confirmandam Catholicam doctrinam de vera ac reali præsentia Christi in venerabili Eucharistiæ sacramento, post cuius assertionem sic aiunt: *Itaenim maiores nostri omnes, quot quot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt.*

Augustinus — Concil. Trid. — Caelestin. — Stapleton. — Waldens. — Canus. — Augus.

Iren. — 1. ad Tim. 6. — Cõcil. Ephes. — Theodoret.

VI.

Tertius, & vltimus argumentandi modus ex autoritate Ecclesiæ est ab autoritate Conciliorum, de qua fusè Canus libr. 5. de locis. Castro lib. 1. aduersus hæreses cap. 6. Stapleton. controuersia 3. lib. 7. à cap. 8. ad vndecimum. Bellarm. lib. 2. de Concil. autoritate, & multi alij, quos citat lib. 1. capit. 2. porrò Cõcilia vel particularia sunt, vel vniuersalia: si particularia sint, & ab

Canus. — Castro. — Stapleton. — Bellarmin.

Ecclesia non approbata, vel reprobata, habent quidem aliquam, sed infallibilem autoritatem: & ita ex ijs, quamdiu approbata non sunt, sumitur argumentum probabile, non tamē irrefragabile: nam quemadmodum non repugnat, vt particulares aliquæ Ecclesiæ errent in fide, ita etiam non repugnat, vt Concilia prouincialia, quæ particulares Ecclesias repræsentant, interdum labantur. Qua ratione errauit Concilium Carthaginen. cui præfuit D. Cyprian. diffiniendo hæreticos ad Ecclesiam redeuntes esse rebaptizandos, si verò sint à summo Pontifice approbata, iam habent infallibilem autoritatem fundatam in assistentia Spiritus sancti manu tenentis, ac dirigentis Pontificem in doctrina fidei tradenda ex cathedra. & ita Cælestinus Papa in decretis ad Galliæ Episcopos, decreto tertio, vtitur autoritate Conciliorum particularium, quæ Romanus Pontifex approbauit, & illorum allegat sententias, *quas vtique*, inquiens, *suas fecerunt Apostolici Antistites, cùm probarunt*, & Leo Papa epistola 46. iubet, vt venientes ab hæresi Pelagiana, protestentur se amplecti omnia decreta synodalia, quæ ad excisionem hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit autoritas. Si verò sint Concilia generalia legitimè celebrata, infallibilem autoritatem habent in Ecclesia, vt constat ex sententia Diu. Gregorij lib. 1. Epistol. 24. quæ refertur cap. *sicut sancti*, distinct. 15. recipientis quatuor Concilia generalia, sicut quatuor Euangelia: & hic est vsus, & consuetudo Ecclesiæ ab eo tempore, quo Concilia celebrari cœpta sunt, nam & ipsamet Concilia sequentia antecedentium decreta tanquam normam fidei recipiebant: & eos, qui non reciperent tamquam schismaticos, & hæreticos anathemate feriebant: vt constat ex septima Syndo generali: & Sancti patres ad dijudicandas fidei controuersias ijsdemmet decretis pro norma vtebantur: & qui deinde secuti sunt doctores, tam Theologi, quàm iuris periti hanc ipsam normam sequuntur: quare, fremant licet hæretici, contra quos recentiores scriptores controuersiarum hoc argumentum luculenter sanè tractarunt, ex Concilijs vniuersalibus legitimis sumitur infallibile principium Theologicum. Dixi ex legitimis, quoniam si legitima non sint, errare potuerunt, vt erravit Ephesinum secundum, item Arimenense, & alia, quo tempore legitima non erant. Quamuis autem nonnullæ notæ sint, ex quibus deprehendi possit, an Concilium fuerit legitimum, quæ in tractatu de Concil. explicari solent, vna potest esse instar omnium: nempe, si ciusmodi Concilium, quoad dogmata recipitur ab Ecclesia vniuersali, & eius capite, cùm enim vniuersa simul cum capite errare nequeat, quod ab ipsa vt dogma fidei recipitur, absque dubio tale est, & à Theologo tanquam principium reuelatum supponendum.

Cælestin.

Leo.

Gregor.

VII. Illud vltimo aduertendum est, duplicem in Ecclesia considerari posse autoritatem, alteram humanam, alteram diuinam: humana nititur multitudine, sapientia, ac bonitate fidelium: diuina consistit in assistentia Spiritus sancti, cuius spiritu totum corpus Eccsesiæ sanctificatur, ac regitur, & humana quidem per se sola præbet maximè probabile argumentum, non tamen infallibile & irrefragabile, quale sumitur ex autoritate Ecclesiæ diuina. Verum, quoniam in diffiniendis ac proponendis rebus ex fide credendis, Ecclesia semper vtitur autoritate diuina, non debet Theologus hærere dubitando, ex cuius autoritatis radice pendeat hoc vel illud testimonium Ecclesiæ. Ad hoc tamen inseruire potest hoc documentum iuxta triplicem modum vtendi Ecclesiæ autoritate. Nam, si testimonium sit Pontificis Maximi, aut generalis Concilij, videndum erit vtrum sit depromptum ex ipsamet fidei diffinitione: quam Pontifex è Cathedra, aut Concilium legitimè congregatum edit: an verò sumptum ex tractatione ac discussione, quæ diffinitionem præcedit, aut ex alijs incidenter dictis: quod rectè obseruauit Iustinianus Imperator in confessione suæ fidei, quæ habetur 2. tomo Concil. post Concil. Toletan. 2. vbi sic ait: *Oportet autem etiam illud attendere eos, qui veritatem perscrutantur, quod forsitan in Concilijs, quædam à certis ibi conuenientibus dicuntur, aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam, nemo autem attendit ad ea, quæ per partem à quibusdam dicuntur, sed sola illa, quæ ab omnibus communi consensu diffiniuntur.* Si hoc secundo modo se habeat, conciliat quidem magnam probabilitatem sententiæ, pro qua affertur, non tamen reddit eam de fide certam: reddit autem si primo modo se habeat. Ratio est, quoniam infallibilis assistentia Spiritus sancti non necessario dirigit præuiam discussionem, sed ipsam fidei diffinitionem. In vsu verò ac sensu totius Ecclesiæ, in Prælatis ac subditis, expendendum est quo animo ac mente omnes idem faciant, ac sentiant: nam, si conueniant in dogmate aliquo, aut vsu alicuius rei tanquam necessario, & à Deo

Iustinian.

reue-

reuelato, à Christo instituto, & ab Apostolis tradito, hoc ipso censendum est pertinere ad fidem. Qua ratione Concil. Tridentin. vbi supra ex vniuersali vsu Ecclesiæ colligit institutionem, ac præceptum diuinum confessionis sacramentalis. Si verò vsus non hoc animo fiat, sed ob alias causas rationabiles, tunc non sumitur argumentum positiuum ad probandum eiusmodi vsum esse necessariò ex fide tenẽdum, sed solum non esse contra fidem: qua ratione ex vniuersali vsu Ecclesiæ Catholicæ communicandi sub vna tantũ specie eos, qui non conficiunt: non colligitur esse de fide, aut diuino præcepto necessarium, vt ita fiat: sed solum non esse contra fidem, aut Christi institutionem, quando-
Concil. Trid. quidem, vt dicitur in Concilio Tridentino session. 21. cap. 1. id ab Ecclesia ordinatum est, non quasi esset necessarium ex institutione Christi, sed alijs grauibus & iustis de causis, id verò licere docet, ac declarat idem Concil. eadem sessione cap. 1. Ecclesiæ iudicium & consuetudinem sequens.

De loco ab autoritate Angelica.

Caput X.

I. RArum hominibus cum Angelis commercium, rara collocutio, & ideò ex ipsorum autoritate rarò etiã sumi potest argumentum: maximè quia ad Theologiã non sunt adhibenda testimonia occulta, publicis non prodita monumentis: qualia plerumque ex incertis Angelorum reuelationibus circunferuntur. Verùm quia non nunquam patres hoc loco vtuntur, breuiter dicam, quatenus eius vsus salutaris, aut pernicios̃us sit. Angelorum porrò, si secũdùm propriam naturam spectentur, autoritas infallibilis non est, quoniam neque boni per essentiam, neque rerum omnium periti sunt: atque adeò fallere, ac falli possunt. Verum ex ingenitæ naturæ nobilitate, & maxima rerum scientia maiorem, quàm homines, fidem arrogant. Quia tamen omnes sunt extra statum naturalem, alij ad summam felicitatem euecti, alij ad extremam miseriam deiecti, non opus est attendere ad autoritatem illis suaptè natura debitam, sed ad eam, quam ratione status vendicant.

II. Angelorum itaque beatorum autoritas infallibilis est ex duplici capite. Primo quidẽ, quia, *cum sint administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* Ad Hebræ. 11. non nisi ex diuino mandato cum hominibus loquuntur vt nuntij Dei: qua ratione accipienda sunt eorum dicta, quæ in sacris literis habentur. Verùm hæc autoritas magis diuina, quàm angelica dicenda est: nam tandem resoluitur in Deum, cuius illi ad nos mandata deferunt, & ideò Magnus Dionysius de cælesti hierarchia cap. 4. diuinarum scripturarum reuelationes Angelis, vt internuntijs ascribit. Altera radix certitudinis angelicæ locutionis sumitur ab statu impeccabilitatis ex gratia beatitudinis, ratione cuius scienter fallere nequeunt, ne mentiendo peccatum incurrant. At, inquiet aliquis, non esse hanc completam rationem autoritatis, sed requiri scientiam omnium rerum enunciabilium, qua carent Angeli: atque adeò posse materialiter falsum dicere. Verum ad euitandum mendacium materiale sat est certa veracitas, quam ex vi status habent angeli, & carentia erroris in intellectu, quam perfectio status vendicat; etsi enim non omnia sciant, nihil tamen falsò credunt, & consequenter nihil falsò affirmabunt. In dubijs enim suspendent assensum mentis, & affirmationem signi ad alios, vt ex instituto traditur in materia de Angelis. Et itá B. Augustin. lib. 10. de Ciuitate Dei, cum cap. 26. ex Porphyr. retulisset esse quosdam Angelos, qui hominibus diuina pronuncient, qui potius à nobis imitandi, quàm inuocandi sint: quasi indicare vellet eos appetere, vt cultus diuinus sibi à nobis exhibeatur, longo discursu contra eum disputat, & tandem cap. 31. concludit his verbis, *Quapropter diuinæ autoritati humana cedat infirmitas, eisq; beatis & immortalibus de vera religione credamus: qui sibi honorem non expetunt, quem Deo suo, qui etiam noster est, deberi sciunt:* Fundamentum fidei habendæ sanctis Angelis beatitudinem præmittit. Ex quo patet si constet ex scriptura, vel autoritate infallibili aliquid ab Angelis dictum, vel factum, pro infallibili habendum esse, & ita Iustinian. Episcopus Siciliæ, Cincianus Aculianarum, & Acacius Constantinopol. & alij, qui habentur in quinta Synod. Constantinop. factum Petri Gnaphæi Episcopi Antiochen. addentis crucem trisagio tanquam hæresim damnarunt, quod corrupisset traditionem angelicam, qua etiam ratione vsus est Felix Romanus Episcopus in epistola ad eundem Petrum, vbi sic habet, nempe si ex humana traditione *manasset hæc laus, non ita incautè crucem insereres laudi, in qua filij*

Ad Hebr. 11.
Magn. Dionys.
Augustin.
Iustin.
Felix.

appellatio fortis scilicet ponitur : quoniam verò ab Angelis laus ista profluxit, &c. Quibus narrat quomodo & à sanctis Seraphim, Esa. 6. & tempore Procli Episcopi Constantinopolitani infantulo audiente, laus illa Deo canatur, subiungit, *at tu quàm temerè, vt scripturas reliquas, ita & Angelorum laudem peruertere præsumpsisti*, parem laudi Angelicæ, ac scripturæ sacræ autoritatem tribuens hoc etiam argumento aduersus eundem Petrum vtitur Damascen. lib. 3. fidei orthodox. cap. 10. Ea verò quæ in priuatis historijs ab Angelis sanctis dicta referuntur, inseruire possunt Theologo tantum, vt argumentum probabile: quoniam licet ipsorum autoritas sit infallibilis, proponitur tamen per fallibilem autoritatem, qualis est testimonium historiæ humanæ; vt infra dicam.

Damascen.

III. Contra verò Angeli reprobi nulla omninò fide digni sunt, cùm in veritate non steterint, & diabolum patrem mendacij secuti veritatem primam, odio habeant, & impugnent. Prima assertio diaboli fuit mendax in perniciem totius humani generis, nec vllam decipiendi nos occasionem prætermittit: adeò vt etiam quando verum dicit, ad finē mendacij referat, conciliat enim sibi autoritatem, vt ita facilius decipiat, vt docet Diuus Thom. 1. par. quæstion. sexagesima quarta, artic. secundo ad quintum, & copiosè Diuus Chrysostomus homilia tertia aduersus Iudæos, expendens locum illum Act. decimosexto, vbi Paul. dicitur imperasse dæmoni, qui obsidebat Pythonissam, vt exiret ab ea, quoniam plus nocebat loquens, quàm tacens, *Siquidem*, ait, *vt ostium aperirent suis fraudibus, possent q; in posterum mentiri confidentius, propterea vera quoq; nonnulla commiscebant non aliter, quàm qui lætifera miscent venena, os poculi melle circumlinientes efficiunt, vt facilius accipiatur malum.* & ob eam causam censet Paulum silentium indixisse, quoniā videbat vsurpare autoritatem non sibi cōgruentem: quod, vt author est D. Tho. lib. 3. contra gentes cap. 154. faciunt vt argumentum veræ fidei debilitent: sunt verò causa deceptionis, præcipuè transfigurādo se in Angelū lucis, & immittendo futiles, & inanes cogitationes sub reuelationis diuinæ, & spiritualis doctrinæ nomine: quapropter D. Augustin. lib. 2. de ordine cap. 9. Postquam autoritatis diuinæ stabilitatem, certitudinemque commendant, subiungit, *In qua metuenda est aeriorum animaliū mira fallacia, quæ per rerum ad istos sensus corporis pertinentium quasdam diuinationes, nonnullas q; potentias decipere animas facillimè consueuerunt, aut perituraru sortunarum curiosas, aut fragilium cupidas potestatum, aut inanium formidolosas miraculorum.* Hanc verò decipiendi artem multipliciter exercet: sed duobus præcipuè modis inter paganos olim frequenter vsurpatis, scilicet vel per oracula ex templorum adytis, spelūcis, arboribus, aut ex similibus locis edita, aut per arreptitios atque diuinos, qui, vt docet D. Thom secunda secundæ quęst. 95. art. 3. ex Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 9. Pythones dicebantur à Pythone, hoc est Apollinē diabolicæ diuinationis inuentore, qualis apud antiquos Mantho, Cassandra, & aliæ fœminæ fuerunt: & in actibus Apostolorum cap. 16. fit mentio cuiusdam puellæ habentis spiritum Pythonē, & inter Christianos aliqui diabolico spiritu afflati sunt in fraudem adducti, & abalienati à fide mētientes Spiritus sancti illapsum: vt Marcion & alij, de quibus prædixerat Apostolus 1. ad Timoth. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidā à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum.* Similiter etiam dæmon per oracula homines ad inanem falsorum deorum cultum pertrahebat, vt tradit Augustin. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 24. cuius rei pleni sunt libri antiquorum.

S. Thomas. *Chrysostom.* *S. Thomas.* *Augustin.* *S. Thomas.* *Isidor.* *Act. 16.* *1. ad Tim. 4.* *Augustin.*

IV. Veruntamen, quoniam efficax est argumētum ab autoritate inimici, & dæmones interdum falsis vera miscent, & non raro vera aliqua enunciāt, quæ ex eloquijs prophetarum, & oraculis Angelorum didicerunt: quod absurdum non esse concedere, constat ex Augustin. lib. de diuinatione cap. 8. non alienum erit à Theologo eorum testimonijs vti maximè aduersus gentes, suismet armis dæmones impugnādo. Nam licet apud Christianos nullam autoritatem habere debeant, maximam habent apud gentiles, qui antiqua oracula, & diuinorum dicta, quasi diuinum aliquid venerabantur, vt constat ex Strabone libro decimoseptimo suæ geograph. circa medium; & ita ad eos conuincendos vsui sunt oracula antiqua, & sententiæ magorum, siue diuinorum, quamuis enim dicant scripturas canonicas à Christianis esse confictas, easque tanquam diuinas non recipiant, cùm tamen vident eorum, quorum ipsi autoritatem recipiunt, testimonio confirmari præcipua capita nostræ religionis, non possunt non vehemēter moueri. Apud Christianos etiam aliquod momentum habere debent, quando loquuti probātur de diuina dispositione circa mysterium redemptionis humanæ: hæc enim sæpè vel inuiti coguntur effari, & à beatis

Augustin. *Strabo.*

Ange-

Angelis,& prophetis acceperunt, vt docet D.Auguſt.lib. de diuinatione dæmonum c.6.poſtquam enim docuit eorum oracula, ſi quæ veritatem habent, ex naturalibus cauſis,& mentis perſpicacitate, qua futura præuident,proficiſci,ſubdit, *Si quid de illa Dei diſpoſitione pronunciant,audiunt vt prænuncient: & cum ea prædicunt, quæ inde audiunt, non fallunt neq; falluntur,veraciſſima enim ſunt angelica,& prophetica oracula*, ne quis autem indignum duceret dæmonem hæc vel ab Angelis audire, vel hominibus enunciare, ſic occurrit obiectioni: *Sic autẽ nõ indignanter accipiatur,quod aliqua etiam talia dæmones audiant,& prædicant,quaſi aliquid indignum ſit, vt quod ideò dicitur, vt hominibus innoteſcat, hoc non ſolùm boni, verum etiam mali non taceant,cùm in ipſis hominibus etiam vitæ bonæ præcepta videamus pariter à iuſtis,peruerſiſq; cantari,nec obeſſe aliquid, imò etiam prodeſſe ad maiorem notitiam famamque veritatis: cum de illa etiam hi quidquid nouerunt,dicunt,qui ei peruerſis moribus contradicunt*, indicat autem rationem, propter quam deus dæmonem ad veritatis enunciationem compulerit: nimirum, vt quod populo Dei electo per ſanctos Angelos,ac prophetas reuelauit ad ſalutem,gentilibus per ipſos dęmones,queis credebant,innoteſceret.

V. Emergit tamen dubium ex verbis Auguſtini:nam,ſi dęmon nec fallitur,nec fallit,quando ea,quæ ſic audit,enunciat, ſanè dictis eius circa diſpoſitionem diuinam de ordine,curſu, ac medijs prædeſtinatorum debetur fides indubitata: atque adeò ſumi ex ipſis poterit infallibile argumentum. Negandum tamen hoc eſt, quoniam Auguſtin. non ait ipſum non falli, aut fallere quando de his rebus aliquid prædicit, ſed quando ea,quæ audit,enunciat; at fieri poteſt obiuueteratam eius malitiam, vt etiam ſi nihil audiat,enunciet ſiue ex proprio errore, ſiue ex malitia, & appetitu decipiendi. Et quia nobis non conſtat,quo animo, vel ratione enũciet, non eſt vlla certitudo veritatis: ſi verò cõſtaret enunciare illum, quæab Angelis, aut prophetis dicta percepit,deberetur integra fides, non quia ab ipſo, ſed quia à ſuperioribus ſpiritibus Dei interpretibus emanarunt. Et ita D. Thom. ſecunda ſecundæ quęſtio.172.art.6.ad primum concedit illud verum, quod ſic dæmones enunciant,à Spiritu ſancto eſſe. Ex quibus patet argumentum ſumptum ab oraculis antiquis,& diuinorum ſentẽtijs habere vim ad homines, nempè idololatras, qui his magnam fidem habent:& ideò non nunquã ſcriptores Catholici hoc argumentandi genere contra gentes vſi ſunt, vt Iuſtinus Martyr in cohortatione ad Græcos, Lactãtius lib.1.Inſtitut.cap.7. & lib. de ira Dei cap.vltim.& alij. Ad Chriſtianos autẽ per ſe parum momenti habet,nec inter diſputationes vſurpandum,non eſt tamen negandum poſt teſtimonia infallibilia,&alia argumenta propria Theologo conducere non nihil ad ornatum,& ad gignendã probabilitatẽ,iuuatur enim intellectus ad aſſenſum cum videt veritati, quã credit,ab ipſis etiam hoſtibus teſtimonium perhiberi. *Iuſtin. Max.* *Lactantius.*

VI. Ad hunc etiam locum ſpectant teſtimonia magorum, ac Sibyllarum ijs de rebus, quarum notitiam naturali lumine intellectus aſſequi nõ poſſumus. Hæc enim ab homine ſciuntur ex ſuperiore aliquo principio, & ita non nituntur ſola fide humana: non item diuina, quoniam nõ conſtat certò,quo ſpiritu afflati,cęleſtia & futura prędixerint:& ideò pertinent ad autoritatem mediam inter humanam atque diuinam, nempè angelicam: nam altero è duobus modis illa didicerunt, nempè aut ſanctorũ Angelorum miniſterio, aut dæmonum afflati ſpiritu. Quod verò attinet ad magos, non à ſanctis, ſed à reprobis Angelis impulſos vaticinia edidiſſe,ac fuiſſe maleficos autor eſt Iſidorus lib. 8. Etymolog. cap. 9. & conſtat ex cap.7.& 8.Exod.& Daniel.2. Nam cum ſapientes Babylonij non poſſent indicare regi Nabuchodonoſori ſomnium,& interpretationẽ eius, ſic ait Daniel. *Myſterium,quod Rex interrogat ſapientes, magi,& Arioli,& Aruſpices nequeunt indicare Regi,ſed eſt Deus in Cœlo reuelans myſteria*, quaſi dicat,hi non ex Deo habent virtutem diuinandi, & ideò hoc eius myſterium indicare nequeunt. Cum itaq; non à Deo,ſed dęmonijs inſtincti vaticinati ſint, ipſorum teſtimonia non aliter accipienda, & vſurpanda, quam dicta dæmonum, nempè ad gentiles,apud quos doctrina magorum in magno pretio habebatur, ideoque contra ipſos ex magis depromptis teſtimonis Patres vſi ſunt. Inter Chriſtianos autem vſurpari poſſunt ad ædificationem fidei, & veritatis commendationem,quę etiam ab inimicis vel inuitis teſtimonium extorſit. Verùm quamuis fuerint vates dæmonum, potuerunt loqui aliquando inſtinctu diuino, vt probat D. Thom. ſecunda ſecundæ quæſtion.172.art.6. nam Balaam diuinus & cultor dæmonum fuiſſe videtur, vt ait Gloſſa Numer.22.&tamen inſpirante Deo prophetauit,vt conſtat eodem capit. Non deſunt tamen qui velint magos fuiſſe ſapientes à ſuperſtitione diabolica alienos ca. tos gentibus,à quorum doctrina Philoſophi didicerint,vt autor eſt Eugubinus lib. *Iſidorus.* *Exo.7.& 8.* *Daniel.2.* *S. Thom.* *Gloſſa* *Numer. 22.* *Eugubinus.*

1.de perenni Philosophia cap.3.& 25.Sed enim magos omnes fuisse diuino spiritu afflatos falsum omninò est, non enim prophetia arte discitur, nec humana voluntate affertur, vt ait D.Petrus Epistola 2.cap. 1.disciplina autem magorum,& Chaldæorum discebatur, vt constat Daniel.2. & de Moyse dicitur Actor.cap.7.eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum. Non est tamen negandum fuisse extra populum Israëliticum aliquos, qui vero Dei spiritu quasi gentium prophetæ vaticinati sunt, vt colligitur ex Clemente Alexand. lib. 6. Stromat.inter medium,& initium, Damascen.oratione de his,qui in fide hinc migrarunt,& de Hydaspe tanquam vero prophe ta mentionem facit Iustinus in Apologia ad Antoninum Pium. Clemens vbi suprà. Lactan.lib.7.instit. diuinarum cap.15. Ex quibus constat tria distingui posse magorũ genera, quidam erant cultores dęmonum, ac diuini, quidam sapiẽtes humana doctrina prædi ti, quidam ex instinctu Dei vaticinati sunt. De primis dictum est suprà. Secundi habent eandem ferè autoritatem, ac Philosophi, de quibus fusè agit Michael Medina lib.2.de recta in Deum fide cap.7. De tertijs dicendum est idem, quod de Sibyllis statim dicam.

2.Petr.1.
Daniel.2.
Actor.7.
Clem. Alex.
Damascen.
Iustin. Mar.
Clem Alex.
Lactan.
Medina.

VII.

Sibyllas in mundo fuisse, quæ superiore quodam spiritu afflatæ vaticinatæ sint, est adeò certum, vt, qui ea de re dubitarit, vel imperitus, vel proteruus, ne dicam insanus meritò dici queat: celebris est earum mẽtio apud Autores antiquos, & recentiores Christianos,& infideles: solùm verti in dubium potest quo spiritu afflatæ vaticinarentur: nam si vera sunt, quæ Titus Liuius refert lib.4. & 5.historiæ, Romanos ex libris Sibyllinis has, vel illas cæremonias, ritasq; superstitiosos instituisse, perspicuum est libros eos non fuisse editos Spiritus sancti instinctu: est enim spiritus veritatis, qui docere nequit mendacium. Ex altera verò parte tot proferuntur ipsarum testimonia de Deo, & Sacrosanctæ Trinitatis mysterio, de mysterio incarnationis,& alijs, quæ non nisi à Deo præsciri, ac prædici potuerunt. Verùm neq; hoc probat fuisse sanctas,& prophetissas à Deo semper inspiratas: nam etiam ex dæmonio habemus verissima oracula, vt patet ex ijs, quæ refert Eugubinus de perenn. philosophia lib.3. cap.14.15.16.& 17. & ita Diuus Thom. secunda secundæ quæst. 172.artic.6. Sibyllas inter vates dæmonum recenset, & Diuus August.lib.18. de Ciuitate Dei cap.23. non absolutè ait Sibyllas fuisse sanctas,& à Deo inspiratas: sed agit in particulari de ea, cuius ibi versus refert, siue ea Erythræa, siue Cumana fuerit, & ex eo quod in suis vaticinijs nihil habeat, quod ad cultum Deorum pertineat, quin verò contra eos loquatur, probabiliter colligit deputandam inter eos, qui pertinent ad Ciuitatem Dei. Ex quo constat certum non esse apud Augustinum vtrum Sibyllæ omnes Sanctæ,& Dei vates fuerint nec nè, sed in singulari dijudicandum ex cuiusque scriptis, tamen idem Diuus Thomas vbi suprà, & in 3.d.25.q.2.art.2. quæstiuncula 2. ad tertium censet aliquando ex diuina inspiratione locutas, idque confirmat autoritate Diui Augustini lib.13. contra Faustum cap. 15.sed Augustin. id non clarè docet, imò fortè oppositum ex eius dictis colligi potest: nam solùm ait vera quædam de Deo dixisse, nec tacere potuisse: easq; numerat cum alijs, quorum autoritatem ait non recipiendam Christianis, de quibus in fine concludit. *Quamobrem quantũ distat de Christi aduentu inter prædicationem Angelorum, & confessionem dæmoniorum, tantum inter autoritatem Prophetarum, & curiositatem sacrilegorum.* In expositione verò Epistolæ ad Romanos initio. *Fuerunt & prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sibylla dicitur,* quibus supponere videtur Sibyllam fuisse ex numero Prophetarum, qui Deinó fuerint: fuisse verò dæmonem per eas locutum asserit autor nomine Ambros. in caput secundum primæ ad Corinthios. Oppositum de Cumæa tradit Iustin. Martyr in cohortatione ad Græcos vbi, inter alia, *credite sicut dixi antiquissimæ, & priscæ admodum Sibyllæ, cuius libri in vniuerso extant orbe de ijs, qui dicuntur, non sunt autem, dijs, mirifico quodam præpotentis numinis afflatu sortibus vos datis docenti.* & Hierony. lib.1. contra Iouinian. antè finem autor est fuisse Virgines, ijsq; Deum ad Virginitatis commendationẽ vim futura prędicendi tribuisse. Isidor. 8.Etymolog.ca.8. vocat interpretes volũtatis diuinę, & Michael Medina lib.2.de recta in Deũ fide c. 9. dicit excepto Cicerone conuenire inter prophanos Autores, & Sanctos Patres afflatas fuisse diuino spiritu.

Titus Liuius.
Eugubinus.
S.Thom.
Augustin.
Ambros.
Iustin. Mart.
Hieronym.
Isidorus.
Medina

VIII.

Verùm siue illæ à Deo aliquando, siue solũ à dæmone instigatæ vaticinatæ fuerint quo ad vsum vaticiniorũ ipsarũ placet sententia D. Aug. loco citato contra Faustum asserentis ipsa valere ad paganorũ vanitatẽ reuincendam, non autem ad ipsorum autoritatẽ amplectẽdã, intellige tanquã certam, & infallibilem regulã veritatis. Posterior pars huius assertionis cõstat, quoniam incertum est, quo spiritu afflatæ vaticinatę

August.

sint:

sint: & quamuis diuino fuerint, nõ sunt ab Ecclesia ad eam autoritatem receptæ: & ita solam habẽt autoritatẽ probabilem. Prior autem constat in primis ex magna autoritate quam apud Gẽtiles habebant, vt patet apud Platonẽ in Theage, & in Phædro. M. Varronem in libris rerum diuinarum, & Plutarchum, q in libro *cur desierit Pythiametrice respõdere*, ait, quę ab ijs prænũciata sunt, sine diuinitate prædici minimè potuisse, & Heraclitus autore Clemente Alexandrino lib.1. stromatum initio dixit, eas nõ humanitus, sed diuinitus apparuisse. Itaq; cõmunis antiquorũ opinio erat Dei instinctu Sibyllas locutas fuisse: quas proindè volens describere Diodor. Sicul. lib.5. Bibliot. *Sibyllæ*, inquit, *sunt mulieres vates Deo plenæ*, atq; adeò Satyricus Poëta Saty.8. quasi certum omninò aliquid dicturus ita præfatus est, *credite me foliũ vobis recitare Sibyllæ*. Deindè suadetur ex maxima cõueniẽtia vaticiniorum ipsarum cum nostra fide, quã sparsim tangunt Patres citati, & de Erythręa fusius ostendit Eugub. deperenni philosop. lib.1. c.21. Tandem confirmatur ex nomine Sibylla, quod vt ait Isidor. lib.8. Etymol. c.8. interpretatur *mens Dei*: siue vt ait Lactan. lib.1. instit. c.6. ex Marco Varrone, *consiliũ Dei*, deindè eadẽ pars ostenditur ex vsu SS. Patrum frequẽter eorum testimonia vsurpantium, inprimis idem August. citato lib. de Ciuit. c.23. & concione ad Cathecumen. tom.6. Iustin. Martyr in oratione ad Græcos, Lactant. lib.4. Instit. c.15.17. & 18. Arnob. lib.1. cõtra Gent. Clemen. Roman. lib.5. Consti. Apostol. c.6. & quod caput est, si credimus, Clement. Alexan. lib.6. stromatum, inter medium & initium, etiã D. Paul. hoc loco vsus est, ita enim illum loquẽtem introducit, *libros quoq; Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura*, vndè verè dixit Petrus Blesensis intentiua in deprauatorẽ suorum operum, Ecclesiam Sibyllarum prophetias recipere, intelligẽs, vt probabilis autoritatis, non verè infallibilis. Ex quibus omnib. efficitur non esse ineptum argumentum ab ijs sumptum maximè ad gentes.

Plato. Varro. Plutarch. Heraclitus. Clem. Alex. Diodor. Sicul. Iuuenalis. Eugub. Isidor. Lactantius. Augustinus. Iustinus. Lactantius. Arnobius. Clem. Roma. Petrus Blesc.

Autoritas humana omnis fallibilis, nec vnius tantum sententia præbet certum, & irrefragabile argumentum.

CAPVT XI

I. POST autoritatem diuinã veram, & apparentem, sequitur autoritas humana, quam in plures locos diuisi. Verùm priusquã ad singulos descendam, explicabo quę sit ius humani testimonij, & quatenus singulis credendum. In primis autem certa fide, ac ratione constat hominis autoritatem non esse certum, & infallibile fundamentũ veritatis, quoniam *omnis homo mendax*. Ps. 115. cum enim neq; ad iudiciũ immobilis, nec ab errore immunis sit, eo ipso expositę est periculo dicendi falsũ siue exignorãtia, siue ex malitia. Ex quo sequitur certa apud oẽs cõclusio nẽpè nullius singularis hominis dictũ tantũ pondus autoritatis habere, vt absq; examine, & delectu, qa ipse dixit, ab alijs admitti nẽcessariò debeat. Quæ est sententia Patrum ingenuè affirmantium se solùm diuinis litẽris hunc honorẽ habere, vt quod dixerint, indubitãter recipiant, nõ itẽ cæteris autoribus, nẽpè, qui humano studio ac diligentia sunt in scribendo vsi. ita Hierony. Epist. ad Theophilum, aduersus errores Ioan. Hierosoly. *Scio* inquiens *me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdã, vt homines aberrare*, & Aug. lib.2. de Baptis. cõtra Donatist. ca.3. epist.19. & 111. quod de se ipso quoq; testatur, nõ vult enim sibi credi plusquã autoritas & ratio, quã adhibet, exigere videat, & ita cũ lib.2. de ordine c.9. dixisset humanã autoritatẽ plerũq; falli, c.10. ait nolle sibi credi, *nisi docenti, ac rationẽ reddẽti*. Ex eodẽ principio Patres suã fatentẽ imperitiam, vt Hierony. in ca.2. Micheæ, nec in ppria sentẽtia volunt esse pertinaces, vt idẽ in c.26. Ezechielis: & scripta sua, si quid falsi cõtineant, vel ipsi emendant, ac retractant, vt fecit August. lib. suarum retractationũ, vel alijs videnda, & examinanda cõmittunt, vt Gregorius Nazianz. in opuscul. contra Arianos: vel emẽdaturos se fatẽtur, si repererint, vt D. Hierony. to.2. Epist. ad Tesiphontem aduersus Pelagianos in fine; atq; adeò licet salua fide, & absq; vllo præiudicio veritatis à quouis Autore humano dissentiri: nam hoc ipso, quo singularis est, minùs autoritatis vendicat.

Hieronym. *Psal. 115.* *Hieronym.* *Augustin.* *Hieronym.* *Augustin.* *Nazianz.* *Hieronym.*

II. Id verò locum habet in quouis rerũ genere & materia, & de quouis Autorũ ordine, siue. u. antiquos sapientes, quos vel magos, vel Theologos Antiq. appellãt, siue ijs posteriores Philosophos cõsiderem; Nullus omninò est, vt ostẽdit Can. li.10. de locis c.5. q in errores aliquos nõ incurrerit: nullus quẽ posteri oẽs secuti fuerint. Quin verò ipsi eorũ discipuli plurimas sententias Magistrorũ vel correxerũt, vel antiquarũt: sic Socrat. Plato, sic Platonis placita deseruit Arist. sic vtriusq; discipuli in multis ab eorũ sentẽtia discesserunt, reseruabat nimirũ Deus hoc Catholicæ fidei, & Scripturæ sacræ priuilegium, vt eadẽ semper synce-

Canus.

ra, at-

ra, atque illibata ad posteros peruenireț. Eadem verò ratio ex parte militat in Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ : vt docet Franciscus Horant. lib. 5. de locis cathol. cap.3. quos licet spiritus gratiæ plerumque illuminauerit, tamen, vt homines esse appareret, nonnunquam etiam dormitauerunt , & in errores aliquos inciderunt: quemadmodum Victorin. Lactantij, & Iren. qui cum milienarijs censerunt, vt autor est Hieronym. in proœmio in lib.18. commentar. in Esaiam, Cyprian. qui redeuntes ab hæresi rebaptizãdos putauit: quin & ipse Augustin. maximum Ecclesiæ lumen initio, cùm in sacris literis non adeò versatus esset, fidem ex nobis esse censuit, quę posteà errorem agnouit & retractauit, lib. 1. Retract. ca.23. longum esset singulorũ lapsus referre, plures tacito nomine recenset Can. lib.7. de locis cap.3. ex quo facilè conuincitur, nec ex Patribus singulos habere certam autoritatem. Iam verò si de Doctoribus scholasticis sermo sit, id multo verius dici potest; nam hi, cùm recentiores sint, vt plurimum non habent tantam autoritatem, quantam Patres antiquitate, doctrina, & sanctitate venerabiles, atq; adeò si absq; vllo præiudicio singularis alicuius patris sententia potest nõ admitti, multò magis hoc licebit in Doctoribus scholasticis. Quod dictum nõ alia, quam cõmunis vsus , & experientiæ probatione indiget: nullus enim est inter scholasticos Doctores, quem schola omnis Theologica sequatur. Nam Magister quidem ꝓpter antiquitatẽ, & quia viam reliquis aperuit, suã habet autoritatem. Sed non irrefragabilem quia in nõnullis errauit, vt in materia de gratia, & charitate, quã in 1. dist.17. non putauit esse donum infusum, sed ipsum donum increatum, ipsam spiritus diuini personã; ex alijs verò extiterunt aliqui præstanti ingenio, & doctrina viri, qui meruerunt habere ꝓprios sectatores, nõ tamẽ vniuersam Theologiæ scholam ad se traxerunt, sed singuli suos habent asseclas. Ex quo planè colligit̃ institutum: nam si sub norma fidei ex oppositis scholis licet hanc, vel illã viam sequi nullus profectò autor scholasticus tãtæ autoritatis est, vt ab eo non liceat discedere. Eadem quoq; ratio militat in iuris peritis, qui in rebus ad Theologiam, & sacramẽta spectantibus interdũ labũtur, vt videre est in eo quod asserit Hostiẽs. in summa titulo de Sacramentis nõ iterandis nu.7. & Glossa cap. *Quidquid in visibilis.* 1.q.1. nempè ꝓ Matrimoniũ gratiã non dari, & tamẽ in Cõcil. Tridẽ. sess.24. Can.1. decernitur matrimonium esse verè, ac propriè sacramentum, & gratiã conferre. Item Panormit. in ca. *omnis vtriusq;* de pœnitẽtijs, ac remissionib⁹. & in c. *in pœnitentia* de pœnitentia dist. 5. dixit sacrã confessionẽ institutã autoritate Christi ab Apostolis, vel autoritate Spiritus S. vniuersalis Ecclesiæ traditiõe, aut Cõcilij vniuersalis decreto, & tamẽ eod. concilio sess. 14. cap. 5. dicitur à Christo institutam fuisse.

Horantius. *Hieronym.* *Augustin.* *Canus.* *Hostiens.* *Glossa.* *Concil. Trid.* *Panormitan.* *Concil. Trid.*

III.

Ex quo colligitur nullo fundamento niti abusum, ne dicam insolentiã multorũ, q ita Doctoris vnius sentẽtiæ addicti sunt, vt eã quasi fidei diffinitionẽ, vel illi proximã sequantẽ, & cõtrariæ assertores quasi violatæ fidei reos traducant. Ego sanè Doctores pios, & graues ita venerandos puto, ita ipsorũ sententias accipiendas, vt nõ ipsis nihil ampliùs, quã hominib. tribuatur: cuius rei exemplũ ipsi nobis reliquerũt, q maiorũ suorum dicta, vt hominum sententias, non vt diuini spiritus effata tuebantur: & si quãdo opus erat, modestè reijciebant. Qua in re mirabilis sanè, & digna, quã oẽs imitemur, fuit prudentia, ac modestia D. Tho. Aquin. Iam hac ipsa de re scriptores alij conquesti sunt. Castr. lib.1. aduersus hæreses c.7. Can. lib.8. de locis c.4. cõclus.1. & lib.12. c.1. post Victoriã quẽ refert, & Bannes 1.p.q.1.ar.8. dubio vltimo, conclu.1. Quin verò Durãd. in primo prologo sententiarũ meritò ait, hoc modo iniuriã fieri Ecclesiæ, & Theologiæ: illi, quia vnius hominis quantumuis docti, & sancti, hominis tamẽ, atq; adeò fallibilis scripta, quasi norma, & mensura veritatis statuuntur: Theologię verò, quoniã eius progressus, & augmẽtũ oppositio vallo intercluditur. Itaq; in nullius hominis singularis verba iurãdum est, ꝓ nullius dictis omnibus, ac sententijs tanquam pro aris, ac focis Ecclesię pugnandũ: nec ęgrè ferendũ, si sub eadem fidei norma Doctoris alicuius dicta vel impugnentur, vel nõ recipiantur ab alijs. Cuius rei illustre exẽplũ nobis reliquit Aug. vt videre est Epistol. 7. nam cum Marcellin. ad quẽ scribit, ęgrè ferret scripta D. Aug. à nonnullis carpi, respondet se ex eorum numero esse, q proficiendo scribãt, & scribendo proficiant, & ideò si ab alijs in eius libris notetur aliquid incautius, vel indoctius scriptum, nõ dolendum, sed potius gratulandũ, & paulò post cõuertẽs orationẽ ad amicos, q eius causa dolebant, sic eos alloquit: *Vos autẽ, qui me multũ diligitis, si talẽ me asseritis aduersus eos, quorũ malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, vt me nusquã scriptorũ meorũ errasse dicatis, frustra laboratis: nõ bonã causam suscepistis: facilè in ea me ipso iudice superamini, quoniam non mihi placet , cùm à charissimis meis talis esse existimor , qualis non sum.* Et paulò post expẽdens dictũ illud de

Castr. *Canus.* *Victoria.* *Bannes.* *Durand.* *Augustinus.*

Cicero-

Cicerone, quod nullū verbū emisit, quod reuocare vellet, subdit-*quæ quidem laus, quāuis præclarissima videatur, credibilior est de nimium fatuo: quā de sapiente perfecto;* & id, ait, si cuipiam accidit, nō nisi sanctis Dei, qui Spiritu sancto acti locuti sunt, accidisse, cæteros, qui id non sunt assecuti, tenere saltem debere secundas modestiæ partes, quia nō possunt primas habere sapiētiæ, quod sanè consilium non magis necessarium est ipsis scriptoribus, quā eorū sectatoribus, ne discrucientur animo, & modestiæ cancellos prætergrediātur, si qua in re magistrorum suorū sententia non probetur: nam, vt nullus est scriptor, cui multi non contradicāt: & cōsequēter nullus erit, cui absq; delectu, & examine intellectū captiuare debeamus, sed in singulorū lectione seruandū Concilii Apost. 1. ad Thess. 5. *omnia probate, quod bonū est tenete:* quod intelligendū est de singulis scriptorib. humanis, siue Philosophi, siue Theologi sint, quin verò etiā de sanctis Patribus. hoc ipsum aiunt citati Doctores.

IV. Quamuis hæc ita sint, nō est negandū esse aliquos tāta apud homines autoritate, siue propter antiquitatē, siue propter doctrinā, & conceptā omniū de ipsa existimatiōem, vt ferè omnes eorum sentētiā recipant, etsi quid in eis minùs placet, nō simpliciter negare audeant, sed interpretentur. Hanc in reb. Philosophicis autoritatē habet Aristoteles: nā quāuis antiqui Patres pluris fecisse videātur Platonis doctrinā, quoniā quoad dogmata, plusquam Aristoteles ad fidē nostram accedere videretur, & quāuis nō desint Philosophi Platonici, qui ab Aristotele dissentiāt, tamē schola omnis Theologica, quantū attinet ad naturaliū rerum scientiā, doctrinam Aristotelicam supponit. Inter Patres aūt summā in reb. Theologicis autoritatē habet Dionys. Areopag. cuius dicta omnes venerantur, nec vllus negare audet: hanc candē quondam habuisse videntur Athanas. & Gregor. Nazianz. quorum dictis nullum nunquā calumniam inferre ausum fuisse testatur D. Thom. 1. p. q. 61. artic. 3. in corpore, post Hieronymum, quem citat. Meritò autē ad eundem apicem euectus est D. Augustt. excellens Theologiæ lumen, & Theologorū omnium magister, cuius autoritas est instar multorum. Ex Doctoribus autē Scholasticis nullus est, qui ad eum gradum autoritatis ascenderit: nam quamuis D. Thomas Aquinas illustrissimi ordinis Dominicani decus eximium, & clarissimū Ecclesiæ lumen inter cæteros eminere videatur, nō tamen aliarum familiarū sectatores verentur eius opinionē reijcere. Hoc tamen est verum, eius autoritatem sat esse ad argumentum probabile, quod etiam de insignibus alijs Doctoribus dicendum est iuxta doctrinam Aristot. lib. 1. Topic. ca. 9. *Aristot.* qui problema dialecticum cōstituit, etiam ex opinione vnius sapientis eximij, nisi sit absurda: consentit D. Thomas quodlib. 3. *S. Thom.* q. 4. art. 10. asserens vnūquemq; posse absq; periculo sequi opinionem sui Magistri, nisi sit erronea, & ab Ecclesia reprobata, hīc enim locūm habet dictum Augustt. lib. 3. de *Augustinus.* doctrina Christiana relati ibidē à D. Thoma nimirum consulendam esse regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ autoritate percepimus, à qua, si Doctoris grauis sententia nō discrepat, probabile præbet argumentum.

Hæc intelligenda sunt de sentētia negatiuè singulari alicuius Doctoris, cui cæteri non contradicunt, nec assentiuntur, quia fortè ea de re non sunt locuti: si autē sit singularis contrariè, quam cæteri omnes reijciunt, parū, vel nihil probabilitatis afferre potest ex vi solius autoritatis, nisi efficaci ratione fulciatur, quæ si desit, nō erit probabile, quod ab omniū sententia abhorret, etsi vni placeat: hīc enim verè locum habet antiqua parœmia, *dictū vnius dictū nullius.* Nec Theologo facienda vis est in vnius autoritate de re, quā omnes falsam iudicant, qualis est sententia Autoris cuiusdam lib. quæ- *Autor quæst.* stionum veteris, ac noui testamenti inter opera D. Augustt. q. 109. opinantis Melchisedech. fuisse Spiritum sanctū quā D. Hie- *Hieronym.* ron. in Epist. ad Euagrium, & alij cōmuniter reijciunt, qualis sententia Tertull. lib. 3. *Tertullian.* aduersus Marcion. c. 9. & 11. de vera assumptione corporum ab Angelis in veteri testamento, quæ cōmuniter exploditur: quales etiā ex scholasticis referri poterant, sed omittendæ sunt, ne detur offensioni locus.

VI. Hæc vera sunt de singulis Autoribus ratione autoritatis, quā ex humano studio, ac doctrina sibi vendicant. Quid dicēdum, si aliqui ipsorum approbationē habeant ab Ecclesia? Eorūnè doctrina præbebit omninò certum argumentum Theologo? affirmatiuè respōdet Glos. cap. *Noli*, d. 9. nam *Glossa* cum Aug. ex quo caput illud desumptū est, ingenuè fateat nolle se, vt suis scriptis, quasi Canonicis credatur, & nō recusare correctorē, Glossa ait, id esse intelligendū, p tempore prēcedente approbationē Gelasij, quo nōdum eius scripta erāt autētica, modo verò post illā tenēda esse vsq; ad vltimū iota: Pro qua sententia adduci etiā potest Cōcil. *Concil. Late.* Lateranen. secundū, consultatione quin- vbi sic habetur ex quinta Synodo generali: *Super his omnib. sequimur sanctos Patres, Doctoresq; Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium,*

Grego-

Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssanen-sem, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem Proclum, & suscipimus omnia, quæ ab eis pro recta fide, & in condemnatione hæreticorum exposita sunt, suscipimus autem & alios sanctos, & orthodoxos Patres, qui in Sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsq; ad finem prædicauerunt. Et Martinus primus ibidē subdit: *Manifestatur nobis ex his, quæ relata sunt, siue definita à Sancto vestro Concilio, condemnatum & alienum Sanctæ Dei Ecclesiæ vnumquemque, qui non fuerit ausus verbo, & mente omnes sanctas Synodos, & venerabiles Patres, cunctaque, quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum.* similia habētur in sexta Synodo, vbi ita dicitur, *consentit sanè in omnibus, sanctisq; Patrib', & Doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ Athanasio, Hilario, Basilio, Augustino, Theophilo, Cyrillo, Ioanni Constantinopolitano, Leoni, Proclo, cunctaq; eorum scripta de recta fide, & ad hæreticorum damnationem recipimus.* Ex quibus pro sententia affirmatiua colligi potest efficax argumentum: cui videtur fauere ratio: nam autoritas Ecclesiæ est infallibilis, atq; ideò nō potest errare in approbatione, vel reprobatione doctrinæ ad fidem & mores pertinentis: si verò in scriptis Doctorum, quos approbat, aliquid erroneū contineretur, ipsa erraret: nihil ergò in illis falsum est: atque adeò sumi ex ipsis potest argumentum infallibile.

Martin. I.

Sexta Synod.

VII. Oppositum sentiunt Canus lib.7.de locis cap.3. Castr.lib.1.aduersus hæreses ca.7. Franciscus Horantius lib.5. locorū Catholic.cap.2.&3. Palat.quæst.8.prologi,&alij, & vsū ipso compertū est. Nemo enim notatur tāquam hæreticus, aut temerarius eo quod in vna, vel altera re deserat sententiam singularem, vel etiam nōnullorum ex Patribus, qui approbati sunt ab Ecclesia, cap. *Sancta Romana*, distin.15. vel in Concilijs generalibus tāquam probabiles Doctores, ac Patres Ecclesiæ commēdati sunt. Huic dubio vt satisfiat, præmittenda est distinctio approbationis, siue modi approbandi Doctores. Etenim Ecclesia dupliciter approbare alicuius Autoris doctrinā solet: nēpè vel in particulari aliqua fidei, aut morum controuersia, vel in vniuersum cōmendādo sanitatem doctrinæ ipsius, tanquā Doctoris pij, & Catholici. Rursus cum probat in particulari, aut id facit diffiniendo, aut solūm probabiliter iudicando.

Can.
Castr.
Horantius.
Palatius.

VIII. Dico primum. Quoties Ecclesia in particulari diffiniendo approbat doctrinā alicuius Sancti, ea præbet infallibile argumētum Theologo; hæc à nullo Catholico negatur: nam tunc sententia S. Patris coincidit cum doctrina Ecclesiæ, atq; adeò habet infallibilem autoritatem; nō quia ab vno, vel altero Doctore tradita, sed quia Ecclesiæ decreto confirmata est. hac ratione dicta Sanctorū in antiquis Cōcilijs approbata in fidei decretis infallibilē autoritatē habent.

IX. Dico secundum. Quoties sententia Doctoris in particulari approbat ab Ecclesia nō diffiniente, sed probabilius eligente, nō habet infallibilem autoritatē, sed maximè probabilem. Hæc per se patet, quoniā quādiu Ecclesia non diffinit rem, quę alioquin in opinione versatur, nō est vnde sumatur autoritas infallibilis, quia verò non est autoritas humana maior, quam Ecclesiæ, id, quod ab ipsa, vt probabilius eligit, est maximè probabile, qua ratiōe opinio scholasticorum asserentium in sacrosancto Eucharistię sacramento aquam simul cū vino conuerti in sanguinē Christi, approbata ab Innocētio 3. cap. *Cum Marthæ* de celebratione Missarum, nō habet autoritatem fidei, quia non tanquam in fide certa, sed vt magis probabilis electa est à Pontifice.

Innocent.

X. Dico tertium. Quando nihil in particulari decernendo, sed tantum per verba generalia Doctoris alicuius doctrina recipitur, aut ꝓbatur, habet ex hac approbatione magnam prærogatiuam probabilitatis, nō tamē infallibilē certitudinem veritatis, hęc est de mente Castr. Can. & Horātij. Probat quoniam mens approbantis nō est cōferre doctrinæ eius autoritatem fidei, sed maiorē quandam suprà Doctores alios autoritatē: hoc modo cap. *Sancta Romana*, dist.15. Gelasius Papa cōmendat doctrinā Augustini, & aliorum Doctorum sacrorum, nec tamē idcircò Christiani astringūtur fide tenere quidquid sensit Aug. etiā in sacræ Scripturæ, & dogmatū explicatione, qua in re ipse non semel ab alijs Patribus eiusdem notæ & autoritatis, salua fidei vnitate dissensit: quod de Augustino dico, intelligi etiā debet de quouis alio Doctore sacro, vel scholastico: cuius doctrina generali quadā Ecclesiæ cōmendatione fuerit approbata: aliud enim est approbare aliquē tanquā scriptorē sacrum, & Canonicū, aliud tanquam Doctorē catholicū: prior approbandi modus testificat scriptis quoad omnia & singula ineſſe diuinā autoritatē: posterior verò minimè, sed intra limites Doctoris humani, quē interdum labi nō repugnat, cōmendat doctrinę sanitatē, & integritatem. Et confirmatur quoniam nō aliter ꝓ hanc cōmunem approbationē cōmēdatur eiusmodi doctrina, quam reprobantur scripta quorundam aliorū, verbi gratia Clement.

Gelasius.

Alex

Alex.& Tertul.& Orig.sed horum scripta nõ omninò repudiantur,aut tanquam hæretica damnantur omnia in illis contenta, sed nonnulla, &ideò ipsorum lectio cũ delectu Christianis permittitur:atq; adeò nõ raro à Catholicis leguntur, vt de se fatetur D.Hieron.in quadã Epist.ad Vigilantium: ergò similiter scripta Patrũ per verba generalia approbata non sortiuntur ex ea approbatione infallibilẽ autoritatẽ quoad omnia,sed prærogatiuã quandã inter cæteros.

Hieronym.

XI. Ex his facilè respondetur vtriusq; sentẽtiæ fundamentis.& primum ad cap. *Sancta Romana*,dico ibi solũ recipi doctrinã quorundam Patrum generali quadã approbatione,&ideò non sequi sententias ipsorum in omnib. habere fidei autoritatẽ:sola verò Epistola Leonis Papæ ad Flauianum cõtra hæresim Eutychetis,approbatur enim quo ad vltimum iota:& ideò ex particulari hac approbatione habet infallibilem autoritatem,cęterorum verò Patrum doctrina nõ ita in particulari approbatur,& quia Glossator,vt notat Castr.hoc discrimen nõ aduertit,verba illa vltima,quę ad solam Epistolam Leonis referuntur,ad omnes Patres suprà numeratos referẽda putauit;Deindè tã in quinta, quã in sexta Synodo generali non est approbatio vniuersalis,quoad omnia prorsus,quę in Patrũ eorũ scriptis continẽtur:sed solum quoad ea,quæ pro recta fide,& in cõdemnationem hæresum dicta sunt,vt patet ex vtriusq; Synodi verbis,& ex dictis Martini Papæ sumptis ex Cõcilio Later.2.act.5.atq; adeò, si fortè aliqs ipsorũ Patrũ tanquã homo,quoad aliq̃d minùs congruè locutus fuerit, vel de alijs rebus, quam de dogmatibus aut hæresum impugnatione differuerit, non astringimur ad ipsum sequendum:quandoquidem ea non sunt exposita pro recta fide:Præterea ex eiusmodi approbatione nõ omninò cõstat, an sermo sit de omnib.sanctis Patribus singulatim sumptis, cùm sermo sit in plurali numero,& autoritas solùm vnius,vel alterius non sit eius momenti,vt qui illam non recipiat,eo ipso sit alienus ab Ecclesia,scio olim eos,qui autoritatem Cyril. Alex.nõ reciperent,anathemate dãnatos in cõcilijs. Verum ea receptio erat solùm quoad capitula cõtra Nestorium approbata in primo Concil.Ephesino,& Chalcedonẽsi,nõ verò quoad omnia eiꝰ scripta, sed solùm quo ad determinatum dogma de vna hypostasi,&duabus naturis Christi Domini. Ad rationẽ dico Ecclesiam,quando Catholicorũ Patrũ doctrinã generaliter approbat, nihil diffinire,neq; tanquam in omnibus de fide certam,sed solùm tanquam cõmuniter sanam & Catholicam fidelibus proponere,& ideò quamuis in particulari sint multa solũ probabilia, & nonnulla etiã falsa,nõ errare,quia in laudatis etiam autorib. humanis moraliter loquendo semper aliquid eiusmodi reperitur:& hoc ipso quo nõ approbãtur in particulari tanquã dogmata fidei, relinquitur locus humanis lapsibus. Argumentum oppositæ sententiæ probat secundam,ac tertiam assertionem, nec primam oppugnat,vt per se patet.

Castro.

Quinam Autores vsurpandi Theologo.

Caput XII

CVm fundamentum autoritatis sit bonitas,ac scientiã, consequens est apud Theologum antiquiorẽ debere esse autoritatem eorũ, qui sanctitate,ac sciẽtia præstant iuxta sentẽtiam Aug. lib.2. de ordine cap.9.nam cum dixisset humanã autoritatẽ plerumq; falli,subiungit,*in eis tamen videtur excellere,qui,quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, & non aliter viuunt,quam viuẽdum esse præcipiunt*,hoc secundum est signum bonitatis,illud prius sapiẽtiæ. Ex quo principio duo sequuntur: alterum est vnicuiq; credendum magis in ijs, quæ spectant ad propriam facultatem, quam in ijs,quę ad alienam:peritis enim in quauis arte credendũ: siquidem iuxta communes regulas sapiẽtiores sunt, qui rem ex professo tractant,quã qui quasi aliud agentes,&per transennã,vt aiunt,in eam intendunt. Alterum est in ijs, quæ ad religionẽ, ac mores pertinent,credẽdum potius viris ꝓbis, studiosisq; virtutũ,quam flagitiosis, & qui gloriam perituram sectantur. Dixi in ijs,quæ ad religionem,& mores spectãt: quoniam cum hæc maximè pendeant ex animi affectu, & vnusquisq; iudicet, pro vt est affectus, fieri potest, vt impediatur rectum iudiciũ,& obcæcetur intellectus,sicut contigit Philosophis de quibus loquitur Paul.ad Rom.1. Deindè verò etsi cũ prauitate animi perseueret iudiciũ certum, peruerti ex eadem potest testimonium, ita vt aliter,ac sentit aliquis loquatur, ac scribat, vt contigit nonnullis Philosophis,qui cum in vniꝰ Dei agnitionem veniissent,nè tamẽ in populorũ offensionem incurrerent, veritatem eam celabant,idolorum cultui cõniuebãt,imò ipsi etiam operam dabant: vt videre est in Marco Tull.nã cum in libris de natura deorum ad agnitionem Dei peruenissẽt, nõ tamen est ausus deorũ cultum reprobare,sed retinendũ censet,ac monet.

I.

Augustin.

ad Rom.1.

Marc. Tull.

II. Vt autem ex his duob. fundamentis colligã, queisnam autorib. in singulis materijs maiorem fidem habere Theologus debeat priùs in vniuersum statuere oportet, quot nã sint eorũ genera, sunt aũt sex, nimirum antiqui sapientes, ac Philosophi: Rabbini Iudęorũ: & ex Christianis primi sunt, quos honoris causa Patres appellamus, q. sanctitate, antiquitate atq; doctrina, primã habẽt inter cæteros autoritatis prærogatiuã, deinde sequũtur Theologi Scholastici, siue illi theoreticam, siue positiuam Theologiam tractent: tertio loco sunt sacrarum literarũ interpretes, maximè recentiores: nã antiquorũ pleriq; inter Patres numerantur, ad hoc etiã genus reduci possunt ij, q. mysticã, & spiritualẽ Theologiæ partẽ sectãtur. Vltimi sunt iuris periti, qui vel in leges Ecclesiasticas cõmẽtarios ediderunt, vel „pprios de singularib. materijs cõposuêre tractat⁹.

III. Ex his omnib. sumunt Theologi argumentum: nam Theologia supponit Philosophiã, eaq; tãquã ancilla vtitur, & ad eundẽ finẽ Philosophorũ sententias vniuersaliter vsurpat. Vndè Basil. tract. de fide circa prin. *Basilius.* cipiũ, *quousq;* inquit, *contra insurgentes quidẽ pro tẽpore hæreses pugnandum fuit, sequutus matores nostros consentaneũ putau, & congruũ varietati superseminatæ à diabolo impietatis cõtrarijs vocib. coercere, aut etiã subuertere subinduãtas blasphemias alijs atq; alijs, iuxta quod labotrantiũ necessitas exigebat: illisq; sæpènumero agraphis quidẽ, verũ non alienis à pia secundũ scripturã sententia: quemadmodũ igitur & Apostolus plerumq; fecit gentilib. veris vti nõ detrectauit ad propriũ scopum,* id ex SS. Patrum consuetudine fusius ostendit Can. lib. 10. de locis ca. 3. *Can.* At Rabbinorũ, maximè recẽtiorum, autoritas, quoad dogmata fidei, & expositionẽ scripturarum nulla ferè apud Theologos esse debet: cũ obcæcatum habeãt intellectũ alienati à fide, ac luce veritatis, ideoq; potius inanes quasdã fabulas, quam veritatem *1. ad Thes. 2.* cõsectentur. Et teste Apost. 1. ad Thessal. 2. Dominum Iesum Christum occiderunt & Apostolos, imò ipsam veritatem persecuti *2. ad Cor. 3.* sunt, & 2. ad Corint. 3. *Vsq; in hodiernũ diem, cũ legitur Moyses, velamen positum est super cor eorũ*; quod fusius prosequitur Michael Medina lib. 7. de recta in Deũ fide c. 14. Driedo lib. 2. de scripturis c. 3. & ex Nazianzeno in apologetico probat Salmeron prologomeno 9. Canon. 17. Quoad Philosophica verò, moralia, & linguę hebraicę peritiam adhiberi interdũ possunt testimonia ipsorũ, præsertim antiquorũ: vt videmus apud D. Thomam, & alios Theologos vsurpari, quod frequentius fit à sacrarum literarum interpretib⁹, quantum attinet ad gramaticalẽ literę expositionẽ: qua in re non cõtemnendam habent autoritatem, cùm sciamus D. Hierony. eorum opera, & magisterio vsum ad traductionem sacrarum literarum.

Medina Driedo Nazianz. Salmeron.

IV. Ex Christianis aũtẽ Patres, Theologos Scholasticos, & sacrarũ literarum interpretes adhiberi posse ad Theologicas quæstiones elucidãdas perspicuum est, & ipsa nos docet antiquitas, & vsus. Etenim D. Aug. in lib. contra Iulianũ hęreticum Pelagianũ pluribus vtitur testimonijs Sanctorum Patrum, etiam sui temporis: nec erubuit Hieronymus aliorum referre placita: nõ Fulgẽtius & Prosper, Augustini sequi vestigia: & ne singulorũ exemplis vtar, ipsa cõcilia vniuersalia in reb. fidei expendẽdis, ac decernẽdis magnã SS. Patrum habuêre rationem. Pontifices aut Romani de ijsdẽ reb. consulti, de Theologorũ sententia respondent, vt patet cap. *Maiores* de Baptismo, & eius effectu cap. *Cũ Marthæ* de celebratione Missarum. Interpretes aũt sacrarũ literarũ Theologi ipsi cõsulunt, cum dubiũ incidit de sensu literali scripturæ, ex qua dogma fidei, aut conclusio Theologica dependet. Quod verò attinet ad mysticos Theologos, quos vocant, si aliqua interserãt, ex qb. conclusio Theologica corroborari queat, afferri possunt in testimonium pro cuiusq; autoritate, & doctrina: Verùm, quatenus Symbolicè tantum Philosophãtur; eorum ad quęstiones decidendas nõ prodest autoritas: quoniã Theologia Symbolica, vt ait Dionys. Magnus in Epist. ad Titum, nõ est *Magn. Dion.* argumentati: uasolùm restant iurisperiti, de quibus esse potest aliqua controuersia. Etenim D. Tho. opusc. 17. c. 13. incongruũ, *S. Thom.* imò, vt verbis eius vtar, dirisibile iudicat sacræ Theologiæ professores iurisdictarũ glossulas in authoritatẽ inducere, ac de ijs disceptare, & quod lib. 11. ar. 9. ad primum ait iuris peritos frequẽter errare, quia sequuntur potiꝰ ius humanum, quã diuinum. Pro qua sententia facit ratio, quam indicat sanctus Doctor, quoniã Theologi sunt interpretes iuris diuini habentes pro mensura, ac principio suæ sententiæ veritatem fidei infallibilẽ, & lumen rationis naturalis, quę duo principia sunt superiora omni iure humano, quo agunt iuris periti: ergò indignum est vt Theologus eorum authoritatem curet. Verùm & ipse D. Thomas interdum, & cæteri Theologi, maximè recentiores, iuris peritorum testimonijs vti consuerunt: ideoq; non est prorsus à Theologo alienum eorum authoritate niti: vt probat Can. lib. 10. de locis ca. 8. Est tamen *Can.* vtendum distinctione, ac moderatione: nimirum vt ad res, quæ solùm pẽdent ex iure

diuino,

diuino, siue naturali, siue positiuo, maximè in ijs, quæ pertinent ad speculatiuã Theologiam, eorum authoritas nequaquam adhibenda, aut curanda sit. & in hoc sensu accipiẽdus est D. Thomas vbi suprà; maximè verò ad ea, quæ pendent ex iure Ciuili, aut Ecclesiastico, cuius ipsi interpretes & consulti sunt.

V. Ex dictis colligitur in ijs, quæ ad fidem, & mores spectant, Patres habere primum locũ authoritatis vtraq; de causa superiùs assignata, nimirum quia proprium ipsorũ studium, ac scientia in eo potissimũ genere versata est, & quia sanctissimi fuerunt. Post hos sequuntur Theologi scholastici, & alij ex authorib. Christianis, qui in eo ipso studio operam diligẽter nauarunt, & pietatis gloria floruerunt, extremo vix loco hærẽt philosophi, & sapientes antiqui, à vera religione alieni: nam quamuis aliquid veri ad fidem nostram pertinens suis operibus immisceant, multa continent falsa, & idolorũ cultũ dictis, vel factis approbarunt, & ideò vt ait D. Augustinus. lib. 13. cõtra Faustum Manich. c. 15. *Si quid de filio Dei, aut de Patre Deo vera dixisse perhibẽtur, valet quidem aliquid ad paganorum vanitatẽ reuincendam, non tamen ad istorum authoritatem amplectendam, cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos gentiles populos ad idola & dæmonia colẽda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt,* vbi prostringit causam, cur apud nos nõ sint plena fide digni, nempè defectum virtutis, addi etiam potest & altera, scilicet ignorantia rerum supernaturalium, & mysteriorũ diuinorũ, in qua versabantur. Vtiliter tamen interdũ possunt, & solent adhiberi, vt ex doctrina Hieronym. & Chrysost. probat Henri. in summa ar. 7. q. 9. E contra verò, quod attinet ad philosophiã naturalẽ, pluris faciẽda est authoritas philosophorum, quã omniũ reliquorũ. Et in primis quoad Patres asseritur à D. Thom. in 2. dist. 14. q. vnica ar. 2. ad primum qui vult quo ad hæc nõ maiorem authoritatem deberi Patribus, quã sit authoritas philosophorum, quorum dicta vsurpant: quoad Theologos cõstat ex vsu: nam cuncti maiori ex parte supponunt ex Philosophia ea, quæ ad naturam spectant, & authoritates Aristotelis ea de re nequaquam reijciunt, sed interpretantur: idemq; vsu venit, quoties in cõtentionẽ venit quæstio philosophica, plerunq; n. philosophorũ placita pferũtur dictis quorũlibet aliorum sapiẽtum. Et ratio est in promptu qua vtitur Canus lib. 7. de locis c. 3. nu. 1. & Bannes 1. p. q. 1. a. 8. dubio 5. concluſ. 1. quoniã Patres antiqui magis attendebant studio sacrarum literarum, quam philosophiæ: atq; adeò non poterant in rerũ naturis perscrutandis vsq; adeò proficere, vt tãtam earum scientiam acquirere potuerint, quantã philosophi longo studio, & cõmentatione cõpararunt. Eodem ferè argumento eadem pars de Theologis scholasticis suaderi potest: nam licet ij boni Theologi esse nequeant, nisi priùs firma philosophiæ fundamẽta iecerint, non tamen æquale studiũ in ea re collocant, ac philosophi: ac propterea nec tãtam, ac illi authoritatem habent. Hæc tamen doctrina sumẽda est cum exceptione: nimirum nisi sit circa rem naturalem, quæ alioquin cõcernat fidem, aut sit ex illo genere rerum, quæ nõ ex Philosophiæ, sed ex fidei principijs primùm innotuerũt; exempli causa immortalitas animæ rationalis est res p veram Philosophiam demõstrabilis, & simul pertinet ad fidẽ: ideoq; quãuis maior pars Philosophorum, vel omnes simul affererẽt non esse rationes naturales, quib. hoc demonstretur, prẽferenda est authoritas Patrũ ac Theologorum, q demõstrari posse dicunt. Itẽ differentia suppositi à natura, possibilitas vt accidens existat extra subiectum, & alia id genus, nõ ex principijs Philosophiæ, sed ex fide primùm innotuerunt: ideoq; quoad hæc pluris facienda est assertio Patrum, ac Theologorum, quam Philosophorum.

VI. Ex hac doctrina duo colliguntur, alterũ est, quãdo ex vna prẽmissa de fide & altera Philosophica, de qua est inter Philosophos Theologosq; dissensio, deducit conclusio, ratione huius non esse adeò certam, quam foret, si quoad naturalem Philosophi etiã cõsentirent: quotiescunq; enim licet dubitare de præmissa, propter cuius veritatem asseritur conclusio, de hac etiam dubitare licet: atq; adeò, si Theologi ex vi illius sententiæ, de qua Philosophi dubitant, cõclusionẽ aliquã tenent, illa non erit ex hoc capite infallibilis: exempli causa Theologi cõmuniter asserunt aquam permistã vino consecrando cõuerti in vinum antè prolationẽ formæ: de hoc dubitant, imò oppositũ sentiunt physici, vt ait Summus Põtifex citato capite *Cum Marthæ*: ideò qui cũ physicis tenuerit conuersionem substantialem aquæ in vinũ non tam cito fieri posse, ex eo principio, vel discursu, nõ cogetur asserere aquã conuerti in sanguinem: quamuis alioquin quia Pontifex hanc opinionẽ, vt probabiliorem refert, eam defendere debeat. Alterum est, si cõclusio nõ pendeat ex Philosophia, sed ex fide, quantumlibet circa eius materiam philosophi dubitent, nõ esse curandam ipsorum authoritatẽ, sed potiùs

Augustinus. *Henricus.* *D. Thom.* *Can. Bannes.*

Theologorum fundatam in regula fidei, verbi gratia, vinum vitis esse propriã materiam calicis, definitum est in Cõcilio Florentino, & ideò siue Philosophi dicant vina ex alijs rebus facta esse eiusdem speciei cum vino vitis, siue huius esse plures species, non est curandum, sed persistendum in veritate Theologica: nempè quod omne, ac solum vinum vitis ad consecrationem adhiberi validè ac licitè possit.

Concil. Flor.

VII. In rebus autẽ purè Theologicis præstat authoritas Theologorum, sicut & iuris peritorum in ijs qui pẽdent ex iure humano. Prior pars ex eodem fundamento elicitur, quia peritis in propria arte credẽdum est. Res autẽ purè Theologicas intelligo, quæ præcipuè versant in quæstione apud Scholasticos, & suppositis fidei principijs adiunctа ratione naturali, vel saltẽ discursu colliguntur: qua in re, cùm inter cæteros maximè elaborent Theologi, ipsorum præcipuè curãda est autoritas: nam antiqui Patres in scripturarũ interpretatione, & dogmatum aduersus hærẽticos defensione occupati, his studijs non ita vacare potuerũt: & ita quãuis ex ipsis principia aliqua eruere Theologi curent, non est tamen negandum scholasticorum opera Theologiã esse valdè locupletatã, neq; ex Patrũ doctrina sumi posse omnia, quæ ad eam conducunt. Iam verò Philosophi, cũ non conueniant nobiscũ in principijs fidei, ex quib. pendet Theologia, nullam quoad res purè Theologicas authoritatem habent, iuris autẽ periti ferè nullã quo ad speculationes Theologicas, vt rectè docet Canus lib. 8. de locis c. vltim. cõclusione prima & secunda, Bannes ar. 8. in fine: quoniam toti versantur in explicando iure humano, & Christiani hominis officijs, & id genus alijs, quatenus ex iure pendent: ab speculationib. aũt Theologicis abhorrent. Quod autem in ijs, quę pendent ex iure humano, præferẽda sit ipsorũ sententia, vt docet Canus capite citato cõclusione 3. Bannes citatus, Patet ex eodẽ principio: nam iuris scientia magna ex parte non pendet ex Theologicis speculationibus, sed ex terminorum notitia & interpretatione iuris. Verum quidem est Theologum, qui considerat ius naturale, ac diuinum, quo continentur principia iuris Canonici, in dijudicãdo vtrum in his, vel illis euentis obseruatio iuris positiui repugnet iuri diuino & naturali, plus habere authoritatis, sicut in omnibus scientijs habent ij, qui considerant superiora principia. In interpretando tamen humano iure, & decidendis quæstionibus circa illud emergentibus primas partes vendicant iuris Periti, maximè in ijs, quæ pertinent ad forum exterius, neq; quo ad hoc decet vt Theologi forensium causarum, & iudicialis ordinis ignarus iuris peritorum sententiam reijciat, suamq; statuat. Ex quibus patet quibus ad singulas materias authoribus vtendũ sit Theologo: & quorum authoritas pro rerũ varietate præferenda sit. iam videndum quod robur habeat in singulis materijs multorum authoritas.

Canus. Bannes.

Canus. Bannes.

Quam certitudinem faciat communis consensus Doctorum.

Caput XIII

I. POstquam in genere dictum est, quinã Doctores, & ad quasnam quæstiones Theologicas adhiberi possint ac debeant, dicendũ quã vim habeat plurium authoritas. Et quidem authoritas omnis humana citra testimonium diuinum nõ præstat argumentum infallibile omninò, sed ꝓbabile vt ait D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. Explicandũ tamen est in particulari quę vis sit in multorum autoritate. Plures autẽ Doctores circa aliquam controuersiam vel communiter cõsentiunt, vel in duas, aut plures sectas diuisi oppositas sententias defendũt. Porrò cõmunis opinio aliter apud Theologos, aliter apud iuris peritos accipitur: Theologi communem vocant quando omnes, vel ferè omnes paucis exceptis eandem sententiam amplectuntur: iuris periti verò eam, quæ multorum Doctorum authoritate fulcitur, siue oppositam multi etiam sequãtur siue nõ: & ideò apud ipsos referri solent oppositæ sententiæ communes eadem de re, quando scilicet vtraque pars habet graues & multos authores, vt videre est apud Hieronymum de Cæuallos in speculo aureo opinionum cõmunium contra communes, quo etiam modo interdum loquũtur Theologi, cùm verò in Theologia sint diuersæ familiæ sub diuersis authoribus, quamuis inter eiusdem familiæ Doctores sententia aliqua cõmuniter recipiatur, si tamen ab alterius familiæ Doctoribus reijcitur, dici nõ debet simpliciter cõmunis, sed cum addito communis inter Thomistas, aut Scotistas: qua in re multi insolenter agunt, opinionem inter suos receptam communem simpliciter appellando, & contrariam temeritatis arguendo, cùm tamen non paucis grauibus doctoribus fulta sit. Sentẽtia verò alicuius doctoris singularis dupliciter esse potest, nimirũ negatiuè & contrariè, negatiuè cũ scilicet

S. Thomas.

Cæuallos.

ipse

ipse solus ea de re locutus est, alijs neutram in parte opinantibus: contrariè, cùm vnus, vel alter recedit ab opinione communiter recepta.

II. Dico primum, quando inter ipsos doctores, siue sacros, siue scholasticos, siue iuris peritos est controuersia, ita vt ex vtraq; parte sint authores probabiles, nõ sumitur certum argumentũ Theologicum, sed tantum probabile. Ita D. Thom. quodlib. 3. q. 4. ar. 2. Canus lib. 7. de locis c. 3. cõclusione 3. & lib. 8. ca. 4. conclusione prima. Bannes 1. p. q. 1. ar. 8. dub. 5. concluſ. 2. & dubio vlt. conclusione prima, & conueniunt cõmuniter doctores. Fundamentum est: quoniã vbi eiusdem facultatis periti dissidẽt, signũ est non esse euidentem consequentiam ex principijs illius: ideoq; quando Doctores Catholici dissident circa materiam Theologicam, non sunt euidentia, ac certa testimonia, seu principia fidei, quibus alterutra opinio nitatur, atq; adeò tota res est reducẽda ad rationẽ, & authoritatem humanã: quæ sola non est certum argumentũ Theologicum, sed sola vis probabilitatis erit in ea sententia ex authoritate humana fallibili: quæ eo maior aut minor erit, quo doctores, qui alteram sequũtur partem, plures ac grauiores fuerint. Nõ enim solo numero res expendenda est: fieri .n. poterit, vt pauciores, si singuli magnæ authoritatis sint, reddant sententiam probabiliorẽ oppositã, quam plures sequuntur. Attendere tamen debet Theologus inprimis an sit aliqua diffinitio Ecclesiæ ea de re, vel cõmunis fidelium cætus oppositum credat: tunc enim vt ait D. Thomas quodlib. citato authoritas vnius, vel reliquorum, nõ reddit probabilem sententiã: nec excusat eos, qui aliorum authoritate ducti ita sentiunt: qua ratione non excusabãtur, qui suo tempore sequebantur Nestorium, & alios Hæresiarchas. Deindè verò cõsiderare etiam debet, an post doctores Catholicos, quos sequit, extet aliquod Ecclesiæ decretũ de quæstione inter eos controuersa: tunc enim doctorum sententia non conciliat probabilitatem opinioni ab Ecclesiæ reprobatę, vel eius decreto minùs cõformi. Exempli causa antè Concil. Viennens. non erat de fide certum, sed inter doctores controuersum, an paruulis in Baptismo conferretur gratia, & habitus virtutum supernaturalium, in eo verò Concilio approbata est pars affirmatiua tanquã probabilior, vt habetur cap. *Maiores* de Baptismo, & eius effectu, post quam approbationem, etsi contraria opinio habuisset anteà plures & grauiores patronos, nihilo minùs minùs probabilis reputari debebat, qa ea Ecclesiæ approbatio plus momenti habet, quam multi doctores. At verò quia posteà eadem sententia affirmans tanquam dogma fidei est recepta, ac diffinita à Concilio Tridentino sess. 6. Can. 11. iam desiuit opposita esse opinio, nec vlla authoritas humana doctorum illi suffragatur. Simile exemplum sumi potest à sententia Alens. 4. p. quæst. 9. m. 1. & Bonauent. in 4. d. 7. art. 1. quæst. 1. asserentium confirmationis sacramentum, non esse à Christo sed à Spiritu sancto p Apostolos, vel Ecclesiam institutũ, quod item de extrema vnctione docet item Bonauentura dist. 23. ar. 1. quæst. 2. post Hugonem Victorinum lib. 2. de Sacramentis, prima parte cap. 2. & Magistrum in 4. dist. 23. cap. 1. & tamen oppositum est iam de fide definitũ à Concilio Tridentino sess. 7. cap. 1. vbi decernitur omnia sacramenta instituta esse à Christo, & sess. 14. Canon. 1. hoc ipsum in particulari diffinitur de extrema Vnctione. Quod in multis alijs cerni potest: ideoque semper Theologo inpromptu esse debent Ecclesiæ decreta, quæ successione tẽporis pro rerum circumstantijs, ac necessitate stabiliuntur, ne sola doctorum lectione contentus aliquid ex ipsis hauriat, quod salua fide defendi nequeat: ad quod etiam proderit non solùm antiquos, sed etiam recentiores scriptores perlegere: hi enim solent lucubrationes suas recentibus Ecclesiæ decretis illustrare, ac confirmare.

III. Sed quæstio est, quæ certitudo sumatur ex communi sententia doctorum, & quidem, si de iuris peritis agamus, dicendum est sumi ex illis argumentum moraliter ferè certum quo ad ea, quæ pendent à iure humano, non autem quoad dogmata fidei, & morum, quatenus pendent ex iure diuino. Ita docet Canus lib. 8. de locis cap. vlt. Bannes art. 8. in fine. Prior pars per se patet: nam, vt ait Auerroës in principio lib. de anima relatus à Diuo Thoma in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 1. impossibile est vt sit falsum quod à pluribus dicitur: quæ impossibilitas non est physica, sed moralis, & idcirco generat certitudinem moralem. Idẽ indicauit Aristoteles lib. 7. Ethico. cap. 14. asserens non perdi opinionem, quam populi multi probant. Nomine autem communis opinionis non intelligo eam quam iuris periti latè communem vocant, cui potest dari oppositã etiam communis, hæc enim solùm probabile argumentum suggerit, sed eam, quam omnes, vel ferè omnes sequuntur: magnum enim in rebus humanis argumentum est veritatis, placuisse tot viris ingenio ac doctrina præstantibus.

S. Thom. Canus. Bannes. *S. Thom.* *Concil. Vien.* *Concil. Trid.* *Alens.* *Bonauent.* *S. Bonauent.* *Hugo Victor.* *Magist.* *Concil. Trid.* *Canus.* *Bannes.* *Auerroes.* *S. Thom.* *Aristot.*

tibus. Quæ regula aliquando fallit, quando scilicet posteriores, primum aliquem ducem sequuti absque vllo examine, & discussione veritatis sola eius authoritate ducti eandem sententiam sequuntur, vt notat Nauarr. in Manual. cap. 27. numero 189. Posterior pars etiam est manifesta: nam eiusmodi dogmata propria sunt facultatis Theologicæ, ac proindè ad illorum confirmationem parum valet iuris peritorum authoritas. Quod dixi de communi sententia iuris peritorum in ijs, quæ pendent à iure humano, similiter dicendum est de communibus Philosophorum placitis: quæ pro certissimis habenda esse in rebus philosophicis, probat Canus lib.1. de locis c.4. & patet ex ratione superius explicata.

Nauarr.

Canus.

IV. Dico tertium. Testimonium Patrum, vel doctorum scholasticorum communiter asserentium aliquid ad fidem, vel Theologiam pertinens, simpliciter tamen, & non indicando esse dogma fidei, esse debet argumentum firmum Theologo, sed citrà infallibilitatem fidei, quod non est intelligendum, si fortè esset inter Patres, Theologosque dissensio: nam ea ipsa dissensio satis ostendit non inesse alterutri parti totam probabilitatem veritatis: intelligi itaque debet, quando vel soli Theologi, aut soli Patres, vel vtrique rem aliquam simpliciter asserunt. Posterior pars quo ad sanctos Patres ostenditur: quoniam quando simpliciter asserendo aliquid dicunt, neque habent infallibilem assistentiam, vt non errent, neque testificantur de veritate fidei: ergò non præbent infallibile veritatis argumentum. Patet consequentia: nam in ijs, quæ superant captum nostrum, neque euidenter agnosci possunt, omnis certitudo sumenda est ab authoritate diuina, hæc autem dupliciter nobis proponi potest, vel tanquam ab habente assistentiam Spiritus sancti ne erret, vel tanquam à testibus sufficientibus, & omni exceptione maioribus: Patres non habent infallibilem assistentiam: cum verò simpliciter aliquid asserunt non indicando esse dogma fidei non præbent testimonium, quod res sit reuelata, & certa fide credenda: imò si fortè ea de re interrogarentur, dubitarent: ergò communis ipsorum opinio de re aliqua simpliciter asserta non continet infallibile argumentum Theologicum. Accedit quod Summus Pontifex, vtpotè caput Ecclesiæ, & Petri Successor, in rebus fidei non minorem habet authoritatem, quam doctores omnes: & tamen cum simpliciter aliquid astruit non diffiniendo, nequaquam præbet infallibile argumentum. Quod si hæc vera sunt, facilè eodem argumento constat ex communi Theologorum eodem modo loquentium, non sumi infallibile argumentum, vt expressè tradit etiam Canus lib.8. de locis cap.4. conclusione 2. & Bannes 1. part. quæstion. 1. articul. 8. dubio vltim. ad tertium, suadetur etiam ex eo, quod notauit etiam Bannes citato dubio vltimo post secundam conclusionem, nempè fieri posse, vt sit opinio aliqua communis inter Theologos, quæ posteà successu temporis desinat esse talis, si recentiores oppositam firmis rationibus, & Patrum authoritatibus confirmari, & sequi incipiant.

Canus. *Bannes.*

V. Sed quid dicendum quando omnes simul consentiunt indicando, vel asserendo rem esse de fide. Hæc quæstio seorsim discutienda est, primum quidem de Theologis, deindè de Patribus. Quod attinet ad Theologos, Canus lib.8. de locis cap. 4. conclusione 3. & lib.12. cap.7. præceptione 8. & Bannesius dubio vltimò conclusione 3. censent eorum communem sententiam, modo explicato, continere irrefragabile argumentum, adeò vt oppositum communis illius sententiæ sit error in fide, aut illi proximum. Probant ex illo dicto Christi Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*: quod intelligi volunt non solùm de primis Ecclesiæ Doctoribus, ac Magistris, sed de futuris toto Ecclesiæ tempore, quamdiu oues eius pascendæ erunt doctrina fidei, ideoque sicut ij, qui primis Ecclesiæ Doctoribus aduersabaniur à fide errabant, ita etiam nunc qui contradicunt toti Ecclesiæ Theologorum, qui sunt fidei magistri erroneos censendos esse aiunt. Idem suadetur ex Paulo ad Ephes. 4. *Alios dedit quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Doctores, ac Pastores*, Nomine verò Doctorũ Theologos Scholasticos intelligunt. deindè vtuntur his rationibus: Prima est: quoniam, si omnes Theologi, de fide, & moribus errarent, tota etiam Ecclesia posset errare: quod absurdum est. Sequela ostenditur, quoniam Theologi sunt Doctores populorum, qui proindè eis credere possunt, ac tenentur: si verò Theologi omnes in errore versarentur, exposita esset Ecclesia maximo errandi periculo. Secundo Ecclesia sæpè diffinit tanquam de fide propositiones aliquas, quæ non habentur expressè in sacris literis, sed communiter

Canus. *Bannes.* *Luc.10.* *ad Ephes.4.*

& constanter asserebantur ab omnibus Theologis, ac Doctoribus, qualis fuit hæc: *Christus habet humanam voluntatem*, quam Theologi colligebant ex hac altera de fide, *Christus est verus homo*, quod similiter in alijs factum est, & similiter fieri modo potest: vt si diffiniatur Christum ab instanti incarnationis vidisse essentiam diuinam, quod omnes Theologi cõstanter asserunt: & colligunt per bonam consequentiam ex locis scripturæ, & alijs fidei fundamentis. Et confirmatur, quoniam Theologi nunquam consentiunt in dogmate firmiter assirendo, nisi propter testimonia diuinæ scripturæ, aut Ecclesiæ diffinitiones, ex quibus dogma illud manifestè colligitur, & nullum ab ijs communiter ita recipitur, quod non sit verum, & receptum ab Ecclesia, eorum authoritate inducta.

VI. Non video tamen ex quo capite communis opinio Theologorum in rebus fidei ac morum habeat infallibilem authoritatem, ita vt qui oppositum senserit, merito damnandus sit hæreseos, aut erroris. Etenim certitudo infallibilis, qualis ad fidem requiritur, niti debet promissione aliqua Dei de assistendo specialiter doctrinæ aliquorum ne aberrent, qualem habuerunt Apostoli Lucæ 21. *Ponite in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Non extat autem vlla promissio Dei circa Theologos scholasticos: ergò quantumuis omnes conueniant in aliqua assertione, non propterea illa fidei certitudinem habet. Assumptio per se patet: nam non habet illam in particulari, nulla enim ostenditur authoritas scripturæ, traditio, aut diffinitio Ecclesiæ, ex qua colligatur: non item ex communi promissione facta Ecclesiæ, quæ proinde ab Apostolo dicitur, 1. ad Timoth. 3. *Columna, & firmamentum veritatis*: nam licet omnes Theologi scholastici errent, non proinde necessariò errabit vniuersa Ecclesia: possunt enim aliter sentire Prælati, & Romanus Pontifex, & alij fideles: Theologi enim nec re, nec repræsentatione sunt tota Ecclesia: atque adeò errantibus ipsis non necessariò errat tota Ecclesia. Deinde hæ ipsæ propositiones pertinentes ad fidem, quas communi cõsensione Theologi recipiunt, si diffiniãtur ab Ecclesia, ex hac diffinitione sortiuntur maiorem aliquam infallibilitatem ac certitudinem quoad nos, quam antea haberent: nõ nisi certitudinem fidei: ergò hanc non habebant ex authoritate Theologorum. Denique metaphysicè loquendo, non repugnat Theologos omnes scholasticos decipi circa aliquã fidei quæstionem: ergò communis eorum consensio non præstat argumentum infallibile Theologo. Patet cõsequentia: nam principium Theologicum non euidens debet esse tale, vt sub ea ratione repugnet illi falsitas. Antecedens facilè ostenditur, quia non est vllum principium, ex quo sumatur talis repugnantia, quandoquidem omnis opinio discursu fundata reducitur ex hac parte ad lumen naturale intellectus: non repugnat autẽ lumẽ naturale omnium Theologorũ decipi circa vnã vel alterã consequentiam.

VII. Dixerim itaq; inprimis, Theologos de cõmuni consensu asserentes aliquid tanquã ad fidẽ pertinens, non reddere ex se propositionem infallibiliter verã, quasi ipsi sint mensura infallibilis veritatis. Qua in re cõsentit Bãnes vbi supra, nec alij discrepabũt: idq; satis confirmãt argumenta paulò antè proposita. Dixerim secundo, moraliter loquendo ex vi testificationis suæ, præbere grauissimũ argumentum fidei, non tamen omninò infallibile aut logicè loquẽdo certum, sensus est, cùm theologi oẽs sententiã aliquã tanquã fidei dogma proponũt, ex vi huius testificationis, sumi argumentũ, non logicè, sed moraliter certũ. Hæc est de mẽte doctorũ dicẽtium solũ esse temerarium dissidere ab assertiõe cõmuni scholasticorum. Ita Andreas à Vega lib. 9. in Concil. Trid. c. 14. & alij recentiores. Moralis certitudo constat, quoniã cũ peritis in sua arte credendũ sit, & theologi propriũ sit ex reuelatis deducere conclusiones, nõ videtur fieri moraliter posse, vt oẽs testificẽtur aliquid ad fidẽ pertinere, ꝙ sit falsum, idq; videtur modo aliquo pertinere ad fidẽtiam diuinã, ne præbeatur occasio errandi multitudini fideliũ. Nõ dari aũt certitudinem logicã constat, quoniã ad hanc ipsam testificationẽ non habẽt infallibilẽ assistentiã, quin in testificãdo ex malitia vel ignorantia possint errare. Et iuxta hanc distinctionem explicari possunt doctores citati, nimirum ꝙloquãtur de certitudine morali nata ex testimonio Theologorũ, quæ nõ est maior quã si testificarẽtur de quauis alia re, & tamen ea testificatio solã moralẽ certitudinẽ ingeneret: si verò maiorẽ aliquam certitudinẽ illis tribuant, non sunt audiẽdi nec argumenta paulò antè proposita plus suadẽt. Nõ inprimis illa authoritas sumpta ex Luca c. 10. nã si ꝙd facit ad hoc institutũ, probabit etiã singulos doctores errare non posse, Christus. n. eo loco non loquebatur solũ de omnib. collectiuè sumptis, sed etiã de singulis seorsim sumptis, atq; adeò si in-

Bannes.

Vega.

Luca 21.

1. ad Tim. 3.

desumitur certitudo infallibilis ad omnes, sumitur etiã ad singulos. Deinde verò hoc est discrimẽ inter primos Ecclesiæ doctores, ac Theologos scholasticos, quod inter illos erant Apostoli & Euangelistæ, quib. necessario credendum erat, cæteri verò cum ijs constituebant totum corpus pastorum atq; doctorum, quos omnes falli impossibile est, vniuersus verò cætus doctorum Ecclesiasticorum non constat ex solis Theologis scholasticis, quorum scripta & opiniones circunferuntur, nimiũ verò tribuit Theologis, qui ipsorum multitudini concedit eandem veritatis ac certitudinis prærogatiuã, quam primi Ecclesiæ doctores habuerunt. Ex illa quoq; Apostoli sententia ad Ephesios nil cõcluditur: nam Apostolus ibi agit de doctorib. ex officio quales sunt Prælati, & ideò Glossa interlin. & alij dicunt cõiunxisse simul duo illa verba *pastores, ac doctores*, quoniam pastoribus ac Prælatis ex officio incumbit docere populum, vt dicitur in Concil. Trident. sess. 5. cap. 2. de reformatione; & ideò ex vi muneris habẽt ad hoc speciale adiutoriũ Dei: Theologis verò ex solo Theologiæ magisterio non incumbit docere tanquam ex officio ac munere Ecclesiastico: ac proinde ex ratione doctoratus non habent specialẽ aliquam gratiam ad docendũ. Cętera argumenta solam arguunt certitudinẽ moralẽ. Ad primũ respondeo non sequi de necessitate physica, vel logica, vt errantibus omnibus Theologis scholasticis vniuersa Ecclesia erret: quoniam restat summus Põtifex, & alij prælati, qui errantibus scholasticis omnib. possent eum errorem reprobare, quia tamen moraliter sequitur periculũ nè Ecclesia erret vniuersa: idcircò etiã cõmunis consensus Theologorũ scholasticorum de reb. fidei præbet augmentum moraliter certũ de veritate fidei. Ad secũdum admitto posse Ecclesiam ex cõmuni attestatione Theologorũ moueri ad decernendum aliquid de fide, quamuis exemplum quod adducitur, non est ad rem: neq; enim antè sextam Synodum generalẽ, in qua decretum est Christum habere voluntatẽ humanam pręcesserant Theologi scholastici, de quib. nunc agimus, neq; ex ipsorum authoritate, sed ex grauissimis scripturæ testimonijs ad id decernendũ synodus inducta est, sed demus fieri posse, vt communis sententia scholasticorũ ad id conducat, nõ tamen ex ea mouetur Ecclesia tanquam ex proprio & solo motiuo, nam simul etiam perpendit authoritates scripturæ, & traditiones Apostolorũ, ita vt scholasticorum communis opinio sit quędam dispositio ac manuductio, nec in diffiniendo eorum authoritate nititur, sed assistẽtia Spiritus sancti. Ad confirmationẽ respondeo, etiam si cõmuniter loquendo res ita se habeat, non tamen absolutè repugnare, vt aliter se habeat, ita vt decipiantur Theologi omnes in deductione alicuius conclusionis. Neq; verò cõclusiones omnes, de quarũ veritate Theologi cõmuniter consentiunt, sunt receptæ ab Ecclesia tanquã dogmata fidei, nã ea ipsa, quã Bannes diffiniri posse ait, nempe, *Christus ab instãti suæ incarnationis fuit quoad animum comprehensor*, nondum est ab Ecclesia tãquam dogma fidei recepta, nec qui illam negaret, esset apertè hæreticus.

VIII. Quod attinet ad concordem sententiam Patrum testificantiũ de veritate fidei idem censent Thomas Valdens. lib. 2. doctrinalis fidei cap. 25. Dried. lib. 2. de scripturis cap. 3. Franciscus Horantius lib. 5. locorum Cathol. cap. 3. Canus lib. 7. de locis cap. 3. conclusione 6. Castr. lib. 1. aduersus hæreses cap. 7. Bannes art. citato, dub. 5. concl. 4. Salmeron tom. 8. tractat. 2. dum tractat locum sextum Theologicum. Pro qua re eadem ferè adducuntur argumenta: nimirum, quia Concilia in diffiniendis rebus fidei sequuntur authoritates sanctorum, vnde & in Concilio Chalcedon. acclamatur hæc fides Patrũ: & in eodem Cõcilio dicitur Catholica fides à synodo, quę secundũ sanctorum Patrũ interpretationem declaratur, simile quid habetur ex Concil. Viennensi Clem. VII. de summ. Trini. in Conc. Nicæno secundo, in sexta synodo generali & alijs: idem cõstat ex epistola Concilij Ephesini ad Nestorium, præcipitur enim illi, vt iuret se sentire, quę vniuersi Episcopi per Orientẽ & Occidentem crederent: non minorem verò authoritatẽ habet consensus omnium Patrum ab initio Ecclesiæ ad hæc tẽpora, quam eorum solum, qui viuebant tempore Cõcilij Ephesini. Deinde argumentatur Castro, Patres per orbem dispersi constituunt vniuersalem Ecclesiã sicut congregati, congregatio enim ad hoc parum facit: sed in Concilio congregati de communi consensu aliquid statuentes, præbẽt infallibile argumẽtu: ergò etiã dispersi.

IX. Vt argumentum pro dignitate tractaretur, multa essent explicanda, quæ non sunt huius loci: & ideò ijs omissis quantum pertinet ad præsens institutum, dico in primis hic non tractari, vtrum curanda sit authoritas Patrum, hoc enim soli hęretici negãt, contra quos id luculenter probat Horantius lib. 5. locorum catholicorum cap. 1. 2. & 3. Stapleton. controuersia 3. lib. 7. cap. 12. & alij, sed suppositа praxi Ecclesiæ, & Patrum,

Gloss. interlin. *Concil. Trid.* *Valdens.* *Driedo.* *Horantius.* *Canus.* *Bannes.* *Salmeron.* *Concil. Chalc.* *Concil. Vien.* *Concil. Nicen.* *Concil. Epheſ.* *Horantius.* *Stapleton.*

trum, vtĕdi aliorum Patrum teſtimonijs, vt infra videbimus, quæritur quanti momenti ſit eorum cõmunis authoritas. Deinde notandũ eſt ſanctorũ patrũ ſententiã vel conſiderari poſſe in interpretatione ſacrarum literarum, vel in dogmatum aſſertione; item argumentũ infallibile poſſe ſumi dupliciter ex ſententia cõmuni Patrum id eſt, vel à priore tanquam à ratione & regula infallibili, vel à poſteriore, & tanquã à ſigno. Item quãdo loquimur de cõmuni ſenſu Patrũ, vel loquimur de omnibus, qui fuerunt orthodoxi ab initio naſcentis Eccleſiæ vſq; ad tẽpora noſtra, vel ſolũ de ijs, qui de fide ſcripſerũt, quorũ ſententias ſcimus, quomodo loquuntur authores citati: nam eorũ, qui nihil literis mandarunt, ſentẽtiam ignoramus, ideoq; neſcimus an ipſi fuerint in eadẽ ſententia, & quidem, ſi de omnib. omninò loquamur, certũ & infallibile ſignum eſt veritatis reuelatæ cõcors ipſorũ de eadẽ aſſertio: nam cùm Eccleſia

1. ad Tim. 3. ſit *columna & firmamentũ veritatis*, 1. ad Tim. 3. atq; adeò in fidei dogmatis falli nequeat, neceſſe eſt vt ipſius paſtores oẽs, ac doctores ſimul ſumpti non errauerint: maximè cùm fides plebis ſit fides præſulum, quẽadmodum itaq; repugnat in quouis ſæculo & ætate, omnes Eccleſię paſtores nullo excepto in fidei errore verſari, ita quoq; repugnat erraſſe omnes quotquot poſt Apoſtolos fuerunt ab initio naſcẽtis Eccleſiæ. Neque hac de re Catholicus vllus dubitarit, ſoli hoc negant hæretici, qui ſolum Dei verbum ſcriptum curant, quos non eſt huius loci impugnare. Sed iam dicendum de cõmuni Patrum ſententia ad modum, quo loquuntur ſcholaſtici, hoc eſt de ijs, quorum monumenta extant.

X. De quibus dicendum primo: Communis Patrũ interpretatio ſcripturæ, ac dogmatis in ipſa fundati, continet irrefragabile fidei argumentum à poſteriore, & à ſigno. Ita docet Stapleton. controuerſia 6. li. 11. cap. 5. Canus li. 7. de locis cap. 3. concl. 5. & Bannes citatus, & eſt de mente aliorum Doctorum, quos retuli num. 7. Senſus eſt infallibilitatem eius ſententię non ſumi ex infallibili ipſorum authoritate ac iudicio, ſed ex eo quod ipſi ſint tanquam lingue totius Eccleſiæ, ac teſtes fidei, quã ipſa tenet. Prior pars ſuadetur, quoniam ſicut ſinguli labi potuerunt, ita non repugnat phyſicè loquendo, vt omnes laberentur, nec habemus infallibilem promiſſionẽ Dei, ex qua ſumatur infallibilis omninò aſſiſtẽtia Spi-

Ezech. 34. ritus ſancti: nam locus ille, Ezech. 34. *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, qui paſcant vos ſcientia & doctrina*: Intelligi inprimis poteſt de Apoſtolis, qui oẽs ac ſinguli habebãt aſſiſtentiã Spiritus ſancti, nè in prędicatione Euangelij errarent, ſi verò de cæteris intelligatur, humano more intelligi debet: nam quis neget Hieronymum, Auguſtinum, & alios Eccleſiæ Doctores ſeorſim ſumptos, pauiſſe Eccleſiam Dei ſcientia & doctrina: & tamen in aliquibus, vt homines lapſi ſunt: ita ſuo modo dici poteſt patres omnes, quanuis in re aliqua decipi potuerint, pauiſſe Eccleſiam doctrina & ſcientia, quia eam ſcriptis illuſtrarunt, & quãuis ad diuinam prouidentiam ſpectet manu tenere eos, nè errent, tamen hęc non arguit in ſingulis aſſiſtẽtiam & directionem Spiritus ſancti, ſed à poſteriore concludit non poſſe omnes errare, nè eo dato erret Eccleſia: itaque à priore non video, quomodo communis ipſorum authoritas contineat infallibile fidei argumentum: nam hoc ſoli Eccleſiæ, & ipſius capiti tribuitur, etiam in interpretatione ſacrarum literarum, ideò enim in Cõcilio Trident. ſeſſ. 4. *Concil. Trid.* in decreto de editione librorũ, & in Clem. *Clem. vnica.* vnica de ſum. Trinitate dicitur, interpretari ſcripturam non eſſe niſi Eccleſię, & ſedis Apoſtolicæ: quod intelligẽdum eſt authoritatiuè, & infallibiliter ex aſſiſtentia Spiritus ſancti, at Patres omnes, qui ſcripſerunt, ſimul ſumpti, nec modò, cùm non ſint de corpore Eccleſiæ militantis, nec vnquam cùm non ſimul in ea vixerint, cõſtituebant, aut repræſentabant totam Eccleſiam. Altera pars aſſertionis ſuadetur, quoniam impoſſibile eſt Eccleſiã vniuerſam errare circa ſcripturę interpretationẽ, & dogmata fidei, quæ eadem nituntur: erraret autem, ſi communis Patrum interpretatio non eſſet vera: quare hæc recipienda eſt tanquam vera, & irrefragabilis. Aſſumptio oſtenditur, quoniam Eccleſia præcipit, ne quis ſcripturam ſacram contra vnanimem conſenſum Patrum interpretari audeat: ita Concil. Tridentin. *Concil. Trid.* ſeſſ. 4. in Bulla Pij Quarti per Pium Quintum renouata, idem præcipitur concionatoribus in Concil. Lateran. vltimo, a- *Concil. Later.* ction. 11. Item eadem Eccleſia damnat eos, qui nouas expoſitiones contra communem Sanctorum Patrum conſenſum introducere conantur, quo pacto damnati ſunt Origenis diſcipuli in ſexta Synodo generali, actione vndecima, & act. decimatertia, in epiſtola Synodali Sophronij, *VI. Synod.* & Canon. 19. Trullanæ Synodi ſic habe- *Synod. Trull.* tur: *Si ad ſcripturam pertinens controuerſia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur Eccleſiæ præſides, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria, & Doctores ſuis ſcriptis expo-*

Stapleton. Canus. Bannes.

e xpoſuerunt. Ex quibus conſtat Eccleſiam obligare velle fideles, vt communem patrum interpretationem tanquam veram amplectantur: ſi verò ea falſi aliquid circa fidem, ac mores contineret, Eccleſia præcipiens, vt ea ab omnibus recipiatur, hoc ipſo erraret. Deinde verò ſingulæ Eccleſiæ cum ſuo capite ex tali præcepto de facto poterunt, imò tenentur ſequi eiuſmodi interpretationem, quod ſi ea falſa ſit, iam tota Eccleſia vniuerſalis errabit. Quã illationem vidit Neſtorius damnatus à Concilio Epheſino, vt refert Vincentius Lirinenſis libello aduerſus prophanas nouitates, ſic enim ait Concilium: *Inuecti ſumus in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quod ſacram ſcripturam, ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicunque ante ſe magiſterij munere præditi diuina eloquia tractauiſſent, totam etiam Eccleſiam nunc errare, quæ, vt ipſi videbatur, ignaros Doctores ſequeretur*, quia videbat ſequi errare Eccleſiam, ſi omnes antiqui paſtores ac doctores erraſſent, vtrumque proteruè aſſeruit, & propter vtrumque eſt à Concil. damnatus: At, inquiet aliquis, aliud eſt ſententiam aliquam eſſe veram, aliud de fide tenendam, & hoc argumentum ſolum probare communem Patrum expoſitionem non eſſe falſam, ſed veram; ex hoc autem non ſequi eſſe Catholica fide tenendam. Verùm hæc reſponſio non ſoluit argumentum: namque aliud eſt aſſertionem ſimpliciter enuntiatam eſſe veram, aliud verò propoſitionem atteſtantem dogma fidei in ſcripturis fundatum, vel ſenſum ipſius ſcripturæ: nam ſi propoſitio aſſerens ſententiam aliquam eſſe de fide, vel hunc, aut illum eſſe ſcripturæ ſenſum, vera eſt, verũ quoque eſt ſententiam illam fide tenendã, & ſcripturam ita explicandam: ſed omnis verus ſenſus ſcripturæ eſt intentus ab Spiritu ſancto, ac de fide tenendus: ergò communis Patrum interpretatio continet infallibile argumentum fidei à ſigno, & atteſtatione.

Concil. Epheſ. Vincent. Lirinenſ.

XI. Dico ſecundum. Communis conſenſus Patrum de rebus fidei, etiam abſque ſcripturæ teſtimonio eſt argumentũ pluſquam moraliter certum, ac fidei proximũ. Hic non conſideratur eiuſmodi conſenſus, quatenus iudicio totius Eccleſiæ eſt approbatus, tunc enim iam propriè ac manifeſtè ad fidem pertinet: ſed quatenus communi Patrum, quorum ſententias & ſcripta habemus, autoritate nititur. Prior pars eſt inter Catholicos communis, & à ſolis hæreticis negatur. Et facilè ſuadetur, quoniam maior eſt Patrum authoritas, quoad dogmata fidei, quàm Theologorum ſcholaſticorum, propter illorum ſanctitatem, antiquitatem, & doctrinam Euangelicam & Eccleſiaſticam, ſed communem Theologorum conſenſum dixi eſſe argumentum moraliter certum: ergò communis conſenſio Patrum habet aliquid amplius. Nam Theologi ab hinc quadringentis annis, Patres autem à temporibus Apoſtolorum inceperunt: & doctrinam fidei ab illis acceptam, quaſi per manus traditam, ad poſteros tranſmiſerunt, vt ait Athanaſius in libello pro decretis Synodi Nycen. *Ecce nos*, inquit, *demonſtrauimus iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad patres, quaſi per manus traditam eſſe.* & Auguſtin. de peccator. meritis, ac remiſſion. lib. 3. cap. 7. cum Hieronym. poſt alios patres citaſſet, ſubdit: *Hæc ideò ex illo commemoraui, non quod diſputatorum quorumlibet ſententijs, tanquam canonica authoritate nitamur, ſed vt appareat ab initio vſque ad tempus præſens, quo iſta nouitas exorta eſt; hoc de originali peccato, apud Eccleſiæ fidem ſumma conſtantia cuſtoditum eſſe.* Ex quibus verbis elicitur de mente Auguſtin. etiam quorumlibet patrum authoritatem eſſe infra authoritatem librorum canonicorum, & proinde non ratione ſui conſtituere infallibilitatem fidei, ſed tanquam teſtes & cuſtodes depoſiti doctrinę Euangelicæ ab Apoſtolis traditæ. Credendum itaque eſt patribus, vt cuſtodibus veræ fidei, vt teſtibus & obſignatoribus, rectè enim Ambroſius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 7. *Seruemus igitur*, inquit, *præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus: librum ſacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum:* præcepta, & doctrinam maiorum appellat Ambroſius hæreditaria ſignacula. Ex quibus, & alijs ſimilibus ſumitur poſterior aſſertionis pars, qua dicitur communem authoritatem patrum reddere ſententiam fidei proximam. Ea verò probatur ex communi vſu, & ſententia recentiorum, qui aduerſus hæreticos vtuntur patrum ſententijs poſt ſcripturarum traditiones, & Eccleſiæ diffinitiones; quaſi proximè ad hæc accedant; hæc autem continent authoritatem fidei: Item Concilia antiqua, & Patres in rebus fidei antiquiorum Patrum teſtimonijs vtentes, veram & antiquam Eccleſiæ fidem ſe tenere præferebant: nam Concilium Epheſinum generale tertium in declaratione fidei ſic incipit: *Sequentes itaque omnium ſanctorum Patrum confeſſiones, & intentionem eorum æquis veſtigijs inſiſtentes profitemur, &c.*

Athanaſ. *Auguſtin.* *Ambroſ.* *Concil. Epheſ.*

Et eo-

Et eodem ferè modo habetur in Concilio Chalcedonen. Actione 4. Denique vt alia omittam, Clemens Papa in Concilio Viennensi, Clement. vnica de summa Trinitate: *Nos*, inquit, *ad sanctorum Patrum, & doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis aciem conuertentes declaramus, &c.* Idem fuit vsus Patrũ August. li. 1. contra Iulianum cap. 1. Irenæ. lib. 4. cap. 43. Basil. & Gregor. Nazianzen. vt notat Ruffinus lib. 2. cap. 9. Gregor. Nazianzen. lib. 2. de Theologia, & aliorum apud Stapletonum controuersia 3. lib. 7. cap. 12. quod adeò olim fuit vsurpatum, vt Eusebius Cæsariensis lib. 2. historiæ tripartitæ, cap. 11. rationem reddens, cur in Concil. Nicæn. contra Arium consensisset, sic ait: *Nos concilio consensimus, quoniam & priscorum Episcopos aliquos conscriptores eloquentes & nobiles nomine consubstantialis olim vsus fuisse agnouimus.* Porrò hæc certitudo sumitur ex triplici capite, primo ex suaui prouidentia Dei, ad quam pertinet eos pastores ac doctores Ecclesiæ dare, & ita eos illuminare ac dirigere, vt ne in fidei dogmatibus vniuersi fallantur, & sint toti Ecclesiæ erroris occasio. Deinde ex tacita quadam Ecclesiæ approbatione, quæ falsa dogmata non sinit crescere, sed damnat ac reprobat vt benè notauit Gregorius lib. 20. Moralium cap. 7. *Liquet*, inquiens, *quod Arius, Photinus, Eunomius, multiq; his similes docendo, atque suadendo conati sunt Patres videri, sed errores eorum sancta vniuersalis Ecclesia districta severitate diudicãs, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos eiusdem gregis vnitatem dissipantes damnat.* Denique ex reliquorum Patrum sequentium consensione: nam si aliquid fidei contrarium reperissent in antiquis, non prætermisissent, quin ad bonum Ecclesiæ obseruassent, vt facit interdum Hieronymus & Augustin. ex quibus omnibus coalescit magna vis authoritatis, & certitudo ad stabilienda principia Theologica, ea verò si sit de rebus expresè ab Ecclesia approbatis, est absque dubio infallibilis: si verò de ijs, circa quæ nullum extat Ecclesiæ decretum, est fidei proxima: nam quod ad fidem non accedat, patet ex tacito testimonio Augustini, qui nullis alijs scriptoribus Ecclesiasticis tantam fidem adhibendam censet, quanta adhiberi debet scripturis canonicis, sed de toto hoc argumento fusè Stapleton. Controuersia 3. lib. tertio, capit. 12. 13. 14. & 15. vbi duos hos modos authoritatis distinguit, & controuersia 6. lib. vndecimo, cap. 5.

XII. Et ad hunc sensum explicandi sunt authores citati, quando communem sensum Patrum dicunt continere doctrinam fidei, nempe quando interpretantur sensum scripturæ, ita enim aliqui eorum se explicant: vel quia quasi testes protestantur fidei successionem in Ecclesia; hoc autem ipsorum testimonium est maximæ authoritatis, vt dixi. Verum quatenus eorum præcisè dictis innititur, non constituit rem formaliter de fide, sed illi proximam: cui ad rationem formalem fidei nihil amplius deesse videatur, quàm vt accedat authoritas vniuersalis Ecclesiæ. Ex quo patet solutio ad primum argumentum: nam quia Patres testantur de vera fide, & eius successione ab Ecclesia primitiua, rectè Concilia eorum authoritate mouentur ad decreta condenda: ita tamen vt infallibilitas diffinitionis, non sumatur ex præcisa authoritate Patrum, sed ex assistentia Spiritus sancti, qui Ecclesiam dirigit in decretis de fide ac moribus. Ex epistola verò Concilij Ephesini non colligitur solum consensum Patrum, qui scripserunt, constituere rem formaliter de fide: sed consensum Patrum in Concilio approbatum, & circa rem ab Ecclesia determinatam, quale erat decretum Synodi Ephesinæ contra Nestorium; deinde Concilium loquebatur de omnibus Episcopis tunc existentibus, qui cum suo capite, hoc est, Romano Pontifice constituebant, vel repræsentabant vniuersam Ecclesiam: hanc verò circa fidem errare impossibile est. Ex quo constat discrimen inter vniuersitatem Episcoporum simul viuentium, & Patrum, qui scripserunt: hi enim nec sunt, nec repræsentant totam Ecclesiam, illi verò maximè. Ad argumentum Castri respondeo eadem solutione: nam Episcopi omnes includendo summum Pontificem habent authoritatem Ecclesiæ sui temporis: at patres, qui tempore decurso floruerunt, simul sumpti eam nunquam habuerunt. Accedit quod non est improbabilis opinio, quæ ait Patres in Concilio congregatos, non accedẽte confirmatione summi Pontificis errare posse, & ideò ex multitudine præcisa Patrum, nisi includatur caput, non redditur res formaliter de fide.

Docu-

Documenta ad interpretandos Patres, & alios Doctores.

CAPVT XIV.

I. QVoniam in Theologia scholastica est frequens vsus loci ab authoritate Patrum, & aliorum Autorum, magna cautela adhibenda est in sententijs eorum referendis, aut interpretandis, ne aut ipsis immeritò errorem tribuamus, aut nos ex illis hauriamus, vt contingit nonnullis, qui patrum dicta, quæ piè & Catholicè explicari possunt, ad sensum erroneum interpretantur. Ad vitandum verò vtrumque periculum duo obseruanda sunt, alterum cum Scoto in 1.d.8.q.5.§. *De intentione*, & quodlib. 7.§. *Sed quia nulli*, nempe, vt nulli autori, nedum sanctis Patribus tribuatur sententia falsa vel absurda, nisi ab ipso expressè asserta fuerit, vel ex dictis eius euidenter deducatur: alterum cum D Thoma quodlibet. 3. quæst. 4. ar. 2. post D. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana, vt in rebus dubijs ad fidem pertinentibus non facilè cuiuis assensum præbeamus, sed ad certas fidei regulas recurramus. In reliquis autem facilius sine periculo Autorum dicta sequi possumus. Verùm ad propriam eorum mentem assequendam, vel sententiam amplectendam iuuare possunt sequentia documenta.

II. Primum est, vt discernamus ea, quæ ab ipsis contentionis studio & calore disputationis dicta sunt impugnando certos aliquos errores, aut respondendo argumentis certo alicui dogmati contrarijs: tunc enim respicientes ad institutum proprium, non curant plura alia, quæ ab aduersarijs dicuntur, & quasi permittendo ea relinquunt, quia non consistit in ijs ipsorum controuersia, & in huiusmodi dictis excusandus est potius lapsus, vel in bonam partem interpretandum obscurè dictum Autoris, quam in patrocinium peruersæ sententiæ adducendum, hoc modo Beatum Gregorium Thaumaturgum, cùm à quibusdam reprehenderetur, quod in expositione fidei dixerit, *Patrem & filium iuxta mentis quidem considerationem duos esse, hypostasi verò vnum*, excusat Diuus Basilius epistola 64. dicendo, *hoc non dogmaticè, sed contentiosè in disputatione contra AEtianum gentilem dictum esse*: & paulò post subdit, *Sanè qui gentilem ad credendum persuadere nititur, is non putat sibi circa vera exactius disputandum esse, sed alicubi consuetudinem eius, quem ad fidem inducit, non nihil condonat, dummodo principalibus, ac necessarijs non reluctetur: quare & multas illic inuenias voces, quæ iam hæreticis plurimum addant roboris*, semper itaque attendendum id quod ex instituto traditur, & ex propria authoris sententia extra cõtentionem disputationis dicitur, vt fecit Magnus Athanas. in libello de decretis Nicenæ Synodi agens de Origene, de quo sic loquitur: *Quæ disputandi, certandiq; gratia scripsit, ea non quasi ipsius sint verba, aut quasi ipse ita senserit, sed eorum, qui cum eo contentiosius disputarunt, accipienda sunt. post illa ergo, quæ certandi gratia quasi in palæstra aduersus hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit.* Athanasius. Hæc Athanasius defendere volens doctorem, etiam in multis alijs ab Ecclesia reprobatum, quod multo æquius fieri debet, si quando aliquid simile in probatis Patribus & Autorib. repertum fuerit. Obseruanda itaque semper erit mens & intentio scriptoris, an scilicet ex proprio sensu loquatur, an ex eorum, cum quibus disputat, permittens nonnulla quasi ad institutum parum vtilia, vt propriam causam vrgeat: sæpissimè enim Doctores nè in omnibus hæreant, & ad exitum propositę disputationis nunquam perueniant, multa prætermittunt, quæ alioquin non essent prætermittenda: nec ab ipsis donantur, vt vera, sed relinquuntur, vt non necessaria.

III. Alterum documentum huic ferme simile est, sæpè Doctores in impugnandis hæresibus ipsarum odio & feruore disputationis nõnunquam in aliud extremum inclinare, non quidem sententijs, sed verbis obscuris, quæ interpretatione indigent. Ita Augustinus disputans contra Pelagianos pro gratia Dei visus est nonnullis negare liberum arbitrium, vt constat ex epistola ipsius ad Valentinum, quæ est 46. & ex cap. 1. libri de gratia & libero arbitrio ad eundem Valentinum. Augustinus. Ita Hieronymus disputans contra Iouinianum nuptias virginitati exæquantem, inuenit detractores ac reprehensores, vt videre est in apologia ipsius ad Pammachium initio, vbi ficat, *Reprehendunt me quidam quod in libris, quos aduersus Iouinianum scripsi, nimius fuerim, vel in laude Virginum, vel in fugillatione nuptiarũ, & aiunt condemnationem quodammodo esse matrimonij vitium pudicitiam prædicare, vt nulla videatur inter vxorem ac virginem comparatio derelinqui*, huiusmodi autem sententiæ obscuræ non sunt trahendæ in patrocinium alterius erroris, sed ad mentem Autorum piè & Catholicè explicandæ, ad quod iuuerit ipsorum mẽtem ac doctrinam com-

pertam

pertam habere, vt ex eodem loco, vel alijs eorundem libris ostendamus eos verè, ac Catholicè sensisse, ita vterque ex citatis Doctoribus præstitit: nam Hieron. in tota illa Apologia nihil aliud præstat, quã ostendere se in eo ipso libro contra Iouinianum commendasse nuptias tamquam donum Dei, & statim initio præmonuisse se non sectari dogma Marcionis, ac Manichæi nuptijs detrahentium, sed ita eas recipere, vt virginitatem illis præferat: & post multa subinfert: *igitur cum toties, & tam crebrò lectorẽ admonuerim, & per singula penè tractatuum millia cautus viator incesserim, me ita recipere nuptias, vt eis continentes, viduas, virgines q; præferrem, debuerat prudens, & benignus lector, etiam ea, quæ videntur dura æstimare de cæteris, & non in vno, at q; eodem libro criminari me diuersas sententias protulisse*, quo sanè documento debuissent omnes vti, non vocando propter obscure dicta in suspicionem hæresis viros doctos, & Catholicos, qui eo ipso libro damnant hæreses, quarum arguuntur. At vero D. August. variis opuscul. præsertim citato libro de gratia, & libero arbitrio eam occasionem sustulit ostendens, quomodo simul cohæreant necessitas gratiæ, & liberi arbitrij, & quoniam ex scriptis eius de gratia quidam non benè sumpserant occasionem negandi liberum arbitrium, primis tribus capitibus totus est in eo probando ex scripturis, & nè rursus ex hoc alij crederent, non esse vllam gratiæ necessitatem, rursus, cap. 4. huic periculo occurrens sic incipit, *sed metuendum est ne ista omnia diuina testimonia, & quæcumq; alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur, vt ad vitam piam, & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio, & gratiæ Dei locus non relinquatur, &c. Deinde vero probat gratiæ necessitatem, & eius cum libero arbitrio consensionem.* Itaque hæc omnia eo tendunt, vt ne sanctorum Patrum dicta in vnius hæresis confutationem sumantur in oppositi erroris patrocinium, sed cautè, ac piè secundum doctrinam Catholicam exponantur.

IV. Tertium documentum est, vt obseruemus tempora, & ætates, quibus singuli patres floruerunt, vel scripserunt, & quibus hæreses sunt exortæ. Etenim ante hæresum singularum principium auctores de ipsarum materia scribentes, non videntes vllum in ijs rebus periculum simpliciter loquebantur, nec tantam moderationem adhibebant, quantam adhibuissent, si iam hæreses exortæ fuissent: ideoque semper eorum dicta sunt explicanda ad normam fidei Catholicæ: nec in fauorem hæresum adducenda, quod documentum rectè obseruauit Hieron. Apologiæ aduersus Ruffinum, lib. 2. *Ante quam in Alexandria*, inquiens, *quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti sunt, & quæ non possint peruersorum hominũ calumniam declinare*, ideoque Ariani, vt asserit Iustinianus imperator in confessione fidei, quæ habetur post 2. Concilium Toletan. abutebantur dictis Dionysij antiqui Alexandriæ Episcopi. Quia hoc documentum non obseruauit Pelagius ex tractatibus antiquorum Patrum loquentium de libero arbitrio sumpsit occasionem tribuendi ipsi absolutam benè agendi potestatem absque auxilio gratiæ, vt colligitur ex libro D. Augustini, de natura & gratia contra Pelagium, & ex lib. 1. retract. cap. 9. nam cum ante Pelagium non fuisset hæresis negans necessitatem gratiæ, fuisset autem hæresis Manichæorum, Priscillianistarum, & aliorum negantium liberum arbitrium, Patres aduersus hos disputantes simpliciter contendebant hominis voluntatem esse liberam, & posse benè, ac malè operari, non curantes an possit ex se solùm, an verò ex gratiæ auxilio, quoniam de hoc non erat controuersia, & quamuis adsit necessitas gratiæ, non proinde destruitur liberum arbitrium. Ex quo Pelagius contendebat voluntatem posse ex se, ad hoc institutum adducens pias, & Catholicas sententias Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, imò & ipsius D. Augustin. quas ille citato libro explicat ostendens nullo modo fauere hæresi Pelagianæ, sed vt ait, cap. 61. ita esse media, vt neque contra Catholicam sententiam sint, neque contra Pelagij, quia scilicet de solo libero arbitrio loquuntur, non de gratia, at vero, lib. 1. retract. cap. 9. cùm plures sententias suas de libero arbitrio recensuisset, adiungit. *In his, at q; huiusce modi verbis meis, quia gratia Dei commemorata est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani, vel putare possunt suam nos tenuisse sententiam, sed frustra hoc putant:* deinde vero fusius ostendit simplicem assertionem libertatis absque eo, quod fiat mentio gratiæ, huius necessitatem non tollere. Simile quid faciebant defensores Theodori Mopsuestiensis Episcopi, qui, vt auctor est Diuus Cyrillus in Epistola ad Acacium Melitens. Episcopum contendebant eum docuisse cõsona doctrinæ Athanasij, Gregorij, atque Basilij: qui Patres ante exortam eius hæresim interdum fortè appellarunt humanitatem templum

Hieronym. *Hieronym.* *Iustinian.* *August.* *August.* *Cyrillus.*

Verbi, non quod Christum in duas personas diuiderent, vt patet ex ipsorum scriptis, sed vt diuinitatis, atque humanitatis differentiam ostenderent, quod illi falso assumebant tamquam dictum in fauorem Theodori.

V. Quartum documentum est argumentum negatiuum non esse firmum ad conuellendum dogma aliquod, siue sententiam Theologicam. Argumentum negatiuum est, cùm ex eo quod Patres aliquid non dixerint, aut hoc vel illo loquendi genere non vsi fuerint, concludit aliquis id non esse asserendum, vel non vtendum hoc loquendi genere. Hoc autem argumenti genus in vniuersum est inutile, cùm argumentamur ab auctoritate etiam diuina: nam quis ferat ita argumentum, Deus hoc non reuelauit, ergo non est? potest quippe esse quamuis Deus non reuelauerit, quamuis Concilia ac patres non dixerint: dummodo tamen oppositum non asserant. Verùm enimuero si solùm applicetur ad dogmata fidei, fortissimũ argumentum est: nam si desit ratio formalis obiecti habitus, non potest obiectum materiale spectare ad habitum, ratio formalis fidei est diuina reuelatio, quã habemus in sacris literis ac traditionibus, colligimus ex sensu ac decretis Ecclesiæ, & communi sententia Patrum, & proinde si quis ostenderit rem, de qua est controuersia, ex nulla huiusmodi auctoritate sumi, hoc ipso conuincet non esse dogma fidei. Verùm in solis Patribus nõ est argumentum tanti roboris, quoniam fieri potuit, vt quia erat res praxi & vsu recepta ex traditione maiorum, absque difficultate & controuersia, ipsi ea de re ex instituto locuti nõ fuerint, ac proinde nõ erit efficax argumentum, si quis arguat, Patres hoc nõ asseruerunt, ergo non est verum, aut non est de fide: nam multo maior est auctoritas sacræ scripturæ, quam Patrum, & tamen, vt contra hæreticos nostri temporis ostendunt scriptores controuersiarum, hoc argumentum nõ habet vim, hoc non continetur in sacra scriptura, ergo nõ est de fide: quandoquidem haberi potest ex traditionibus: similiter ergo illud quoque vim nõ habet, nempè hoc non dicunt patres, ergo non est verum, aut non est de fide: fuit autẽ familiare hæreticis, quando à sanctis patribus, aut sacris concilijs alicuius erroris conuincebantur, confugere ad hoc asylum, nimirũ Patres antiquos non ita dixisse, & ideò se non posse, aut debere ita credere: ita se tuebatur Eutyches nè diceret duas naturas in Christo, vt constat ex actione 6. Synod. Constantinop. sub Flauiano Episcopo lecta in Ephesina, pfana Synodo & relecta in Chalcedon. actione prima ante medium; ita nostri temporis hæretici, ne multa dicant, quę tenet sancta mater Ecclesia; sicut autẽ antiqui hæretici à sacris Synodis ac patribus, similiter recentiores à Catholicis nostri sæculi scriptoribus conuicti sunt, doctrinam ipsorum esse nouam, & à paterna Ecclesiæ traditione abhorrentem, & patres stare pro vero, & Catholico sensu, quem tenet Ecclesia Romana. cõc. Chalced.

Verùm circa hoc documentum obseruandũ est propter prophanas vocum nouitates, & hæreses frequenter insurgentes in Ecclesia tamquã zizania inter segetes agri dominici, in Concil. Nicæno post editum fidei Symbolum statutum, nè quis aliam fidem edere, aut prędicare auderet, ex quo hæretici sumebant occasionem, vt si quando contra insurgentes errores sacra concilia eandem fidẽ explicatius proponebant, & in particulari nouas hæreses damnabant, assererent se tenere fidem Nicænam, nec admittere aliam fidem cum tamen ipsi eam peruersis suis dogmatibus destruerent, vt videre est in Concilio Chalcedon. actione 4. propè finem ex dictis Caroli, & Dorothei fautorum hæresis Eutychianæ, sub hoc etiam prætextu impius Nestorius in secunda Synodo Ephesina retractauit veram ac legitimã condemnationem Eutychetis, vt cõstat ex gestis insertis in Concil. Chalced. act. 1. porrò alia fides dupliciter potest intelligi, nempè per contrarietatem, vel per additionem. Et quidem aliam per contrarietatem neque Ecclesia Catholica tenuit, nec sacra Concilia decreuerunt, neque sancti Patres vnquam docuerunt. Alia vero per additionem duobus etiam modis esse potest, primò quidem ita vt nullo modo explicitè, vel implicitè in fide Nicæna contineatur, altero vero ita vt, quamuis expresè nõ cõtineatur, sit tamẽ implicitè, ita vt id, quod additur, sit potius explicatio eius, quod in Nicæno Symbolo continebatur implicitè, quã noui dogmatis additio. Priori modo ex his nihil addi ad fidẽ potest, omnia enim continentur implicitè in Symbolo Apostolorum, Nicæno, & alijs: Posteriori vero modo potest: nã quemadmodũ Synodus Nicæna addidit Symbolo Apostolorum verba illa: *consubstantialem patri*, non quasi inducens nouam fidem diuersam à fide Apostolorum, sed propter impium Arij dogma explicare volens mentem Apostolorum vocantium Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ita sequentia concilia, & patres propter alias cõc. Chalced.

VI.

hæreses

hæreſes de nouo inſurgentes addiderunt alia verba clarius exprimentia fidem Apoſtolorum, & antiquorum Patrum, quod exactè explicatur in Concil. Chalcedon. act. 16. in reſponſione Synod. ad Martianum Imperatorem, vbi proponitur obiectio hæreticorum aduerſus Epiſtolam D. Leonis quaſi ſit noua ac peregrina, & ignota Canonibus antiquis, deinde vero reſpondetur eiuſmodi obiectioni, & exponitur cauſa vberioris expoſitionis myſteriorum noſtræ fidei his verbis: *Sed quia multi à recta linea per anfractus erroris exorbitant, notum quoddam ſibimet iter mendacij conſtruentes, neceſſe nobis eſt veritatis eos inuentione conuertere, commenta quoque eorum deuia ſalutaribus adiectionibus refutare, non vt nouum ad pietatem, (quaſi fidei deſit) ſemper aliquid exquirentes, ſed vt contra, ea quæ ab illis innouata ſunt excogitantes quæ ſalubria indicantur.* Deinde vero ſingillatim explicant, quæ additiones ſiue explicationes factæ ſint ab alijs Concilijs poſt Nicæn. ad coercendam hæreticorum audaciam: hoc ipſum traditur in definitione fidei eiuſdem Synodi, act. 5. vbi dicitur factam propter hæreſes vberiorem explicationem, non vero quaſi patres iudicarent aliquid deeſſe antiquæ patrum fidei. Itaque nè à præſenti inſtituto digrediar, non eſt contra morem, aut conſuetudinem Eccleſiæ, myſteria fidei ab Apoſtolis, Concilijs, & antiquis patribus tradita, cùm ſe offert occaſio, diſtinctius ac ſubtilius Theologico more explicare, ita tamen vt à fidei regula non diſcedamus: ideoque immerito nonnulli carpunt aliquos Theologos, quaſi noua dogmata inducant, eo quod ipſamet antiqua dogmata Theologica fortè enucleatius explicant. Non ſumitur ergo argumentum efficax, ad conuellendam ſententiam aliquam ex eo, quod clarius, & expreſſius aliquid dicitur, quod fortè apud antiquos non eſt, dummodo tamen aliundè non probetur regulis fidei, aut patrum doctrinæ contrarium.

Cõc. Chalced.

VII. Sextum documentum eſt, vt non ſumantur nuda verba patrum, ſed attendatur ipſorum mens, atque inſtitutum in eo tractatu, ex quo teſtimonia depromuntur. Etenim frequenter accidit, vt patres contra hæreſim aliquam diſputantes negent aliquas propoſitiones ad ſenſum, quo ab hæreticis aſſumuntur, quæ tamen alioquin in bono ſenſu veræ ſunt & Catholicæ: exempli cauſa Anomæi, qui perperam affirmarunt naturam Dei à ſe in hac etiam vita comprehendi, vtebantur ad hoc ipſum ſignificandum verbo, *videndi*, idcirco D. Chryſoſtom. & alij ex antiquis patribus aduerſus hunc errorem diſputantes abſolutè negant eſſentiam Dei videri poſſe ab vlla creatura, etiam Angelica & beata. Ex quibus verbis iudicare non debemus hos patres negare dogma fidei certum, hoc eſt ſanctos Angelos, & homines poſt hanc vitam videre ipſam Dei eſſentiam, ſed potius interpretari eos debemus de viſione comprehenſiua, quam hæretici falſo, & inaniter ſibi arrogabant. Quia hoc documentum non attenderunt plerique hæretici, ad peruerſorum dogmatum patrocinium aſſumebant patrum teſtimonia ſcripta in ſenſu longè diuerſo ab eo, quo ipſi ea accipiebant, Eutychiani enim, vt vnitatem naturæ poſt incarnationem aſſererent, vtebantur teſtimonijs patrum aſſerentium in Chriſto non eſſe duas perſonas, ſed vnum, eundemque eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perfectum Deum, & perfectum hominem, item vnius operationis aſſertores vtebantur Dionyſ. Gregor. & aliorum patrum auctoritatibus non ſeparantibus actiones humanitatis à Verbo, quod ſicut ratione naturæ aſſumptæ verè eſt homo, ita quoque ratione eiuſdem, & humanæ voluntatis habet volitiones, & actiones humanas. Conſideranda itaque ſemper eſt intentio auctoris, & iuxta ipſam verba interpretanda, ad quod maximè conducit verba omnia ingenuè proponere, nihil intercidere, ſequentia & antecedentia conſiderare, cuius oppoſitum faciunt hæretici, qui ſanctorum dicta truncа ac mutila referunt omittentes ea, quæ faciunt ad veritatis elucidationem, & ſuarum hæreſum impugnationem: vt videre eſt in Synod. 5. Conſtantinopol. collatione 8. & in 6. item Conſtantinopol. act. 8. vbi Macharius Antiochen. verba Diui Athanaſij non fideliter recitabat, ſed ea ſolùm, quæ pro eius ſententia facere videbantur, cùm tamen ex antecedentibus, & conſequentibus in ipſomet Concil. oſtenſum ſit Athanaſium veram & Catholicam ſententiam tenuiſſe. Hac etiam in re nonnulli Catholici minus cauti ſunt, ſumunt enim ex patribus, ac doctoribus ea, quæ ipſorum ſententiæ fauere videntur, & omittunt alia, quæ apertè contrariam docent: ingenui hominis eſt veritatem, quæ patrocinio falſitatis non indiget, veris teſtimonijs tueri, & quæ contraria videntur, vel interpretari, vel modeſtè reijcere, nec alienis coloribus veſtire doctrinam, quam alij diligentius expen-

Conc. Cõſtant.

dentes, & cum allatis auctoritatibus conferentes nudam postea, deformemque relinquant. Ad hoc etiam documentum pertinet illud, quod rectè monet D. Hilarius, *Hilarius.* lib. 1. de Trinitate post medium, scilicet sensum ne nostrũ confirmare volentes ea, quæ legimus, ad illum detorqueamus, imò potius verum sensum ex lectione ipsa petamus: *Optimus, inquit, lector est, qui dictorum intelligẽtiam expectet ex dictis potius quam impugnat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Hæc in vniuersum pro patrum, & auctorum allegatione, & interpretatione hîc obseruanda duxi, quæ in progressu vsui erunt, ne in singulis hæream easdem semper solutiones confirmando, sed cùm se obtulerit occasio, quodlibet ex prœmissis documentis indicabo, ex quo eius, quæ tunc erit controuersia circa Patrum sententiam, breuiter expediri possit.

Vtilitas, ac vsus historiæ, non solùm Ecclesiasticæ; sed profanæ inseruit Theologo non tanquam principium discursus Theologici, sed tamquam explicatio terminorum necessaria ad intelligentiam principiorum fidei.

Caput XV.

I. NOtitiam, vsumque historiæ Theologo nõ solùm vtilem, sed necessarium *Canus.* pluribus ostendit Canus, lib. 11. de locis capite secundo, indicans multorum errores ex historiæ ignoratione ortos. Quod argumentum, quia ipse fusè prosequitur, & ab omnibus admittitur, non est cur ipse retractem: solùm hoc loco dicam quo genere historiæ vti, & quem ex ipsa fructum capere Theologus possit. Triplex est autẽ genus historiæ, nempè canonica, Ecclesiastica, profana. Canonicam voco, quæ sacris, & canonicis scripturis continetur. Ecclesiasticam, quæ agit de rebus gestis Ecclesiasticis. Profanam, quæ de Ciuilibus, siue ea à Christiano, & fideli auctore, siue ab infideli scripta sit. De canonica non est hic agendi locus: nam pertinet ad locum scripturæ, qua continetur: cùm enim gesta narrantur in sacris literis proprius, ac præcipuus sensus est historicus; qui est *August.* literalis, vt tradit Augustin. lib. vnico de Genesi ad literam, cap. 2. Diuus Thom. 1. p. quæstion. 102. art. 1. in corpore & de potentia quæstion. 6. art. 7. duo alia genera historiæ, quatenus ab humano auctore scribuntur, ad hunc locum spectant. *S. Thom.*

II. Id verò certissimum est auctoritatem humanæ historiæ à quocunque illa scripsit, non constituere per se principium verè, ac propriè Theologicum, ita Canus, *Canus.* lib. 11. de locis, cap. 4. Conclusione prima, & secunda, vbi ait præter auctores sacros nullum historicum certum, siue idoneum esse ad faciendam certam fidem in Theologia, sed tantum probabile argumentum suppeditare. Fundamentum sumitur ex dictis in tractatu de natura actus, & habitus Theologici: quos probaui esse certos, & eò solùm deficere à ratione scientiæ, quia non sunt euidentes: omnis autem assensus discursiuus certus, necessariò requirit vtramque præmissam certam, vt patet: omnis item historia humana nititur incerto, ac fallibili motiuo, hoc est auctoritate scriptoris humani, qui fallere, & falli potest: quare nequit per se concurrere ad assensum Theologicum, etiamsi sub sumatur sub aliquo principio reuelato. Quod intelligitur de omni prorsus historia non canonica, etiam à sanctissimis, & doctissimis viris scripta, vt constat ex doctrina Augustini, lib. 18. de Ciuitate, *Augustin.* cap. 38. nam tractans quomodo in sacris literis referantur quidam libri historiales prophetarum, qui tamen vel non extant, vel in canone non sunt recepti, & reddens causam sic ait. *Ego existimo etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus vtiq; Spiritus reuelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione diuina scribere potuisse: atq; hæc ita fuisse distincta, vt illa tamquam ipsis ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.* Ex quibus verbis constat de sententia D. Augustini nullam scripturam, etiam à sanctissimis viris, ac prophetis propria inducta conscriptam continere infallibilem, & canonicam auctoritatem, ad religionis, ac fidei nostræ dogmata firmanda. Ex quo perspicuum fit auctoritatem, quam habet canonizatio sanctorum, non per se desumi solùm ex principio fidei, & narrationibus, & inquisitionibus iuridicis de vita, sanctitate, & miraculis sancti canonizandi ante canonizationem præmitti solitis: nam cum principium illud,

Matth.

Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsq; in finem saluus erit*, & similia, quibus promittitur vita æterna sub aliqua conditione operis faciendi, non aliter nos certos reddant de glorificatione alicuius, quam posita conditione: hęc autem conditio innotescat per testimonia humana, quæ non sunt infallibilia: etiam consequens illatum ex principio de fide simul cum testimonio, siue historia humana, non gignet assensum certum atque infallibilem, sed probabilem. Tota vero certitudo sumitur ex assistentia Spiritus sancti manu tenentis Pontificem, nè in re tam graui pertinente ad cultum, & religionem Christianam aberret. Ex hoc eodem principio sumitur communis regula Theologorum, eorum maximè, qui tractant controuersias de potestate Ecclesiæ ac Pontificis, quatenus aiunt in quæstionibus facti, quales sunt iudiciales, & pleræque aliæ, quarum resolutio pendet ex testimonijs & signis, quæ tandem resoluuntur in fidem humanam attestantium etiam sub iuramento, & narrantium rem gestam, vel eius circumstantias, non habere Pontifices infallibilem auctoritatem, atque adeò ex similibus sumi non posse argumentum Theologicum ex omni parte firmum: cùm non repugnet eos ex falsis testimonijs induci ad ferendam sententiam re ipsa iniustam, vt asseritur ab Innocentio 3. cap. *à Nobis*, 2. de sententia excommunicationis, & sumitur ex cap. *Lator*, & cap. *Consanguinei*, de re Iudicata, & alijs iuribus. Hæc de singulis, vel paucis historicis simul sumptis sunt verissima. Quid dicendum, cùm omnes probati, ac graues historici in eandem rem concurrant? Canus vbi supra Conclusione 3. censet ex horum testimonio certum argumentum promi, vt Theologica dogmata firma etiam ratione constituantur. Verùm enimuero, si loquatur de argumento moraliter certo, rectè sentit: contra vero, si de certitudine qualem Theologia requirit: nam quamuis moraliter loquendo non contingat, vt omnes historici fallantur, hoc tamen non repugnat: atque adeò eius rei, quam historici huiusmodi referunt, non est tanta certitudo quin possit subesse falsum: ideoque non est auctoritas sufficiens ad statuendum firmum, & indubitatum principium Theologicum: quod ex ipso exemplo, quo vtitur, colligi potest: nam Romanum Pontificem esse successorem D. Petri, non est dogma Theologicum ex eo solùm, quod id huiusmodi historici dicunt, sed quoniam habetur in varijs Concilijs, & Pontificum decretis. Non negauerim tamen communem consensum historicorum plurimum conducere quasi præuiam manuductionem, & quasi propositionem dogmatis ex alio principio habentis infallibilem auctoritatem.

III. Ex hoc eodem principio habetur nullam historiam humanam, quantalibet auctoritate polleat, vim habere ad euertenda principia nostræ fidei: æqua est enim incertitudo in vtramque partem, siue ad astruendam, siue impugnandam veritatem. Nam, cùm non aliter oppositum destruatur, quam positione sui contrarij, historia non habet maiorem vim ad astruendam oppositam assertionem, quam ad propriam stabiliendam: quare, si hanc non certò, ac infallibiliter statuit, nec illam infallibiliter euertet, & ideò si in illa reperiat infallibilem auctoritatem, ipsa potius cedere debet, quam certæ veritati officere: Historia vero sacra, & quæcumque veritas reuelata habet infallibilem auctoritatem, historia humana fallibilem: quapropter quotiescumque videbitur intercedere aliqua repugnantia inter ipsas, veritas fidei tenenda est repudiata humanæ historiæ falsitate. Hac methodo vtebatur Diuus Augustinus, vt patet ex ipso, lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 40. nam, cùm retulisset aliquid ex historia Ægyptiorum diuinis literis contrarium postquam ostendit repugnantiam, & falsitatem historiæ à gentilibus proditæ, concludit: *Nos vero in nostra religionis historia fulti auctoritate diuina, quidquid ei resistit, non dubitamus esse falsissimum, quomodolibet se habeant cætera in sæcularibus literis.* Idem ferè repetit, lib. 21. cap. 6. cuius rationem vtrobique assignat, quoniam multiplex repugnantia historiæ prophanæ, vt ex testimonio Varronis comprobat, illi fidem derogat: admirabilis autem, veraque consensio historiæ reuelatæ magnam illi conciliat auctoritatem, etiam apud infideles, vt taceam de auctoritate diuinæ reuelationis, qua præcipuè nititur. Nec vero solam hanc habet historia sacra, prærogatiuam respectu prophanæ ac gentilicæ, sed etiam comparatione Ecclesiasticæ, & cuiusuis personæ, etiam prophetæ, dummodo non sit in Canonem relata: vt docet idem Augustinus, lib. 18. de Ciuitate, cap. 38. postquam enim dixit libros aliquos à prophetis scriptos non esse in Canonem relatos, subiungit: *Præter quem nempè canonem si*

Matth. 10. Innocent. Cano. Augustin. Augustin.

qua iam etiam nomine verorum prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam vtrum eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est, & ob hoc eis non adhibetur fides, maximè his, in quibus etiam contra fidem librorum Canonicorum quædam leguntur, propter quod ea prorsus illorum non esse apparet. Itaque certum signum apud Augustinum historiæ falsæ, & non scriptæ spiritu prophetico est, si pugnet cum veritate, ac fide scripturæ Canonicæ. Ex quo etiam patet non esse infallibilem auctoritatem in quibusdam historijs, quæ Apostolorum, aut aliorum sacrorum scriptorum nomine circumferuntur, quia, vt ait Augustinus, vtrum eorum sit ignoratur, atque adeò ex ijs sumi nequit infallibile argumentum ad astruendam, vel negandam veritatem alicuius assertionis ad religionem pertinentis.

IV. Verùm infideles, si eorum historijs fidem non habeamus, nos cauillantur, & eodem exemplo dicunt non esse adhibendam fidem nostris, quæ Spiritu diuino dictante scriptæ sunt. Quod argumentum prosequitur Augustinus, lib. 12. de ciuitate, cap. 6. introducens gentiles asserentes nolle se adhibere fidem miraculis, quæ scripturis canonicis continentur, quia falsò conscripta sunt: sin autem volumus vt ea credant; credamus etiam nos miracula deorum suis prodita monumentis. *Quod propterea*, inquit Augustinus, *poterunt dicere, vt respondendi nobis angustias ingerant: quia si dixerimus non esse credendum, scripta illa miraculorum infirmabimus, si autem credendum esse consenserimus, confirmabimus numina paganorum.* Magna ideò est adhibenda Theologo prudentia, vt vel ex alijs principijs ostendat eiusmodi historias non esse fide dignas, quia sibi contrariæ, quia continent aliqua apertè falsa, vel contra lumen rationis, & communem hominum existimationem, vel, si hac via procedere non velit, ita prophanæ historiæ veritatem explicet, vt nullum ex ea præiudicium contra fidem nostram sumatur, quod citato loco præstitit Augustinus, inania illa miracula, quæ gentilium historijs prodita sunt, tribuens vel arti, ac solertiæ humanæ, qua applicata, naturali vi herbarum, gemmarum, ac similium multa prodigiosa fiunt, vel arti magicæ, ac dæmonum præstigijs: & hæc quidem intelligenda sunt de historijs, quæ oppugnant fidem nostram: sunt autem aliæ, quæ facto ipso non aduersantur fidei, sed modo, ac intentione: & in his, quantum fieri potest, non facilè Theologus historiam reijciat, maximè si probatos habeat auctores: sed neget eo modo, ac intentione accidisse: Verbi gratia consuetudo, quæ olim fuit in multis Ecclesijs communicandi sub vtraque specie etiam laicos, non repudietur tamquam apocripha, sed re vera fuisse concedatur: non tamen ea existimatione, quasi antiqui Christiani crederent communionem sub vtraque specie esse omnibus de necessitate salutis, sed solùm tamquam vsum sacramenti à Deo instituti, & solo diuino iure spectato non prohibiti: ex quo nó sequitur necessarium esse eum vsum, nec interdictã Ecclesiæ potestatem vetandi illum laicis iusta & rationabili de causa.

Augustin.

Hæc dicta sunt de vsu historiæ humanæ ad probanda, impugnanda, aut defendenda dogmata, ac Theologicas Conclusiones per se deducendas. Deinde inquirendum est si quo alio modo iuuent. Dicendum verò ad veros discursus Theologicos inseruire tamquam manuductiones quasdam, & veluti explicationes terminorum conducentes ad intelligendas veritates reuelatas, ad ratiocinationes vero probabiles in materia Theologica, quibus Theologicæ opiniones gignuntur, per se facere. Prior pars ostenditur, quoniam principia per se Theologiæ sunt reuelata, vt superius dictum est, ad perceptionem autem veri sensus scripturæ, & canonum sacrorum, maximè conducit peritia historiæ tam Ecclesiasticæ quam prophanæ. Historiam conducere ad percipiendum proprium sensum literalem scripturæ asserunt Augustinus, lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 28. Pagninus, cap. 36. Isagogæ ad literas sacras. Sebastianus Episcopus Oxomensis regula septima de sensibus scripturæ, Driedo, lib. 3. de scripturis, cap. 2. & plurimis exemplis patet: nam ad intelligendam prophetiam Danielis de hebdomadis, & complemento eius per natiuitatem Christi, necessaria omninò est peritia historiæ, ex ea enim contra Iudæos ostendunt scriptores sacri hebdomadas fuisse completas in saluatoris aduentu. Item cum decreta conciliorum condemnantium hæreses sumenda sint iuxta mentem, ac sensum hæreticorum, quorum doctrina reprobatur, plurimum refert ad intelligendum verum sensum decretorum scire ex historijs quid quique hæretici dixerint, & in quo

V.

Augustin. *Pagninus.* *Sebastian.* *Driedo.*

potissi-

potissimum ipsorum hæresis consisteret hoc enim cognito intelligitur verus & germanus sensus decretorum, quæ ex diametro opponuntur hæresibus. Posterior pars facilè probatur, nam argumentum ab exemplo ponitur ab Aristotele 2. Prior. c. 24. inter media probatiua: ex historijs vero probatis sumi possunt plura exempla, quæ inseruiunt ad partem Theologiæ moralem, quo argumento non semel vtuntur Theologi, maxime in ijs, quæ pertinent ad materiam dispensationis, cum ex facto aliquo Pontificis, quod ex historijs fide dignis habetur, inferunt fieri posse id, quod ab eo authoritate Pontificia semel factum est. Quo medio vsi sunt excellentes Theologi, & Canonistæ in graui illa controuersia de Matrimonio Henrici Regis Angliæ cum Catharina Ferdinandi Regis Catholici filia, quæ eiusdem Henrici fratri nupta fuerat, eoque mortuo ex Iulij secundi dispensatione nupsit Henrico, qui postea pertæsus matrimonij eam repudiauit causatus impedimentum affinitatis, in quo Pontifex verè dispensare non posset, contra vero doctores Catholici inter alias causas & rationes legitimæ dispensationis hanc reddebant, nimirum quod iam ab alijs summis Pontificibus in simili casu dispensatum fuisset. Itaque non est negandum ab historijs humanis sumi argumenta admodum probabilia ad opiniones Theologicas confirmandas.

VI. Hoc autem non intelligitur solum de historijs nostris Ecclesiasticis, sed etiam prophanis ac gentilium: nam hæ ad indagandum verum sensum testamenti veteris plurimum conducunt, vt dictum est: & ad confutandos paganos, qui illas recipiunt, vsui esse solent, vt docet Canus li. 11. de locis cap. 4. conclusione 2. Qua ratione antiqui Patres ad derogandam authoritatem falsis dijs, ipsorumet historijs vti solebant ostendentes patriam, natiuitatem, vitam, vitia, mortem ac sepulchra eorum, quos gentes pro dijs habebant: vt videre est apud Clement. Alexand. oratione hortatoria ad gentes: item ex ijsdem historijs probant multa, quæ pertinent ad veritatem fidei nostræ, miraculorum Christi, & innocentis vitæ Christianorum primitiuæ Ecclesiæ, vt videre est apud Michaelem Medinam libro secund. de recta in Deum fide cap. 9. Nec vero conducunt solum ad confirmationem veritatis fidei nostræ, sed etiam ad propugnationem & ad refellendas calumnias aduersariorum contra nostram religionem. Ad hoc instituum adhibuit Augustinus in libr. de ciuitate Dei, testimonium ex omni fere historia prophana, & Ecclesiastica ad respondendum fidei nostræ obtrectatoribus calumniantibus illam tanquam pernicioſam Reipublicæ, eo quod ex quo tempore Imperatores Romani Christiani esse cæperant, Respublica Romana labi, & pessum ire cæpisset; quos Augustin. coarguit colligens ex antiquis scriptoribus Romanis gentilibus calamitates omnes, quas ab vrbe condita ipsorum Respublica perpessa fuerat, & illas cum sui temporis ærumnis comparans longè grauiores esse probat, eodem argumento vsus est Iustinus Martyr in Apologetico, Cyprianus libr. quod idola non sint Dij, & alij, & merito: quoniam vt notat Diuus Thomas super Boetium de Trinitate quæstione secund. artic. 3. ad vltimum testimonium aduersarij est efficacius. Eodem modo recentiores Catholici controuersiarum scriptores ad conuincendos hæreticos vtuntur historijs etiam gentilium antiquorum, quos de Christianis non ex amore mentitos fuisse certum est. Quæ vero in particulari sit authoritas historiographorum, non est huius loci explicare, id fuse prosequitur Canus vbi supra capit. 6. illud dixerim cum Diuo Augustino historiam Aegyptiacam maiore ex parte fabulosam, & plenam mendacijs minimam habere authoritatem, ideoque illi præponendam esse græcam. Verum hæc etiam fabulis scatet, & in multis aberrat à veritate; Romana vero magis aliena est à fabulis: sed an sit etiam ab immoderato odio, vel amore, quo scriptores multa vera prætermittunt, & falsa apponunt, alij viderint, sane inter ipsos frequens est de ijsdem rebus dissensio, & propterea ijs historijs vtendum tanquam testibus non semper veridicis.

(·.·)

Augustin. *Iustinus.* *Cyprianus.* *S. Thom.* *Canus.* *Canus.* *Clem. Alex.* *Medin.*

De ratione naturali.

CAPVT XVI.

I. QVod attinet ad rationem naturalem, duæ extremæ sententiæ vitandæ sunt: altera eorum, qui multum rationi tribuunt: altera eorum, qui nihil. Hunc secundum errorem imbiberat Felician. in dialog. cum August. in alterum declinarat, Felician. Consentius. Consentius in Epistola ad eundem, hic autoritate, ille ratione de rebus diuinis agi volebat. Nec desunt qui re ipsa vtriusque fautores sint, quidam enim potius in Philosophiæ, quam Theologiæ scholis versari videntur, ita rarò de scripturis loquuntur, ita leuiter argumenta ab eis petita tractant, contra vero in Philosophicis excutiendis ita sunduntur, quasi hæc præcipua sint principia Theologiæ, illa ascititia ac peregrina. Mitto eos, qui, vt est apud Eusebium libr. 5. histor. Ecclesiast. cap. vltim. & Eusebius Augustin. Bernard. Augustin. in Epistola ad Dioscorum 56. & Bernard. Epistola 190. rationem autoritati præferentes totam disputationem Theologicam syllogismis absoluunt, &, vt ait S. Thom. Diuus Thomas quæst. 2. de Trinitate ar. 3. ea, quæ sunt fidei, volunt, vt includantur sub metis Philosophiæ, Theologiam nihil aliud credentes, nisi quod per Philosophiam haberi potest, quasi rusticitas q̃dam sit sola autoritate niti, quorum mentem expressit Felicianus Felician. citato dialogo cum Augustin. *Nihil*, inquiens, *deterius puto, quam quod sic præcepta fidei rudibus traditis, vt non de intelligendarum rerum ratione, sed potius de quadam testimoniorum ostentatione colloquentibus præscribatis: quod nunc non dicam fatuum, sed quam rusticum sit, nullus ignorat.* Contra vero alij ita rationes naturales ac philosophicas execrantur, vt fidei venena, vel vt superflua additamenta, sine quibus, & fides, & veræ sapientiæ studium, & Theologica scientia consistere per se possint, quod Hieron. sumunt ex Hieronymo in caput 10. Matt. nolente vt doctores Euangelici humanæ ratiocinationis præsidijs nitantur: *Quia huiusmodi*, inquit, *virga & baculus arundineus est, quem si paulum presseris frangitur, & manum perforat incumbentis.* Quibus verbis duo indicat incommoda, quæ Theologis accidunt ex vsu rationis humanæ, alterum est incertitudo veritatis, non enim ratio naturalis est firmũ fundamẽtum illius, quod significatur verbo illo, *frangitur*, quia scilicet in rebus supernaturalibus ratio naturalis nutat, nec firmiter fulsit intellectum, sed deficit: alterum est erroris periculum, quod sonant illa verba: *manum perforant incumbentis*: quia scilicet qui ratione naturali innituntur, non rarò falluntur, & hæresum aculeis transfiguntur, vt accidit Pelagianis, Arrianis, & alijs.

II. Inter extremos errores media sententia scopum veritatis attingit, quam explicat August. Epistola ad Consentium, & in Augustin. Henricus. responsione ad Felician. & probat Henricus in su. ar. 16. q. 7. & 8. Ea vero rationem admittit, & principia scientiarum naturalium: non quidem vt dominentur ac præualeant, sed tanquam administras fidei ad indagandam Theologiæ veritatem: quod fusius ostendi tractat. 1. cap. 5. dupliciter autem potest ratio vsui esse Theologiæ: nempe vel ad principia reuelata intelligenda, & probanda: vel ad conclusiones ex ijs deducendas. Etenim scripturæ sacræ, cum sint admodum obscuræ, frequenter in ipso cortice literæ præferunt quosdam sensus, qui videntur à ratione abhorrere, quorum absurditatem cum ratio intuetur, mouetur ad verum sensum inuestigandum: & in hac re nequaquam est reprehendendus vsus rationis naturalis, imo laudandus. Hoc modo vsus est Nicodemus: nam cum CHRISTVS dixisset Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*, ipse rem nõ capiens interrogauit, *quomodo potest, homo nasci cum sit senex*, non de doctrina Christi dubitans, sed de modo natiuitatis: & meruit audire à CHRISTO verum sensum sententiæ illius obscuræ: Similiter Lucæ 1. Beatissima Virgo dubitauit de modo, quo virgo cum foret, conceptura esset CHRISTVM. Sed quoniam non semper ratione, ac studio potest verus sensus agnosci, cedat ratio fidei, & plus æstimet testimonium primæ veritatis, quam proprij intellectus: hanc enim in his euentis captiuare oportet in obsequium fidei: sicut fecit virgo Sanctissima, quæ non audiuit ab Angelo modum, sed auctorem conceptionis, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, & nihilominus credidit subijciens propriam rationem, ac voluntatem diuinæ authoritati ac beneplacito illis verbis: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Cum ratio reddi vel percipi non potest, sola autoritas tenenda est, vt bene respondit Augustinus Feliciano, nam cum proposuisset eius obiectionem illis verbis: *sed melius inquis ratione quis, quam testimonio edocetur.* Subdit responsionem: *Quid ergo? quam ra-*

Ioan. 3. Luc. 1.

quam rationem efferre potes, si partum prædicas Virginis? si redditos oculos non negas cæcis? Si sepultos rediisse ostendis à mortuis: si ergo & in comprehensibilis ratio, & veritas proposita est, facilius in negotiis fidei testimonijs creditur, quam veritas inuestigatur. Itaque in ijs, quæ rationem superant, submittenda est ratio diuinæ autoritati, hoc tamen non obstat quo minus ratio etiam adhibeatur, qua sententiæ propositæ congruentia, vel obscuritas expendatur, cum Paul. dicat primæ ad Thessalon. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Atque ita in hoc sunt duo pericula: alterum si quis ita rationem reijciat, vt absque delectu, & scrutatione veri sensus scripturæ absurdas, & à ratione, imo à fide abhorrentes sententias defendat, quia putat reuelatas: alterum si quia sententia reuelata primo aspectu præfert speciem absurditatis absque alia veri sensus indagatione illam reijciat, vel etiam si intelligat, non credat, quia putat repugnare: Ita Pharisæi, & alij ex Iudæis, imò ex discipulis Christi cum audissent ab eo Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, existimantes Christum suppeditaturum hominibus carnem suam, & sanguinem eo modo, quo animalium carnes eduntur, & sanguis à nonnullis gentibus ebibitur, absurditatem sententiæ in eo sensu reputantes scandalizati sunt negligentes exquirere, aut expectare à Christo modum, quo esset id facturus: & ideò incredulitatis culpam incurrerunt. Alij quoque gentiles aut hæretici intelligentes veram, & germanam sententiam scripturæ, non credunt tamen, quia secundum suam rationem absurdam, vel impossibilem iudicant: quorum sententiam ex instituto impugnat Michael. Medina libr. 7. de recta in Deum fide capit. 15.

III. Porro ea, quæ per se reuelata sunt de mysterijs diuinis, non possunt per rationem naturalem euidenter ostendi, & ob eam causam dicunt sancti Patres non suffragari ratiocinationem in ijs, quæ sunt fidei, ita Chrysostomus in capit. 11. Epistolæ ad Hebræos homil. 22. & alij. Non est tamen negandum afferri posse verisimiles rationes ad plura vtcunque suadenda, vt monet sanctus Thomas quæstion. secund. super Boetium de Trinitate articul. tert. & notat fecisse Augustinum in libr. de Trinitate ad manifestandam Trinitatem: ipse vero Diuus Thomas id feliciter præstitit libris contra gentes: & multi Patres ex quibusdam rebus naturalibus resurrectionem mortuorum probabiliter ostendunt. Verum cum eiusmodi rationes nequaquam sint demonstratiuæ, non ita vsurpari debent à Theologo quasi sint præcipua motiua, ac fundamenta fidei nostræ: nam spectato solo lumine naturæ non cogunt intellectum, atque adeò irrisui erimus Philosophis alienis à vera fide, existimantibus Christianos ob leues rationes credere, quod notauit Diuus Antoninus 4. part. §. 11. cap. 4. post Diuum Thomam quodlibet. tert. quæstion. 14. articul. secund. vbi agit de creatione mundi ex tempore, quam non nulli rationibus ostendere conantur: quæ quia solui possunt à Philosophis irridendi illis occasio præbetur: si putent ob eas rationes Christianos credere mundum incepisse, & non propter reuelationem, & verbum Dei, vt ait Paulus ad Hebræos 11. *Fide credimus*, & cætera, quem locum expendens Gregorius Nyssenus disputatione de anima, & resurrectione sic habet: *Non vt opinor hoc dicturus*, nimirum Apostolus, *siquidem per ratiocinationes id, quod quæritur agnosci posse putaret.* Inseruient quoque eædem rationes ad soluenda probabiliter argumenta infidelium impugnantium fidei veritatem, vt ait Henricus in summ. articul. 16. quæstion. 7. ad tertium: præter hæc alterum rationis munus in ordine ad fidem subijcit Diuus Thomas super Boetium de Trinitate quæstion. 2. articul. 3. nempe, vt ea, quæ naturali lumine cognosci de Deo possunt, & sunt fidei præuia demonstret. Verbi gratia, Deum esse vnum, incorporeum, & similia. Hæc de vsu rationis naturalis ad principia Theologiæ intelligenda, suadenda, tuenda, quem non solum agnouit Durandus, & alij, qui hoc potissimum munus Theologiæ esse crediderunt: sed Patres etiam atque Doctores, qui non contemnendam in hac re operam collocarunt, petitis ab ipso naturali lumine rationibus ad fidei dogmata illustranda: sed vt notat Henricus artic. citat. quæstion. 8. & probat ex Augustin. semper autoritas debet præcedere, ratio subsequi instar pedissequæ.

Alius huius loci vsus, & magis familiaris Theologo est assumptio principiorum naturalium ad conclusiones Theologicas deducendas. Nam si vtatur opinionibus inter Philosophos probabilibus simul cum principio aliquo reuelato, acquiret quidē opinionem ad materiam Theologicā pertinentem,

S. Anto. *S. Thom.* *ad Hebr. 11.* *Nyssen.* *Henricus.* *S. Thom.* *Henricus.* *Augustin.*

tinentem, non vero habitum Theologicum, vt dictum est in superioribus: si vero simul cum principio aliquo fidei assumat principium aliquod naturale per se notum, vel conclusionem in aliqua scientia demonstratam, tunc demum conclusioni ex ijs deductæ præstabit assensum verè Theologicum, quo habitus eiusdem generis producatur, vel augeatur, vt est communior sententia Theologorum citato loco explicata. Ita ex hac parte non repugnat principium naturale per se concurrere ad assensum Theologicum, non quidem vt ea, quæ credimus, clara intelligentia capiamus, vt ait Henricus in sum. art. 16. quæst. 7. alludens ad suam opinionem, sed vt ad eorum, quæ sunt mediate reuelata, formalem explicitamq; notitiam perueniamus. Hoc in dubium verti potest an conclusiones Theologicæ per se, ac necessario pendeant ex huiusmodi principijs naturalib', an vero dari Theologia possit absque ope à scientijs naturalibus emendicata. Diuus Thomas 1. part. quæstion. 1. art. 5. ad secundum, & in secundo scripto quæstio. 2. prologi articul. 2. ad secundum, & Henricus in summa art. 7. quæst. 9. sentit Theologiam non sumere principia ab alijs scientijs tanquam superioribus, sed vti ijs tanquam inferioribus & ancillis, & hunc ipsum vsum non esse propter defectum, vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri: qui ex ijs, quæ per naturale lumen cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem, & in Theologia traduntur. De superioritate Theologiæ ad alias scientias iam dictum est supra, nunc considerandum an indigeat scientijs naturalibus, & eorum principijs. Thomistæ communiter non agnoscunt vllam in Theologia indigentiam principiorum naturalium. Probatur primo quoniam in quauis scientia sunt propria principia, à quibus, & non ab extraneis procedere debet: Theologia est scientia per se ab alijs distincta: ergo non debet sumere ab ijs sua principia. Secundò, quoniam Theologia est sapientia, & superior omni scientia naturali, multò magis quam Metaphysica: hæc autem non eget principijs scientiarum naturalium: ergo nec Theologia. Tertiò, si Theologia per se penderet à principijs naturalibus, fieri nullo modo posset, vt habeatur assensus Theologicus absque assensu eorum euidente: hoc autem non est necessarium: ergo neque id, ex quo sequitur verum. Sequela maioris ostenditur: quoniam assensus conclusionis per se pendens ex principijs, nulla virtute haberi absque illis potest, ab ijs enim sumitur ratio formalis motiua: ideoque, si principia naturalia requiruntur per se ad assensum Theologicum, is sine illis esse nequaquam poterit. Assumptio vero est manifesta: nam si Deus eadem principia re vellet inseruire, multò melius poterunt discursui Theologico fide sola credita, quam si lumine naturali intellectus euidenter agnoscantur.

S. Thom. *Henricus.*

V. Principia naturalia, de quibus est sermo, considerari possunt vel materialiter in se quoad solam veritatem obiectiuam, vel formaliter, pro vt hoc, vel illo genere assensus approbantur: si priore modo considerentur, per se ac necessariò requiruntur ad assensum conclusionis ex ijs deductæ: Fundamentum est, quoniam omnis assensus non immediatus, & veritas propositionis mediatæ per se pendent ex veritate principij, & ab assensu eius præstito: assensus Theologicus, vtpote discursiuus, non est immediatus: necessariò ergo pendet ex veritate principij materialis, ex quo deducitur, & ex assensu in illud cadente, exempli causa consideremus hanc propositionem: *Christus habet verum corpus humanum, non phantasticum*, quatenus solum habetur per discursum ex hac; *Christus est homo*, nisi subsumatur principium illud naturale: *Homo constat vera carne, & corpore humano*, nequaquam concludi poterit: atque adeò si principium hoc naturale per impossibile non esset verum, ex vi huius propositionis reuelatæ, CHRISTVS *est homo*, nequaquam inferretur illa: CHRISTVS *constat vero corpore humano*. Quare assensus, qui fertur in illam, vt deductam ex illo principio reuelato, pendet etiam necessariò ex veritate principij illius naturalis, pro vt terminat aliquem assensum certum, ita vt non aliter per actum Theologicum agnosci possit, si vero principia eadem considerentur formaliter prout substant assensibus euidentibus eiusdem rationis cum ijs, quos habent Philosophi naturales, siue immediatè ex terminis, siue per demonstrationem, per se quidem concurrunt ad gignendum assensum Theologicum, quando assumuntur à Theologo, non tamen omninò necessario, ita vt is aliter produci nequeat. Prius dictu constat, quoniam effectus in actu requirit causam in actu: atque adeò effectus per se necessariò pendens ex

dens ex aliqua coordinatione causarum requirit causas actu coordinatas, & per se ipsum concurrentes, licet aliqua ipsarum suppleri posset per concursum alterius: quo pacto ad generationem prolis per se concurrit mas & fœmina, licet concursus, siue coordinatio horum in particulari non sit necessaria ad generationem eiusdem speciei: assensus autem discursiuus per se pendet à duabus præmissis secundum formam syllogisticam dispositis, ergo quamuis admittamus assensum naturaliter euidentem vnius principij discursus Theologici, sub ea ratione formali non esse necessarium, & suppleri posse per assensum fidei circa idem principium materiale, nihilominus quando id actu assumitur ab assensu euidente, ppriè ac per se concurrit ad productionem assensus Theologici. Non concurrere autem necessariò, ita vt aliter suppleri nequeat, constat ex probatione assumptionis tertij argumenti, nempe, quia si idē principiū reuelaretur, & sub assensu fidei assumeretur ad eius conclusionis deductionem, adhuc gigneret assensum Theologicum, quod corroboratur: nam tunc ille discursus esset circa idem subiectum Theologiæ materiale, ac formale: noua enim reuelatio principij naturaliter euidentis non extrahit illud à ratione formali motiua Theologiæ, imò multo magis secundum eam perficit: ergo gigneret actum Theologiæ: atque adeò principium idem, quatenus sumitur sub assensu naturaliter euidente, non est omnino necessarium ad Theologiam: sed secundum quid, & pro hoc statu, quo non omnia ex lumine diuino agnoscimus.

VI. Et hæc sententia est D. Thomæ, & eorum, qui negant vsum aliarum scientiarum necessarium esse Theologiæ: nam assumptio principiorum materialium ad illas pertinentium sub lumine reuelationis, non est vsus earum: assumptio vero eorundem sub ratione formali ipsarum, & lumine rationis euidente non est necessaria simpliciter, vt patet ex dictis. Quamquam ego crediderim Diuum Thomam, & Henricum non loqui ad hunc sensum, scilicet quando vna solum propositio naturalis assumitur, sed quādo totū mediū est naturale: vt patet ex eo, quod Diuus Thomas subdit, vsum scientiarum in Theologia dari, non propter insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex ijs, quæ per lumen naturale cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quæ sunt supra rationem: quibus verbis indicat ex parte Theologiæ reuelatæ non esse defectum principiorum, aut indigentiam, vt ea sumat à scientijs naturalibus: idem fere docet Henricus in summ. artic. 16. quæstion. 7. in solutione ad argumenta, quod solum verum est, si intelligatur de medijs adæquatis, & completis, quæ Theologia non necessario mutuatur à scientijs naturalibus, sed ijs interdum vtitur ad manuductionem: quoniam per se non faciunt assensum Theologicum, sed disponunt intellectum, vt modo connaturali accommodatius percipiat demonstrationes Theologicas: idque etiam ex eo patet quod principia, ex quibus per se infertur conclusio, non propriè dicuntur manuductiones, sed per se causæ assensus. Verum quocumque modo Diuus Thomas intelligatur, non est contra traditam doctrinam. Ad primum argumentum respondet Diuus Thomas citata quæstione 2. super Boet. artic. tert. ad secund. scientias, quæ habent ordinem inter se, posse vicissim alteram principijs alterius vti, quomodo se habent scientiæ posteriores respectu principiorum: nam metaphysica, quæ quoad acquisitionem est posterior alijs scientijs naturalibus, vtitur ipsorum principijs, & conclusionibus, quando procedit à posteriore: eodemque modo Theologia, quia supponit scientias naturales, sicut fides & gratia supponunt naturam, potest vti principijs ipsarum, vel conclusionibus in ijs demonstratis. Ex quo etiam patet solutio ad secundum, assumit enim falsum: nempe Metaphysicam non vti aliarum scientiarum principijs, aut conclusionibus: sed quoniā cum metaphysica procedit à priore via accuratæ cognitionis, nihil sumit à scientijs naturalibus, responderi secundo potest diuersam esse rationem in Metaphysica, ac Theologia: nam Metaphysica, cum agat de ente in communi, ratione subiecti non subest alteri scientiæ, cuius principia contracta ad propriam materiam vsurpare possit, Theologia vero agit de subiecto particulari primario, & de secundario per multa rerum genera dispersa: & ideò possunt illi vsui esse principia aliarum scientiarum quæ sunt de subiectis, sub quibus cōtinentur ea, de quibus ipsa agit. Exempli causa quia Deus continetur sub ente, ad demonstrāda aliqua diuina attributa vtitur principijs Metaphysicis, quia Christus continetur sub homine: ad demonstrandas de illo passiones naturales hominis vtitur principijs Philosophiæ naturalis, & sic in

S. Thom. *Henricus.*

S. Thom.

cæteris.

cæteris. Ad tertium distinguenda est major propositio: & si intelligatur de causa per se omnino necessaria, & vnica concedatur, sed in eo sensu est falsa assumptio, vt constat ex dictis: si vero intelligatur de causa per se non omnino necessaria, neque vnica negetur: Ad probationem. Respondetur rationem formalem non sumi ex vno, vel altero principio, sed ex duobus simul, ex quibus coalescit vnum integrum medium, & vna ratio formalis completa: at verò, si sit vnum saltem principium reuelatum, semper medium manet ineuidés, ac reuelatum: & idcirco mutatio alterius principij de non reuelato in reuelatum nó mutat ineuidentiam connexionis, & motiui, vt dictum est tractat.3. cap.5. & consequenter etiam non mutat speciem assensus per eiusmodi motiuum producti.

VII. Hinc etiam patet responsio ad authoritatem D.Hieron. & reliquorum Patrum antiquorum, qui parum aut nihil rationi naturali tribuere videtur in ordine ad doctrinam reuelatam: non enim excludere volunt moderatum vsum illius sub regula fidei: sed duo præcipue intendunt, alterum est, ne fidei dogmata ad rationis trutinam expédamus, quasi ea solum probanda sint, quæ noster intellectus rationis lumine, ac discursu naturali vera iudicarit: quod absurdum est, quia reuelata sunt ordinis supernaturalis, ac diuini, & ita fugiunt perscrutationem, & comprehensionem intellectus humani, nisi supernaturali fidei lumine collustretur: alterum vero est, ne fidei, ac religionis nostræ fundamentum in ratione naturali reponamus: quasi completa ratio credendi, vel etiam medium integrũ discursus Theologici haberi possit ex naturali lumine intellectus, & hoc indicauit Hiero. cum rationem naturalem appellauit baculum arundineum, qui frangitur: nã, si quis ratione sola niti velit ad dogmata fidei, & Theologiæ tuenda ex fragilitate motiui resiliet à veritate, vt contigit Origeni teste D.Tho. vbi supra opusc. 70. super Boet. de Trinit. Berengario, & alijs hęreticis: qui plus iusto tribuentes propriæ rationi, ac discursui, à fide naufragauerũt: non quod vera philosophia fidei aduersetur, sed error, & abusus eius, vt ibidem notat D.Tho. His autem duobus scopulis euitatis non reijciunt Patres vsum rationis naturalis, & principiorum, quæ naturali lumine innotescunt: nam ipsi quoque ad res Theologicas explicandas post authoritatem fidei rationes etiam vsurparunt, vt videre est apud August. in lib. de Trinitate. Anselmum, Damascenum, & alios.

S.Thom.

TRACTATVS VLTIMVS, DE SVPPOSITIONE QVID NOMINIS & quod sit Deus.

ANte cuiusuis scientiæ exordium supponendum docet Aristotel. ib.1. Poster. initio de subiecto quid sit & quod sit: hoc est, quæ sit notio, siue ratio significata per nomen, & quod existat. Nam si significatio nominis ignoretur, frustra impendetur labor: & ideò Philosophus lib.4. Metaphysic.tex.10. monet vt disputaturi de re aliqua conueniant primo in significatione terminorum, quibus vtuntur: alioquin nec vnius ad se, nec ad alterum potest esse sermo, si vero subiectum sit res fictitia carens existentia, scientia quoq; inanis, & comentitia erit. Sufficit autem tradere notionem nominis vulgarem vsurpatam cõmuniter apud oẽs doctos, & indoctos, qui de Deo cogitant, vel loquũtur, nam de accurata libro secundo agendum est. Quod vero attinet ad ipsum quod est, non probãdum, sed supponendum potius erat esse Deum ex fide, ac naturali lumine rationis, cuius ductu Philosophi, vt autor est Apostolus ad Roman.1. in veri numinis agnitionem peruenerunt. Verum quia est primum fidei, ac Theologiæ fundamentum, & non desunt insipiẽtes, qui dicant *in corde suo non est Deus*, Psal.13. Psal.13. imo & proterui, qui id ipsum voce pronuntient, oportet id ex naturæ principijs ostendere: quoniam vero per se nota non solent probari, sed supponi, prius indagabo vtrum Deum esse sit per se notum, an vero ratione aliqua demonstrabile.

Aristotel.

ad Rom.1.

Dei nomine significatur id, quo maius aut melius cogitari nequit, id vero esse in rebus, omne fere hominum genus agnoscit.

CAPVT I.

I. NOmen Dei, quantum ex omnium gentium monumentis licet conijcere apud omnes vsurpatum est iuxta vniuscuiusq; idioma: omnes autem eo nomine significari intelligebant rem aliquam superioris ordinis, & ab ijs rebus, quas agnoscimus segregatam, impermistam, in se ipsa existentem, à quouis alio principio independentem, deniq; optimam, qua melius cogitari nihil possit. Recte enim Richard. de S. Victore li.1. de Trin. ca.20. *Contingere videtur*, inquit, *quasi quadã dote naturæ, quod cuncti pene tam eruditi, quã minus eruditi soleni*

Richard. de sanct. Victor.

habere

habere familiare, & quasi pro regula tenere Deo videlicet quidquid optimum iudicant incunctanter attribuere. Quam notionem supponebat antiquior Zenon, qui apud Arist. in lib. de philosophia, vt refert August. Eugubin. li. 3. de perenni philos. ca. 5. ex eo, quod Deus esset optimus, vnũ esse demonstrabat, atq; adeo ex oppositio sequi cõtendebat nõ esse Deum, nisi esset optimus, eandẽ notionem agnouit Xenoph. vt ex Theophrast. refert simplicius in primũ li. Phys. nam inter alia illud à Xenophane dictũ ait, optimũ autem omnium, ac præstantissimũ Deus est, hanc ipsam indicauit Arist. li. 12. Metaph. tex. 12. cum *Deus*, inquit, *Optimus*, eandẽ respexisse videtur Simonides Philosophus cuius meminit Marc. Tull. li. 1. de nat. Deor. qui rogatus ab Hierone Syracusarum Tyranno quid esset Deus, tempus ad cogitandũ postulauit, post quod iterũ rogatus plus tẽporis expoſcit, & tandẽ respõdit, quanto diutius cõsidero, tanto videtur res obscurior, nam ex præconcepta opinione quod Deus esset id, quo melius cogitari non posset, experiebatur se non posse cogitando assequi quid esset Deus, quoniã quauis re cogitata semper aliquid excellentius occurrebat. Tandem, vt alios Philosophos omittam Lactant. li. 6. Instit. c. 24. ante mediũ valde approbat dictũ illud à Seneca in exhortationibus, *Magnũ nescio quid, maiusq; quã cogitari potest, Numen est, cui viuendo operam damus.*

II. Porro apud nostros idẽ supponit Mag. Dionys. & alij Patres referẽdi li. 3. tract. 2. cũ aptiorẽ modũ cognoscendi Deũ aiũt esse per negationes, q̃ per affirmationes: nam quacumq; affirmatione perfectionis à nobis cognitæ potest semper anim⁹ perfecti⁹ aliquid esse cogitare, q̃ cum de Deo negat aliquid, in ipso multo excellentius esse cogitat, q̃ quod vel cogitãdo assequi, vel verbo exprimere possit, ex quo natum est, vt idem Dionysius cum de Deo loquitur, nõ tribuit illi simpliciter perfectiones eas, quas nominib. vsitatis de creaturis p̃dicamus, sed addito termino [super] non enim absolutè Deum appellat substantiam, sed supersubstantiam, non intelligibilem, sed superintelligibilẽ, q̃ conceptio, siue notio Dei est cõmunis omnibus Christianis, & ideo Tert. li. 1. aduers. Marcion. a. c. 3. ait nomine Dei intelligi *Summũ Magnũ*, Bern. li. 5. de cõsid. c. 7. id *quo nihil melius cogitari potest* August. aũt li. 1. de doct. Christia. ca. 7. id, *quo nihil maius cogitari potest*, eamq; ait esse omniũ conceptionem, q̃ sequuntur Anselm. in Prosolog. c. 2. 3. & 4. & li. cont. insipientẽ, Altisiod. lib. 1. sum. c. 1. Alens. 1. p. q. 3. m. 1. Alber. in sum. tract. 6. q. 29. m. 1. ar. 1. in arg. 7. Bonau. in 1. dist. 2. q. 1. Aegid. dist. 3. 1. p. 1. part. principal. q. 2. Tolet. q. vn. a. 2. & Abul. q. 2. in c. 5. Exod. tandem nomine Dei significari primũ, & perfectissimũ in entib. docent Durãd. in 1. dist. 2. q. 1. n. 4. & 6. Ocham. q. 10. initio, & quodl. 1. q. 1. Heruæus in 1. d. 2. q. 1. Bassol. q. 3. ar. 1. Gabr. in 1. dist. 2. q. 10. ar. 1. Not. 2. Alliac. q. 3. ar. 3. lit. CC. Andr. de nouo Castro. d. 2. q. 4. initio, & Dionysius Cistercien. q. vnic. ar. 1.

Quod attinet ad suppositionẽ quod est Deus, cõmunis quoq; fuit apud oẽs gentes, vt infra dicam, non defuerunt tamen insipientes & impij, qui eã in dubiũ reuocarũt. Primus vero omniũ, qui de diuinitate dubitauit, fuit Protagoras, expresè vero negarunt Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenæus, & Euemerus Tegeates quorũ meminit Marc. Tull. li. 1. de nat. Deor. in principio, Plutar. li. 1. de placitis Philosoph. c. 7. Lactant. li. 1. diuinarũ instit. c. 2. & li. de ira Dei c. 9. Euseb. li. 14. de p̃parat. Euangelica c. 6. Augu. li. 3. contr. literas Petiliani c. 21. & Theodoret. li. 2. græcarũ affect. in fine & li. 3. in principio. In q̃ voraginẽ nostro sæculo nonnulli tandẽ prolabuntur, quia de hæresi in hęresim trãseuntes, cum in ijs veritatis fundamentũ nõ reperiãt, vt inquietæ cõscientię stimulos obtundãt, fidei primũ fundamentũ euertunt, & propria vtilitate omnia metiuntur: ex quo factu est, vt Athei cũ politicis mirifice cõueniãt, vel potius ijdẽ omnino sint, qui nil curãt de veri numinis cultu, sed omnia ad externã Reipublicę gubernationẽ referũt, vt videre est apud Stanislaum Resciũ lib. 1. de Atheismis Euangeliorũ c. 10. Quorũ ego fundamẽtũ aliud nõ video p̃ter insciti, & impietatẽ: nam quia Deum ipsismet oculis non vidẽt, nec sicut creaturas cũ materia cõcretas sensuũ, & intellect⁹ agẽtis ope facilè intelligũt, & ab eius inquisitione, ac veneratione flagitiorum pondere retardantũr, vt liberius effrænatis animi appetitionib. indulgeant, existimationẽ, memoriam, ac timorẽ Dei prorsus ab animo repellũt: forsan & aliqua occasio impiæ illi existimationi fuit eorũ, q̃ in mũdo fiunt, varietas: siquidẽ videmus plerosq́ viros sapientia, & virtute præstantes ab impijs ac sceleratis, prædæ contemptuiq́ haberi: contrà alios, qui iura omnino diuina, atque humana peruertũt, prospera fortuna vti, vt proinde hæc casu euenire, nõ vni⁹, cui omnia obediant, prouidentia gubernari videantur.

IV. Ex locis Theologicis pleriq; autoritate cõtinentur, solũ vnũ ratio obtinet, & quoniam, vt ait Aug. li. de vtilit. credend. c. 16 *Sola est autoritas, quæ cõmouet stultos, vt ad sapientiam*

S. Bonau. Aegyd. Toletan. Abulens. Durand. Ocham. Heruæus. Bassol. Gabriel. Alliacens. Nouo Castro. Cistercien.

III.

Protagoras. Diagoras. Theodorus. Euemerus. Tullius Plutarch. Lactant. Eusebius. Augustin. Theodoret.

Stanisl. Resc.

Augustin.

pietiã feſtinẽt, maximã vim habere debet apud Atheos, quos Regius vates merito inſipientes appellauit Pſa.13.& 52. ea vero ad
Pſ.13.& 52. aſtruẽdã deitatẽ maxima eſt, nec forsã erit vlla alia aſſertio, ad q̃ cõfirmandã tot ac tã grauia teſtimonia afferri poſſint, & quidẽ priora, q̃ ex diuina autoritate ſumuntur, apud Chriſtianos valere plurimũ debẽt, æquũ.n. eſt, vt ait D. Hilarius li.1.de Trinit.
Hilarius. vt Deo de ſe ipſo loquenti fidẽ habeamus, cũ nulli magis notus q̃ ſibi ipſi ſit, & proinde falli nequeat: nec vllum ex noſtra fide emolumẽtũ illi accreſcat, & proinde fallere nõ debeat, diuinitatẽ vero eſſe aliq̃ ab vniuerſæ creaturæ natura, & ꝛõditione ſegregatã vtriuſq; teſtamẽti pagina teſtatur: & ob eã cauſam legislator, & interpres Dei Moyſes librũ Geneſeos à creationis texit
Geneſ.1. exordio, *in principio*, inquiens, *creauit Deus cælũ & terrã*, vt ex eo cognoſcere homines poſſint Deũ cæli, & terrę cõditorẽ alterius eſſe ordinis, atq; naturæ ab ijs rebus, quas ipſe cõdidiſſet: & à ſe, ac per ſe ſubſiſtere ab omni alio principio indepẽdentẽ. Hanc deitate ſententiã ſeu potius fidẽ cæteri oẽs ſcripturæ ſacræ libri frequenter vſurpant, hanc omnis ab Adamo fidelium cætus per manus à primo genitore traditam vſq; ad Moyſem, hanc à Moyſe vſq; ad Chriſtum Synagoga, hãc Eccleſia ſponſa Chriſti doctrina ipſius, & Apoſtolorũ illuſtrata, hanc inter Apoſtolos primus Petrus, & oẽs Romani Pontifices eius ſucceſſores, hanc Paſtorũ concilia, hanc Patrũ & Doctorũ monumenta, hanc populi oẽs Chriſtiani libera voce recipiunt, ac ꝓfitẽtur tanq̃ primũ caput, ac fundamẽtũ veræ fidei, ac religionis primis ſymboli verbis contentum, *Credo in Deũ*. Quæ teſtimonia apud Chriſtianũ, verã & indubitatã fidẽ, apud q̃uis cordatum exiſtimationẽ aliq̃ gignere debẽt: vt ſaltẽ animũ applicet ad inquiſitionẽ eius veritatis, q̃ populorũ omniũ optimus, & ſapientiſſim⁹ à ſuperiore aliquo principio traditã amplectitur. Iam. n. apud eos qui hanc veritatẽ non admittunt, non ex fide diuina, q̃ rident, quia Deũ negant, ſed ex humana, q̃ ſi homines ſunt, ſuſcipere debẽt, agẽdũ eſt. Ea vero maxima eſt in Eccleſia, vt eſt cętus hominũ propter maximã ſanctitatẽ, ſapientiã, antiquitatem: cultus enim & agnitio Deitatis cũ ipſo mũdo cæpit, & cõtinuata traditione ex tunc ad noſtra tempora deriuata eſt. Et quamuis ipſi cum Ariſt. mundũ eſſe ſempiternũ putent, tamen ex nulla antiquitatis memoria producent æquè antiquam traditionẽ ſui erroris, ac nos oſtendimus traditionẽ veritatis: ꝙ inde prouenit, quoniam primi illi homines ab Adamo, & eius poſteris diuinitatis opinionem acceperant, quã nõ niſi poſt multũ tẽporis aliq̃ ex omniũ ſcelerum colluuione conflati depoſuerunt, & in atheiſmum demerſi ſunt.

V.

Poſt autoritatem diuinam ex ſcriptura, & traditione Eccleſię à primo parẽte generis humani ad noſtra tẽpora, quã quia Deũ negat, cõtẽmnit Atheiſta, ſequitur vniuerſi generis humani autoritas, & omniũ gentiũ teſtimoniũ, quod nulla alia de re tã mirifice cõſentit, quã de exiſtẽtia diuinitatis, nã, quãuis plurimi in veri numinis cognitionẽ minimè peruenerint, omnium tamen vnus ſenſus, vna vox eſt ſuperiorẽ aliquã vim, ac numẽ eſſe, à quo res humanę pẽdeãt, ac gubernentur. Ad cuius rei cõfirmationẽ non ſingularib. hominib⁹, ſed imperijs, Regnis, rebuſpublicis, prouincijs, vrbibus vtedum eſt: ſi. n. vel ad ꝑcipuas mundi monarchias, vel priuatas Reſpublicas attendamus, ſemper aliquẽ numinis cultũ fuiſſe cõperiem⁹: nõ curo aũt modo an indeterminato obiecto cultus errauerint, nõdum.n. ago de vnitate Dei, ſed ſolũ hoc cõtendo in ijs omnib. fuiſſe, aliquã notitiã, & cultũ numinis: Chaldæos, ac Babylonicos coluiſſe Deos cõſtat ex Hierem. qui in Epiſtola, q̃ refertur Baruc. c.6. Iudæis ductis in captiuitatẽ *Baruc. c.6.* ſuadet, ne decipiãtur, aut aſpectu ſtatuarũ ex auro argentoq; confectarũ ad inanium Deorum cultũ pertrahantur, eundẽ vſum fuiſſe apud Aſſyrios cõſtat ex eo, quod ij, qui à Salmanaſar translati ſunt in Samariã, proprijs idolis ſacrificabant, vt conſtat ex li.4.Re.c.17.& iam olim Labam Deos co- *4.Reg.17.*
lebat, quos eſt furata Rachel cum viro ꝓfecta de Meſopotamia, vt narrat ſacra hiſtoria Geneſ.31. Aegyptios habuiſſe Sacer- *Geneſ.31.*
dotes habetur in ſacra Geneſi cap.41.45.& *Gen.41.45.*
47. Perſas, Græcos, ac Romanos ex vulga- *& 47.*
tis hiſtorijs. Itaq; gentes oẽs deitatis aliquẽ reſpectũ habuerunt: adeò vt nulla fuerit tã immanis ac barbara, quã nõ imbuerit aliqua diuinitatis opinio. Contra vero impij deitatis oſores gentib. omnibus comparati pauciſſimi ſunt, nec vlla prouincia, Regnũ, Reſpublica, aut ſaltẽ ciuitas integra aſſignabitur, in qua publica autoritate, & concilio viguerit Atheiſmus. Ex quo facilè vera ſententia oſtenditur in hunc modũ: cõmunis omniũ de diuinitate exiſtimatio vel naſci potuit ex ſuperiore aliquo inſtinctu naturę indito, vel ex doctrina ipſius Dei, vel ex ſtudio, ac doctrina ſapientũ, à quib. reliqui didicerũt, vel ex alicuius peruerſitate vniuerſum genus hominũ decipere volentis. Hoc vltimum minime credendũ eſt, nam naturę bonitas ac rectitudo eſt prior vitio & curuitate: atq; adeo ſi deitatis opinio ex

hominum

hominũ malitia incepisset, ꝓcedere omnino debuisset opposita sententia, q̃ Deum negat: at huius initiũ, & primos assertores scim', illa est antiq̃ssima, & cũ ipsis hominib. exorta: nec tẽpus vllũ assignabit ab Atheistis, quo deitatis agnitio nõ viguerit inter homines: quare fieri nequit, vt assertio deitatis sit cõmẽtũ hominũ deceptorũ; si vero ea nata est ex instinctu naturæ, non potest nõ esse vera: natura.n.nõ inclinat ad falsũ, & sicut in cæteris animantib. q̃ operãtur ex instinctu naturæ, non accidit error, quia à certa regula naturæ dirigũtur, ita si homo suapte natura ꝓpendet in eã sententiam, vt numẽ aliquod esse credat, ꝓfecto ea verissima est, cũ sit naturali lumini, & principijs cõformis. Sin autẽ ex ipsius Dei doctrina procedit, vt re ipsa fatendũ est: ipse enim docet hominẽ scientiam, & oẽs ad agnitionẽ sui, vel naturalis luminis ꝓsidio, & effectuũ suorũ ostensione, vel supernaturalis luminis infusione, & revelatione perducit, manifestius idem colligitur: qui.n. hæc cõcedit, iã supponit Deũ autorẽ, à quo lumen & doctrina ꝓueniũt. Deniq; si notitia Dei ex viris sapientibus originẽ habuit, vera ac certa esse debet: impossibile .n. est, vt circa rem tanti momenti decepti sint oẽs fere sapiẽtes, qui lõgo studio, ac labore in veritatis indagatione insudarũt: cur.n. potiꝰ vni, vel paucis admodũ, q̃ infinitæ propemodũ multitudini sapientũ veritatẽ effulsisse credẽdũ est, maximè quia diuinitatis assertores, quos inferiꝰ ex parte recẽsebo, Atheistis cęterarũ rerũ scientia longè ꝓstant: atque adeò cũ vincant multitudine, ac sapientia, cuiuis cordato fidem facere debent.

VI. Argumẽta ex principijs naturæ deprõpta inferius perstringã. Nam cũ res sit Metaphysica, nõ est animus eã ex ꝓfesso tractare, sed quasi supponere fundamenta eiꝰ indicando. Hic autẽ vti volui testimonio humano, quod nulla alia de re maius, aut euidentius est, quãuis.n. plurimi errauerint in veri numinis agnitione, oẽs tamen numẽ aliquod esse cẽsuerunt: & ita quoad id, in quo omnes cõueniunt, plurimũ ipsorũ valet autoritas. Non itẽ quoad id, in quo discrepant. Nec vero hominis est id solũ credere, quod videat: nã vt rectè arguit Iren. li. 2. c. 5. Athanas. orat. cõtra idola post medũ, Chrysost. in id. Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, & Theoph. Anthioch. li. 1. ad Autolic. si quispiã apud se statuat nõ credere ea, q̃ nõ videt, nec credet esse animam, q̃ non videt: nec in bene morata Republica cõciliũ, cui nõ interest: nec in Regno Regẽ à cuius aditu cõgressuq; arceꝰ: nec in exercitu Ducẽ, quẽ nõ agnoscit. Ad credẽda igit ea, q̃ nõ apparent, opus est credere testimonio vel aliorũ quib. ea conspicua sunt, vel proprij intellectus, ex notioribus & intuitiuè cognitis eadẽ colligẽtis. Atq; adeò inscitia negantiũ Deũ nõ est argumentum, quo impia ipsorum assertio fulciat: nisi fortè quis dicat cæcũ, vel lippũ rationabiliter negare esse solẽ, quẽ ipse videre nequit, cæteris, qui adsunt, de splẽdore eius, ac pulchritudine testimoniũ perhibẽtibus. Deũ instar solis esse, & antiqui Philosophi, vt videre est apud Eugub. li. 6. de peren. Philos. c. 7. & Patres nostri passim asseruerũt: Eum mẽs nostra, dũ mortali corpori inclusa quodammodo hebescit, in se ipso aspicere haudquaq̃ potest: & ideò credendũ ipsi de se, & S. Angelis, quib. eius essentia cõspicua est: vel etiã sapientibus, qui licet fulgẽtissimũ eius lumen in se nõ aspiciant, radios tamen eius in creaturis emicãtes, vel potius ipsas creaturas, quę radij eius sunt, attẽta mentis acie contuentes in ipsius primæui luminis agnitionem deueniũt.

VII. Altera dubitandi ratio nõ tam diuinitatẽ, q̃ prouidentiã eius impugnat, & ideò ex instituto in materia de prouidentia expendenda. Nunc breuiter respõdebo in ea ipsa rerũ inæqualitate esse magnum diuinę prouidentiæ argumentũ: nam vt notat D. Chrysost. in c. 14. Epist. ad Rom. hom. 25. *Chrysost.* Si Deus in hac vita bonos omnes præmijs donaret, & sceleratos supplicijs afficeret, crederent homines animũ simul cum corpore interire, nec post hãc vitam relinqui locũ iustæ retributioni meritorum: & ob hanc causã permittit interdũ bonos viuere in laboribꝰ. & ærũnis, flagitiosos vero diuitijs abũdare, & humana gloria florere. Cõtra vero, ne existimẽt ab alijs nullã omnino rerũ humanarũ curam habere, vult vt etiam in hac vita boni prospera, scelerati aduersa fortuna vtantur. Nec iniquũ, aut à ratione alienum est interdum mala permittere, vt ex ijs plurima, & excellentia bona proueniant.

Explicatur ratio propositionis per se notæ.

Caput II.

I. POst autoritatem expendenda est ratio, siue fundamẽtum veritatis. Omnis autem veritas cõplexa vel est immediata, & cognoscibilis ex suis tantum terminis, vel demonstrabilis. Ideoq; expẽdere oportet vtrum hęc propositio, *Deus est*, sit per se nota, atq; immediata, an verò à priore vel posteriore demonstrabilis. Et quoniam Doctores diuersimodè opinantur, atq; loquuntur de propositione per se nota, breuiter

prius ostendā hoc capite, quē modu loquēdi probē: nā diuersitas opinionum nō tam est de re ipsa, q̄ de loquēdi modo. Primum igitur cum propositio sumi possit formaliter scilicet pro enunciatione ipsa vocali, aut mentali & obiectiua, hoc est, pro veritate, quæ fundat in annexione rerū significatarū, proprie loquendo enunciatio ipsa non dicitur per se nota, sed obiectum, pro vt est significatum, vt probat Gregor. in 1. dist. 2. q. 1. ar. 1. & Dionys. Cisterc. q. vn. a. 1. Nam sicut res dicitur sciri, vel ignorari, ita quoq; ipsa dicitur esse nota per se, vel per aliud, tamen quia per Metaphoram accipimus signum pro re significata, iam vsus inualuit, vt propositio dicatur per se nota: id vero ꝓprie, & vt ꝙ debet intelligi de obiectiua, de formali autem, siue significatiua impropriè, & vt quo, siue tanq̄ in signo.

Gregorius. Cistercienſ.

II. Primum vero dubiū est, vtrum propositio per se nota reciprocetur cū immediata: ad id verò requiritur, vt omnis, ac sola immediata sit per se nota, Aureol. in 1. d. 2. q. 2. ar. 2. & Tolet. q. vn. art. 4. ad argumēta cōtra primā conclusionē, negantē q̄stionis partē amplectūtur. Fundamentū eorū est, quoniā nō sola immediata est per se nota. Id vero ostēdit Aure. quia immediata est, q̄ caret termino à priore, at vero per se nota est illa, q̄ siue careat termino siue nō, necesse est quēlibet docēdū per se ipsū habere vnde ad eius cognitionē nō indiget instrumēto: hui⁹ vero generis affirmat esse oēm eā, q̄ immediate venit in mentē vel ex terminis, vel per inductionē ex sensib. vel saltē iudicio vni⁹ sensus: vt quod sit cælū, vel motus: imo vero etiā eam, q̄ venit in mentē per deductionē syllogisticā factā tempore imperceptibili, ac neminē latētē: cuiusmodi est, totū est maius sua parte. Id vero declarat ex ipsis terminis, nā per se notū, vel cognoscibile dicit relatiue ad intellectum cognoscentē, immediatio vero importat habitudinē inter p̄dicatū & subiectū. Ideoq̄ immediata propositio est, q̄ scitur immediatè ex terminis, per se vero nota, quā intellectus per se ipsū subito, & imperceptibiliter agnoscit. Probat autē, quoniā propositio per se nota est, q̄ quisq; etiam parū instructus per se ipsum noscit absq; doctore: vt colligitur ex Boet. in li. de hebd. reg. 1. qui ita definit cōmunē animi cōceptionē, *est enunciatio, quā quisq; probat auditā*: ita vero se habent oēs superius numeratæ. Idē quoque suadet autoritate Cōment. li. 3. de anima, cō. 49. vbi docet intellecta duob. modis fieri in nobis: nēpe naturaliter, aut voluntariè: naturaliter fiunt propositiones, quas noscimus, quando exiltūt, & vnde, & quomodo, voluntarie vero, q̄ cōtrario modo, sicut se habent acquisita ex primis propositionibus: subdit vero Auerr. *prima autē intellecta sunt à nobis naturaliter*. Ex quo patet de sententia Auerr. illas propositiones esse per se notas naturaliter, de quibus nescitur vnde, quomodo, aut quando in mentem venerint: eiusmodi vero sunt aliquæ syllogismo imperceptibili cognitæ. Ad hanc sentētiam Aureoli, quatenus negat propositionē per se notam recurrere cum immediata, accedit Mayron. in 1. dist. 2. q. 1. art. 1. Caiet. li. 1. post. ad ca. 3. Nicol. de Nyse tract. 1. p. 1. port. 2. q. 1. Sylueſt. in cōflato q. 2. a. 1. Hispal. in 1. dist. 3. q. 2. ar. 3. Notab. 1. in fine, quatenꝰ dicūt esse quasdā ꝓpositiones per se notas, quoad nos tantū, q̄ scilicet habent causam, & nobis absq; vllo medio per sensum innotescunt: solū. n. requirūt ad rōem propositionis per se notæ, vt habeat euidētiā ex se, nō ex alia propositione, siue id sit ratione terminorū, siue ex notitia intuitiua. Id vero ostenditur, quoniā propositio q̄ per se ipsā, & nō ex termino extrinseco innotescit, nō est nota per aliā ergo per se: ex alio etiā capite Aureol. ar. cit. dū agit cōtra Scot. Greg. in 1. dist. 2. q. vn. ar. 1. Ocha. q. 2. prolog. liter. G. Gabr. q. 2. ar. 1. Notabil. 2. Maior, in 1. d. 2. q. 1. coroll. 2. & Dionys. Cisterciens. vbi supra, eandē partem negantē amplectuntur, quoniam iudicant non oēm immediatā esse per se notam. Id vero probant quoniā sunt aliq̄ immediatæ, q̄ absq; singulariū experientia nō innotescunt: vt se habēt hæ, aliquid mouetur, omnis calor est calefactiuus: & vniuersim principia scientiarū, quę sumuntur per viā experientię, ac memoriæ: ideò. n. Philosophus primo Poster. c. 8. ꝓpositionē immediatā diuidit in dignitatem ac positionem: dignitas vero recurrit cum propositione per se nota.

Aureol. Toletan.

Aureolus. Gregorius. Ocham. Gabriel. Maior. Cisterciens.

Alisiodor.

III. Propositio per se nota, si solū sumatur pro ea, quę per se, & non per aliam cognoscitur, siue habeat terminum à priore, siue non, non inepte potest diuidi in per se notam à priore, & per se notam à posteriore, sub cuius diuisionis membro secūdo continentur eæ, quas Caiet. & alij vocant per se notas, quoad nos tantum. Verum cum termini sint accipiendi iuxta cōmunem vsum peritorū, & apud Philosophos & Theologos propositio per se nota accipiatur frequentius pro illa, q̄ est cognoscibilis ex suis tantū terminis, & caret medio à priore, quo demōstretur, hoc etiā modo à me vsurpabitur. Ita vero docent Aegid. in 1. dist. 3. prima parte primæ partis princip. q. 2. Richard. ar. 1. q. 1. Henr. in sum. ar. 22. q. 2. Durand. in 1. dist. 3. q. 3. Scot. dist. 2. q. 2. §. *quoniam*, &

Aegyd. Richardus. Henricus. Durand. Scot.

Boet.

Auerroes.

Ocham. Basol. Gregorius. Gabriel. Alliacens. Capreolus. Argent. Maior. Ferrarien. Soto. D. Thom.

niam, & sequent. Ocham. q. 1. prolog. lit. E. & q. 2. lit. G. & in 1. d. 3. q. 4. lit. D. & E. Ioannes Basol. q. 2. ar. 1. Greg. d. 2. q. vn. ar. 1. Gabr. q. 1. prolog. ar. 1. Notab. 2. & in 1. d. 3. q. 4. ar. 1. Pet. de Alliac. q. 3. ar. 2. lit. T. Capr. d. 2. q. 2. ar. 2. Ad argumenta Aureoli cõtra primã conclus. Argent. dist. 3. q. 1. ar. 3. Maior, d. 2. q. 1. Ferrariens. li. 1. contra Gent. c. 11. & Sotus q. 2. in li. 1. poster. ad nonum argumentum, & sine dubio est sententia D. Thomæ, nam q. 10. de potentia, ar. 12. probat non esse per se notum esse aliq̃ creaturam, & tamen per sensum nobis est per se nota multarum rerum existentia. Qui modus accipiendi est aptior, quam oppositus: Etenim propositio propriè, vt iam dixi, accipi debet pro obiectiua. Hæc autem de se cognosci potest, vel per apprehẽsionem intuitiuam, vel per abstractiuam: & licet termini, quando intuitiuè cognoscuntur, gignant euidentem assensum absq; prꝛuio discursu, tamen id non prouenit ex vi connexionis, quam res significatę secundum se habent, sed ex vi notitiæ sensitiuæ, vel cuiusuis alterius intuitiuæ, qua non solũ apprehenditur extrema ipsa propositionis, sed etiã cõnexio materialis, q̃ intercedit inter subiectũ, ac p̃dicatum: quod non est de ratione ꝓpositionis per se notę, hæc enim abstrahendo à notitia certa connexionis inter extrema est apta nata gignere euidẽtẽ assensionem sui ex sola notitia apprehensiua extremorum. Nam quicunq; habuerit, conceptũ totius, ac partis, & nouerit q̃d sit esse maius, hoc ipso coniunget, ac dicet, *omne totum esse maius sua parte:* quod tamẽ nõ ita cõtinget in ijs, quæ sunt sensib. notiora, verbi gratia, nix est alba, mor̃ est, cælũ est: posita. n. quauis notitia apprehẽsiua distincta illorũ terminorũ, dũmodo nõ sit intuitiua attingẽs cõnexionẽ materialẽ extremorũ, vel abstractiua relicta ex intuitiua, nequaq̃ mens ferret assensũ ijs ꝓpositionib. quoniã significata terminorũ nõ immediate, ac necessario copulãtur, ideoq; ex ipsorum notitia pure abstractiua nõ potest intellect⁹ determinari ad assensũ. Iam vero id, quod Aureol. & Tolet. cõtẽdũt, scilicet etiam eas ꝓpositiones, quæ syllogismo subito, & imperceptibili cognoscuntur esse per se notas, abhorret prorsus à communi sententia, & ratione: nam illæ non per se, sed per aliud mediũ cognoscuntur, quare ineptè dicũtur per se notæ: Etenim verba illa *per se*, non referuntur ad cognoscentẽ, quasi per se absq; alterius ope cognoscere debeat propositiones notas per se, vt perperã videtur intellexisse Aureol. & Toletan. tum quia verba illa determinant ptædicatũ, cui adduntur nempe *nota*, at vero non ipse intelligens, sed propositio dicitur nota per se, tum etiam, quia nec omnes nec solæ, quę absq; auxilio percipiuntur, sunt per se notæ, quoniam homo, vtpote discursiuus ex principijs naturaliter cognitis per se ipsũ potest aliquas conclusiones demonstrare, contra vero ad aliquas per se notas indiget manudictione p̃ceptoris, vt videre est in Mathematicis. Merito itaq; Doctores agẽtes de ꝓpositionib. obiectiuis, quarũ in scientijs vsus est, & nõ sunt singulares, sed vniuersales, q̃ non per se primo, sed secũdario ratione singulariũ sentiuntur, aut terminãt notitiam intuitiuam, propositiones per se notas appellant simpliciter eas, quæ sunt tales ratione connexionis immediatę, q̃ vendicant extrema, ex quorũ apprehensione intellect⁹ determinatur ad assensum, ideoq; sunt solum per se notæ intellectui, vt notat Ferrariens. li. 1. cont. Gent. cap. 11. illæ vero aliæ sunt per se notæ sensui. Nec vero Arist. vnquam distinxit propositionem per se notam ab immediata, vt falso ait Aureol. nam, q̃uis in 1. poster. c. 5. ac in li. 1. Phys. t. 12. & 1. Metaphys. cap. 2. dixerit quædam esse notiora secundum se, quædã quoad nos, vel secundũ sensum, nunq̃ tamen distincte tradidit notionem aliquam propositionis per se notę, q̃ accommodari possit propositioni euidenter notæ ex sola experientia, aut notitia intuitiua. Verum Doctores eam desumpserunt ex doctrina ipsius li. 1. Poster. c. 3. vbi *Principium*, inquit, *scientiæ quoddam esse asserimus, quo terminos ipsos cognoscimus*, pro eodẽ accipiens principiũ sciẽtiæ, & propositionẽ notã ex terminis, apud Arist. vero principium scientiæ caret termino à priore, vt patet ex lib. 1. Poster. c. 12. & 8.

Ferrariens. *Aristoteles.*

IV.

Porro Aureol. sibi ipsi cõtradicit, dum ait propositionẽ per se notam non necessario esse immediatam, sed esse oẽm illam, q̃ immediate venit in mentẽ: nam quomodo immediate venit in mentẽ, immediatione medij instrumẽti, an Doctoris? Vltima immediatio, vt patet ex dictis, nec sufficit, nec requirit; nec itẽ secunda, nã absq; alteri⁹ instrumẽti cõcursu intellectus intuitiue cognoscit actus proprios, & tamẽ propositio, q̃ format iudicando de ipsis, non est per se nota: contra vero, vt ait Arist. 1. post. assensus primorũ principiorũ fiunt inductione, & experimento, q̃ est cognitio sensitiua: & ita non tollitur ratio propositionis per se notę ex eo, quod intermedient instrumẽta sensuum. Si vero sit immediatio medi, fieri nequit, vt assensus genitus syllogismo subito, & imperceptibili dicatur propositio

per ſe nota, quoniam nō immediate venit in mentē. Argumentum vero ſumptum ex ſignificatione terminorū nō cōcludit: nā licet notū, vel cognoſcibile dicat ordinem ad intellectū, immediatio vero reſpectū inter p̄dicatū & ſubiectū, tamē verba illa *per ſe*, vt iam dixi, reſtringūt modū cognoſcibilitatis ipſius obiecti in ordine ad intellectū, q̄ talis eſſe debet, vt nō pēdeat à medio extrinſeco: itaq; immediatio terminorum eſt fundamētū ei⁹ reſpect⁹ ad intellectū, ex eo. n. q̄ extrema propoſitionis ſunt immediata, naſcitur, vt propoſitio per ſe, & non ab extrinſeco ſit perfecte cognoſcibilis. Ad primū argumentū negāda eſt cōſequētia: quoniā eſt in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis: quod ſi cōuertatur maior, vt ſyllogiſmus reducatur ad primam figurā, tunc eſt falſa: nam etiam ſi verū eſſet omnem propoſitionem per ſe notam poſſe abſq; Doctore à quouis etiā parū inſtructo cognoſci, nihilominus non omnis, q̄ ita ſe habet, eſt per ſe nota, vt iā dixi. Verba autē Boet. non probant Aureol. inſtitutū, imo oppoſitū, vt optime deducit Greg. in 1. d. 2. q. vn. a. 1. ad fin. nā enunciatio, q̄ quiſq; auditā probat, ſolū vim habet ex ſignificatione, & immediatione terminorū, non vero ex notitia intuitiua, ſi. n. cæcus à natiuitate audiat hanc propoſitionem, *cælum mouetur*, non ſtatim probabit, quamuis optime terminos intelligat, quod ſimiliter continget in alijs. Ad autoritatē Auerr. reſpōdeo ipsū in loco qui refertur, nihil tale dicere, illa tamen habentur quinta parte digreſſionis in t. 36. lib. 3. de anima, vbi non loquitur de quauis propoſitione per ſe nota, ſed de primis dignitatibus maximè communibus, quæ abſque noſtro ſtudio, aut applicatione quaſi naturaliter innoteſcunt: & ideo ait nos neſcire vnde, quando aut quomodo extiterint, nemo enim meminiſſe, aut dicere poterit, quando primum ſibi innotuerit, *non poſſe idem ſimul eſſe, ac non eſſe*, quin vero ſi admittamus ipſum loqui de omni propoſitione per ſe nota, hoc ipſum euertit doctrinam Aureoli: nam vocat ipſas propoſitiones primas: apud Ariſtotelem autem, & Auerroem primæ, & immediatæ idem ſunt, ac proinde cenſet omnem propoſitionem per ſe notam eſſe primam: Accedit quod propoſitiones experientia & ſenſu cognitas, & imperceptibili, ſiue ſubito ſyllogiſmo comprehenſas ſcimus, quomodo & quando agnouerimus, nōne experientia: & ita conſtat autoritatem Auerr. Aureol. minimè fauere. Ad vltimum reſpondeo, ad rationem propoſitionis per ſe notæ non ſat eſſe, vt quomodolibet per ſe, & non per aliam cognoſcatur, ſed requiri, vt cognitione perfecta, & p̄portionata, ſit cognoſcibilis ex ſuis tantum terminis: at vero propoſitiones, quæ habent medium à priore, nō cognoſcūtur adæquate, atque perfecte, quamdiu per id nō innoteſcunt: ideoq; licet notitia experimentali attingant abſq; termino extrinſeco, parū refert: quoniam hæc non eſt perfecta, & adæquata cognitio ipſis debita.

Gregorius.

Auerroes.

V.

Dico ſecundum, Omnis propoſitio prima, & immediata eſt per ſe nota, hæc aſſeritur ab Alberto in ſum. tract. 3. qu. 17. in 2. particula, Capreol. quæſt. citat. Caietan. in 1. poſter. cap. 3. & 1. p. q. 2. art. 1. Sylueſt. in conflat. q. 2. a. 1. Ferrarienſ. li. 1. contr. Gentes cap. 11. Soto vbi ſupra, & reliquis quos referam n. 7. qui admittunt diuiſionē propoſitionis in per ſe notam ſecundum ſe & quoad nos, nam omnis immediata poteſt cognoſci ex vi terminorū, & eſt per ſe nota ſecundū ſe, eiuſdem ſententiæ eſt Henr. in ſumm. arti. vigeſimo ſecundo quæſtione ſecunda, quatenus concedit eſſe per ſe noſcibilem, non tamen per ſe notam, quia dicit reſpectum ad actualem cognitionem: Probatur vero, quoniā omnis p̄poſitio prima, ac immediata eſt principium ſufficiens demonſtrationis propter quid à Philoſopho definita: ad hoc autem neceſſario requiritur, vt ſit vel per ſe nota, vel deducta ex primis, & immediatis: nulla autem p̄poſitio immediata deduci poteſt ex alia priore, alioquin ipſa nec eſſet prima, nec immediata: ergo omnis debet eſſe per ſe nota. Maior patet ex definitione demonſtrationis traditæ ab ipſo Ariſt. 1. poſter. cap. 2. cum ait: *eſt ſyllogiſmus conſtans primis, veris, immediatis, & cæt.* Item 1. Topic. capi. 1. *Conſtat ex primis, & veris, aut ex iis, quæ per prima & vera ſuæ cognitionis principium ſumpſerunt.* Et confirmatur quoniam nulla alia cognitio propoſitionis immediatæ eſt ſufficiens ad aſſenſum primi principij, & gignedam ſcientiam, quam ea, quæ habetur ex terminis: hæc autē non eſt, niſi propoſitionis per ſe notæ. Quod ſi velit Gregor. eas ſolum propoſitiones eſſe per ſe notas, q̄ à Philoſopho dignitates appellantur, nunc non omnis immediata eſt per ſe nota. Verum cæteri Doctores conſiderantes propriam, & adæquatā cognitionē debitam propoſitioni eam vocant per ſe notam, quæ eſt apta nata intelligi perfecta notitia ex ſe, & proprijs terminis abſq; dependentia ab alia notitia iudicatiua cadente ſupra terminos extrinſecos. Ea vero communiter diffinitur in hunc modum, *eſt propoſitio cognoſcibilis ex ſuis tātum terminis.*

Alberius. Capreolus. Caietan. Syluest. Ferrarien. Soius.

Ariſtot.

Porro

Albert. Syluest. Caietan. Soto.

Mayron. Maior. Gregor. Ægyd. Argentin. Abulens.

Aristot.

Porrò dictio illa, *tantum*, excludit omne medium extrinsecum, quod non sit pars propositionis: nam quoties ad assensum propositionis exigitur medium extrinsecum, opus est accessu alterius propositionis, & consequenter discursu: quod repugnat propositioni per se notæ, cùm vero dicitur, *cognoscibilis*, debet intelligi de perfecta, & adæquata cognitione, cuius secundum naturam capax est propositio obiectiua: & ideò, quamuis propositio demonstrari possit à posteriore per medium extrinsecum, non tollit quo minus sit per se nota, vt docet Albertus vbi supra, Sylu. art. 1. cit. §. 1. Caiet. in cap. 3. lib. 1. Poster. & 1. p. q. 2. art. 1. Sotus vbi supra, & reliqui omnes, quos referam, cap. sequent. nu. 2. asserentes hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam, cùm tamen velint posse demonstrari à posteriore, vt constabit, c. 5. num. 7. quidquid in oppositum dicant Mayron. q. cit. art. 2. difficultate 4. ad primum. Maior. q. 1. Gregor. vbi supra in solutione ad primũ pro 2. opinione, Ægyd. Argentinas, & Abulens. referendi, cap. 5. num. 3. qui ideò negant posse à posteriori demonstrari Deum esse, quia est per se notum: non tamen sunt audiendi; namque nõ repugnat eandem rem esse diuersa ratione magis, ac minus notã: vt enim, lib. 1. Poster. text. 5. & sæpè alibi ait Aristot. non eadem sunt nota nobis, ac secundum se: & ita non repugnat propositionem aliquam obiectiuam esse secundum se, ac natura notiorem alia, quæ est magis nota quoad nos: & demonstrari posse per ipsam quamdiu nobis ex se nõ innotescit, ratio est quoniam scientia à posteriori nõ est perfectissima, quam obiectum requirit, & ideò, quamuis ea habeatur ex terminis extrinsecis, non proinde cognitio immediata definit esse cognoscibilis ex suis tantum terminis, sicut enim propositio à priore demonstrabilis, quamdiu non cognoscitur per prima principia, à quibus pendet, non est adæquatè cognita, quoniam adhuc restat cognoscibilitas illa à priore, cui non correspondet cognitio à posteriore, ita quoque propositio immediata, quamdiu non cognoscitur ex terminis, non habet adæquatam cognitionem, quam exigit propria ipsius cognoscibilitas: & de hac intelligitur cũ dicitur cognoscibilis ex suis tantum terminis, hoc est cuius propria, adæquata, & completa cognoscibilitas non pendet, aut acquiritur ex terminis extrinsecis, sed ex ipsius proprijs, atque intrinsecis, quatenus repræsentant rem in se abstrahendo ab existentia, vel negatione ipsius.

VI.

Ad primum Gregorij respondeo negando antecedens: ad cuius confirmationem dicendum propositionem hanc, *aliquid mouetur*, non esse immediatam, quoniam motus non immediatè, & necessariò coniungitur cum mobili, sed interuentu alicuius causæ, quam necesse est prænoscere, vt motus innotescat, si vero dicas coniungi immediatè cum natura, quæ auctore Philosopho est principium motus, & quietis, respondetur, etsi mobilitas ipsa immediatè coniungatur cum natura, non tamen motum, qui frequenter exigit causam efficientem saltem instrumentalem à natura distinctam, quin vero etsi nonnunquam motus cum natura immediatè coniungeretur, saltem quoad receptionem, non tamen necessariò, & ex vi terminorum. Sed ratione causæ extrinsecæ vnum alteri copulantis secundum actualem existentiam: hęc autem non est immediatio, de qua loquitur Aristotel. & eius interpretes, alijque Doctores. Illa vero alia, *Calor est calefactiuus*, sicut est immediata, ita & per se nota: nam penetratis terminis haberi de ipsa potest assensus euidens, & adæquatus: vis enim calefaciendi ita hæret calori, vt non egeat termino extrinseco, vt cognoscatur inesse illi. Porro principia scientiarum, quæ ad sui assensum certũ indigent experimento sensuum, nõ proinde desinunt esse per se nota: nõ enim sunt nota per alia, quasi per priora, ac veriora, à quibus per se dependeant, sed quasi ex manuductione, qua disponitur intellectus ad penetrationẽ claram terminorum, ex qua sequitur assensus immediatus primi principij. Ad rationẽ sumptã ex diuisione principij in dignitatem, positionẽ, &c. Respondetur propositionẽ per se notam nõ recurre cum dignitate: nam de omnibus principijs absolutè dixit Philosophus. 1. Poster. t. 6. nos cognoscere ea, cùm cognoscimus terminos, nõ vero de solis dignitatibus, vt Gregor. interpretatur: nã his solis accommodatur illa Arist. descriptio, qua *dignitas dicitur propositio immediata, quam necesse est habere eum, qui discere aliquid vult*: hæc enim non conuenit omni immediatæ, aut per se notæ: sed solis illis, quæ sunt instar ianuæ omnium scientiarum, à qua qui aberrat, nõ est aptus ad scientiam perdiscendam, & idcirco Philosophus principia, quæ immediata dixerat, diuidit. 1. Poster. cap. 8. in dignitatem, positionem, ac definitionem, vt ipsemet Gregorius admittit.

Aristot.

VII.

Inter auctores, qui in tradita doctrina conueniunt, est penes alia controuersia: nam D. Thom. locis citand. cap. seq. nu. 2.

S. Thom.

Heruæus. Heruæus in 1. d. 3. q. 2. §. *Et ideò*, Hispal
Hispalens. q. 2. art. 1. Conclusione 2. & art. 3. notab
Abulens. 3. Abulens. quæst. 2. in cap. 15. Exod. ad
Nicol. de Nyss. primum. Nicolaus de Nyse vbi supra, Pe
Tarantas. trus de Tarantasia apud Carthusianum in
Carthusian. 1. dist. 3. quæst. 2. Carthus. eadem quæst.
agens contra Scotum, & lib. 1. fidei Or-
Durand. thodoxæ, art. 3. num. 1. Durand. in 1. dist.
Capreol. 3. quæst. 3. num. 5. Capreol. dist. 2. quæst.
Sylvæst. 2. art. 1. Conclusione 2. Sylvester in con-
Caietan. flato, quæst. 2. art. 1. Caietan. prima parte,
Ferrarien. quæst. 2. art. 1. & primo Poster. cap. 3. Fer-
Sotus. rarien sis, lib. 1. contra Gentes, cap. 11. So-
tus vbi supra, & recentiores interpretes
D. Thom. 1. parte, quæst. 2. art. 1. diuidunt
propositionem per se notam, in duo gene-
ra, nempè in per se notam secundum se,
ac simpliciter, & in per se notam quoad
nos: secundum se eam esse dicunt, quæ ex-
cludit medium connexionis suorum ex-
tremorum, hæc enim suaptè natura est
cognoscibilis ex suis tantum terminis, qui
eam habent connexionem, vt si rectè pe-
netrentur, ex eorũ apprehensionibus gigni
possit euidens assensus propositionis. Ve-
rùm quia non semper habetur à nobis ap-
prehensio propria, & quidditatiua termi-
norum, sed confusa & indistincta, fit vt,
quod secundum se est per se notum, non sit
nobis. Ea vero est per se nota secundum
se, & quoad nos, quam ex communi termi-
norum apprehensione statim absque alio
medio termino veram iudicamus.

VIII. Hanc distinctionem reijcit Scotus in
Scotus. primo dist. 2. quæst. 2. §. *Quoniam secundum*
Aureol. *Philosophum*, Aureol. quæst. 2. art. 5. agens
Aquilan. contra S. Thom & Henricum, Aquilan. q.
Anton. Andr. 1. art. 1. & Anton. Andr. q. 2. præcipuum
eorũ fundamentum est, quoniam propo-
sitio illa est per se nota, quæ est cognoscibi-
lis ex suis tantum terminis, vt sunt eius: ita
vt in quouis intellectu gignere possint eui-
dentem assensum propositionis, cuius sunt
termini, quo posito non habet locum
distinctio Thomistarum. Nam si duo for-
ment propositionẽ affirmantem de eodem
obiecto, & vnus quia clarè percipit termi-
nos ex ipsis assentiatur euidenter, alius autẽ
nequaquam, nõ est eadem propositio, siue
de vocali, siue de mentali sermo sit; confir-
mant autẽ, quoniam definitio, ac definitũ
solùm differunt penes modũ cognoscendi
confusè ac distinctè: & tamen propositio
constans definito tamquã subiecto differt
ab ea, in qua definitio subijcitur: alia enim
propositio est hæc: *animal rationale est risi-*
bile, alia illa, *homo est risibilis*: id vero patet:
Aristot. quia vt ait Philosophus, l. b. 1. Poster. t. 10.
& 20. & lib. 2. t. 8. quod quid est alterius
extremi, est medium in demonstratione:
& consequenter altera præmissarum non
aliter differt à Conclusione, quam quia
terminus vnius est definitio alterius defi-
niti: atque adeò sola hæc diuersitas suf-
ficit ad distinctionem propositionum, &
vt ea, quæ constat definito non sit per se
nota, si non cognoscitur eius veritas per se
ex ipso conceptu confuso definiti, sed in-
diget conceptu definitionis. Ex alio fun-
damento Henricus in sum. art. 22. quæst. *Henric.*
2. reijcit eandem sententiam Diu. Thom.
quoniam, inquit, non dicitur propositio
per se nota ex eo, quod secundum pro-
priam veritatem, & cognoscibilitatem ob-
iectiuam sit notissima, ex hoc enim cap.
dicitur per se cognoscibilis: per se nota
vero, cùm actu nota est cognoscenti: qua-
propter, cùm repugnet, vt idem sit per se
notum, & nõ notum, ineptè diuiditur pro-
positio in per se notã secundũ se, & quoad
nos, tamquam in membra opposita. Dein-
de, si hæc diuisio esset idonea, omnis pro-
positio, in qua prædicatum est de intrinse-
ca ratione subiecti, esset per se nota, quod
tamen est falsum: nam Philosophus ex eo *Aristot.*
probat, lib. 1. Poster. cap. 15. non dari
progressum in infinitum quoad prædica-
ta essentialia, quoniam non esset scientia,
siquidem infinita media pertransiri ne-
queunt, quod fundamentum supponit
ea, quæ sunt de essentia, posse demon-
strari.

Verùm hæc controuersia mea qui- IX.
dem sententia videtur esse solùm penes
loquendi modum: quæ vt componan-
tur, obseruandum est, propositionem
tripliciter accipi posse, nimirum pro vo-
cali, mentali, & obiectiua: Vocalis sa-
tis comperta est: mentalis autem est con-
ceptus complexus copula verbali enun-
ciatiua: obiectiua vero est ipsa realis con-
nexio, siue vnio terminorum, supra
quam cadit mentalis, & quam significat
vocalis: Et quidem, si de mentali lo-
quamur vera est sententia Scoti, & se-
quacium: nam quæ constat terminis suaptè
natura efficacibus ad gignendum euiden-
tem assensum veritatis enunciatiuæ, sem-
per est per se nota, non est autem, si
non constet: quoties enim mutantur ter-
mini, est alia propositio. At vero lo-
quendo de propositione obiectiua, &
vocali optimè congruit distinctio Diu.
Thomæ vt rectè notat Capreol. quæst. ci- *Capreol.*
tata, art. 2. ad primum contra secundam
Conclusionem, & ad secundum contra
tertiam Conclusionem, & Hispalensis, *Hispalens.*
quæst. citata, art. 4. ad argumenta Aureoli

contra

contra secundam Conclusionem. In primis quod attinet ad obiectiuam, rectè explicat Caietan. in cap. 3. lib. 1. Poster. & Sotus vbi supra, non enim repugnat eandem rem in se esse magis notam, & minus notam nobis: nam Aristotel. locis citatis, num. 3. dixit alia esse notiora natura, alia nobis: quare non repugnat eandem rem esse simul per se notam secundum se, & nō nobis: secundum se erit per se nota, quatenus coniunctio, siue identitas obiectiua inter prædicatum, ac subiectum, absque alio termino extrinseco est apta euidenter innotescere intellectui terminos perfectè apprehendenti: non erit autē per se nota nobis, quoniam ex nostro modo intelligendi imperfecto, nō possumus habere eam notitiam simplicem terminorum obiectiuorum, quę sit efficax determinare intellectū ad euidentem assensum propositionis. Et ab hoc dicendi modo non est alienus Scot. quæst. citata. §. *Ex his ad quæstionem*, cōcedit enim hanc propositionem, *Deus est*, nō esse per se notā nobis per conceptus, quos habemus in vita, & esse per se notam, quia eius extrema nata sunt facere euidētiam de ista complexione cuilibet ea perfectè apprehendenti. Congruit etiam eadē distinctio in propositionem vocalem: nam eadē vocalis respondere potest diuersis mētalibus, quarū altera sit per se nota, altera minimè: vt videre est in ea ipsa, de qua agimus: nam, quatenus prolata est à Deo, vel ab Angelo, Deut. 6. *audi Israël Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, subordinatur notitiæ mentali per se notæ, quam Deus, vel Angelus expressit illis verbis: quatenus vero profertur à nobis viatoribus, respondet nostris conceptibus cōfusis, & enunciationi mentali, quę nō est per se nota. Præterea vocalis propositio dicitur per se nota ratione obiecti significati secundum rationem ipsius; atque adeò si propositio obiectiua dici potest per se nota secundum se, & quoad nos, etiam vocalis poterit: si quis obijciat idem dici posse de mentali, quę etiam est signum obiectiuæ, negandū est sequi. Ratio disparitatis est, quoniam eadem mentalis non potest simul constare, ac non constare terminis aptis natis germinare assensum euidentem propositionis: at eadem vocalis respondere potest terminis mentalibus diuersis penes obscuritatem & claritatem, vt constat ex dictis. Ex quo patet responsio ad fundamentū Scoti, solùm enim vim habet quoad propositiones mentales, non quoad obiectiuas, & vocales: hæc latius prosequitur Ferrarien. lib. 1. contra Gentes, cap. 11. cuius solutio consistit in hac distinctione; nimirum quod, licet eadem propositio formalis, hoc est mentalis, non posset diuidi in per se notam secundum se, & quoad nos, tamen eadem materialiter, hoc est secundū vocem, & rem ipsam significatam, admittit eam distinctionem.

X. Primum fundamentum Henr. non habet vim: cùm enim Doctores vocant propositionē per se notā, nō respiciunt actualem cognitionem, sed aptitudinalem, vt rectè notat Gregor. art. 1. Maior. quæst. 1. citata & Bassol. dist. 3. q. 2. art. 1. cùm scilicet propositio constat terminis, ex quorum clara apprehensione gigni potest euidens, & immediatus assensus. Cùm vero talis est, vt secundum se respectu alicuius intellectus, non vero omnium sit apta cognosci ex terminis, quia hi non sufficienter penetrantur ab omnibus, dicitur per se nota secundum se, si vero etiam respectu nostri intellectus secundum naturalia considerati habeat eandem aptitudinem, dicitur per se nota nobis. Secundùm eiusdem argumentum tangit difficultatē fusè tractari solitam à Doctoribus, vtrum scilicet omnis, ac sola propositio, in qua prædicatum dicitur in primo modo per se de subiecto, sit per se nota, Ægydius in 1. dist. 3. prima parte primæ partis principalis quæst. 2. docet solas eas esse per se notas, quorum prædicatum est de ratione subiecti, Gregorius tamen & Maior vbi supra censent nec solas, neque omnes: non solas, quoniam hæc, *homo est equus, vel non equus*, est per se nota: & tamen prædicatum non est de ratione subiecti. Non omnes, quoniam alioquin omnis propositio, in qua genus, vel differentia prædicaretur de subiecto, esset per se nota: quod tamen est falsum, multarum enim rerum genera, & proprias differentias ignoramus.

Gregor. *Maior.* *Bassol.* *Ægyd.* *Gregor.* *Maior.*

XI. Hæc tamen controuersia dirimenda est per sequentes assertiones, prima est huiusmodi, si loquamur de per se notis quoad nos, vera est sententia Gregorij quoad vtramque partēm, prior pars, qua scilicet asseritur, non solùm propositionem, in qua prædicatum est de ratione subiecti, esse per se notam, est communis Doctorum, qui docent etiam secundum se multas propositiones esse per se notas, quarum prædicata nō sunt de ratione subiecti, quos mox referam, nec Capreol. in 1. dist. 2. q. 2. art. 2. quē sequitur Hispal. dist. 3. q. 2. art. 3. Notab. 1. & art. 4. ad argumenta contra primam Conclusionem, & Sylvest. art. citato. §. 2. satisfacit argumentis Gregorij: nam cum ait in illa, *homo est equus, vel non equus*, prædicatum pertinere ad ratio-

Capreol. *Hispalens.* *Sylvest.*

nem

nem subiecti, quia affirmatio, & negatio disiunctiua sequuntur ens in quantum huiusmodi, quod est de ratione cuiuslibet intelligibilis, non est ad rem: nō enim est de ratione subiecti, id, quod sequitur ad rationem prædicati, sed id, quod includitur: at vero affirmatio, & negatio disiunctiua nō includitur in ratione entis, sed illam sequitur, vt idemmet Capreolus admittit: atque adeò cōcedit aliquam propositionē per se notam, cuius prædicatum nō includitur in ratione subiecti: idemque patet, quādo prima passio, vel saltē eius definitio prædicatur de definitione subiecti, est enim propositio per se nota, nec tamen passio est de ratione intrinseca subiecti, aut definitionis ipsius: secunda pars, qua dicitur nō omnem propositionem, cuius prædicatū est de ratione subiecti, esse per se notā nobis, traditur à S. Thoma, & Thomistis mox citādis, Scot. in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Quoniam*, & alijs Doctoribus, quos referam, cap. sequenti negantibus hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam nobis: qui tamen excepto Mayronio censent esse de primo modo dicendi per se, & manifestè patet ex argumento proposito.

S. Thom. *Scotus.*

XII. Posterior assertio est, si loquamur de per se notis secundum se, omnis, nó tamen sola propositio, cuius prædicatum est de ratione subiecti, est per se nota; Posterior pars traditur ab Aureolo in primo dist. 2. quæst. 2. art. 5. dum agit contra sententiam S. Thomæ, Mayron. quæst. 1. art. 1. ad primum, & q. 2. art. 1. Conclusione 4. Caiet. in 1. Poster. cap. 3. & 1. p. quæst. 2. art. 1. §. *Circa hanc partem sunt*, & Ferrariens. cap. citato. §. *possumus*, & Sot. vbi supra, neque S. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. docens ex hoc propositionem esse per se notam, quia prædicatum est de ratione subiecti, vult hanc solam esse per se notam, sed id sat esse ad rationem propositionis per se notæ, secundū se, vt rectè notat Capreol. art. 2. in principio solutionum ad argumenta Aureoli contra Conclusionem, & Caietan. art. illo primo, & ita Ferrariens. cap. citato probat in hac ipsa sententia fuisse S. Thomam, hæc vero pars ex dictis constat: nam, si non solæ sunt per se notæ nobis, nec etiam erunt secundum se: si enim secundum se habent medium terminum, non possunt esse per se notæ nobis: Prior vero pars asseritur à D. Thoma prima parte, quæst. 2. art. 1. & quæst. 10. de verit. art. 12. Heruæo, quæst. citata. §. *Et ideò*, Capreol. in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 1. Conclusione 1. Caiet. in 1. Poster. cap. 3. & 1. parte, q. 2. art. 1. Sylvest. art. citato. §. 1. & 2. Durand. in 1. dist. 3. q. 3. num. 5. 6. & 11. Hispal. quæst. citata, art. 1. Conclusione 1. & art. 4. ad argumenta contra eandem Conclusionem Sot. vbi supra, Henr. Ægyd. Argent. & Scot. qui locis indicandis cap. sequente, num. 2. probant hanc, *Deus est*, esse per se notam secundum se, vel clarè & quidditatiuè Deum cognoscenti, quia prædicatū est de intrinseca ratione Dei: probatur autem, quoniam, qui habuerit distinctam claramque notitiam subiecti, penetrabit eius quidditatem: atque adeò ex vi cognitionis huiusmodi absque alio medio euidēter agnoscet prædicatum competere subiecto, & quia non omnes possumus penetrare distinctè gradus omnes essentiales rerum, & vnica apprehensione quidditatem clare percipere, idcirco opus habemus, vt per assumpta media, quæ sunt prædicata proximiora subiecto, agnoscamus remotiora, & hoc modo intelligendus est Aristot. loco citato, qui loquitur de eo, quod in nobis communiter euenit, paucissimi enim sunt (si tamen aliqui sunt) qui distinctè percipiant omnia prędicata essentialia alicuius speciei, eius autem argumentum absolutè valet in vtraque opinione: nam, siue ciusmodi propositiones, quibus superiora prædicantur de inferioribus, agnosci debeant ex terminis, siue ex demonstratione, non poterit esse scientia, si sint infinita, quæ simul distinctè percipere, vel discurrendo pertransire non potest humanus intellectus.

Aureol. *Mayronius.* *Caietan.* *Ferrariens.* *Sotus.* *S. Thom.* *Capreol.* *Caietan.* *Ferrariens.* *S. Thom.* *Heruæus.* *Capreol.* *Caietan.* *Sylvest.* *Durand.* *Hispalens.* *Sot.* *Henric.* *Ægyd.* *Argentin.* *Scot.*

Hæc propositio: *Deus est*, secundum se, non quo ad nos, est per se nota.

Caput III.

I. PRopositio per se nota, vt constat ex capite proximo, vel est secundum se, vel comparatè ad aliquem intellectum: hæc vero, de qua agimus, nempè *Deus est*, comparari potest vel cum intellectu beato, vel cum humano; & iuxta tres has considerationes sunt etiam variæ sententiæ. Loquendo itaque inprimis de ipsa secundum se, non esse per se notam censet Gregorius in 1. dist. 2. q. 1. art. 2. dum agit contra Scotum & Ochamum; fundamentum eius est: quoniam, vt dixerat, art. 1. propositio per se nota est ea, quæ, vel alia æquiualens significato cuilibet habenti vsum rationis, potest esse per se nota naturaliter absque indigentia extrinseca alicuius: at hæc, *Deus est*, non ita se habet: nam quamuis sit per se nota beatis, vt quæuis

Gregor.

alia intuitiuè cognita, non tamen naturaliter, sed ex supernaturalis luminis auxilio nobis autem nequaquam est per se nota: atque adeò simpliciter non est nota per se. Præterea euidens est omne prædicatũ propositionis per se notæ verificari de definitione dicente quid est subiectũ propositionis: de nulla autem definitione significati huius nominis, *Deus*, euidens est verificari ipsum esse: ergo illa propositio, *Deus est*, nõ est per se nota. Assumptio cõstat: nam siue definitio Dei sit id, quo maius cogitari nequit, siue ens primum, siue prima causa incausabilis, non est per se notũ dari ens, quo maius cogitari nequit, aut ens primum, vel primam aliquã causam, de his enim aliqui dubitarunt, alij vero longo studio, ac labore in ipsorũ notitiam peruenerunt. Et confirmatur: quoniam vt propositio sit per se nota, non indiget medio, aut suppositione extrinseca: omnes autẽ propositiones, quibus enunciatur ipsum esse de propositis definitionibus, indigent tali medio: nam, vt prębeatur assensus huic, *ens primũ est*, oportet supponere hanc, *aliquod ens est primum*, item ad illam, *causa incausabilis est*, supponitur hæc, *aliqua causa est incausabilis*: & in vniuersum nullum prædicatum est notum de aliquo subiecto complexo, nisi vna pars ipsius sit nota de alia, exempli causa, non erit per se notum, *animal rationale est discursiuum*, nisi prius euidenter constet hæc, *aliquod animal est rationale*. Eandem sententiam ex alio fundamento tuetur Mayronius in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 2. difficultate 2. docet enim propositionem, *Deus est*, non esse per se notã intellectui habenti speciem abstractiuam distinctè repræsentantem Deum, ex quo patet, licet eodẽm articulo difficultate prima dixerit beatis esse per se notam, non attendisse rationem terminorum, sed experientiam: nam ratione terminorum hoc ipsum negat, vt patet ex eius argumento. Nulla, inquit, propositio est per se nota, cuius prædicatum non competit subiecto in primo modo dicendi per se: ita vero se habet hæc: *Deus est*, ergo non est per se nota; Assumptionẽ probat, quoniam nulla ratio primo diuersa, ac simpliciter, includit prædicatũ cõmune in primo modo dicendi per se: deitas est ratio simpliciter simplex: ergo non includit essentialiter ipsum esse, quod est cõmune Deo, ac creaturis, idem suadet alijs argumentis expendendis, lib. sequenti, tract. 1. cap. 5.

Mayronius.

II. Dico primùm. Propositio, *Deus est*, est per se nota secundum se. Hæc sententia est in primis de mente Doctorum asserentium eam esse per se notam quo ad nos, quos referam num. 7. hi enim censent ex vi cognitionis, & penetrationis terminorũ dari in nobis assensum eius euidentem, ex quo sequitur esse per se notã secundum se: traditur etiam à Doctoribus asserentibus nõ esse per se notam: quoad nos, ita D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. lib. 1. cõtra Gentes, cap. 11. q. 7. de potentia, ar. 2. ad 11. q. 10. de verit. ar. 12. & in 1. dist. 3. q. 1. art. 2. Petrus de Tarantasia apud Carthusian. in 1. dist. 3. q. 2. Henric. in sum. art. 22. q. 2. Richard. in 1. dist. 3. ar. 1. q. 2. Durand. q. 3. num. 6. Heruæus, q. 2. Scot. dist. 2. q. 2. §. *Ex his ad quæstionem*, cùm interpretibus ibid. Ocham. dist. 3. q. 4. lit. F. Gulielmus Rubionius, dist. 2. q. 1. art. 1. Conclus. 4. Anton. Andr. q. 2. Capreol. q. 2. art. 1. conclusione 3. Dionys. Cistercienſ. q. vnica, art. 2. Hispal. dist. 3. quæst. 2. art. 1. Conclusione 3. & art. 4. ad argumenta Nicolaus de Nyse, q. proximè citata, Conclusione 1. Carthusian. lib. 1. sum. fidei Orthodoxæ, art. 3. num. 1. Sylvest. in conflato, q. 2. art. 1. Ferrarienſ. lib. 1. contra Gentes, c. 11. Sotus, quæst. 2. in lib. 1. Posterior. ad 9. argumentum, Gaspar Casalius, lib. 1. de quadripartita iustitia, cap. 16. Conclusione 1. Caiet. 1. p. q. 2. art. 1. & recentiores interpretes D. Thomæ ibid. probatur autem, quoniam omnis propositio immediata carens termino à priore est per se nota secundum se: hæc vero, *Deus est*, caret termino à priore: nam primum, quod nostro intelligendi modo Deo competit, est ipsum esse: nec est vlla ratio intermedia inter deitatẽ, & esse ipsius. Præterea, vt patet ex cap. prędcedente, omnis propositio in qua prædicatum est de ratione formali intrinseca subiecti, est per se nota secundum se: vt autem ostendã lib. seq. tract. 1. c. 5. ipsum esse pertinet intrinsecè ad rationẽ formalẽ deitatis: quare hæc propositio, *Deus est*, secundũ se est per se nota. Denique si vterq; terminus clarè penetretur, & obiectiua propositio distinctè apprehẽdatur, absque vlla dubitatione, aut indigẽtia medij extrinseci intellectus prębebit assensum euidentẽ, & adæquatũ illi propositioni: ergo est per se nota secundum se. Patet cõsequentia ex dictis cap. superiore, vbi dictum est ad rationem propositionis per se notæ secundũ se sat esse, vt sit perfectè cognoscibilis ex suis tantum terminis absque ope medij extrinseci. Antecedens vero constat: quoniam, si termini sunt immediati, quales sunt deitas, & ipsum esse, ex clara penetratione ipsorum, sequitur assensus euidens ab alio independens, qualem exigit propositio per se nota.

S. Thom. *Tarantas.* *Henric.* *Richard.* *Durand.* *Heruæus.* *Scotus.* *Ocham.* *Rubionius.* *Anton. Andr.* *Capreol.* *Cistercienſ.* *Hispalenſ.* *Nyse.* *Carthusian.* *Sylvest.* *Ferrarienſ.* *Sot.* *Casalius.* *Caietan.*

Fundamentum Gregorij infirmũ est: etenim ad rationem propositionis per se notæ

nihil

nihil refert vtrum naturaliter, an supernaturaliter habeatur euidens assensus de veritate ipsius, dummodo is gignatur ex solis terminis absque medio extrinseco: si enim notitia terminorum vtcumque habita habet vim germinandi assensum euidentem, & independentem à medio extrinseco, sanè propositio ijs constans est per se nota, quia per se, & non per aliud est apta determinare intellectum ad assensum sui; Ad secundum, admissa maiore propositione, neganda est assumptio. Ad cuius cõfirmationem respondetur definitiones eas, quę à Gregorio adducuntur, non esse verè definitiones quid rei, sed solùm explicationes quasdam quid nominis imperfectas, quales sunt omnes, quas in hac vita habemus, vel naturaliter habere possumus: & idcirco licet non sit nobis euidens, vtrum sit primũ ens, aut prima causa, est tamen secundum se euidens *Deum esse*: quoniam vbicunque dabitur notitia distincta terminorum, naturaliter sequetur assensus euidens. Mayronis etiam fundamentũ est debile, potest enim negari vtraque præmissa: Maior in primis: quia, vt patet ex capite proximo, ad rationem propositionis per se notæ nequaquam requiritur, vt prædicatum conueniat subiecto in primo modo dicendi per se. Deinde vero assumptio, quoniam, *esse*, vt iam dixi, est de essentia Dei, & nostro modo intelligendi dicitur de eodẽ in primo modo dicendi per se. Ad confirmationem respondetur maiorem esse veram, si intelligatur de prædicato vniuoco, non vero analogico: at ipsum esse commune Deo, & creaturis est prædicatum analogicum: cætera argumenta quæ eodem loco Mayronius adducit, soluam cum disputabo, vtrum ipsum esse, sit de intrinseca ratione essentiæ diuinæ.

IV. Suppositа hac communi sententia Doctorum, sequitur vt videamus, quomodo eadem propositio: *Deus est*, se habeat comparatè ad intellectũ nostrum. Et in primis quidem respectu beatorum negant esse per se notam, Gregorius vbi supra. Maior in 1. d. 2. q. 1. Corollario 10. & ad idem videtur alludere Mayronius vbi supra difficultate prima: nam solùm ob experientiam dicit esse per se notam, & non ex solis terminis: atque adeò quamuis absolutè dicat per se notam, negat tamen in sensu, quo nunc loquor: nam ipse ad rationẽ propositionis per se notæ non exigit, vt sit cognoscibilis ex suis tantum terminis, & vt vacet medio termino à priore, sed solùm vt habeat euidentiam ex se, & non ab alia propositione: quæ autem intuitiuè percipiuntur ex seipsis, & non aliundè, habent actu euidentiam: & ita, cùm ait respectu beatorum esse per se notam, non intelligit ad sensum quo loquimur, quia secundum eum sentit idem, quod Gregorius, & quidem Gregorius & Mayron. congruenter loquuntur: nam propositio, quæ non est per se nota secundum se, nequit esse per se nota respectu vllius intellectus: semper enim intellectus supponit cognoscibilitatem obiectiuam propositionis: & ideò, si ea secundũ se spectata nõ est cognoscibilis ex suis tantum terminis, à nullo intellectu potest adęquatè cognosci ex solis terminis: si vero potest, iam secundũ se est cognoscibilis. Itaque tres hi auctores non negant eam propositionem esse beatis euidenter & immediatè notam ex notitia intuitiua, sicut sunt ea, quæ intuitiuè cognoscimus, imò multo perfectius: sed solùm asserunt nõ habere rationẽ propositionis cognoscibilis, ex præcisa ratione terminorum, quatenus termini sunt, sed quatenus euidenter, & intuitiuè cognoscuntur: quod non est satis ad propositionem per se notam, alioquin omnes intuitiuæ de rebus contingentibus essent per se notæ, cuius oppositum superiore capite dictum est.

Gregor. *Maior.* *Mayron.*

V. Dico secundùm. Eadem propositio, *Deus est*, est per se nota beatis propriè loquendo, est de mente S. Thomæ, & aliorum, quos retuli hoc cap. num. 2. quorum multi expressè mentionem faciunt beatorum: alij vero, cùm absolutè dicant esse per se notam secundum se, id præcipuè verum esse existimabunt respectu notitiæ maximè claræ, & distinctæ qualis est beata: præter citatos auctores ita expressè docent Petrus de Alliaco in 1. quæst. 3. art. 2. lit. V. Marsilius, q. 5. art. 2. ad secundam rationem principalem, & Gabriel. dist. 3. quæst. 4. art. 2. Conclusione 2. & art. 3. fundamentum est, quoniam propositio obiectiua per se nota secundum se, seu quæ est immediata carens termino à priore, si distinctè penetratur, est apta gignere euidens iudicium de veritate obiecti absque vllo medio externo: & consequenter est per se nota respectu intellectus habentis distinctam penetrationem terminorum, propositio, de qua loquimur, est immediata, & per se nota secundum se, vt patet ex paulò ante dictis: intellectus beatus habet distinctam penetrationẽ terminorum eiusdem: ergo respectu eius est per se nota. Non est autem immorandum modo in explicandis dubijs, quæ per accidens se habent ad hanc materiam: nimirum vtrum in patria sit iudicium de ea propositione

Alliacens. *Marsil.* *Gabriel.*

distinctum

distinctum ab apprehensione: & vtrum ipsa apprehensio terminorum sit eadem, aut diuersa, quæ omnia explicanda sunt, lib. 3. tractat. de natura visionis beatæ: nunc verò sat est, si eadem visio beata æquipolleat distinctis apprehensionibus terminorum: Etenim ad iudicandum vtrum propositio obiectiua sit per se nota ex suis tãtum terminis, sat est, vt non requirat terminum externum, & vt ex vi notitiæ apprehensiuæ obiecti, feratur de ea iudicium, siue ea apprehensio sit re ipsa, siue virtute multiplex: item sat est, vt iudicium quamuis re ipsa coincidat cum apprehensione, virtute tamen in ipsa quasi fundetur, tanquam in ratione motiua sui, quod non est absurdũ: nam, vt eodem lib. 3. ostendam in tractatu de obiecto visionis, eadem visio beata terminatur ad essentiam diuinam, & ad res in ipsa visas: & tamen, vt terminatur ad essentiam, est ratio, cur terminetur ad creaturas. Deinde verò non est absurdum, imò à Gregorio ipso supponitur posse ex visione beata elici iudicium euidens huius propositionis, *Deus est*, quod elicitur ex vi notitiæ terminorum, & non aliunde.

VI. Motiuum oppositæ sententiæ non habet vim: namque, vt propositio sit cognoscibilis ex suis tantum terminis, duo requiruntur: nimirum connexio immediata & necessaria, itemque penetratio sufficiens ipsorum: quæ omnia sunt in hac propositione, *Deus est* respectu intellectus beati, nõ autem in alijs propositionibus, quarum fit mentio in argumento. Inprimis enim in ea propositione ex parte obiecti est connexio immediata ac necessaria, vt patet: deinde verò sufficiens penetratio, etenim visio beata ita est intuitiua, vt sit etiam suo modo quidditatiua, suo modo penetrans essentiam diuinam, ac distinguens in ipsa prædicata essentialia: ex quorum clara perceptione, & non ex sola ratione intuitionis habet vim germinandi assensum euidentem illius propositionis *Deus est*: id verò prouenit ex visionis excellentia, quæ participat perfectionem notitiæ intuitiuę, & suo modo diffinitiuæ absque imperfectione annexa vtrique: nam diffinitiua inter nos est solum abstractiua, intuitiua verò non est diffinitiua visio beata, quia visio non est abstractiua, quia est perceptio Dei sicuti est, habet aliquam rationem diffinitiuæ, id verò habet quatenus est participatio visionis ipsius diuinæ, qua Deus habet perfectam cognitionem sui diffinitiuam simul & intuitiuam. Ex quo patet, quamuis visio beata ex eo præcisè, quod sit intuitiua apprehendens coniunctionem ipsam prædicati cum subiecto, non reddat propositionem, *Deus est*, propriè per se notam & cognoscibilem tantum ex terminis, reddere tamẽ ex eo, quòd habet rationem aliquam quidditatiuè, & clarè attingit ac penetrat terminos, ita vt ex ea penetratione sequatur assensus verè ac propriè immediatus, & si fieri possit, vt absque intuitione penetratio ea remaneat, adhuc eandem vim retinebit ad modum, quo philosophatur Scotus de clara Dei notitia abstractiua. Nec mirum est in notitia tam excellenti inesse hanc vim, cùm intellectio, qua Angelus naturam suam intuitiuè agnoscit, eam habeat, simul enim est verus intuitus, & cognitio diffinitiua sui. At notitiæ reliquæ solum experimentaliter euidentes ex intuitu obiecti sine penetratione terminorum, quales sunt eæ, quæ in argumento adductæ sunt, carent ea perfectione, quæ consistit in penetratione terminorum, & ita ex hoc defectu non sunt per se notæ. Præterea ipsi termini obiectiui carẽt connexione immediata ac necessaria, quæ est fundamentum cognoscibilitatis immediatæ: & ideò quamuis Deus alicui infunderet conceptus simplices maximè claros, ac distinctos Socratis, ac risus, ex ijs non eliceret euidentem, imò nec certum iudicium, quod Socrates rideat: quod similiter dicendum de alijs propositionibus cõtingentibus, quarum nulla ex pręcisa penetratione terminorum absq; intuitione innotescit.

VII. Si verò eadem propositio, *Deus est*, comparetur cum intellectu viatorum, & connaturali modo intelligendi nostro, per se notam asseuerant Albertus in summa, tract. 3. quæst. 57. in secunda parte quæstionis. Bonauent. in 1. dist. 8. art. 1. quæst. 2. Ægid. d. 3. prima parte primæ partis principalis, quæst. 2. Toletan. dist. 2. quæst. vnica, artic. 4. ad argumenta contra primam conclusionem. Argentin. dist. 3. quæst. 1. art. 3. Abulens. quæst. 2. in cap. 5. Exod. Lyranus in id Exod. 5. *Nescio Dominum*, Carthusianus in 1. dist. 3. quęst. 2. in fine, & Michael de Palatio quæst. 5. prologi, eiusdem sententiæ videntur esse Altisiodorens. lib. 1. sum. cap. 1. & Alens. prima parte quæst. 3. m. 2. & 3. quatenus ex doctrina Anselmi docent non posse concipi Deum non esse, si quis cogitet rem, quæ significatur nomine *Deus*, & non vocem tantum, quam sententiam expresè docuit Anselm. in prolog. cap. 2. & in lib. contra insipientem: Fauent Patres asserentes agnitionem Dei inditam hominibus à natura: sola autẽ primorum principiorum cognitio dicitur à natura in-

Albert. *Bonauentura.* *Ægid.* *Toletan.* *Argentinas.* *Abulens.* *Lyran.* *Carthusian.* *Palatius* *Altisiodo.* *Alens.* *Anselm.*

Eusebius. *Nazianz.* *Hieronym.* *Theophylact.* *Philippus.* *Elias Cret.* *Damascen.* *Arnobius.* *Nazianz.* *Beda.* *Tertullian.* *Cyprian.* *Orosius.* *Aristoteles.*

dita. Ita verò docent Eusebius lib.2. de præparat.cap.9.Nazianz.orat.34. quæ est 2.de Theologia,numer. 32. Hieronymus in id Iob.cap.36.*Omnes homines vident eum,* & in id ad Titum primo,*Sunt enim multi,& non subditi,* Nyssenus in lib. de beatitudinibus,super illã, *Beati misericordes,* &c. Theophyl.in cap. 1.Epistolæ ad Romanos, Philippus presbyter in id Iob.36. *Omnes homines vident eum,* Elias Cretensis in orat.24 Nazianzeni citandi, Damasc.lib.1.de fid. cap.1.& 3.& Arnobius lib.1.aduersus Gentes non multum antè medium his verbis: *Quisquam nè est hominum, qui non cum istius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non sit ingenitum,non affixum, imò ipsis penè in genitalibus matris non impressum, non insitum esse Regem,ac Dominum cunctorũ quæcunque sunt moderatorem?* Similiter fauent Patres asserentes homines naturaliter cognoscere Deum, vel habere cognitionem Dei:ita verò loquuntur Nazianz.orat.24. quæ est in aduẽtu AEgyptiorum post medium.Beda in id Psal.58. *Et comprehendantur in superbia sua.* Tandem eandem sententiam non obscurè videtur tradere Patres, qui docent nõ posse ignorari ab hominibus quod sit Deus:omnia verò quæ per se nota non sunt, ignorari possunt, Tertullian.Apologetico aduersus Gent. cap. 17. *Hæc est,* inquit,*summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Idem ait lib.de spectaculis cap.2.ex Tertulliano citata verba desumpsit Cyprianus de Idolorum vanitate, idem docet Paulus Orosius lib.6.histor.cap.1. Fundamentum est primo, quoniam propositio per se nota est, quæ non habet medium terminum, quo à priore demonstretur, & ideò est nota ex suis tantum terminis, & non ex alio principio. Hæc autem propositio,*Deus est,* non habet medium terminum, quo à priore demonstretur:ergò est per se nota. Maior propositio sumitur ex Aristotele 1.Poster. cap.2. vbi prima principia appellat immediata,hoc est carẽtia medio termino à priore,& ait fieri nõ posse,vt esse demonstrẽtur. Assumptio ostenditur,quoniam huius propositionis nõ potest dari medium desumptum à causa extrinseca: nam vt infra cõstabit,*Deus est,* à seipso,independens omninò ab omni alia re.Non potest etiam sumi medium à causa materiali intrinseca: nam hoc etiam non cadit in Deum, non à formali:nam, vt etiam constabit inferius, in deitate non est vlla ratio formalis prior ipso esse diuino, quæ nostro modo intelligendi sit ratio,cur Deus sit. Secundo, Enunciatio,in qua prædicatum est de ratione subiecti est per se nota: esse verò est de ratione formali intrinseca Dei: quare hæc propositio, *Deus est,* erit per se nota. Tertio id,cuius oppositum,& cogitari nequit, & inuoluit repugnantiam cum significatione ipsa terminorum, est per se notum: at Deum non esse, cogitari nequit ab homine intelligente notionem ipsam terminorum, vt ait Diuus Anselmus in proso- *Anselm.*
logio cap.3. & 4. ideoque cap.4.ait insipientem cùm dixit, *Non est Deus,* non cogitasse rem ipsam nomine signatam, sed vocis tantummodò conceptum habuisse: & inuoluit contradictionem cum terminis: nam, cùm existentia sit de formali & intrinseca ratione Dei, idem prorsus erit asserere, *Deus non est,* ac dicere, *Deus non est Deus.* Et confirmatur, quoniam notio huius nominis, *Deus,* hominibus communiter nota,vt superius dixi, est id, quo maius cogitari nequit: ex vi autem huius significationis siue notionis, euidenter constat Deum esse:nam implicat cõtradictionem, vt id,quo maius cogitari nequit,sit nõ ens, aut ens in potentia ad existendum: omne quippe ens est maius atque perfectius non ente, & omne ens actu perfectius ente in potentia. Denique hæc propositio,*Deus est colendus,* est per se nota: ergò & hæc, *Deus est.* Patet consequentia,quoniam nõ potest esse euidens prædicatum conuenire subiecto,de cuius esse dubitatur.

VIII.

Dico tertium.Hęc propositio,*Deus est,* non est per se nota nobis. Est communior sententia Doctorum, ita Diuus Thom.& Tarantas. cit.num. 2.Henr.in sum.art.22. quæst.1.2.& 4.Richard.in 1.dist.3.art.1.q. 2. Durand.q.3 à numero 7. Scotus dist.2. q.2.§. *Ex his ad quæstionem,* cum interpretibus ibidem, Heruæus quæst.etiam 2.Aureol.q.2.art.6.propositione 2.& 3. quamuis differat in modo loquendi dicés in prima propositione esse per se notam, quia cognoscitur imperceptibili syllogismo. Ochamus d.3.q.4.lit.F.Gabriel.q.4.ar.2. cõclus.1.Mayron.d. 2.q.1.ar.2. difficul.4. Bassol.d.3.q.2.art.2.Gregor. q.vnica,art. 2.Aquilan.d.2.q.1.art.2.Capreol.q.2.art. 1.conclus.3. Antonius Andreas vbi supra. Rubio.lus art.citato,conclus.3.Hispalens. vbi supra. Maior quæst. citata,conclus.1. Marsilius in 1.q.5.art.2. ad secũdam rationem principalem,Alliacensis in 1.q.3.ar.2. lit. V. Syluester,Caietanus, Ferrarien.& Casalius,vbi supra, Sotus q.2.in 1.poster. ad Nonum argumentum: eandem sententiam docuit Dionys. Carthus. loco citato summæ fidei,in qua, vt plurimum doctrinam D.Thomæ amplectitur. Est etiam de

S.Thomas. *Tarantas.* *Henricus.* *Richard.* *Durand.* *Scotus.* *Heruæus.* *Aureol.* *Ocham.* *Gabriel.* *Mayron.* *Bassolis.* *Gregor.* *Aquilan.* *Capreolus.* *Anto. Andr.* *Rubionius.* *Hispalens.* *Maior.* *Marsil.* *Alliacens.* *Syluester.* *Caietanus.* *Ferrarien.* *Casalius.* *Sotus.* *Carthus.*

mente

mente ferè omnium Patrũ, quos referam cap. 5. num. 4. ij enim docentes naturaliter cognosci ab hominibus esse Deum, cognitionem hãc à cognitione creaturarum per discursum colligi asseuerant: ad quem non recurrerent, si existimarent esse per se notum, *Deum esse*. Varia ad eius cõfirmationẽ fundamẽta proferuntur, sed pleraq; facilè ab oppositæ sentẽtiæ assertoribus diffoluuntur. Id verò suadet Bannes 1. p. q. 2. ar. 1. cõclus. 2. ex verbis Dei ad Moysem. Exod. 6. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente*, hoc est, qui reuelaui illis attributa fortitudinis & potẽtiæ meæ, dando illis victorias, *& nomen meum Adonai non indicaui eis*, vbi in Hebræo habetur nomen Iehouah, significans ipsum esse: queis verbis Deus præfert Moysem antiquis Patribus, quoniam illi, etsi habuerint notitiam quid nominis, & cognitionem confusam ex effectibus omnipotentiæ, Deus tamen nõ manifestauit illis, sicut Moysi, nomen sibi proprium. Ex quo sic arguit. Vt propositio sit per se nota nobis, requiritur vt ex cognitione subiecti statim sciamus conuenire illi prædicatum, & modum quo conuenit. Patres autem ex cognitione Dei non sciebant quomodo illi conueniret esse, vt cõstat ex citato loco Exod. ergò neque nobis erit per se notũ Deum esse. Non est autem vis vlla in hoc argumento: tum quia dicent aduersarij, ex eo, quod propositio non sit euidenter nota vni vel alteri, minimè sequi non esse per se notam alijs: quoniam pleraq; sunt per se notæ sapientibus, nõ verò omnibus, vt ipsemet Diuus Thomas admittit, q. 10. de verit. art. 12. & sæpe alibi, deinde respondetur, vt propositio sit per se nota, nõ opus esse, vt ex sola notitia simplici subiecti nascatur assensus euidens, sed ex penetratione vtriusque extremi: imò fieri non posse, vt absq; vtriusque apprehensione præstetur euidẽs assensus propositioni. Respondetur tertiò ad propositiontm per se notam non requiri, vt nõ cognoscatur quomodo prædicatum cõueniat subiecto, si terminus, *quomodo*, determinet modum conueniendi intrinsecè vel essentialiter: sed sat esse, vt cognoscatur verè ac necessariò conuenire: nam prima principia mathematica per se nota sunt, nec tamen Mathematicus curat, aut aduertit vtrum prædicatum conueniat subiecto essentialiter & intrinsecè, necne? sed solum fertur in propositionem tanquam in obiectum verum ac necessarium. Ita verò fieri potuit, vt propositio, *Deus est*, fuisset per se nota Patribus euidenter videntibus connexionem Dei cum existentia, & ipsi nihilominus ignorarent, vtrum ipsum quod est, esset nomen Dei.

IX. Alij probant. Quoniam licet Deus in se sit ens absolutum ab omni respectu ad creaturas, tamen à nobis in via non nisi sub habitudine ad illas cognoscitur: & ita, quãdo illum cõcipimus ac nominamus, simul cõcipimus creaturas, quarum principiũ, causam, aut Dominum ipsum intelligimus: & ideò quamuis facilè & absque labore assentiamur huic propositioni, *Deus est*, nõ proinde est per se nota: ex ipsis namq; creaturis, per ordinem, ad quas Deus à nobis cognoscitur, subita quadam ratiocinatione propositioni illi assensum præbemus. Quapropter sicut impossibile est pro hoc statu cognosci Deum à nobis aliter, quàm relatè ad creaturas, ita etiam fieri nequit, vt per se, & non per alia nobis innotescat. Sed neque hæc ratio idonea est: nam vel nititur in hoc, quod Deum esse non nisi discursu ex creaturis præcognitis agnoscitur, vel in eo, quod nõ cognoscatur à nobis conceptu absoluto, sed relato ad creaturas: si priore modo procedat, petit principium: nec reddit causam, cur ad assensum eius propositionis opus sit discursu, de hoc enim est controuersia: præterea discursus à posteriore, qualis sumitur ex creaturis ad Deum, non tollit rationem propositionis per se notæ: fieri enim potest, vt post quam principium aliquod à posteriore scimus, introspectis eius terminis euidẽter, ex ipsorum apprehensione cõnexionem agnoscamus, & assentiamur illi ex solis terminis; si verò ratio posteriore modo intelligatur, nõ habet vim: nam necessitas cognitionis alicuius termini in obliquo, quia terminat habitudinem alterius, non reddit cognitionẽ discursiuam: nec assensus ex tali notitia simplici genitus, propterea desinet pertinere ad assensum primorũ principiorum, vt cõstat ex hoc principio, *totum est maius sua parte*, totum enim nõ est absolutum quid, sed relatum ad partes, nec proinde cognitio partis in obliquo requisita ad assensum est in causa, vt is sit discursiuus. Itẽ illud principium, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, constat terminis relatis, & est per se notũ, quoniam ex penetratione terminorum euidẽter apparet cõnexio extremorum, & veritas propositionis: ergò, si ex apprehensione, quam de lege habemus, terminorum huius propositionis, *Deus est*, euidenter innotesceret illius veritas absque alio medio termino, nõ impediretur ratio propositionis per se notæ, ex eo quòd Deus cõciperetur sub habitudine ad creaturas, & confirmatur, quoniam hæ-

propositio, *Deus est colendus*, admittitur cõmuniter per se nota: & tamen constat eodem termino, *Deus*.

X. Præcipuum igitur fundamentum, quo vtitur D. Thom. 1.p. & q. de veritate citata & alij, est, quoniã viatores non habent conceptum quidditatiuum Dei, sed descriptiuum. Nam cùm de ratione propositionis per se notæ sit talis immediatio & coniunctio extremorum, vt nil inter illa medium cadat, quod sit ratio connexionis obiectiuæ, & assensus ad ipsam terminati, ita quoque de ratione propositionis per se notæ alicui est, vt assensus procedat ex apprehẽsione terminorum immediatorum, ita vt intellectus cognoscat vtrumq; in se, & non in alio: nam si cognoscat alterum saltẽ non in se secundùm propriam rationem ipsius: sed secundùm aliam illi coniunctam, iam non cognoscitur immediata & intrinseca ratio coniunctionis: neq; ex tali apprehensione potest intellectus formare iudicium euidẽs primi principij. Exempli causa, natura hominis est immediata ratio potentię discursiuæ, posito quòd hæc sit prima passio: & ita vt intellectus euidẽter iudicet de connexione eius passionis cum natura humana, requiritur apprehensio humanitatis secundùm propriam rationẽ diffinitiuam, nam si non cognoscatur homo, qua rationalis, sed qua bipes, aut risibilis est, ex eiusmodi apprehensione non sequitur assensus euidens propositionis per se notæ. Eodem modo, quoniam in via nõ attingimus Deũ secundùm propriam & quidditatiuam rationem ipsius, sed per conceptus quosdam communes coadunatos ad illum vtrumq; describendum, nõ attingimus vlla simplici apprehensione ipsam propriam atque immediatam rationem connexionis, siue idẽtitatis obiectiuæ Dei cũ suo esse: sed illam obscurè designamus per rationes alias mediatas, & quæ nostro modo intelligendi supponunt Deum esse: qualis est ratio causæ, entis infiniti, boni, & similium; nam his omnibus prior est ratio ipsius esse.

XI. Contra hoc fundamentũ obijciunt recentiores non requiri ad propositionẽ per notam, vt habeatur proprius, & quidditatiuus conceptus Dei: quandoquidem hoc principium, *quodlibet est, vel non est*, sub quo etiam Deus continetur, est per se notũ, atque adeò erit etiam per se notum, *Deus est, vel non est*, quamuis Dei proprium conceptum non habemus. Similiter est per se notum incorporeum non cõmensurari loco corporeo: & tamen non habemus propriũ & quidditatiuum cõceptum substantiæ incorporeæ. Verùm aliud est ad omnẽ propositionem per se notam, requiri, vt habeatur proprius cõceptus subiecti: aliud verò ad hãc, vel illam determinatè sumptam, in qua prædicatur aliquid immediatè cõiunctum cum subiecto illi propriũ, & immediatum: Et primum quidem non est verũ, vt rectè concludit argumentum posterius verò est verissimum, & ratio est iam indicata: quia quamdiu latet proptia ratio subiecti, latet causa, siue ratio connexionis eius cum prædicato immediato, atque adeò ex vi alterius conceptus non proprij, haud quaquam potest intellectus assentiri exterminis, quando verò ratio connexionis non est per se primo propria naturæ subiecti, sed ratio aliqua communis, tunc distinguendum est: nam vel inferius potest cõcipi absq; eo, quod simul clarè agnoscatur ratio illa communis, quæ est immediata prædicato, vel semper hæc inuoluitur clarè in eius conceptu: si primo modo se habeat, non opurtet, vt prædicatũ, quod cum superiore subiecto efficit propositionem per se notam, efficiat etiam cũ subiecto inferiore. Exempli causa hæc est per se nota, *Substantia corporea est quanta, vel mobilis*, posito quod altera harũ sit prima passio: hæc verò non est per se nota, *Animal rationale est quantum, vel mobile*, quoniam hæ passiones non immediatè connectuntur homini ratione naturæ humanæ, sed ratione gradus corporeitatis, qui non concipitur distinctè conceptu hominis non resoluto in omnes suas differentias. Ex quo patet formaliter loquendo, non valere illam consequentiã, hæc est per se nota, *quodlibet est, vel non est*: ergò cùm Deus contineatur sub subiecto illius, hæc etiam erit per se nota, *Deus est, vel non est*, non enim ex eo, quod aliquid cõtineatur sub subiecto propositionis per se notæ, potest cum illius prædicato cõstituere etiam propositionem per se notam. Si verò subiectũ magis vniuersale sit eius conditionis, vt clarè innotescat in cõceptu cuiusuis minùs latè patentis, tunc fieri poterit, vt etiam ex subiecto minus latè patẽte, & eodem prædicato coalescat propositio per se nota: ita verò res habet in cõmuni illo principio, *quodlibet est, vel nõ est*: nam terminus, *quodlibet*, est maximè transcendens, & extenditur ad entia, & non entia, & in cuiusuis conceptu elucet, omnis enim conceptus est alicuius: & ideò cùm dicitur, *Deus est, vel non est*, fit propositio per se nota, etiam si Deus non sub proprio & quidditatiuo conceptu apprehendatur, quoniam prædicatum nõ coniungit immediatè Deo solùm ratione propriæ naturæ, sed ratione illa communi, *cuiuslibet*, quæ innotescit

tescit etiam per conceptum Dei non proprium. Ad aliud exemplum respondeo, incorporeum vel sumi materialiter pro substantia incorporea, vel formaliter pro negatione corporeitatis, connotatiuè autem pro substantia, cui est necessariò connexa: si pro substantia sumatur illa propositio, *incorporea non commensurantur loco corporeo*, nō est per se nota, quoniam substantia spiritualis, & repugnantia commensurationis ad locum non immediatè coniunguntur: etenim Authore Philosopho, quoties affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: at causa, cur res naturalis commensuratur loco, est corporeitas, siue quantitas: quare harum negatio erit immediata ratio, cur substantię immateriales non commensurentur loco corporeo: & ideò cùm inter negationem commensurationis, & substantiam immaterialem interiaceat negatio incorporeitatis & quantitatis, substantia immaterialis, & repugnantia commensurationis ad locū non immediatè connectuntur: & cōsequenter ex terminis hæc duo significantib. non resultat propositio per se nota, & ita parum refert ad institutum, vtrum habeamus propriū conceptum quidditatiuum substantiæ immaterialis necnè. Si verò sumatur incorporeū formaliter pro negatione corporeitatis, siue quantitatis, connotatiuè verò pro substantia, erit propositio per se nota, etiam nobis, vt rectè notat Henr. vbi suprà, ratio est, quoniā incorporei sic accepti habemus proprium conceptum, ad modum, quo de negationibus haberi potest: nam negationes cognoscimus per affirmationes: atque adeò cùm habeamus proprium cōceptum corporeitatis & quantitatis, etiam habebimus suo modo incorporei, quatenus illarū negationem significat: ad rationem autem propositionis per se notæ non requiritur proprius conceptus connotati, sed solum formalis significati: Et ita non adducitur instantia: nam hæc propositio, *res incorporea non commensuratur loco*, quando est per se nota, supponit proprium conceptum subiecti, quod immediatè coniungitur prædicato.

XII. Testimonia Patrum pro contraria sententia inducta ad tria capita reuocari possunt: nam quidam aiunt cognitionem Dei inditam hominibus à natura: alij dicunt homines naturaliter agnoscere Deum: alij deniq; non posse Deum ab hominibus ignorari. Quæ testimonia probant quidem notitiā Dei naturaliter ab homine acquiri posse, non tamen ita euidentem esse, vt ex terminis appareat. Nā quod attinet ad primum loquēdi modum, indita quoq; à natura dicuntur ea, quorum proxima principia ac semina in nobis sunt: & quoniam homo habet lumē rationis, & sensuum organa, quorum vsu ex aspectu ac notitia creaturarum venire potest in agnitionem Dei, idcircò hæc dicitur insita à natura, scilicet in semine & principio intelligēdi. Quæ interpretatio colligitur ex verbis D. Chrysost. in cap. 1. Epist. ad Rom. hom. 3. nam cùm dixisset Deum ab initio cognitionem sui hominibus indidisse, inquirens modum sic ait: *Vnde nam manifesta erit? vocem è supernis emisit illis Deus? Nequaquam: sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit mūdi creatione in medium proposita, vt posset sapiens, rudis, scytha, barbarus ex ipso aspectu eorum, quæ oculis subiecta sunt, pulchritudinem edoctus ad Deum conscendere.* In hoc sensu testimonium D. Damasceni interpretantur S. Thom. q. 10. de verit. art. 12. ad 1. Aureol. art. 6. citat. ad 1. argum. ex tertio obiectis, & Scotus §. *Ad argumenta*; Secūdus etiam loquendi modus non conuincit: nam ea naturaliter facere dicimur, quæ ex principijs naturalibus etiam per discursum elicimus: qua ratione Apostolus ad Rom. 2. asseruit gentes naturaliter facere ea, quę legis sunt: nempe quia vt exponit D. Thom. lect. 3. etsi Deus ijs legem naturalem externo signo non promulgauerit, nihilominus ipsæ per lumen rationis naturalis agnoscebant prima principia practica legis naturalis, & conclusiones clariores ex ipsis deductas: non enim omnia, quæ decalogo continentur, sunt prima principia iuris naturalis, sed nō nullæ sunt conclusiones, quæ naturali lumine facili discursu ex illis deducūtur: quæ proinde dixit Apostolus gentes facere naturaliter, id est, absque supernaturali promulgatione exteriore, quia per lumen naturale ex terminis, vel per discursum agnoscebant. Denique, vt verè aliquid dicatur non posse ab hominibus ignorari, quod tertio loco ex patribus obijcitur, non opus est, vt sit per se notum, sed sat est, vt ex per se notis sensu vel intellectu facilè, & absq; doctore colligatur: quomodo ex creaturarum notitia per sensus habita volūt Patres Dei notitiam à nobis colligi.

Chrysostom. *S. Thomas.* *Aureol.* *Scotus.* *Ad Rom. 2.* *S. Thomas.*

XIII. Primum argumentum sententiæ affirmantis solùm concludit hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam secundùm se, nō verò quoad nos: ad hoc enim, vt iam dixi, nō sat est, vt propositio obiectiua careat medio à priore, quod probat argumentum, sed præterea requiritur, vt ei⁹ termini possint à nobis apprehendi sub proprijs rationibus, quibus immediatè cōiunguntur,

quomodo non apprehenduntur à viatoribus termini prædictæ propositionis; Pro secũdi explicatione recolendum est, quod capite superiore ostendi, licet non omnem propositionem, in qua prædicatum est de ratione subiecti, esse per se notã quoad nos, quamuis sit per se nota secundùm se: ex quo patet argumentum solum cõcludere hanc propositionem, *Deus est*, esse per se notam secundũ se, non verò quoad nos. Ad tertium concedenda est maior propositio quoad priorem partem: neganda verò assumptio quoad eandem, quandoquidem non desunt insipientes, qui cogitent & affirment non esse Deũ, vt insipiens ille de quo loquitur Dauid: nec interpretatio Diui Anselmi conuenit textui: nam verba illa, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus:* satis indicãt eum affirmasse mentaliter id, quod voces significant, si enim absque vlla notitia significationis terminorum solam propositionem vocalem in phantasia, vel animo expressit, sanè non magis de eo affirmari potest dixisse in corde, quàm de puero, vel etiam psyttaco cogitatiõe voluentibus easdem voces: hos autem in corde dicere nemo affirmarit: quare de iudicio mentali intelligi debet Propheta. Et ita de negatione Deitatis interpretatur *Chrysost.* Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili Dei natura, & in Psal. 13. *Augustin.* Augustin. serm. 10. de verb. Domini, *Damascen.* Damascen. li. 1. fidei cap. 3. & reliqui Patres communiter. Ad alteram eiusdem maioris partem respondendum est negatiuè, si sermo sit de propositione per se nota quoad nos: nam negatio cuiusque prædicati essentialis inuoluit repugnantiam cum significatione subiecti: & nihilominus non quæuis propositio enuncians aliquid essentiale, est per se nota quoad nos. Ad vltimam confirmationem respondeo, tum demum ex nominis notione aliquid concludi de subiecto, cùm constat an sit: nam posito quod sit in rerum natura aliquid significatum per nomẽ, rectè ex significatione nominis concludi possunt aliqua de secundo adiacẽte: ipsum verò esse nequaquam cõcluditur ex notione descriptiua nominis: sed adhuc ea posita potest esse cõtrouersia, an subiectũ sit, vt respondendo ad hoc argumentum Anselmi, quo etiam vtuntur Altisiodor. Alens. Bonau. & *S. Thom.* Aegid. vbi suprà, rectè obseruant S. Tho. *Caietan.* 1. p. q. 2. ar. 1. ad 2. cum Caiet. & *Sylvester.* Syluestro ibid. & lib. 1. contra Gent. c. 11. cum *Ferrariens.* Ferrar. in 1. d. 3. q. 1. ar. 2. ad 4. *Heruæus.* Heruæus vbi supra, *Duran.* Durand. q. 3. n. 14. & 15. *Bassol.* Bassol. q. 2. ar. 3. ad 2. *Gerson.* Gerson. 3. p. tract. 7. super Magnificat Alphab. 86. lit. O. & *Aureol.* Aureol. in 1. dist. 2. q. 2. ar. 6. propositione 2. & ad 1. argumen. ex primo obiectis. Exempli causa, centaurus significat animal compositum ex differẽtijs animaliũ specificè diuersis, ita vt sit animal partim homo, partim taur°: ex qua notione si subiectum ponatur esse, non ineptè concludi potest ipsum esse viuum, ac sensitiuum, si tamen nihil supponatur, incertum est adhuc vtrum eiusmodi animal sit passibile, idq; per rationẽ ac discursum colligi debet. Ita, qui concedunt dari Deũ, ex eo, quod sit id, quo maius cogitari nequit, ostendere possunt ipsum esse viuum, sapientem, omnipotentem, & similia. Verũ qui hoc non supponunt, sed adhuc quærunt vtrum Deus sit, conuenire primũ debent in significatione & cõceptu eius, quod quærunt: aliter circa illud discurrere, affirmare, aut negare nihil omninò possunt: Nec tamen proinde viatori euidens est, ex terminis Deum esse: non enim euidenter ipsi apparet immediata coniunctio ipsius esse cum eo, quo maius cogitari non potest: nam viator antequam habeat demonstrationem ex creaturis, vel aliud certum principium credendi Deum esse, ambigere de hoc ipso potest, vtrũ scilicet sit ens aliquod, quo maius cogitari nequeat: & hoc ipsum negauit insipiens, cæteriquc Athei, nempe quia eius, quo maius cogitari nequit cum ente, coniũctio non est per se nota nobis. Ad vltimum Mayronius q. cit. *Mayron.* ad finem negat antecedens, neq; vllam rationem assignat. Alij quorũ meminit Mo- *Molin.* lina 1. p. q. 2. art. 1. respondent cum distinctione: dicunt enim propositionem hanc, *Deus est colendus*, esse per se notã ei, qui speculatiuè scit esse Deum, non verò ei, qui ignorat. Illud certum est propositionem hanc esse per se notam secundùm se: nam cognita distinctè ratione deitatis & cultus, eo ipso mens iudicat deberi cultum Deo, qua ratione beatis hoc est per se notũ. Deinde verò etiam potest esse per se notũ nobis, siquidem ad veritatẽ propositiõis practicæ non requiritur veritas speculatiua de existentia subiecti: sed sat est, vt connexio prædicati cum subiecto, sit vera, immediata, & euidens: nam qui dicit parentes sunt colendi, debita sunt reddenda, nõ supponit esse debita, vel parentes: sed solùm si sint, asserit debita reddenda, parentes colẽdos. Ratio huius est: quia assertio practica non dicit, ꝙ est, vel erit in re: sed ꝙ ratio dictat, vt sit. Ea verò videns in subiecto cõgruentiam, aut dignitatẽ obiectiuã respectu alicuius actionis, nõ curat vtrũ subiectum sit necne: sed abstrahẽdo ab eius existẽtia format iudiciũ practicũ de actione, cuius dignita-

nitaté in ipso cernit. Vndè constat non esse verum quod dicit Argentin. ar. 3. ad secundum argumentum ex propositis secundo loco, nempè huiusmodi propositiones, cùm habeant pro prædicato participium de futuro, non exigere quod subiectum existat, nisi in futuro tempore. Ratio verò est, quia huiusmodi propositiones non enunciant futuram existentiam, sed congruentiã prædicati cum subiecto, & ideò verę sunt, quãuis subiectum nequaquam sit futurum, vt dictum est. Et hoc modo se res habet in illa propositione, *Deus est colendus*, quæ nõ enũciat existentiam Dei, aut cultus illi habendi, sed solam congruentiam, ac debitũ cultus cum ratione Deitatis: quæ congruentia per se euidenter apparet ex terminis ipsis abstrahendo ab existentia, vel eius negatione. Nam, si sit id, quo maius cogitari nequit, & quod est prima causa, & principiũ creaturę rationalis: quod nos nomine, *Deus*, significare intendimus, absque alio medio termino fit euidens cultum ipsi, adorationemque deberi.

Argent.

Hæc propositio, Deus est, non est demonstrabilis à priore.

Caput IV.

I. QVia non repugnat enunciationem esse per se notam secundùm se, quin sit per se nota nobis, & talem esse hanc propositionem *Deus est*, ostendi capite superiore, nunc videndũ sitnè demonstrabilis à priore, saltem quoad nos. Non desunt recentiores, qui affirment esse demonstrabilem à priore etiam respectu viatorum, si non per se primo, saltem posita cognitiõe Dei, acquisita per discursum; quoniam, inquiunt, postquam ex creaturis cõuincitur Deum esse ens necessarium, & à se, & vnum, necessariò concluditur à priore hunc esse Deum; si verò obijcias ex eo sequi ex quidditate Dei cognita, demonstrari Deum esse, siquidem quidditas Dei est, vt sit ens necessarium, & à se: qui modus demonstrationis repugnat, quoniam prior est quæstio an est, quam quid est, respõdẽt formaliter, ac propriè loquendo non demonstrari esse Dei per ipsam quidditatem vt sic: sed ex quodam attributo (quod re ipsa est essentia Dei, à nobis autem concipitur abstractius vt modus entis nõ causati) colligi aliud attributum, & ita concludi illud ens esse Deum, ad quod supponitur probatũ dari ens quoddam per se necessarium, itaq; de hoc ente primum probatur esse, deinde esse ab intrinseco necessarium, hinc esse vnicum in tali ratione, ac modo essendi, & consequẽter esse Deum. Alio modo eandem conclusionem tuetur Scotus in 1. dist. 2. qu. 2. §. *Ex his ad quæstionem*, cùm Scotistis interpretibus ibidem, Ochamus in 1. dist. 3. quæst. 4. lit. F. Gabriel. q. 4. conclusione 3. Rubionius dist. 2. q. 1. art. 2. conclusione 4. Nam, quamuis existiment de lege ordinaria non haberi à nobis demonstrationem propter quid huius propositionis, *Deus est*, censent tamen fieri posse vt demonstretur, si Deus infunderet alicui notitiam euidentem eorundem terminorum, vel saltem termini Dei, quæ posset inseruire loco diffinitionis: nam, quemadmodum, quamuis secundùm rem idẽ omninò sit diffinitũ, ac diffinitio, potest tamen conflari demonstratio, in qua per diffinitionem, tanquam per medium terminum, ostendatur passio de diffinito: ita quoque cognitio clara Dei menti nostræ diuinitus infusa subire potest rationem medij termini ad demonstrandam existentiam de Deo.

Scot. *Ocham.* *Gabriel* *Rubion.*

II. Ne verò laboremus in æquiuoco, præmitto duas distinctiones, alteram circa demonstrationem propter quid, alteram circa terminum, *Deus*: Nam demõstratio propter quid aut est materialis, aut formalis: materialem voco eam, quę re ipsa continet causam, siue rationem conclusionis à priore, quomodo demonstratio, qua tertia passio demonstraretur de subiecto per secundam non resolutam ad primam, & ad diffinitionẽ subiecti, contineret causam à priore, cur passio conueniret subiecto, non tamen esset demonstratio propter quid formalis, quia non constaret primis, & immediatis, quamdiu non resolueretur ad naturam subiecti: imò verò, etsi per ipsam primam causam non ex terminis, sed demonstratione à posteriore cognitã demonstretur prima passio, adhuc non erit demonstratio propter quid formalis, sed materialis: quia medium est quidẽ causa passionis, verùm non cognoscitur, vt causa prima, & immediata illius: formalis demõstratio propter quid est, quãdo non solũ cõstat suaptè natura primis, & immediatis, prioribꝰ, causisq; conclusionis, sed etiam præmissæ euidenter ex terminis, vel resolutæ ad primas causas agnoscuntur. Ad verã enim demonstrationem propter quid formalẽ duo requirũtur ex parte principiorum, quæ Aristotel. 1. Poster. cap. 2. expressit: alterum in ordine ad cõclusionem, alterum in ordine ad alia principia: in ordine ad cõclusionem requiritur in medio ratio prioritatis, & causæ, & vt sit notior conclusione, quod indicatur verbis illis; *prioribus notioribus, causisq;*

Aristot.

concluſionis: in ordine verò ad alia principia adeſſe debet negatio cauſalitatis, ſiue principij à priore, non ſolùm materialis, ſed etiam ſecundùm notitiam demonſtrantis: ita vt ſciens debeat euidenter aſſentiri principijs, tanquam primis, & immediatis, vel in prima, & immediata reſolutis, vt explicauit idem Ariſtot. lib. 1. Topic. cap. 1. cum dixit demonſtrationem *cõſtare primis, & veris, vel ex ijs, quæ per prima, & vera ſua cognitionis initium ſumpſerunt*. Ex qua diſtinctione perſpicuum ſit dari poſſe demonſtrationem materialem, quæ nõ ſit talis formaliter: nimirum ſi quis præmiſſis demonſtrationis materialis præſtet ſolummodò aſſenſum probabilem. Ariſt. autẽ cum demõſtrationem diffinit, de formali propriè loquitur, hæc enim eſt proprius ſyllogiſm⁹ faciens ſcire, & eodẽ modo loquũtur cæteri Authores, cùm agunt de demonſtratione ꝓpter quid. Diſtinctio circa terminum, *Deus*, eſt huiuſmodi, terminus, *Deus*, aut accipitur pro ipſa eſſentia diuina in cõcreto, ad quã deſignandã vſurpatur ab hominibus, vel pro aliqua perfectione attributali in ordine ad creaturas, ſub qua iuncta enti in cõmuni concipimus Deum iuxta ſententiã cõmuniorem aſſerentium non habere viatores conceptũ propriũ Dei abſolutũ. His diſtinctionibus poſitis reſpondendum eſt ad quæſtionem eas inuicem comparando, & copulando vtrumq; membrũ vnius cũ vtroq; alterius.

III. Dico primum. propoſitio, *Deus eſt*, ſub neutra acceptione ex prædictis eſt viatoribus de lege formaliter demonſtrabilis à priore. Hæc eſt Alberti in ſumma, tractatu 3. quæſt. 17. Henrici in ſumma art 22. q. 4. Richard. in 1. diſt. 3. ar. 1. quæſt. 3. Scoti in 1. diſt. 2. q. 2. §. *Ex his ad quæſtionem*, & quodlibeto 7. §. *tertia concluſio*. Lyran. in id Sapiẽt. 13. *neq; operibus attendentes, &c.* Gaſpa. Caſalij lib. 1. de quadripartita iuſtitia ca. 16. concluſ. 2. & eſt de mente Doctorum, quos referam cap. ſequent. num. 7. qui omnes non agnoſcũt demonſtrationẽ Dei niſi ex creaturis, & apertè ſumit ex doctrina Dionyſ. ca. 7. de diuinis nominibus, vbi ſic ait: *fortè veraciter dicemus nos Deum non ex ipſius natura cognoſcere, id nempè ignotum eſt, omnemq; ſuperat rationem, ac ſenſum, ſed ex creaturarum omnium ordinatiſſima diſpoſitione, vt ab ipſo productarum*, notitia verò ſumpta ex creaturis non poteſt eſſe à priore, vt patet. Fundamẽtum eſt: quoniã, vt propoſitio ſit alicui demonſtrabilis formaliter, opus eſt, vt is principia cognoſcat euidenter, & ex terminis: at de lege nullus viator poteſt agnoſcere ex terminis principia huius ꝓpoſitionis, *Deus eſt*: quare nequit eam formaliter demonſtrare.

Albert. *Henricus.* *Richard.* *Scotus.* *Lyran.* *Caſalius.* *Mag. Dionyſ.*

Aſſumptio oſtenditur, quoniam propoſitio illa, ſi quomodo eſt materialiter demõſtrabilis, non per cauſas, aut rationes externas, ſed ſolùm per internas demõſtrari poteſt: omne autem principium conſtans cauſa, ſiue ratione interna ſubiecti, de quo paſſio demonſtratur, reduci tandem debet ad ipſius diffinitionem: & ita reſpectu propoſitionis, *Deus eſt*, nihil aliud quoad nos habere poteſt rationem medij à priore, ad demonſtrationẽ formalem, quam ipſa natura diuina diffinitiuè quodamodò cognita: quemadmodum ad demonſtrandum aliquid ꝓ cauſas intrinſecas de homine confusè cognito non eſt aliud medium quam diffinitio hominis: de lege verò non habetur cognitio Dei vllo modo diffinitiua, vt infrà conſtabit: ergò neq; demõſtrare formaliter poteſt à priore Deum eſſe: ex eodem principio cõſtat nõ poſſe viatorem demõſtratione formali à priore oſtendere Deũ eſſe aſſumẽdo ꝓ medio ipſum neceſſe eſſe, licet hoc ſuaptè natura eſſet medium à priore: quoniã, vt patet ex initio capitis, nõ ſat eſt prioritas in ipſis obiectis: ſed requiritur vt principia cognoſcantur ex terminis, vel ſumãtur reſoluta ad alia cognita ex terminis: at in diſcurſu illo initio capitis propoſito principia non poſſunt ſumi nota ex terminis, nec reſoluta ad aliqua nota ex terminis: nã dicitur poſt quam à poſteriore probatum eſt dari aliquod ens neceſſariũ, ex hoc deindè colligi eſſe Deũ: quæro ego, aut poſt eam demõſtrationem a poſteriore cognoſcitur ex terminis hæc ꝓpoſitio, *datur ens neceſſariũ*, aut non? ſi nõ, totus diſcurſus reſoluitur in principium non primum, & immediatũ ſimpliciter, ſed ſolũ primum à poſteriore, & ita non eſt demõſtratio formalis propter quid: non oſtenditur autem quomodo cognoſcatur ex terminis: nã qui dubitat eſſe Deum, etiã dubitat an ſit ens aliquod ſimpliciter neceſſariũ. Præterea etſi cognoſcatur ex terminis, adhuc vlterius requiritur vt cognoſcatur ex terminis altera præmiſſa nempè, *Deus eſt ens ſimpliciter neceſſariũ*, quę in hac vita nõ ita cognoſcitur: & ita ex ratione neceſſitatis haberi nequit à viatore ib. demonſtratio formalis ꝓpter quid à priore ad hac propoſitione, *Deus eſt*; idẽ ꝓbatur de eadẽ ꝓpoſitiõe, in poſteriore acceptiõe: quoniã ad rationẽ demõſtrationis formalis ꝓpter quid requiritur, vt ꝓcedat ex primis, & immediatis cognitis aſſenſu primorũ principiorũ: at de lege nulla à nobis poteſt fieri demõſtratio cõcludens eſſe Deũ ſub aliqua ratione attributali, quę reſoluat euidẽter in prima principia cognita ex terminis: ergò nõ poſſum⁹ habere de le-

ge de-

ge demonstrationem formalem à priore, quod sit Deus. Assumptio, in qua est difficultas, explicatur, & ostenditur: accipiamus hanc propositionem *Deus est*, sub ratione dominij ad creaturas, ita vt sensus eius sit: Deus est Dominus, & creator vniuersi; Propositio in hoc sensu non potest demonstrari à priore per creaturas, vt patet: ergò per aliquam perfectionem diuinam ratione priorem. Vel ergò per essentiam, vel per attributum aliud: non per essentiam, quoniam huius cognitionem distinctam non habemus: non per attributum, quoniam huiusmodi attributum in ratione medij termini debet coniungi euidenter cum vtroq; extremò, hoc est cum Deo, & cum existentia: id verò fieri non potest: nam vel eiusmodi connexio erit nobis euidens ex terminis, vel demonstratione à priore: non ex terminis: quoniam, cùm quodlis attributum habeat rationē à priore, non potest cōnecti euidenter ex terminis cum Deo, aut cum eius esse: nō demonstratione, quoniam similiter rogabo de cōiunctione medij termini eius cum extremis: & ita vel progrediemur in infinitum, vel deueniendum est ad aliquod principium notum ex terminis: hoc autem probatum est non posse fieri, siquidem vt fiat deueniendum est ad cognitionem euidentem primi attributi cum essentia diuina: cuius propria, ac distincta notitia per modum diffinitionis carent viatores, & ideò non possunt ex terminis assentiri propositioni enuncianti primum attributum de ipsa, vel existentiam de primo attributo.

IV. Si verò loquamur de viatoribus suprà communem legem, vel de beatis, secūdùm eandem est dissensio penes Authores. Nam Scotus, Ochamus, & Gabriel citati existimant hanc propositionem demonstrabilē esse à beatis sumptam pro medio termino, quasi loco diffinitionis, visione ipsa beata. Quæ sententia non placet, quoniam visio beata, vt fusius ostendam lib. 3. tractatu de natura visionis beatæ, vt potè iudicatiua simul, & apprehensiua, nō est apta vt veniat in compositionem mentalem cum alijs terminis simplicibus: & ita inseruire nequit demonstrationi tanquā medius terminus, si verò beati ex visione beatifica eliciant notitiam aliquam Dei purè apprehensiuā, distinctam tamen, est eadem difficultas cū ea, quæ datur facta hypothesi, quod Deus communicet homini viatori notitiam euidentem sui abstractiuam, & ideò idem in vtraque dicendum. Porrò vtrum viator suprà communem legem habere possit demonstrationem à priore huius propositionis *Deus est*, pendet ex duobus capitibus: alterum est, an dari possit cognitio abstractiua Dei clara, & distincta, alterum, vtrū, si detur, ex ea possit fieri propria demonstratio. De priore, quia non est huius loci, alibi agendum, nunc disputandi gratia fieri posse supponatur, vt secundū expendatur.

V. Dico secundum. Facta hypothesi, quod Deus communicet viatori euidentem notitiam sui, potest demonstrari à priore hęc propositio *Deus est*, si nomen *Deus*, sumatur ex aliquo attributo, non verò, si sumatur præcisè ex ipsa natura, & essentia Dei. Secunda pars est contra Ochamum vbi suprà, & traditur expresè à Soncin. 12. Met. quæst. 28. conclusione 2. Suadetur, quoniam propositio nō potest esse demonstrabilis formaliter, nisi sit etiam materialiter: at si nomen, *Deus*, significet ipsam naturam diuinam, propositio, *Deus est*, non est demonstrabilis materialiter, vt infrà dicam: ergò nec erit demonstrabilis formaliter: Obijcies, per diffinitionem subiecti demōstrari de ipso primam passionem demonstratione formali: nec tamen esse demonstrabilem materialiter: quare eodem quoq; modo, licet ipsum esse non sit demonstrabile materialiter de Deo, pro vt dicitur ab essentia diuina, erit tamen demōstrabile formaliter per notitiam euidentem ipsius deitatis, quasi per diffinitionem: Respondeo, negando assumptionem: nam propositio demonstrabilis materialiter nō dicitur ea solùm, quæ habet medium ex natura Dei distinctū, sed omnis, quæ demonstrari potest per medium prius, ac notius non synonimum, quale est diffinitio subiecti: hæc enim cōiuncta passioni cōstituit propositionē diuersam ab ea, qua eadem passio prędicatur de subiecto cōfusè accepto. At notitia distincta Dei, quāuis habeat se instar diffinitionis, tamen nō continet rationē priorē, cur Deo conueniat ipsum esse: & ideò non potest esse medius terminus, vt hoc de Deo demonstretur. Ratio est quoniā esse actuale Dei est per se prima ratio eiusdem cum eo recurrens: & ita continetur in ipsa eius notitia quasi diffinitiua: rationes verò huiusmodi non sunt demonstrabiles per diffinitionem: sicut videmus in rationali, quod immediatè conuenit homini, nec potest de ipso demonstrari per diffinitionem metaphysicam, cuius est pars formalis per se primo conueniens homini. Prior verò pars assertionis est Scoti, & interpretum vbi suprà: qui concedunt per notitiam Dei quidditatiuam posse demonstrari à priore hanc propositionem, *Deus est*, provt à nobis concipitur: existimant

Soncin.

Scot.

autem

autem non cõcipi à nobis ipsam essentiam diuinam, sed aliquod attributum, ꝑ quod conceptus determinetur ad Deum significandum, vt ens necessarium, ens infinitum &cæt. Ostenditur autem, quoniam nostro modo intelligendi ipsum esse per se primo conuenit essentiæ diuinæ, & ratione eius, perfectionibus attributalibus: ac proindè essentia diuina potest esse terminus idoneus ad demonstrãdum à priore ipsum esse de quouis attributo: & consequẽter de Deo, pro vt ab ipso nominatur: positaverò cognitiõe distincta deitatis datur sufficiẽs penetratio medij termini, ita vt principia, quæ illo constant, sint notiora conclusione: ergò erit vera demonstratio formalis. Obijcies non posse fieri eiusmodi demonstrationem, quoniam subiectum erit omninò idem terminus cum medio: nam cognitioni illi distinctæ respõdebit idemmet conceptus obiectiuus, qui respondet huic termino, *Deus*, & eius conceptui formali confuso. Hæc obiecto non procedit directè contra propositam assertionem: nam terminus ille habitus per cognitionem abstractiuam distinctam non solùm differret à termino, *Deus*, quatenus sumitur ex aliquo attributo secundùm cognitionem confusam, ac distinctam, sed etiam obiectiuè secundùm virtualem distinctionem, qua essentia distinguitur ab attributis: quæ distinctio sat est ad terminos demonstrationis. Quin verò, si aliud non obstaret ex vi huius argumenti, minimè concluditur non posse demonstrari hanc propositionem, *Deus est*, pro vt sumitur à natura diuina: nam demonstratio, qua per diffinitionem aliquid ostenditur de diffinito, habet terminos sufficienter distinctos ad veram rationem demonstrationis formalis: & tamen conceptui diffinitionis ac diffiniti respondet in re idem conceptus obiectiuus materialiter, vt rectè ostendit Caietanus in cap.3. lib.1.Poster. eodem modo, quamuis à parte rei, subiecto ac medio termino respondeat idem conceptus obiectiuus materialiter, si tamen sit distinctus formaliter sub respectu ad conceptus formales non synominos diuersos penes modum cognoscendi confusum, ac distinctum, siue per modum diffiniti ac diffinitionis, adhuc haberi potest ratio demonstrationis formalis: & hoc modo se res haberet, si communicaretur à Deo viatori cognitio distincta essentiæ diuinæ, hæc enim instar diffinitionis sub re posset rationem medij termini ad demonstrandum ipsum esse de Deo cõfusè cognito, nisi obstaret ratio assignata.

Caietan.

VI.

Dico tertium. Si nomen, *Deus*, sumatur, pro vt designat ipsam naturam Dei, & non pro ratione aliqua attributali, propositio hæc, *Deus est*, non est quo ad nos materialiter demonstrabilis à priori, assertio hæc est expressa Henric. in sum. articul.22. quæstion.4.& 5. Richard. in 1. distinct.3. articul.1. quæstion.3. Michaëlis de Palatio disput.1. estque de mente doctorum, quos referam cap. sequenti, non solùm eorum, qui negant hanc propositionem posse demonstrari, sed etiam eorum, qui affirmant: non enim agnoscunt aliam demonstrationem, nisi ex creatis, & à posteriore, ostenditur autem, quoniam, vt propositio sit materialiter demonstrabilis à priore, necesse est, vt prædicatum, ac subiectum non copulentur immediatè seipsis, sed interuentu alterius medij termini, saltem virtute distincti: at Deus, quatenus est concretum constitutum formaliter per naturam diuinam, coniungitur immediatè cum ipso esse absque interuentu alterius medij termini: ergò hæc propositio, *Deus est*, materialiter est indemonstrabilis. Veritas maioris & consecutionis est euidens. Assumptionem ostendo: quoniam, vt superiore capite cœptum est dici, non potest esse medius terminus extra Deũ, vt patet: nec intrinsecus, quoniam vel est attributalis, vel pertinẽs ad essentiam, pro vt nostro modo intelligendi concipitur forma substantialis Dei prior attributis, & ab his virtualiter distincta: attributalis non sufficit, quoniam attributa omnia nostro modo intelligendi sunt posteriora ipso esse Dei: atque adeò non possunt esse ratio à priore, cur id Deo conueniat. Si pertinet ad essentiam, vel est ratio adæquata, & completa essentiæ diuinæ, quatenus essentia est, vel inadæquata, & quasi remota, & communis aliis: si priore modo, ea est, quam designare volumus nomine Dei secundùm acceptionem, de qua modo sermo est: ideoq; si ratione ipsius assensus præbeatur huic propositioni, *Deus est*, eiusmodi assensus iam non procedit ex medio termino extrinseco, sed ex propria ratione formali termini prij ipsius propositionis: & consequenter est assensus euidens ex terminis, non verò demonstratione genitus: qua ratione, qui vident Deum, habent euidens iudicium de ipsius existentia: quare, si ratio assentiendi est diuinitus, pro vt est proxima, ac reciproca forma Dei, propositio illa non est materialiter demonstrabilis à priore: si verò quis dicat esse posteriore modo, multò minùs erit medium propter quid: nam per rationem re-

Henricus. Richard. Palatius.

motam,

moram, & communem nullo modo demonstrari potest ratio particularis: Verbi gratia per rationem substantiæ, vel animalis non potest ostendi de homine à priore quod sit discursiuus, aut risibilis: at *esse*, est prædicatum soli Deo proprium, ac necessarium: ergò nequit de ipso demonstrari per rationem communem: nam si posset, etiam demonstraretur de alijs, quibus illa ratio communis est: de nulla verò creatura potest absolutè demonstrari à priore quod sit: ergò neque de Deo per rationem ipsi cum creaturis communem. Et confirmatur, quoniam in essentia diuina, quatenus concipitur vt forma substantialis Dei, non cognoscuntur aliæ rationes essentiales intrinsecæ distinctæ ab attributalibus, quam ratio entis, substantiæ, vitæ, intellectualitatis, inter has autem omnes prior est ratio entis cuius actus est esse: atque adeò, quamuis in Deo hæc omnia sint vna, eademque simplex essentia, tamen nostro intelligẽdi modo prior est ratio entis, quam reliquorum: & ideò esse, quod est actus entis, conueniet priùs, quam esse substantiale, viuens, intelligens, neque per hæc demonstrari poterit à priore.

VII. Obijciet aliquis superiora prædicata demõstrari posse per inferiora: exempli causa demonstrari potest de homine quod sit viuens, quia animal est: quoniam rationalitas, quæ est proxima, & vltima forma essentialis hominis, non immediatè per se ipsam coniungitur viuenti, sed interuentu animalis, quod est inter viuens, & differentiam hominis essentialem: atqui ex concessis in Deo priùs nostro modo intelligẽdi est ratio entis, deindè substantiæ, deindè viuentis, vltimo intellectualitatis: ergò ex eo, quod sit intellectualis demõstrabitur esse viuentem: ex eo, quod sit viuens, demonstrabitur esse substantiam: ex eo verò, quod sit substantia, demonstrabitur esse ens, atque adeò existere, quoniam *esse* est actus entis: Respondeo, cùm Deus dicitur intelligens, aut viuens, dupliciter accipi posse: nimirum aut secundùm essentiam abstrahendo ab existentia, aut secundùm esse actuale vitæ, & intellectualitatis: &, si priore modo sumatur, tot illo discursu non probatur Deum esse, sed solùm esse possibilem: nam ratio entis secundùm essentiam cum abstractione ab existentia non necessariò habet annexum actum essendi: & propterea, cùm ex eo, quod Deus sit ens, infertur esse actu, tantum abest, vt sit demonstratio à priori, vt potius sit inepta consecutio: si verò accipiatur posteriore modo, fieri nequit, vt sit per se notũ Deũ esse actu viuum, aut intelligentem, quin sit etiam simul euidens ipsum esse: nam esse actu viuum, aut intelligentem, est quoddam esse: atque adeò, cùm non sit prius, ac notius rem esse viuam, quam esse actu, nequaquam demonstrari potest esse actuale per vitam, aut intelligentiam actualem.

VIII. In particulari verò probandum coniunctum illud *ens necessarium* non esse medium terminum, quo propositio, *Deus est*, à priore sit materialiter demonstrabilis. Quoniam terminus *necessarium*, aut significat proprium, ac reciprocum modum entitatis essentialis, quo Deus à creatura primo distinguitur, aut perfectionem attributalem nostro modo intelligendi consequentem ad eiusmodi primariam rationem: si primum non distinguitur secundùm se à forma, quam designamus, nomine *Deus*, nec est prior illa: quare non potest esse medium à priore, quo demonstretur esse de Deo. Patet consequentia, quoniam propositio materialiter demonstrabilis à priore, necessariò exigit medium terminum modo aliquo distinctum ab vtroque extremo: sed terminus *necessarium*, priore modo sumptus significat ipsammet formam, & rationem proximam, qua Deus est Deus: ergò non est secundùm se terminus distinctus sufficienter, vt ratione eius propositio *Deus est*, dici queat materialiter demonstrabilis à priore: si verò sumatur posteriore modo, nõ habet prioritatem requisitam ad rationem medij termini à priore: quoniam ratio omnis attributalis est posterior Deitate, quatenus concipitur vt forma substantialis Dei, & ipso esse diuino, quod est fundamentum omniũ reliquarum perfectionum. Deindè si considerentur hæ duæ rationes: nempè ipsum esse per essentiam, siue ratio actus puri, & necessitas in essendo, prior est nostro modo intelligendi ratio actus puri, siue ipsum esse actuale per essentiam, quam necessitas: non habent autem hãc rationem prioritatis tanquam formæ subordinatæ, quasi vna sit magis communis, quã altera; nam vtraque soli Deo conuenit: ergò secundum rationem radicationis vnius in altera, quæ in suo esse, & conceptu est prior ea, cuius est radix & fundamentum: atque adeò ratio ipsius esse, siue actus puri, non est materialiter demonstrabilis à priore per rationem necessitatis. Maiorem ostendo: quoniam ex duobus, quorum alterum diffinitur per alterum, & non è contra, illud est prius, quod ingreditur alteri descri-

descriptionem, & ipsum sine eo intelligi, ac describi potest: atqui ipsum esse, siue actus purus describi potest absque ratione necessitatis per rationes ipsius esse actualis liberi ab omnipotentialitate: ex hac autem descriptione rectè sequitur à priore actum purum esse ens necessarium, non tamen in illa continetur formaliter ratio necessarij: nam immunitas à potentialitate non est formaliter necessitas, sed pura actualitas essendi: At verò necessitas describi, vel intelligi haud quaquam potest absque ratione ipsius esse: nam necessarium est, quod non potest non esse: quare ipsum esse prius est ratione necessitatis.

IX. Dico tertium. Si nomen *Deus* sumatur ex aliqua perfectione attributali relatiua ad creaturas, hæc propositio *Deus est*, dici potest materialiter demonstrabilis à priore: non tamen absolutè ex ratione necessitatis. Prior pars ostenditur, quoniam, vt ostendam sequent. lib. tract.2. attributa nostro modo intelligendi fundantur, ac radicantur in essentia, & habent inter se ordinem, ac virtualem distinctionem: hæc autem sufficiunt ad demonstrationem propter quid: quare si nomen *Deus* sumatur ab aliquo attributo. Verbi gratia, omnipotentia, prouidentia, aut quouis alio, hæc propositio, *Deus est*, in eo sensu erit materialiter demonstrabilis à priore. Patet consequentia: quoniam antè quoduis attributum intelligitur essentia tanquam radix, & ratio cuiuslibet: ergò, si sumatur ipsa tanquam medius terminus, per eam ostendi potest ipsum esse de Deo sic accepto: idemque dicendum, si loco medij termini sumatur attributum aliud nostro concipiendi modo prius eo, à quo Deus nominatur: dabitur enim eadem ratio prioritatis, ac distinctionis virtualis sufficiens ad rationem demonstrationis à priore. Posterior pars probatur, quoniam ratio necessitatis potius est modus omnium perfectionum diuinarum, quam attributum per se particulare, nec ab ea sumitur à priore ratio omnipotentiæ, dominij, creatoris, aut similium attributorum, quæ intelliguntur per ordinem ad creaturas.

X. Ex his constat firmum non esse fundamentum sententiæ asserentis demonstrari Deum esse à priore per rationem necessitatis, quoniam non est radix attributorum habentium ordinem ad creaturas: & quamuis esset, cùm ipsa non cognoscatur à nobis à priore, vel ex terminis euidenter coniuncta cum Deo sub ratione illa attributali, fieri nequit, vt eadem demonstratio sit formalis à priore. Quod clarius appareret ex discursu, quo id probari dicunt oppositæ sententiæ assertores: nam supponitur, inquiunt, probatum dari ens quoddam per se necessarium. Id verò probatum est à posteriore ex creaturis, ergò primum initium illius demonstrationis sumitur ex cognitione creaturarum: atque adeò cognitio vltimo acquisita resoluitur in principia cognita à posteriore: & idcò demonstratio non constat formaliter ex primis. Deindè verò id, quod addunt, non video quomodo constet: aiunt enim primum, quod de eiusmodi ente probatur, est esse, deindè esse ab intrinseco necessariũ. Quod nam peto est ens, de quo primum probatur esse, ipsenè est Deus, an verò ens necessarium? Si Deus, totus discursus sequẽs erit superfluus, quoniam procedit ad probandum id, quod supponitur probatum: si ens necessarium, aut sumitur secundum absolutam, & omnimodam necessitatem, & tunc hoc ipso supponitur esse necessarium ab intrinseco: nam priùs ratione est esse necessarium ab intrinseco, quam esse simpliciter necessarium: sicut enim creaturæ ideò non sunt simpliciter necessariæ quoad esse, quia pendent à suppositione extrinseca, ita Deus ideò est ens omninò necessarium, quia necessitatem habet à se, & non aliundè. Si verò sumitur secundùm necessitatem in communi abstrahendo ab hoc, vel illo modo necessitatis, non ex inde colligitur necessitas ab intrinseco: nam ex ratione communi, & indeterminata, non colligitur ratio particularis, ac determinata. Et ita patet ex illo principio, *ens necessarium est*, nullo modo demonstrari posse à priore hanc propositionem, *Deus est*, neque rationem eius sententiæ habere vim. Quod attinet ad sententiam, & argumentum Scoti, ex dictis etiam constat, quatenus admitti debeant, nihil enim amplùs ex eo colligitur, quam id, quod in explicatione secundæ assertionis dictum est.

Deum esse, est demonstrabile à posteriore viatoribus, etiam secundùm legem ordinariam.

Caput V.

I. NOn defuerunt ex antiquis, qui negarint posse vllo modo etiam à posteriori demonstrari Deum esse: nam id sola fide credendum existimabant. Quæ opinio scribitur à Diuo Thoma quæst. 10. de

veritate

Rabbi Moyses. Bassol. Adamus. Maior. Alliacens. Cisterciens. Casalius. Nouocastro Gabriel. S. Maximus. Cyparissiota. Albert. S. Thomas. Henricus.

veritate artic. 12. Rabbi Moysi lib. 3. cap. 6. ex Theologis, eandem sententiam tuetur Ioannes Bassolis in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. & dist. 3. quæst. 1. art. 3. Adamus dist. 2. q. vnica. Maior quæst. 1. conclusione 2. Alliacensis in 1. quæst. 3. articul. 2. lit. X. Dionys. Cisterciens. d. 2. quæst. vnica art. 2. Gaspar. Casalius lib. 1. de quadripartita iustitia cap. 16. post secundam conclusionem quam sententiam contendit esse de mente Andreæ de Nouo Castro in 1. dist. 2. q. 4. eam verò non aliter probant, quam soluendo rationes, quibus ab Aristot. lib. 7. & 8. Physicorum, & lib. 11. ac 12. Metaphys. & à Theologis communiter probari solet Deum esse. Eiusdem sententiæ videtur Gabriel in 1. d. 2. q. 10. art. 3. dub. 1. vbi per rationem, quam reliquis putat efficaciorem, sufficienter probari dicit, licet non euidenter dari primum conseruans, & efficiens, fauent nonnulli patres, qui docent non nisi per fidem cognosci posse Deum esse: inprimis enim S. Maximus centuria prima Theologica cap. 8. *Deus* inquit, *non nominatur intellectus à nobis, sed ex creaturis intellectis à nobis solùm esse creditur*: alia eiusdem verba refert Ioannes Cyparissiota decade 2. cap. 7. vbi *ex nulla re* inquit, *quæcunque illa sit percipi potest, hoc vno excepto, quod per fidem cognoscitur: idq; ex ijs, quæ ab ipso effecta sunt, cognoscitur inquam quod sit, non quid sit.* Eadem ferè asserit ipse Cyparissiota in procemio suarum decadum dicens. *Quem* nempè Deum, *nullo modo quauis parte mens capere potest, nisi tantum per fidem ex creaturis eius quod sit, non autem quid sit.* Mitto verò rationem, quæ ad hoc sumi potest ex repugnantia scientiæ cum fide: ex qua videtur sequi, vel non omnes homines habere posse fidem de existentia Dei, vel non posse habere demonstrationem euidentem eiusdem veritatis à posteriore: nã huius difficultatis expositio ad materiam de fide spectat, soluitur autem dupliciter ab Authoribus: prima solutio sumitur ex Alberto in summa tractatu 3. quæst. 17. ad primum S. Thom. quæst. 10. de veritate art. 12. ad quintum ex 2. loco positis, & 1. p. q. 2. art. 2. ad primum. Henrico in summa art. 22. q. 4. ad tertium & alijs asserentibus Deum esse, non esse ꝓpriè articulum, sed prȩambulum ad articulos fidei: atq; adeò nõ necessariò per se reuelari, sed in subsidiũ naturæ, quæ nõ ita facilè, ac certò deuenire potest in notitiã eius veritatis; altera est aliquorum Thomistarum dicentium ipsum habitum fidei etiam in habentibus scientiam per se concurrere ad assensum illius propositionis, & conducere ad infallibilem eius certitudinem.

II.

Verùm, his omissis, restant alia argumenta. Primum est, quoniam ex creaturis vel cognoscitur aliqua perfectio Deo propria, vel nulla: si nulla, neque demonstrabitur ipsum esse: nam demonstratio non est de communibus, neque de ijs, quæ sunt ꝑ accidens: si verò cognoscitur aliqua perfectio propria Dei, etiam omnes cognosci poterunt, & consequenter habebimus in via cognitionem Dei claram, ac diffinitiuam, quod falsum est. Consequentia constat, namque cognitis perfectionibus omnibus alicuius entis habetur cognitio eius diffinitiua. Secunda pars assumptionis ostenditur. Primum quia omnis perfectio diuina est aliquo modo participabilis à creatura, & continetur in illa, quasi in vestigio: ergò, si ex creaturis venire possumus in euidentem notitiam alicuius perfectionis diuinæ, in omnium quoque veniemus. Deindè quoniam inter ipsa attributa est ratio aliqua prioritatis secundùm nostrum modum intelligendi: ergò cognito vno cætera cognosci poterunt. Patet consequentia: nam ex notitia vnius attributi ad cognoscenda ea, quorum ipsum est ratio prior, progredi possumus quodammodo à priore, saltem materialiter: ad ea verò, quæ sunt priora à posteriore: & ita cognito vno, cognoscentur reliqua: cur enim ex creaturis cognosceretur aliqua perfectio diuina, & ex vna ꝓprietate creaturæ proprietates aliæ eiusdem, ex vno autem attributo diuino non poterunt reliqua omnia demonstratiuè cognosci? Secundo in omni demonstratione vera opus est procedere à principijs necessarijs, & quæ habeant necessariam connexionem cum re demonstrata: in ea verò demonstratione, qua per creaturas Deum agnoscimus, principia nec sunt necessaria, sunt enim de rerum existentia, quæ simpliciter contingens est, nec habent necessariam cõnexionem cum existentia Dei, quæ cum sit simpliciter necessaria, potest esse nõ existente vlla creatura: ergò syllogismus, quo ex creaturis Deum agnoscimus, solùm opinionem gignit, non autem assensum necessarium, atque euidentem. Tertio prȩter cõnexionẽ necessariam inter medium terminum, & extrema propositionis demonstratæ opus est, vt ipsa connexio certò atque euidenter prænoscatur, alias non ducet in euidentem cognitionem eorum, quæ connectit: Sed cognito extremò materiali alicuius habitudinis ad aliud non opus est certò, & euidenter cognoscere ipsam habitudinem: nam agnita luce, quæ habet habitudinem effectus ad solem, non

necessario sequitur, vt cognoscatur habitudo: si quis enim crearetur modo à Deo absque vlla scientia, & antequam solem aspiceret, lucem cerneret, nesciret profectò lucem à sole procedere: quod nobis frequenter vsu venit in mirabilibus effectis, quæ cernimus, quorum causas occultas ignoramus: At Deus homini in statu naturali constituto antè creaturarum agnitionem ignotus omninò est: ergò non est vndè innotescat ipsum esse causam creaturæ. Patet consequentia, quoniam, vt constat in alijs effectis, sola cognitio materialis effectus non est sufficiens ad cognitionem causæ, nisi præcognita habitudine ipsius ad causam: hæc autem prænotio iam inuoluit aliquam notitiam causæ, non enim intelligi potest habitudo inter duo extrema, quin supponatur aliqua notitia illorum, & proinde notitia dependētiæ creaturarum à Deo supponit notitiam ipsius, tanquam extremi illius dependentiæ: quare, cùm hæc non nisi ex creaturis haberi possit, erit circulus, vel saltem impossibile, vt ex solis creaturis Deus innotescat. Vltimò ad omnem demonstrationem supponitur notitia saltem simplex subiecti: ideò enim *Aristot.* Philosophus lib.1. Poster. initio docet de subiecto prænoscendum esse quid nominis. Et quamuis non raro hæc prænotio ex vsu, & doctrina habeatur, tamen, si ponamus Adamum, quādo primum à Deo creatus est, non accepisse vllam Dei notitiam per se, vel per accidens infusam, eamque debuisse mendicare ex creaturis, antè discursum ad id necessarium ex suppositione non posset habere simplicem notitiam Dei: eam non acquireret per discursum, hic enim terminatur ad iudicium supponens simplicem apprehensionem: ergò esset absolutè impossibile, vt ex creaturis demonstraret esse Deum.

III. Alij Doctores existimantes etiam quo ad nos esse per se notum, quod Deus sit, affirmant non posse id à posteriori demonstrari, quoniam id esit contra rationem propositionis per se notæ nobis, quæ non ex aliquo notiore, sed ex sola perceptione terminorum innotescit. Ita docent *AEgid.* Ægidius in 1. dist. 3. 1. part. primæ partis principalis quæst. 3. Argentin. quæst. 1. artic. 3. ad *Argentin. Abulens.* secundum, & Abulens. quæstion. 2. in cap. quintum Exod. Videtur etiam fuisse sententia *Aruobius.* Arnob. lib. 1. aduersus Gentes paulò antè medium: vbi cum reprehenderet eos, qui in controuersiam vocabant, an Deus esset, subdit: *Quid ergò res tantas argumentis nitemur, atque labor abimus obtinere. Discedat hæc longè, atque à nobis procul, procul inquam, vt dicitur, auerruncetur amentia. Ita enim est periculosum argumentis aggredi Deum, principem comprobare, quam ratione huiusmodi esse illum velle cognoscere. Nec quicquam refert, aut discrepat, virum ne neges illum, an asseras, atque existere fatearis, cùm in eadem culpa sit, & assertio talis rei, & abnegatio refutatoris incredituli,* & posteà subdit verba, quæ retuli cap. 3. quibus docet ingenitam esse à natura cognitionem de Dei existentia, & reddit rationem cur argumentis probari non possit Deum esse. Confirmat Ægidius suam sententiam, quia, cùm esse diuinum sit ipsemet Deus, si Deus demonstraretur existere, idem esset, quod demonstratur, & de quo demonstratur, & substantiæ esset demonstratio, quod est absurdum. Si verò his Autoribus obijcias Aristotelem, & reliquos Philosophos demonstrasse Deum esse, diuersa respondent: nam Ægidius concedit quidem Philosophos demonstrasse Deum esse, id est, per demonstrationes illas declarasse, quid est, quod importatur per hoc nomen *Deus*. Eo enim ipso, quò declaratur per hoc nomen, Deus, importari id, quod penitus est immobile, quod penitus est perfectum, id quo maius cogitari non potest, & cætera huiusmodi, quia tale non potest non esse, statim intellectus consentit Deum esse: Argent. autem & Abulens. negant absolutè Philosophos demonstrasse Deum esse, sed illa veritate suppositā alia deindè probasse, vt quod Deus sit prima causa, primus motor immobilis, primus finis, actus purus, & cætera.

IV. Dico primum: Deus est naturaliter cognoscibilis ex creaturis. Hæc propositio est de fide. Patet ex Paulo ad Romanos 1. *Quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestauit, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Sapien. 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* & Actor. 14. *Non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de Cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.* Consentiunt Patres Iustinus in lib. de Monarchia Dei, Tertullian. Apologet. aduersus Gent. cap. 17. lib. ad scapulam cap. 2. & lib. de spectaculis cap. 2. Cyprianus de idolorum vanitate, Athanasius orat. contra Idola post mediū, S. Macharius homilia 12. de statu Adæ post imaginem Dei perditam, Marius Victorinus lib. 3. aduersus Arium, Basil. in id Isaiæ cap. 1.

ad Rom. 1. *Psal. 18.* *Sapient. 13.* *Actor. 14.* *Iustinus.* *Tertullian.* *Cyprianus.* *Athanasius.* *Macharius.* *Mar. Victor.* *Basilius.*

Nyssena. Hieronym. Chrysostom. August. Paulinus. Procopius. Gregorius. Beda. Theophyl. Damascen. Euthym. Origenes. Ambrosius. Chrysostom. Sedulius. Theodoret. Primasius. Oecumen. Haymo.

cap.1.*Populus me non intellexit*, & in id cap.5. *& opera Domini non considerant*. Nyssen.orat. 11.in cantica versus finem,& diiput.de anima,& resurrectione post principium,Hieronym.in id,Prouerb. 30. *Quod non est eius, &c.* in Epistolam ad Roman.cap.1. & Epistol.146.ad Damasum, Chrysost.in Psal. 13.& homil.4.in cap.1.Genes.& homil.22. in Matth.Augustin.lib.de spiritu,& lit.ca. 12.tract.2.in Ioannem, & serm.55.de verbis Domini. S.Paulin. Epistol.2.ad Sulpitium,Procopius in cap.13.Genes. Gregor. lib.27.moralium cap.3. super illa verba ca. 36.Iob.*Omnes homines vident eum*, Beda in cap.17.Ioann. Theophyl.lib. ad Autholicum,Damascenus lib.1.fidei ca.3.Euthym. in Psalm.18. Origen.Ambros. Chrysostomus,Sedulius, Theodoretus, Primasius, Oecumenius,& Haymo. in cap.1.Epistol. ad Roman.

V.

Dixi autem in assertione *cognoscibilis*, non verò *demonstrabilis*,quoniam non sum eius sententiæ,quam recentiores nonnulli defendunt,qui aiunt esse de fide propositionem *Deus est*,esse demonstrabilem.Id verò patet, quoniam hoc neque continetur in sacris literis,aut traditionibus:nec est ab Ecclesia diffinitum,aut communi Patrum sententia decretum. Præcipua testimonia scripturæ sunt duo: in primis illud Pauli iam citatum, in quo magnam vim habent illa verba, *Deus illis manifestauit*: quæ indicant euidentem notitiam intellectualem. Item illa,*Intellecta conspiciuntur*,quia vt notat Hieronym.ibidem, *tam euidenter intellecta sunt,vt conspecta dicantur*.Item illa,*Ita vt sint inexcusabiles*: nam ex quauis leui opinione non tenetur homo operari,& si oppositam sequatur,excusabilis est,quapropter, cùm Paulus dicat philosophos fuisse inexcusabiles, quia, cùm cognouissent Deum, non,sicut Deum glorificauerunt,dicēdum est habuisse certam, & euidentem notitiam,quæ illos redderet inexcusabiles. Secundum est Sapient.13. vbi dicitur à magnitudine speciei, & creaturæ potuisse creatorem cognoscibiliter videri, cuius etiam verbum illud, *videri*, notitiam euidentem sonat. Hæc tamen loca non cogunt,vt dicamus esse ibi sermonem de ver[illegible] euidentia demonstratiua, sed sufficienter explicantur de notitia quadam moraliter certa, & iudicio probabilissimo. Inprimis enim, vt circa finem & media,ad illa omninò necessaria teneatur aliquis operari, ita vt,si non operetur, sit omninò inexcusabilis, non requiritur notitia demonstratiua euidens,sed sat est opinio certior,ac longè probabilior opposita: velut plurimum certitudo moralis: & idcircò ex illis verbis, *ita vt sint inexcusabiles*, non infertur ex creaturis euidenter, ac demonstratiuè cognosci Deum.Illa verò alia *videri,manifestari, conspici*,non necessario inferunt assensum euidentem,non *manifestare*, hoc enim accipitur in scriptura etiam pro manifestatione ineuidente, imò & quæ solam opinionem gignat: nam Christus dixit Ioan.17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus*,nempè per doctrinam,quæ non gignebat euidentiam, sed fidem,& Ecclesiastic.7.dicitur: *Non omni homini cor tuum manifestes*, quæ manifestatio solam opinionem, & fidem humanā gignit in animo audientis: ita verbum manifestare idem est, acrem antea occultam aperire,siue fiat euidenter,siue non. Verbum autem *videri*, etiam abstrahit à quouis genere notitiæ siue euidentis, siue ineuidentis,siue certæ,siue opinatiuæ: nam de visione per fidem dixit Christus Ioan.14. *Philippe,qui videt me,videt & Patrem*,de opinatiua autem, siue coniecturali dicitur Genes.3. *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum*, nempè ex colore & odore coniectans saporem: ita hoc loco videre est suspicari, vel opinari.Item 3.Reg. 13.facto iudicio illo celebri à Salomone de filio mulieris meretricis,dicitur, quod Israëlitæ *timuerunt Regem,videntes sapientiam Dei esse in eo,ad faciendum iudicium*,quæ visio non erat aliud, quam probabilis quædam opinio ex facto illo collecta. Porrò verbum *conspicio*, licet fortè alibi non reperiatur accommodatum cognitioni opinatiuæ,cùm tamen non habeat maiorem vim, quam verbum *video*, quod pro illa interdum vsurpatur, non opus est, vt in citatis locis accipiatur vtrumque pro notitia omninò certa,aut euidente, sed sat est si sumatur pro opinione firma, & probabilissima.

Ioan. 17.

Eccles.17.

Ioan.14.

Genes.3.

3.Reg.13.

VI.

Porrò traditio, aut Ecclesiæ diffinitio hac de re nulla extat, aut refertur: Patres, quorum sententiæ proferuntur, non dicunt demonstrari, sed solùm contendunt ex lumine rationis, & argumentis naturalibus posse hominem in Dei notitiam peruenire: & quamuis alludere videantur ad notitiam euidentem, & modum scientiæ, non tamen ita clarè loquuntur,aut expressè tanquam rem de fide proponunt, vt propterea oppositum erroneum in fide, aut hæresim dicere teneamur, testimonia, quæ plus vrgere videntur, sunt sequentia: in primis Diui Dionysij cap. 7. de diuinis nominibus,asserentis Deum cognosci per scientiam,nempè quoad an est, & per ignorationem, nempè quo ad quid est, nomen verò scientiæ importat notitiam cer-

Mag. Dionys.

tam, ac demonstratiuam. Hic tamen locus non cogit primo, quia nomen scientiæ apud Patres non necessariò sumitur pro notitia certa, & euidente, sed pro quauis notitia vera: & hoc ipso loco sumitur, pro vt opponitur ignorationi: at ignoratio non opponitur solùm scientiæ propriè dictæ, sed cuiuis notitiæ veræ. Deindè quia Dionys. ibidem, vt constat ex ijs, quæ sequuntur, alludit ad celebrem distinctionem cognitionis, quam de Deo ex creaturis habemus, nempè per viam affirmationis, & negationis: & eam, quæ per viam negationis habetur, appellat ignorationem: scientiam verò eam, quæ per viam affirmationis: at per viam affirmationis, non solùm scimus Deum esse, sed etiam esse iustum, sapientem &cæt. quapropter illa glossa Deum cognosci per scientiam quoad quæstionem, an est, si solùm restringatur ad esse Dei, quatenus solùm concipitur vt substantia existens, est contra mentem Diui Dionys. si verò intelligatur etiam quo ad an est attributorum, apta est, sed non ad intentũ, hîc enim solùm agimus de ipso esse Dei, quatenus ens est. Illud verò Cypriani tractatu de idolorum vanitate: *Deum ignorare non potes*, rectè intelligitur de impossibilitate quadam morali, quæ etiam tribuitur obiecto habenti efficaces rationes probabiles, & testimonia magnæ autoritatis: eodem modo explicari potest Tertullianus cum lib.1. aduersus Marcio. *Creator*, ait, *ex hoc Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipsius*; non solùm enim ea dicuntur indubitata, quæ per demonstrationem innotescunt, sed illa etiam, quæ maximè probabiles, & vrgentes rationes habent, & ad eundem modum exponi possunt similes modi loquendi, quibus vtuntur Patres.

Cyprian.

Tertullian.

VII. Dico secundum. Hæc propositio *Deus est*, ex creaturis à posteriore est demõstrabilis. Hæc est communior inter Theologos, ita Albertus in summ. tract.3. quæst.17. D. Thom.1.p.q.2.artic.2. cum Caietano & lib.1. contra Gent. cap.12. cum Ferrariens. Petrus de Tarantasio vbi suprà, Henric. in sum. art.22. quæst.1. & 4. Richard. in 1. dist. 3. art.1. quæst.3. Scotus dist.2.q.3. quem sequuntur Scotistæ ibidem, Heruæus quodlib.6.q.3. & in 1. dist.3. quæst.2. §. *Ista opinio* in fine, Hispalens. quæst. 3. art.1. conclusione 1. Ocham. dist.2. qu.10. lit.O. & quodli. 1. quæst.1. Mayronius in 1. dist.2. quæst.3. Toletan. quæst. vnica art.2. conclusione 1. Marsilius in 1. quæst.5. artic.1. conclusione 3. Carthusianus lib.1. fidei Orthodoxæ artic.3. numero 2. Aureolus in 1. dist.2. quæst. 2. art.6. Palatius dist.3. disput.1. fauent maximè citata loca scripturæ: nam quamuis rem perspicuè non significent, & ideò opposita non sit hæresis, vt dixi, conferunt tamen plurimum: idemque dicendum de Patrum testimonijs citatis, qui ijsdem, vel similibus verbis vtuntur, quibus vtitur scriptura: maximè verò illi, qui dicunt Deum per naturam palam significari, vt Basilius in cap.1. Isaiæ, vel ex eo, quod omnia ipsius sunt, esse Deum indubitatum, vt Tertullian. citatus, vel cognitionem Dei esse inditã à natura & nõ posse latere, quos retuli ca.3.nu.7. Idem colligitur ab exemplis, quibus vtuntur: alij enim sumunt similitudinem ab anima, quam ex effectibus ipsius, & operationibus agnoscimus, at animal constare anima demonstratiuè colligitur ab effectibus. Alij à radijs solis, quibus eius pulchritudinem agnoscim': at ex radijs demonstratione physica venimus in notitiam solis, vel alterius corporis luminosi. Alij vtuntur similitudine cytharæ, ex qua cognoscimus cytharædum, vel alterius operis artificiosi, ex quo venimus in cognitionem artificij: alij alijs exemplis, in quibus euidenter aliquid ex alio colligimus, satis indicantes non minùs euidenter ex rebus creatis nos posse venire in cognitionem Dei. Huiusmodi exemplis vtuntur Irenæus, Athanasius, Chrysostomus, Theophilus Antiochenus citati cap.1. Eusebius lib.7. de præparatione Euangelica cap.2. & Nazianz. orat.2. de Theologia, & alij. Expresse propositam assertionem tradunt Basilius oratione de verbi incarnatione, quæ habetur tom.2. bibliothecæ sanctorum Patrum: *Si quis pietatis, inquiens, sectator est, is quid sit Deus curiosè non inquirat, verum ex ijs, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogitet, illudq; certo apud se statuat, siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoscitur, & spectatur*, Nyssen. disputat. de anima, & resurrectiõe. cuius verba infrà referam, Hieronymus citatus in cap.1. ad Roman. Richard. de sancto Victore lib.1. de Trinitate cap.11. & Philo Iudæus lib.1. de Monarchia. Quapropter, opposita sententia est manifestè falsa, vt vult D. Thomas. quæst.10. de veritate, articul. 12. & tanquam temeraria, & errori proxima censenda est, vndè idem Sanctus Doctor cap.citato contra Gentes, errorem appellauit.

Albert. *S. Thom.* *Caietan.* *Ferrarienſ.* *Tarantaſ.* *Henricus.* *Richard.* *Scotus.* *Heruæus.* *Ocham.* *Mayron.* *Tolletan.* *Marſil.* *Carthuſ.* *Aureolus.* *Palatius.*

Basilius. *Tertullian.* *Irenæus.* *Athanasius.* *Chrysostom.* *Theophilus.* *Eusebius.* *Nazianz.* *Basilius.* *Nyssenus.* *Hieronym.* *Richard.* *Victor.* *Philo.* *S. Thom.*

Sed misso argumento ab authoritate breui ratione concluditur, si non esset demonstrabile ex creaturis Deum esse, aut quia obiectum in se non est scibile, aut quia creaturæ in se non sunt medium

sufficiens, aut quia intellectus in via nequit ex ijs elicere euidentem notitiam creatoris: non enim apparet alia causa huius, quam ex parte obiecti, medij, aut potentiæ discurrentis: nulla verò harum impedit: ergò demonstrari potest à viatore Deum esse. Assumptio probatur, quoniam inprimis non est impedimentum ex parte obiecti: nam Deum esse, est propositio necessaria, & æternæ veritatis, & proindè ex hoc capite non refugit scientiam, quod enim verum, ac necessarium est scibile quoque est: respondebit aliquis esse quidem verùm, & scibile in se, non autem respectu nostri secundùm vires naturæ: nam etiam Deum esse trinum, verum & scibile est in se, non tamen homini per lumen naturæ. Hac tamen solutione non tollitur vis argumenti: quoniam recurrit ad potentiam, de qua nondum agitur, sed de obiecto, id verò in se, pro vt abstrahit à respectu ad hanc, vel illam potentiam, scibile est; nec etiam soluitur argumentum, si respondeatur esse scibile per visionem, non per discursum: hoc enim est recurrere ad medium, de quo etiam nondum loquor: nam si obiectum in se verum, ac necessarium habeat medium à posteriore, profecto ex se, & ratione obiecti, non excludit scientiam demonstratiuam à posteriore. Deindè non est impedimentum ex parte medij, quoniam ex his, quæ sunt notiora quo ad nos, venimus in notitiam eorum, quæ sunt notiora à natura, & ex effectis demonstramus causas: at creaturæ omnes, quas videmus, & agnoscimus, sunt effectus Dei: omnia enim per ipsum facta sunt: ergò ex ijs potest demonstrari Deum esse. Patet consequentia, quoniam non est ratio, cur ex alijs effectis demonstremus causas, non autem Deum ex creaturis, quæ sunt ipsius effectus; siquidem non est minor pendentia creaturarum à Deo, quam effectuum causarum secundarum ab illis: nec minùs Deus habet proprios, & peculiares effectus à nulla alia causa producibiles, quàm habeant causæ secundæ inter se: quare, si proprias causas ex proprijs effectibus demonstratiuè agnoscimus, Deum etiam ex suis similiter agnoscemus. Respondebitur discrimen esse: quoniam causæ secundæ habent effectus adæquatos, ex quibus innotescunt: Deo verò, quoniam omnipotens est, assignari non potst effectus adæquatus, ex quo demonstratiuè innotescat. Verùm hæc solutio peccat fallacia non causæ, vt causæ: nam ex eo, quod causæ secundæ habeant effectum adæquatum, Deus autem non, sequitur quidem non posse elici ex creaturis notitiam diffinitiuam ipsius: Ad notitiam verò demonstratiuam, quod est, non requiritur agnitio effectus adæquati, sed sat est, vt cognoscatur effectus aliquis proprius causæ: Verbi gratia anima rationalis secundùm proprium gradum specificum habet multos effectus, & actus intellectus, ac voluntatis: tamen vt certò sciamus hunc esse hominem, & habere animam rationalem, non opus est habere notitiam omnium effectuum secundùm speciem, qui ab anima produci possunt: sed sat est, vt vel vnum illi proprium agnoscamus, ex quo euidenter colligamus præditum esse anima. Denique non est impedimentum ex parte nostri intellectus: est enim potentia discursiua ex effectis ad cognitionem causarum procedens, neq; est incapax notitiæ Dei: & quemadmodum habet vim agnoscendi se ipsum ex eo, quod alia cognoscit, habebit etiam vim agnoscendi Deum, qui est maximè intelligibilis. Accedit, quod natura prouidit rebus omnibus instrumenta naturalia ad consecutionem sui finis naturalis: finis autem naturalis intellectus humani est contemplatio Dei per creaturas: ergò habere debet ab authore naturæ vim proportionatam assequendæ cognitioni Dei naturali perfectissimæ, quæ haberi potest ex creaturis per discursum, quæ est propria hominis operatio: perfectissima verò operatio naturaliter comparabilis ex creaturis est demonstratiua à posteriore: ergò non deerit homini facultas naturalis ad eam comparandam, & ad hoc applicant nonnulli dictum illud Apostoli ad Roman.1. *Deus enim illis manifestauit*, nempè per lumen naturale ipsorum mentibus inditum, & exhibitionem creaturarum, quæ sunt signa à posteriore, ex quibus naturale lumen Deum reperit. In particulari verò ostenditur aduersus eos, qui ideò negant esse demonstrabilem, quia est per se nota etiam quo ad nos: nam non est per se nota ex terminis, vt probatum est cap. 3. non ex ipsa experientia, & sensu: nam, quæ ita per se nota sunt, opus est, vt saltem per accidens sint obiecta notitiæ experimentalis: at Deus nullo modo est obiectum notitiæ experimentalis, vt per se patet, non enim cadit etiam per accidens in notitiam sensitiuam: nec etiam in intellectiuam experimentalem viatorum, hæc enim solùm terminatur ad actus, vel habitus inter nos obiecta sensuum, & alia

entia creata. Quamuis autem hæc pendeant ex causa prima, tamen hæc dependentia non innotescit viatori immediatè ex sola experientia, vt quiuis in se ipso obseruare potest, sed ex discursu, atque doctrina.

IX.

Quod attinet ad Patres, qui fauere videntur oppositæ sententiæ, nullo modo in eo errore fuisse censendi sunt: alibi enim erpresse docent ratione naturali Deum ex creaturis cognosci, S. Maximus Oecumenicorum centur. 1. cap. 71. *S. Maxim.* *è creaturis* inquit, *authorem illarum cognoscimus, & ex varietate rerum creatarum subsistentem sapientiam eius, qui est, discimus, atque ex motu naturali illorum, quæ sunt, subsistentem eius, qui est, vitam cognoscimus.* Idem docet Cypariss. decade 2. cap. 7. & 10. in *Cypariss. Turrianus.* fine, quapropter Franciscus Turrianus, in scholijs ad citata verba Cyparissiotæ docet hos Patres, & alios, cùm hæc, & similia docent, non negare cognitionem naturalem, qua ex effectibus demonstrari possit, quod Deus sit: sed loqui de cognitione altiori, & firmiori omnibus necessaria, quæ est sola fides, ea verò ratione naturali sine Dei gratia comparari non potest. Dici etiam potest hos Patres non loqui de fide, vt distinguitur contra cognitionem naturalem, sæpè enim dicimur habere fidem, & credere ea, quæ naturali ratione percipimus, vt patet ex communi vsu loquendi, & in hac eadem materia Gregorius Nyssenus disputat. de anima, & resurrectione post principium: *Et quo pacto*, inquit, *argumentum*, nempè ex ordine vniuersi, quod paulò antè explicauerat, *quo Deum esse fides sit, simul etiam animam humanam esse demonstrat.* Ecce pro eodem accipit fidem, & demonstrationem. Quod verò hæc fuerit mens Maximi, & Cyparissiotæ manifestè colligitur ex ipsorum verbis, illam enim fidem, quam astruunt, ex creaturis haberi dicunt, quod verùm esse non potest de cognitione quod Deus sit, quæ habetur per fidem ex auditu: hæc enim solùm nititur testimonio Dei reuelantis. Eadem ratione intelligendus est Beda in sermone, vel commentar: in Psalm. 52. ante medium. *Sicut*, inquit, *ventorum substantia nullatenus cernitur, sed tamen eosdem ventos aliquo modo existere per immensos flatus, & commotionem eorum intelligitur, sic diuina substantia, licet inuisibilis, tamen ex immensa virtute, & potestate, quam in omnem creaturam exercet, constantissima fide valet agnosci*, vbi apertissimè fidem accipit pro scientia ex effectibus acquisita.

Nyssenus.

X.

Primùm argumentum etiam militat aduersus eos, qui dicunt ex creaturis solùm probabiliter cognosci Deum: nam ipsi quoque respondere debent, quo vsque ea notitia progrediatur; extendaturnè ad omnes, an ad aliquas tantum perfectiones Dei, respondeo autem in primis negando consequentiam: nam licet admitterem cognosci in via quoad quæstionem an est, perfectiones omnes absolutas Dei, non proindè sequitur habere hominem notitiam diffinitiuam Dei: ad hanc enim non sat est cognitio, an est, singularum perfectionum, sed requiritur propria cognitio, quid est secundùm proprias, ac formales rationes singularum; nos autem ex effectis non cognoscimus perfectiones diuinas, pro vt in se sunt, sed per quandam analogiam ad nostras: & ideò rectè ait Magnus Dionys. in lib. de diuinis nominibus cap. 1. Deum nec esse vitam, nec substantiam, nec intellectum, intelligendo nimirum secundùm eas rationes vitæ, substantiæ, & intellectus, quas nos agnoscimus: cum itaque singulas perfectiones non diffinitiuè, sed solùm quod sunt agnoscamus, & si omnes hoc modo agnosceremus, non proindè haberemus notitiam quidditatiuam Dei. Respondeo secundò, negando secundam partem assumptionis, non enim ex eo quod vnum attributum demonstratiuè agnoscatur, sequitur omnia posse cognosci. Ad priorem eius probationem respondeo, esto perfectiones omnes diuinæ essent imitabiles à creaturis omnibus in eius omnipotentia contentis collectiuè sumptis, de quo non est hic disputandi locus, non tamen esse imitabiles à singulis: nam vitæ expertia non participant vitam: nec plantæ, aut animantes intellectum. Et ideò quamuis homines agnoscerent creaturas omnes, quæ in hoc rerum ordine à Deo conditæ sunt, adhuc supersunt infinitæ aliæ, inter quas fortè sunt plurimæ perfectiones, queis carent creaturæ conditæ à Deo: quare licet omnes agnoscantur, non proindè sequitur agnosci omnes perfectiones diuinas. Ad secundam eiusdem partis confirmationem respondeo inprimis negando consequentiam, non enim semper intellectus noster potest discurrendo attingere omnia ea, quæ naturalem habent connexionem: nam Trinitas personarum diuinarum est necessariò con-

Mag. Dionys.

nexa

nexa cum essentia diuina, & hanc cognoscimus naturaliter, illam ignoramus: res naturales habent plurimas proprietates, quarum alias assequimur, aliæ fugiũt aciem mentis nostræ: id verò maxime contingit, quãdo solam habemus notitiam, quod est qua sola apprehendimus perfectiones diuinas: & hæc est ratio, cur in creatis, ex quibusdam proprietatibus alias cognoscimus, nimirum quia non habemus solam cognitionem quod sunt. Respondeo deinde diuina attributa, etsi omnia necessariò cõnexa sint in essentia diuina, tanquam in radice, non tamen opus esse, vt omnia inter se habeant ordinem rationis, & priorietatis vnius ad aliud: nam si cõparetur simplicitas cum sapiẽtia, neutra est ratio alterius: quanquam itaque is ordo in aliquibus intercedat, non reperitur in omnibus, atque adeò ex hoc capite minimè sequitur cognito vno, cętera omnia debere necessariò cognosci.

XI. Ad secundum respondetur demonstrationem ex creaturis non procedere ex earum actuali existentia, tanquam ex principio, sed tanquam manuductione ad colligendam existentiam aptitudinalem: ex qua fieri potest demõstratio procedens ex simpliciter necessarijs, vt ait Scotus in 1. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad primum*, in responsione ad secundam instantiam, & Mayron. q. 3. in fine: necessarium quippe est dari entia aliqua capacia existentię causabilis, & ipsa experientia euidenter notum: quin verò ad demõstrationem physicam satis sunt principia, quæ contineant physicam necessitatem, qualis cẽsetur ipsa actualis rerum existentia: & ita concedi posset cum Heruæo citato demonstrationem, quæ procedit ex existentia, procedere ex necessarijs. Quando verò dicitur connexionem creaturæ cum Deo esse contingentem, similiter distinguendum est de actuali & aptitudinali: & quamuis actualis tolli possit desinente creatura, aptitudinalis nequaquam: dependentia enim creaturæ à Deo, vel est substantia ipsius, vel inseparabilis proprietas, qua proinde creatura existens exui nequit: quomodo actualis dependentia comparata cum creatura actualiter existente necessaria simpliciter est, nec vlla virtute separabilis. Respondeo secundo cum Alberto in 1. dist. 3. ar. 1. ad quartum. & art. 2. ad tertium, vt ex vno demonstratiuè inferatur aliud, non requiri mutuam necessitatem connexionis ex vtraque parte, sed ex ea, à qua sumitur argumentum: & ita inter creaturam, ac Deum dari necessariam connexionem, non ex parte Dei, quoniam esse potest absque omni creatura, sed ex parte huius, quæ si est, necessariò pendet à Deo: atque adeò ex eius existentia necessariò & euidenter colligitur existentia Dei. Ad tertium respondetur discursum ex creaturis non assumere pro medio dependentiam à Deo, sed existentiam absolutam ipsarum: ex qua deinde per disiunctionem sumitur, quod talis existentia vel sit ab ipsis creaturis, vel ab aliquo alio, & per exclusionem prioris membri tandem longo discursu concluditur, quod sit ab vno alio primo, & quod hic sit Deus: & ita concedendum est ex sola existentia creaturarum absque alijs principijs assumptis non demonstrari esse Deum; quemadmodum ex sola existentia lucis, vel alterius effectus non agnoscitur sol, aut alia causa, nisi præcesserit experientia, quod effectus ab illa causa procedat: & quod in his effectibus facit experientia, in creaturis respectu Dei facit discursus intellectus; Ad id verò, quod obijcitur prænotionem habitudinis ad causam iam inuoluere notitiam causæ: Respondetur, si habitudo cognoscatur, vt inter duo extrema certa, ac determinata, necessariò inuolui notitiam extremorum: at, si ex altera parte sumatur, vt terminata ad extremum incertum, ac indeterminatum, non opus esse, vt adsit certa, ac determinata notitia illius: Verbi gratia, si cognoscatur Salomon esse filius alicuius hominis, non exigitur, vt cognoscatur esse filius Dauidis: similiter in discursu, quo Deus ex creaturis demonstratur id, quod primo ac per se ostenditur, est dari causam aliquam primam, à qua creaturæ omnes dependeant: & proinde nondum habetur notio Dei determinatè, sed in confuso & generali: postea verò alio discursu concluditur hanc causam non esse aliam, quàm Deum, & ideò non datur circulus, nec impossibile est Deum ex creaturis agnosci.

Scotus. Mayron. Heruæus. Alberi.

XII. Vltimum argumentum non habet peculiarem vim ad impugnandam traditam doctrinam: nam etiam mentem nostram cognoscimus ex ipsius affectibus non præsupposita specie illius, item illi qui aiunt ex creaturis solum probabiliter colligi esse Deũ, tenentur dicere quomodo ad iudiciũ illud probabile præsupponatur cognitio simplex Dei, quia tamen lõgior huius dubij explicatio spectat ad aliũ locũ, breuiter respondeo, species ipsas, & notitias creaturarũ inseruire ad formandum conceptum Dei: verùm eum non formari primo à nobis sub esse determinato, sed sub communi

aliqua ratiõe, vt paulò antè dictum est: notitiam verò eius rationis cõmunis præcedere discursum. Verbi gratia, si homo ex rerum naturalium consideratione videat alias gigni, ac dependere ab alijs, ex hoc sumit notionem causæ & effectus, deinde vlterius progrediendo inquirit, an omnia fiant ab alijs, an verò sit aliquod ens, à quo cætera pendeant, & ipsum sit à se omninò independens: quod postquam per discursum cõcludit, coniungens rationes illas, & ens, formatcõceptum entis independentis & necessarij, causæ primæ, & similiũ, quo describit suo modo Deum. Ex quibus patet responsio ad argumentum, dicendum quippe est doctrinã Aristotelis intelligendam esse de communibus demõstrationibus vsurpatis in scientia, quibus ostenditur passio de subiecto præsupposito, de quo prænoscendum est quid sit, quoad nomen, & quod sit: at in demonstratione, qua inquiritur an sit, neutram suppositionem esse necessariam: non secundam, vt patet, quia id, quod quæritur, nõ supponitur: nõ item primam sub proprio, ac determinato conceptu, sed sat est prænoscere cõmunes quasdam rationes, quæ deinde applicatæ subiecto, reddant rationem illi soli conuenientem. In forma autem dico, in suppositione argumenti non posse præsupponi determinatum conceptum Dei, & consequenter in primo discursu non concludi absolutè esse Deum, sed esse ens aliquod segregatum à cæteris, principium & causam omnium, & à nullo accipiẽs esse: quorum omnium terminorum simplices apprehensiones præcedere potuerunt ante eum discursum vt cõsideranti patebit: Et ita discursus ille supponit quid nominis terminorum, qui coalescunt in cõclusione in rationẽ vnius subiecti: terminatur verò ad assensum, quo mens iudicat dari eiusmodi ens: ex quo deinde facilè est imponere illi nomen vnum respõdens vnicæ apprehensioni, quæ cõfusè formari potest ex coniuncto illarum rationum.

XIII. Ad authoritatem Arnobij respondeo, mentem eius non esse, ita per se notum esse quòd sit Deus, vt nullo modo demõstrari queat: alioquin non ibidem dixisset cum Deo loquens: *Non est mirum, si ignoraris: maioris est admirationis, si sciaris.* Nam quomodo dignum admiratiõe est scire id, quod adeò per se notum est, vt probatione non egeat? Solum ergò vult non opus esse longa disputatione ad id probandum: quod facilè ex lumine naturæ, & ipso mundi aspectu & cõtemplatione potest agnosci. Nec verò Arnobius ait nõ posse propter euidentiam probari esse Deum, sed solum esse periculosum: quasi is, qui hoc probare aggreditur in dubium reuocare videatur veritatem adeò perspicuam. Ad argumentum Ægidij neganda est sequela: nam licet ex natura rei nõ sit distinctio inter Deum: & esse ipsius, tamen respectu nostri intellectus concipientis Deum, vt subiectum, & esse, vt formam ipsius, est distinctio sufficiens subiecti, ac prædicati propositionis non identicæ, quæ sat est, vt id quod demõstratur, nõ dicatur idem prorsus cum eo, de quo demonstratur. Quamuis autem apud Philosophos non sit frequens vsus demonstrandi substantiam aliquam, esse tamen de substantijs separatis interdum id demõstrant. Nec verò satisfacit solutio Ægid. eamque benè impugnat Heruæus in 1.d.3. q.2. §. *Ista opinio*, in fine, non enim intentio Philosophi lib. 8. Physic. aut 12. Metaphys. est declarare, quid nominis Deus, sed ostendere esse substãtiam aliquam immaterialem, primam, æternam, & increatam; neque, vt iam alibi ostendi, verum est, posita illa explicatione nominis *Deus*, statim ex terminis sciri ipsum esse, solutio quoq; Abulensis, & Argentin. non satisfacit: nam Philosophus ex creaturis ac motu procedit ad agnitionem Dei: in quo discursu prius peruenitur ad notitiam vnius motoris immobilis, & vnius causæ primæ, quam ad agnitionem Dei sub hoc nomine & conceptu. Etenim motui formalius ac propinquius respondet ratio primi motoris, & effectibus ratio primæ causæ, quam ratio Dei sub hoc nomine & conceptu: & ita ex discursu per creaturas prius cognoscitur Deus sub ratione primæ causæ, & primi motoris, quam sub ratione deitatis: & ideò demonstratione à posteriore Aristoteles demonstrat Deum esse, quia est primus motor, & causa prima, nec absque probatione supponit Deũ esse: imò 12. Metaph. tex. 35. & 36. ex eo quod sit aliquid motum non mouens, & aliud mouens, perpetuò motum, concludit esse primum motorem immobilem: quem deinde ait debere esse æternum, substantiam, & actum, quæ omnia à posteriore colligit ex motu.

Heruæus.

Aristoteles.

Osten-

Ostenditur Deum esse, ex subordinatione causarum efficientium ad vnum principium.

CAPVT VI.

I. LOngum esset rationes omnes, quæ à Philosophis ac Theologis afferuntur ad ostendēdum esse Deum, singulatim recensere atque expendere: videri possunt apud Alensem 1.p.q.3.memb.1. Albertum in sum.tract.3.q.18.memb.1.S.Thom.1.p. q.2.art.3.& lib.1.contra Gentes c.13. Henricum in sum.art.22.q.4. Durandum in 1. d.3.1.p.distinctionis,q.1.Scot.d. 2.q.2.à §. *Ad primam quæst.* Capreolum d.3.q.1. Antonium Andreā d.2.q.2.& alios recentiores. Ego verò solùm proponam commune argumentum, quo vtitur Aristot.& plerique alij, sumpto ex subordinatione effectuum ad causas: & expendam euasiones, quas Atheistarum aliqui commenti sunt. Discursus autem Aristotelis duabus quasi radicibus nititur: nimirū omne, quod mouetur, ab alio mouetur, & in mouentibus, siue agentibus, non datur progressus in infinitū. Ex quibus breui demonstratione concluditur esse causam aliquam primā, immobilem, necessariā, & à se: videmus .n. in rebus inferioribus, imò & cælestibus motum, & passiones, quæ vtique procedunt ab aliqua causa efficiente, quia ex priore principio omne, quod mouetur, ab alio moueatur necesse est: Quapropter si iuxta posterius principium in mouētibus atq; efficientib. non est eundū in infinitum, sed sistendū in aliqua prima causa immobili, opus est, vt causa sit expers omnis potentialitatis, ac proinde necessaria, incorruptibilis, æterna; eam verò nos Deum appellamus. Hoc argumēto vtuntur Patres S. Edmundus Archiepisc. Cantuariensis in speculo Ecclesię cap.27.tomo 5 Bibliothecæ Patrum, in 4. verò Theodorus Abucara Episcopus Carum Disput.1.cap.1. Damascenus lib.1.fidei, cap.3.& plerique alij Doctores.

Alens. Albertus. S.Thom. Henricus. Durand. Scot. Capreol. Antonius Andr.

S. Edmund.

Theodorus. Damascenus.

II. Cuius argumenti vim, vt eludant Atheistæ, recurrunt ad subordinationem causarum per accidens, quas infinitas esse nō repugnat de sentētia Aristot. qui posuit mundum, motum & generationes ab æterno: & proinde præcedere debuerunt infinita individua rerum generabiliū, quorū alia ab alijs antecedentib. gignerentur. Aiunt itaq; rerum generabilium, siue generationis expertium essentias, non aliunde, quàm ex se ipsis, non vllius causæ virtute & efficientia, sed suapte natura ab æterno extitisse, quales nūc sunt. Ex se enim, inquiunt, aptus est homo ad ratiocinādum, Auis ad volandū, graue ad descensum: & ex cuiusq; rei natura propriæ fluunt proprietates, quibus ad agendum vel patiendum redditur idonea. Ex quo secundo colligūt semper in mundo fuisse individua aliqua specierum etiam corruptibilium, quæ ex omni æternitate perpetua successione conseruarentur: ita vt ante quodlibet extiterit aliud atq; aliud in infinitum. Deniq; ex rerum essentijs, proprietatib. individuis proficisci varias actiones necessarias ad vniuersi cōseruationem, ordinem, pulchritudinē, agentibus his, patiētibus alijs. Cumq; harum rerū omnium causæ communes ac particulares, cælestes, ac sublunares sint partes vniuersi, & intra ipsum cōtineantur, nō indigere illud principio alio extrinseco ordinis superioris, siue vt ab initio fieret, siue vt iam factū conseruetur ac gubernetur. In quo discursu, vt patet, non requirunt progressum in infinitū in causis essentialiter, sed solùm in accidentaliter subordinatis: ita tamen, vt huius infinitæ multitudinis nolint esse vllū principium extrinsecū, quoniam ipsa, inquiunt rerum natura & essentia necessariò vendicat alicuius saltem indiuidui existentiam. Primum igitur ostēdam non oēs res suapte natura, & ex principijs essentiæ habere necessariò existentiam, quoad aliqua indiuidua, & consequenter impossibilē esse progressum in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, nisi sulciatur virtute alicuius principij extrinseci, non subordinati alteri causæ eiusdem generis. Deinde verò ostendam nec subordinari debere causis alterius generis, & consequenter neq; dandum progressum infinitum in causis essentialiter subordinatis, quod licet aliqui ex Atheistis verum esse credant, non deerunt tamen, qui negent.

III. Primum principiū ad ostendendum nō omnes rerum species ex se ipsis necessariò esse quoad aliqua individua est huiusmodi: nihil potentiale necessario est actu ex se ipso. Hoc patet exterminis: nam potentialitas infert distinctionem inter potentiam & actum: nihil enim est in potentia ad se ipsum, nam neque lux est in potentia, vt sit lux, neq; calidum in potentia, vt sit calidū: atq; adeò opus est actiua virtus, quę actum distinctum à potentia passiua illi copulet: hoc verò dupliciter fieri potest: vel ita vt virtus actiua sit penitus extrinseca enti in potentia, vel vt idemmet ens sit secundùm aliquid actu, secundùm aliquid in potentia, & per id, quo est actu, reducat ad actum id, quo est in potentia, si prior

modo

modo se res habeat, perspicuum est ens potentiale nõ necessario esse actu ex se ipso, si verò posteriore, aut primum illud, ratione cuius est actu, est à se, vel ab alio: si ab alio, patet etiam huiusmodi ens nõ esse necessariò à se, sed ab alio extrinseco, virtute cuius fit actu id, quo reducitur ad actum potentialitas illa, de qua loquimur. Si verò primum sit à se, & nõ ab vllo alio, necessariò debet carere potentialitate vt sit: atque adeò semper in re, quæ ex se necessariò est, includi debet aliquid expers omnis prorsus potẽtialitatis & causalitatis extrinsecæ. Secundum principium est, omne ens potẽtialitatis expers includit essentialiter ipsum esse, hoc etiam explicatis terminis fiet euidens: nam ens potentialitatis expers est actus purus, nõ enim est aliud immune à potentialitate, quàm purum esse actuale: at res cuius essentia nõ includit ipsum esse, nõ est purum esse actuale, siquidẽ in suo proprio ac formali cõceptu abstrahit ab ipso, & cõcipi potest absque eo, quod ipsum esse concipiatur, quemadmodum entia omnia concipi possunt absq; ijs, quæ non pertinent ad essentiam ipsorum, quare quidquid nõ includit essentialiter ipsum esse, nõ est actus purus, & concipi potest sub habitudine, & non repugnantia ad ipsum esse: & vice versa quidquid est actus purus expers potentialitatis, includit intrinsecè & essentialiter ipsum esse.

IV. Ex his duobus principijs ostendo rerum species generationi, & corruptioni obnoxias non esse necessariò ex se ipso in hunc modum: nihil potẽtiale est actu ex se ipso: rerum generabilium species sunt entia potentialia: ergò non sunt actu ex seipsis. Maior est prima propositio ex terminis euidens: assumptio ostenditur ex secunda. Omne ens potentialitatis expers includit intrinsecè & essentialiter ipsum esse, & è contra id, cui esse non est essentiale, est ens potentiale: species rerum generabiliũ non includunt essentialiter ipsum esse: ergò sunt entia potẽtialia. Assumptio est euidẽs: nam quidquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris secũdùm regulã Aristot. in antepredicam. cap. 3. & lumen ipsum rationis: inferiora. n. concludunt omnes rationes formales intrinsecas superiorum: nam cùm sublata qualibet ex illis destruatur essentia superiorũ, fieri nequit, vt hæc insint inferioribus desiderata aliqua ratione formali aut essentiali superiorum, de ratione verò formali & essentiali indiuiduorũ specierum generabiliũ, nõ est ipsum esse: alioquin necessariò semper essent, & repugnaret, vt de nouo generẽtur, & aliquãdo corrumpantur: & tamen & natura ipsorũ exigit, & experientia compertum est: ergò de essentia specierum generabilium nõ est ipsum esse; & consequẽter ipsæ sunt entia potentialia, & ita manet euidenter confirmata assumptio primi syllogismi, qui cũ constet altero principio euidente ex terminis, & sit in bona forma, necessariò concludit necessariam & euidẽtem assertionẽ. Secundo natura specifica rerum generabilium ex suis intimis principijs non est essentialiter ipsum esse, vt constat: nõ causaliter ad modum, quo continet passiones ex ijsdẽ principijs redũdantes: ergò nullo modo est ex se necessariò. Consequentia est manifesta: nihil. n. vendicat aliquid ex se, ac necessariò, nisi illud includat in essentia, vel ex ea necessario effundat. Antecedẽs quoad priorem partẽ constat ex dictis, quoad posteriorem facilè & euidẽter ostenditur: quidquid continet aliud causaliter, necessariò præsupponitur existere, saltẽ prius natura, quàm illud: nam quod non est, causare quid potest? est autem aperta repugnantia vt res concipiatur in vlla prioritate naturæ esse actu sine actu, & existere sine existẽtia: ergò naturę specificæ rerum generabilium in toto suo ambitu consideratæ, absq; agente extrinseco, nullo modo continent virtute ipsum esse: atq; adeò nõ sunt ex se necessario, sed indigẽt ope extrinseci agẽtis, vt producantur ab esse potẽtiali ad actuale. Tertio si naturæ specificæ harũ rerum ex se ipsis essent, facta hypothesi, quod indiuidua omnia alicuius speciei casu aliquo interirẽt adhuc natura posset ex vi sua absq; ope alterius agẽtis cõstitui in esse per aliqua indiuidua: hoc autem fieri nequit: ergò natura specifica non habet ex se esse existentiæ. Sequela maioris ostenditur, quoniã id, quod ex se est, præciso quouis alio principio extrinseco adhuc erit, alioq; n non ex se sed ex illo principio habet essendi originẽ. Assumptio patet: quãdoquidẽ si omnia indiuidua alicuius speciei interirẽt, non possent aliter constitui in esse, quàm p inceptionẽ vnius vel plurium determinate indiuiduorũ: hęc autem non necessariò inciperent esse absq; ope agentis extrinseci à ratione speciei, ergò species extincta, quoad omnia indiuidua non possent ex se cõstitui in esse actuali: Non posse autem incipere de nouo certa ac determinata indiuidua specierum generabilium absq; agẽte extrinseco perspicuũ est: nam aut esset determinata necessitas, vt hæc potius, quàm illa esse incipiant, aut necessitas indeterminata ad aliqua: nõ determinata, nam cùm omnia indiuidua habeant eandem naturam, & eadem principia

essen-

eſſentialia, & ex æquo cõueniant in ratione formali ſpeciei, non eſt vnde proueniat neceſſitas exiſtendi his potius, quàm alijs, videmus etiam ſingula indiuidua, quæ generantur, nõ habere neceſſitatem exiſtendi ex ſe ipſis, ſed egere operatione ſaltem alterius indiuidui eiuſdem ſpeciei, quod prius habeat eſſe in ſe, & deinde illud communicet alteri: quare non eſt in vllo indiuiduo determinata neceſſitas exiſtendi à ſe ipſo; ſi verò eſſet indeterminata neceſſitas, cùm cauſa indeterminata producere nequeat effectum determinatum, opus eſſet extrinſeco agente, quo neceſſitas naturæ ſpecificæ, alioquin indeterminata, determinaretur ad huius potius, quàm illius indiuidui exiſtentiã parturiẽdam, atq; adeò ipſa natura ex ſe nõ neceſſariò haberet eſſe.

V. Reſpondebunt hoc argumentum procedere ex ſuppoſitione impoſſibili & contraria aſſertioni, quę impugnatur: nam qui dicunt naturam habere eſſe ex ſe, hoc ipſo dicunt ſemper, ac neceſſariò eſſe, nec fieri poſſe, vt eſſe deſinat: in argumento autem ſupponi illam caſu aliquo prorſus eſſe deſinere: & cõſequenter ſupponi oppoſitum ſententiæ, quæ impugnatur, atq; adeò petitio principium. Verum reſponſio non ſatisfacit: nam ex ſuppoſitione impoſſibili poteſt argui ad inuestigãdam rationem aliquam, ſiue principium formale alicuius effectus abſtrahendo à plurimis, quæ reuera inſunt ſubiecto, vt appareat, qua poſita ponatur effectus, & qua ſublata tollatur: & plerunq; ratio aliqua habet ordinem ad effectum, in ordine ad plures differentias temporis, vel loci: at, cùm ordo ad vnam differẽtiam nõ pendeat ab ordine ad alias, ex ſuppoſitione negãte ordinem ad vnam; nõ hoc ipſo negatur habitudo ad alias: quomodo, ſi quis dicat cælum moueri à ſe ipſo, non ineptè quis argumentabitur, ſi cęlum à ſeipſo moueretur, ſi quo caſu per aliquod tẽpus quieſceret, rurſus à ſe ipſo moueri inciperet, quandoquidem motus in hoc tempore nõ pendet à motu in alio. Similiter cùm ſimplex & abſoluta neceſſitas ad exiſtendum, non ſolùm reſpiciat hoc vel illud tempus, ſed omnia prorſus, imò totam æternitatẽ, quantumuis ſit impoſſibile, vt id, quod neceſſe eſt eſſe, vnquam eſſe deſinat, tamẽ facta hypotheſi impoſſibili quod deſinat, ſi verum eſt rem ex ſe eſſe, incipiet iterũ habere exiſtentiam à ſe, nam ſicut ab æterno illam habuit ex ſe, abſq; principio extrinſeco, ita facta illa hypotheſi impoſſibili adhuc incipere debet ex ſe, quod neceſſariò admittendum eſt in omni re vẽdicãte ex ſe aliquem actum: nam ſi quo caſu aut impedimento ab illo prępeditur, ſublato obſtaculo rurſus erumpit, & incipit habere id, q̃ illi ex ſe, & non aliunde conuenit. Deinde verò ſuppoſitio nõ eſt impoſſibilis, etenim in vniuerſo eſt ſufficiens cauſa corruptionis & extinctionis alicuius ſpeciei: nam ſpecies animaliũ perfectorum homini inſeruientium, poſſunt ex libera hominis volũtate extingui, vel occiſione omnium indiuiduorum, vel prohibitione generationis, quod etſi videatur moraliter impoſſibile, phyſicè tamen fieri nõ repugnat. Præterea vel natura ex ſe neceſſario eſt quoad conſeruationem, vel quoad inceptionem, vel quoad vtrumque, nõ quoad inceptionem, tunc enim aſſignandum eſſet aliquod indiuiduum ex fœcunditate naturę abſque opę agentis externi, neceſſariò incipiẽs exiſtere: hoc autem repugnat cum ęternitate generationum, quam ponunt, & non eſt vlla ratio, cur potius vnum, quàm aliud ita cæperit, nõ quoad cõſeruationem, nulla enim ſpecies rerum generabilium eſt ſibi ſufficiens ad conſeruationem ſui abſque vi & influxu cauſarũ ſuperiorũ: quod oſtẽdit varietas & inæqualitas generationũ & corruptionum pro varietate temporum & diuerſitate cõiunctionum, aut oppoſitionum ſolis, ac luminum reliquorum.

VI. Denique vel generationes fuerunt ab æterno, vel ex tempore: ſi ex tempore ſanè deuenĩẽdum eſt ad primum indiuiduum, quod non à natura, ſed à ſuperiore aliquo principio accepit eſſe, quod fides noſtra docet: ſed quoniam nunc ſolam vim rationis expendimus, etſi multi negent, tamen Ariſtoteles poſſibilem eſſe putauit ſeriem generationum ab ęterno: nec ex lumine rationis euidenter apparet vtra pars vera ſit: ideò vt vis rationis eluceat, poſſibilem, vel etiam neceſſariã per impoſſibile admittamus. Quo poſito probatur inſtitutũ, ex infinita illa multitudne indiuiduorũ nullum omninò eſt, q̃ fuerit ex ſe ipſo, ſed omnia prorſus ac ſingula fuerũt à cauſa efficiente ab ipſis realiter diſtincta: ergò extra cã multitudinẽ eſt aliqua cauſa, à qua aliquod ſaltem acceperit eſſe. Patet conſequẽtia: nam in generationibus procedentib. in directũ, nõ eſt circulꝰ cauſalitatis, ita vt generãs pẽdeat à genitis, quorũ cauſa fuit: in tota illa collectione indiuiduorũ nullũ eſt à ſe, aut nõ productũ: nam oẽs habent principium ſuæ generationis intra eandẽ ſpeciẽ, alioq; eſſet circulus dependẽtię & cauſalitatis: ergò neceſſariũ eſt principiũ aliquod extrinſecum: à quo vnũ ſaltem illius collectionis indiuiduum ſit productum, ratione cuius tota collectio dicetur habere eſſe ab alio,

non

non à se. Adduci potest solutio communiter adhiberi solita argumentis factis cõtra rerum æternitatem, dicendo non valere argumẽtum à singulis indiuiduis, vel partibus vnius magnitudinis, aut collectionis infinitæ: nam si mundus, tempus, ac generationes fuissent ab ęterno, verum esset dicere ex infinita multitudine dierum nullum singularem fuisse ab æterno, nec etiam vllam generationem ex infinita collectione earum, quæ pręcesserunt. Eodem modo, quamuis nullum omninò indiuiduum ex tota collectione alicuius speciei designari possit, quod non fuerit ex alio, non proinde necesse est, vt tota collectio fuerit ex alio: & ita soluitur argumentum, quod nõnulli magni faciunt, nimirum fieri nequit, vt sit ex se illa collectio, cuius omnes ac singulę partes sunt ex alio: nam simile argumentum fallit in hac materia infinitudinis & æternitatis. Si quis arguat, fieri nequit, vt fuerit ab æterno illa collectio, cuius omnes ac singulę partes sunt extempore. Et proinde quemadmodum hic respõdetur esse extempore omnes ac singulas determinatè sumptas, infinitas verò indeterminatè fuisse ab æterno; ita respondebitur ad illud, omnes ac singulas partes illius collectionis determinatè sumptas esse ab alio principio, aliquas tamen indeterminatè nequaquam: sicut enim non repugnat, vt singuli dies habeant verum initium inceptionis, & procedant ab alijs duratione antecedentibus, & tamen collectio omnium ipsorum non habeat initium durationis, nec incipiat post aliam durationẽ, ita etiam non repugnabit, vt singula indiuidua habeant principium generationis actiuum à se distinctum, & tamen omnium collectio nõ habeat extra se vllam causam suæ productionis.

VII. Hæc responsio potest fallere minus cautos, neque aduertentes distinctionem inter esse ab alio tamquam à principio durationis extrinseco, & esse ab alio tamquam à principio generationis actiuo, in qua cõsistit tota vis huius argumenti. Nam esse ab alio tamquam à principio, vel initio durationis extrinseco, necessariò inuoluit esse, post nõ esse, & proinde initium extempore, ac negationem durationis ab æterno: ideoque cùm repugnet æternæ durationi hoc modo esse ab alio, nihil mirum, si ex initio singularum partium temporis ab æterno nõ rectè colligatur initium totius temporis æterni, cuius est proprium, vt quauis parte designabili in infinitum habet alias atque alias anteriores sine principio, at esse ab alio tamquam à principio generationis actiuo, non repugnat cum existentia rerum ab æterno secũdùm opinionem eorum, cum quibus nũc disputo: nam sol si ab æterno fuisset, ab æterno quoque illuminasset: & motus cæli, si ab æterno secundùm Aristotelem fuisset, non esset ex se, sed ex principio extrinseco, nempe intelligentia motrice: quo casu rectè concluderet hoc argumentum, omnes ac singuli motus diurni orbium cælestium non sunt à se ipsis, sed ab extrinseco principio, ergò tota ipsorum collectio nõ est à se ipsa. Neque hic locum haberet distinctio illa partium determinatarum, vel indeterminatarum. Quare, cùm argumentum nostrum procedat etiam de dependẽtia à principio extrinseco actiuo, parum facit ad rem distinctio illa: At inquient non esse eandem rationem in motu cæli ab æterno, & generationum indiuiduorum ab æterno: nam omnes ac singuli motus diurni sunt ab intelligentia motrice, quę est principium extrinsecum cælo: & ideò verum est dicere cælum non moueri ex se: at omnes ac singulæ generationes determinatè sumptæ sunt ab indiuiduis eiusdem speciei: ideoque cùm indiuidua cõtineantur intra terminos speciei, rectè dici posse illam ex se esse, & non ab extrinseco principio. Sed neque hæc solutio vim rationis hebetat: nam impossibile est dari mutuam, siue circularem causalitatem in eodẽ genere causæ: & proinde cùm omnia indiuidua illius collectionis sint ex causa efficiente à se diuersa, recurrendum est ad principium extrinsecum. Vt autem res magis simili exemplo patefiat, si per impossibile fierent infiniti globi cęlestes eiusdem naturę cum ijs, qui modo sunt, & mouerentur omnes, ita tamen vt primus versus non moueretur à secundo, secundus à tertio, & sic in infinitum, verum esset dicere, omnes ac singuli mouentur ab alio, ergò tota collectio mouetur ab alio, & non ex se: siquidem non mouetur proprio impetu, atque impulsu: is enim deberet in aliqua parte ipsius, vel in singulis inesse, quod est falsum, singuli enim orbes trahuntur ab alijs: atque adeò assignanda est vis aliqua extrinseca impellens, cui vi partes aliquæ rotentur, & secum rapiant inferiores. Eâdem omninò ratiõe ex infinita multitudine indiuiduorum eiusdem speciei alia generant alia, & quia gignendi vis innititur ipso esse, quod est operationis fundamentum, sicut singula non habent illud à se, sic tota collectio non habebit, sed ab extrinseco principio, cuius ipsum esse sit actus proprius & essentialis.

Ex his

VIII. Ex his apparet euidenter ostendi res generabiles, & corruptibiles ex se non esse: & falso supponi ab Atheistis species se ipsis determinari ad esse: & diuersam esse rationem inter aptitudinē rerum ad actus suarū proprietatum, & specierū ad existendum: nam proprietates, & actus ipsarū supponunt substantiam, cuius sunt proprietates, & operationes, existentem prius natura, & cum ipsa sit radix ipsarum, suaptè vi illas germinat: at existentia supponere nequit existentem rem, cuius existentia est, ac proinde pullulare nequit ex ipsa tamquam ex causa, sicut proprietates germinantur ex subiectis: cùm vero alioquin esse nō sit de essentia rerum corruptibilium, non est vndè colligatur ex æternitate fuisse, vel esse posse continuatam seriem generationum, atque indiuiduorum sibi iugiter succedentium, nisi recurratur ad aliquod principiū extrinsecum, à quo aliqua ipsorum acceperint esse nō interueniente concursu alterius indiuidui eiusdē speciei. Et ita habemus quamuis fortè non repugnet progressus in infinitum causarum accidentaliter subordinatarum ratione dependentiæ in agendo, vel durationis ab æterno, repugnare tamen nisi tota illa series resoluatur in principium aliquod externum. Sed quoniam adhuc non est probatum, an hoc sit vnum aliquod primum, an vero plura? Et vtrum in essentialiter subordinatis admitti possit progressus in infinitum, id cap. sequente ostendam, vt sic constet tota vis discursus sumpti à creaturis, ad ostensionem creatoris.

Impossibilis est progressus infinitus in causis essentialiter subordinatis.

Caput VII.

I. SVperiore capite ostensum est rerum generabilium species nō potuisse ex se ipsis habere esse, sed necessariò egere principio extrinseco, quo ex aptitudine ad existendum traducerentur ad actum, iam nunc oportet considerare naturam huius principij extrinseci, vtrum scilicet ipsum sit à se, an vero ab alio principio, si est ex se, habetur intentum: si ab alio, idem de eo quæri potest; & ita vel deueniendum ad vnum principium à se, vel dandus progressus in infinitum. Quod si dicant non repugnare progressum in infinitum, opus est expēdere qualis sit, & quomodo repugnet. Hac vero de re duobus modis agere possumus, altero quidem admissa suppositione Atheistarum de æternitate mundi, altero secundum veritatem fidei, qua credimus mundum cœpisse ex tempore. Et in priore quidem non potuit eiusmodi principium pendere ex infinitis causis accidentaliter subordinatis: nam cum fuerit ab æterno, non potuit esse posterior durationepluribus causis sibi iugiter succedentibus: ante æternitatem enim concipi nequit vlla successio durationis, & proinde substantia existens, & causans ab æterno procedere nequit à pluribus causis accidentaliter subordinatis, fingi tamen potest, vel dubitari, an ab æterno potuerit esse dependentia ab infinitis causis essentialiter subordinatis, quæ etiam dubitatio locum habet in secundo modo: nam illud principium si factum est in tempore dependenter ab infinitis causis, aut illarum collectio fuit ab æterno, ita vt vna produceret aliam, & hæc aliam, & sic in infinitum, aut siue fuerit ab æterno, siue non, ad productionem illius opus fuit actuali concursu infinitarum causarum mouentium, ita vt proxima illi non potuerit agere, quin simul moueretur à secunda, & hæc à tertia, & sic in infinitum. Itaque duo hoc capite distinguenda sunt, alterum est, an eiusmodi principium potuerit esse ab infinitis causis accidentaliter subordinatis ab æterno, alterum an vllo modo fieri possit, vt fuerit dependens ab infinitis essentialiter subordinatis.

II. Quod ad primum attinet si collectio causarum subordinatarum accidentaliter est eiusdem speciei cum principio, quod ab ipsis pendet, eodem modo probatur debere extra eam dari aliud principium extraneum ab eadem specie, quo cap. proximo ostensum est, dandum esse principium extrinsecum speciebus rerum corruptibilium ad earum generationes. Si vero sit diuersæ speciei, rursus interrogo de causa huius principij, pendeat nè ex infinitis eiusdem speciei, an diuersis, & sic in infinitum, & quoties respondebitur esse eiusdem speciei, adhiberi poterunt eadem argumenta: si vero infinitus ille progressus sit rerum specie differentium, aut in ipso datur aliqua, quæ sit à se, aut nulla, si aliqua, hæc est omnium principium æternum, & immutabile. Si nulla; ergo extra eam collectionem quærendum est primum principium illius: quandoquidem fieri nequit, vt species omnes collectionis infinitæ sint ab alio, & collectio habeat principium in se, & à se, quin sit ab alio, & confirmatur, quoniam collectio infinitarum specierum producibilium prius

natura eſt in potentia paſsiua, vt ſit, quam in potentia actiua, vt agat: nec poteſt tranſire prius ab actiua in actum agendi, quam à paſſiua in actum eſſendi: nihil enim ſuaptè vi prorumpit à potentia paſsiua in actum eſſendi, ſed virtute agentis extrinſeci: ergo collectio infinita ſpecierum producibilium ab alio, neceſſariò exigit principium efficiens extra ſe. Antecedens per ſe patet, quidquid enim eſt producibile prius, quam actu fiat, eſt in potentia, vt producatur: nam cum duplex ſit ens ſcilicet actu, & potentia, auctore Philoſopho, lib. 2. Metaph. text. 8. lib. 1. de generatione textu 11. & alibi ſæpè, omne id, quod mutationem ſubit, mutatur ex potentia ente, in actu ens, & prius eſt productum, quam ſit in potentia actiua ad producendam rem aliam: quandoquidem inter has potentias interiacet ipſum eſſe exiſtentiæ, quod eſt natura poſterius potentia paſsiua, ſiue aptitudine rei, vt ipſa ſit, prius autem potentia actiua, vt producat aliud: ergo collectio infinitarum ſpecierum producibilium conſiderata ſecundum ſe prius natura eſt in potentia paſsiua, vt ſit, quam in potentia actiua, vt agat: & cum actus potentiæ actiuæ ſupponat eſſe, quod in rebus producibilibus eſt primus actus potentiæ paſsiuæ ipſarum, non poterit prius cóſtitui in actu operandi, quam ſit conſtituta in actu eſſendi: patet, quoniam in eſſentialiter ſubordinatis non poteſt tertium eſſe ſine ſecundo, neque ſecundum abſque primo: in rebus autem producibilibus hæc tria ſunt eſſentialiter ſubordinata eſſe, poſſe, operari: ideoque nihil poteſt conſtitui in actu ſecundo operandi, quin prius conſtituatur in actu primo eſſendi: cùm autem potentia actiua, & paſsiua reſpectu actus primi repugnent omninò in eodem ſubiecto, ſi in tota collectione infinitarum ſpecierum præintelligitur potentia paſsiua, ſiue aptitudo ad eſſendum, repugnat in ea ipſa dari potentiam actiuam ad productionem ipſius eſſe: ergo danda eſt potentia aliqua actiua extra eam collectionem. Conſequentia eſt manifeſta: nam potentia paſsiua, vt docet Philoſophus, lib. 5. Metaph. cap. 12. & lib. 3. de anima textu 17. & lib. 2. de generatione text. 52. & 53. non eſt abſque habitudine ad actiuam: quare ſi in tota illa collectione eſt potentia paſsiua vt ſit, non autem actiua: hæc extra ipſam quærenda eſt.

Ariſtot.

Ariſtot.

III. Sed eludi poſſe hoc argumentum quiſpiam exiſtimauerit ex illo axiomate Ariſt. lib. 3. phyſ. text. 32. nimirum in æternis non differt poſſe, & eſſe: ex quo vnum è duobus neceſſariò ſequitur, nempè vel non dari in illis potentiam paſsiuam, vel, ſi datur, non eſſe priorem actu, ad quem eſt potentia: & conſequenter ruit fundamentum ſuperioris diſcurſus, quo ſupponitur producibile prius quam fiat, eſſe in potentia, vt producatur. Si tamen rectè expendatur, adhuc ſtat argumentum: nam Ariſtoteles non abſolutè negat potentiam in æternis, alioquin non diceret, in æternis non differre eſſe, ac poſſe, ſed diceret ſolummodo eſt eſſe, non vero poſſe; Deinde vero nō locutus eſt formaliter, quaſi ſit eadem prorſus ratio formalis ipſius eſſe, & potentiæ ad illud: hoc enim manifeſtam repugnantiam inuoluit, numquam enim differentiæ adæquatæ alicuius generis, vel quaſi generis ſunt idem formaliter: nam identitas nequit eſſe ratio differendi, per differentias autem adæquatas differunt ea, quæ ſub eodē genere, vel quaſi genere collocantur: at vero actus, & potētia adæquatè diuidunt ens: quare fieri non poteſt, vt etiam in æternis, quæ fiunt ab alio, eſſe ac poſſe ſint idē formaliter. Reſtat igitur, vt ſint idem ſubiecto, vel identicè, vel duratione: quomodo Ariſtot. 3. Phyſic. textu 21. ait actionem & paſsionem eſſe eundem numero motum, generationem & corruptionem eſſe idem, 1. de generat. cap. 3. itaq; ſenſus eius eſt, inprimis, quod in æternis potentia non præcedat actum duratione, quomodo præcedit in generationibus temporarijs. Nam, cùm potentia ſe habeat ex parte materiæ, eſſe vero ex parte formæ & materiæ, prius quam forma inſit, ſit ſub priuatione, & in potentia ad ipſam, in ijs, quæ generantur in tempore, non eſt idem eſſe, ac poſſe: nempè quia in temporarijs generabilibus eſt vna ratio entis, ſecundum quam ſunt in potentia, nempè materia, & alia, ſecundum quam ſunt actu, nempè forma: at æterna, quæ non oportet eſſe generabilia, prius natura quam ſint, conſiderari quidem poſſunt prout ſunt in potentia actiua agentis, quæ eſt ens actu denominans extrinſecè effectum poſsibilem: verum non habent actu aliquid ſui præuium productioni, ratione cuius dicantur eſſe in potentia paſsiua: ſed eadem met entia ſecundum ſe ſumpta ſub non repugnantia, vt ſit virtute alicuius potentiæ actiuæ, dicitur potentia paſsiua, & eadem conſiderata ſub exiſtentia dicitur actus: & ideò cum ſit vnum, & idem ens, rectè dicitur in æternis non differre eſſe, & poſſe: nempè re ipſa, quaſi ſint duo entia diuerſa, differunt tamen formaliter. Ob quā cauſam Auicenna relatus à D. Thoma

Ariſtot.

Auicen.

S. Thom.

quæſt.

quæst. 3. de potentia, art. 14. ad septimum admittit in ijs ipsum non esse præcedere esse non duratione, sed natura. Ex quo magis corroboratur argumentum. In æternis, quæ non sunt ex se, sed producibilia, esse, ac posse sunt idem realiter, & distinguuntur ratione; quare si esse sit ab æterno, ab æterno quoque debuit dari ratio potentiæ passiuæ, ea vero includit necessariam habitudinem, ad actiuam: hæc nó est vllo modo idem cum ipso esse, cùm quo est idem passiua: ergo cum alio ab eo distincto. Quapropter, cùm tota illa collectio causarum subordinatarum ab æterno non sit à se, sed producibilis, debuit ab æterno in illa reperiri esse, ac posse: hoc autem posse, siue potentia passiua non erat in ordine ad vim actiuam identificatam, cum esse totius collectionis: ergo ad vnum prncipium extrinsecum, quod non sit, aut fuerit vllo modo in potentia passiua ad essendum, sed solummodo in actiua ad agendum.

IV. Sed iam veniamus ad subordinationem essentialem causarum in actu. Quoniam vero planũ est in materiali, ac formali non dari huiusmodi progressum: constat enim in generabilibus materiam primam esse causam materialem non dependentem ab alia in eodem genere, & formam physicam non pendere ex alia causa formali eiusdem generis, solùm enim pendent ex causis extrinsecis efficiente, ac finali: vel etiam exemplari: de his solùm ostendendum est fieri non posse, vt sint infinitæ essentialiter subordinatæ, ex quibus effectus aliquis singularis simul actu pendeat in fieri, & esse. Prius autem dicam de efficiente: cuius infinita multitudo dupliciter fingi potest, aut descendendo ab vna, quæ non sit effectus, sed solùm causa prior cæteris in agendo, à qua deinde sequantur infinitæ, quæ simul sint effectus, & causæ, aut ascendendo ab vltima, quæ simul est effectus, & causa versus superiores, inter quas nulla sit prima. Priorem modum progressionis non admittent Atheistæ, quia iuxta illum admitti necessariò debet causa prima immobilis, à qua infinitæ aliæ pendeant in operando. Deinde vero per se est impossibilis: nam cum in ea collectione quiuis effectus nonnisi ab vno immediatè pendeat, inter cuiusuis effectus causam proximam & primam, erunt finitæ causæ per se subordinatæ: nam inter duo designata indiuidua habentia certum ordinem, & successionem ad intermedia non potest esse numerus infinitus, hic enim claudi nequit inter præfinitos terminos habentes certam, ac determinatam subordinationem. Dixi habentia certum ordinem ad intermedia ad excludendam instantiam, quæ afferri poterat ex infinitis punctis lineæ, vel infinitis temporis instantibus: nam intra horam terminatam duobus instantibus clauduntur infinita instantia, & in linea digitali duobus hinc & inde punctis circumscripta sunt infinita puncta, siue actualia, siue potentialia, quod in præsentiarum ad rem nihil facit. Verùm neque punctis, neque instantibus extremis sunt alij certi, ac designabiles immediati, sed infinita multitudo in quantitate continua, quæ immediatè sequitur extrema: & ideò, cùm eorum infinitudo non sit continua, sed discreta, & numerando non sit vnum post aliud, non repugnat vt infinita multitudo sit intra terminos non numeri, sed continuitatis. At in multitudine causarum se mouentium, si designetur aliqua mota, designari quoque debet illi proxima, à qua mota est, & sic in cæteris ascendendo superiùs: quare, cùm ex suppositione, secundum quam modo loquimur, sursum versus sit prima causa mouens inter quemuis effectum determinatum, & ipsam, non erit infinitus progressus: atque adeò ille modus & impossibilis, & minimè idoneus est ad intentum Atheistarum negantium primam causam immobilem. Nam siue effectus singularis, quem sumimus ad inquirendum ex eo primam causam necessariam, sit simul causa mouens aliam, siue non, ex eo sursum progrediendo deueniemus tandem in primam causam, si progressio infinita tendit non sursum, sed deorsum. Et ideò hoc modo progressionis omisso, alter, in quo est plus difficultatis, expendi debet.

V. Porrò in concursu plurium causarum essentialiter subordinatarum ad productionem vnius effectus eæ, quæ ita mouent, vt moueantur, mediæ appellantur ab Aristotele, lib. 3. de anima textu 65. & lib. 2. Metaph. text. 6. vbi ex eo quod in infinitis omnia sunt media, & nullum primum, concludit non fore actionem pendentem ex infinitis causis. Vt autem vis huius rationis eluceat, notandum huiusmodi progressionem infinitarum causarum sursum versus concipi dupliciter posse: nempè aut admittendo causam primam extra hanc multitudinem, à qua incipiat motio actiua: aut negando: & vtroque modo est impossibilis: priore

Aristot.

priore quidem, quoniam aut ex collectione illa infinita datur prima mota à causa extrinseca, aut non: Dari primam, & vltimam in multitudine infinita est impossibile: quapropter, cùm sermo sit de collectione habente vltimam, non poterit in ea dari prima mouens mota, si non datur prima mouens mota, aut immediatè mouentur à prima extrinseca plures certo numero comprehensæ, aut infinitæ: si infinitæ; iam illæ non sunt sibi inuicem subordinatæ, quod repugnat suppositioni, in qua procedimus: nam si mouentur à causa prima, non indigent motione aliarum, si vero respondeas id non sequi, quoniam in hoc ipso rerum ordine causæ secundæ proximæ effectui mouentur à prima, nec proinde excludunt motionem aliarum intermediarum, non dissoluitur argumentum. Nam hic non est sermo de quauis motione causæ primæ, sed de ea, quæ tollat subordinationem ad aliam causam: alioquin ex positione causæ primæ non tollitur progressio vlterior, & quod inuestigatur, est, an causa prima respectu causarum mediarum, quas immediatè mouet, suppleat id, quod faceret alia causa mediata mouens: & si in hoc sensu concedatur moueri infinitam multitudinem à causa prima, iam tollitur subordinatio infinitarum causarum, quam ponunt aduersarij, si vero non mouet infinitas, sed certo numero comprehensas, aut hæ omnes simul immediatæ mouent vnam aliquam, & cæteras ex eius motione pendentes, aut singulæ singulas: si omnes mouent vnam, quamuis sint plura in genere rei, erunt tamen vnum in genere causæ: atque adeò in infinita multitudine erit prima, & vltima causa media, quod repugnat: si singulæ singulas, aut vnicuique respondet series infinita causarum sibi succedentium, aut finita, si finita iam non est progressus in infinitum, quod intendimus, si infinita, sequitur idem absurdum, quod supra, nempè infinitam multitudinem claudi primo, & vltimo: nam quæuis series harum causarum mediarum inciperet ab vna certa mota immediatè à prima, & terminaretur ad vnam certam, hoc est ad eam, quæ immediatè tangit effectum. Itaque prior modus est etiam impossibilis, quidquid aliqui recentiores dicant. Porrò, quamuis possibilis esset, non tolleret, imò poneret primam causam, vt patet ex dictis. Ad impugnationem vero posterioris non vtor argumento ab impossibilitate transitus infinitorum: nam, si nihil aliud repugnaret, sicut in eodem instanti operari possunt tres, vel quatuor causæ essenti aliter subordinatæ, ita possent infinitæ. Mitto etiam alia argumenta, quæ tangit Scotus sumpta ab infinitudine: quoniam repugnantia infinitudinis creatæ, non est adeò euidens lumine naturali rationis, vt sumi debeat tamquam fundamentum demonstrationis, cùm multi negent repugnare. Debet autem sumi argumentum ex natura, & ratione formali causæ mediæ: quæ supra rationem causæ addit rationem effectus, vel saltem subiecti patientis à priore agente, cuius actiua motione indiget, vt operetur: atque adeò non aliter agit, quam si prius saltem natura ipsa moueatur ab alia: hæc enim est ratio mouentis, siue causæ mediæ explicata ab Aristotele vbi supra: nam citato loco de anima, *Primum*, inquit, *mouens pellit, & non pellitur, medium autem vtraque*, hoc est pellit, ac pellitur: considerat autem Aristotel. quoddam aggregatum ex causis essentialiter subordinatis, & effectu, qui non sit causa, cuius extrema sint causa prima mouens non mota, & effectus, siue eius subiectum motum non mouens: media vero cætera, quæ mouentur, & mouent, mouentur à superioribus, mouent autem inferiora: & vult vt media sine actione primi mouere, aut agere nequaquam possint. *Aristot.*

VI. Ex hoc fundamento euidenter colligitur institutum in hunc modum, si eiusdem singularis effectus sint infinitæ causæ essentialiter subordinatæ, sine termino ad aliquam primam, omnes erunt mediæ: solæ autem causæ mediæ destitutæ ab actiua motione primæ non possunt agere, ergo repugnat vt sit actio dependens ab infinitis causis non determinatis ad aliquam primam. Maior propositio patet ex terminis: causa namque media, vt constat ex paulò ante dictis, est mouens mota: sed in toto illo progressu causarum nulla est, quæ non sit mouens mota: ergo omnes sunt mediæ. Assumptio quoque ex ipsis terminis euidens est: nam sublata actione causæ, quæ non mota mouet, intermediæ non mouentur: quare, cùm non aliter moueant, quam motæ, si destituantur ab actione causæ primæ immobilis, agere nequaquam possunt.

VII. Huic argumento plures fingi possunt solutiones, sed quæ peculiari impugnatione indigeant, tres potissimum sunt. Prima dicitur, principium illud Aristotelicum, *omne quod mouetur, mouetur ab alio*, solùm ab eo vsurpari quoad motum lo-

calem,

calem, in quo est peculiaris ratio repugnantiæ, quæ non reperitur in alijs actionibus: nam mouens motum localiter mouet per contactum, & motum, at infinitorum mouentium motus nequit pertransiri, & idcirco nullum corpus certum potest moueri localiter dependenter ab infinitis mouentibus medijs, hoc est motis etiam localiter, quæ ratio non habet locum in agentibus absq; motu per momentaneam actionem productiuam vnius ex alio: non enim repugnat rem productam posse hoc modo agere in ipso productionis momento, quo primum est. Secunda solutio asserit non valere argumentum à diuisis ad coniuncta negando, & ita Aristotelem, ex eo, quod singula mouentia sint mota, & non agant virtute propria, sed virtute alicuius primi mouentis, non arguere totam collectionem ipsorum non moueri à se, & consequenter niti debere virtute alicuius primi mouentis. Ea enim confectio est inepta, cùm possit inesse vis alicui collectioni, qua carent singulæ eius partes: nam è decem bobus omnes singillatim sumpti sunt impares portando grauissimo oneri, quod omnes simul sumpti ferre possunt. Ita quoduis ex agentibus medijs non potest ex se mouere, omnia tamen simul sumpta poterunt. Tertia denique responsio recurrit ad rationem infiniti, cuius non est assignare terminum, atque adeò repugnat inter agentia media infinita dari primum, sicut dari necessariò debet, si sint finita. Et quod in causis finitis præstat prima, hoc in infinitis præstat infinitudo, siue interminabilis successio plurium, quarum vna sit ab alia. Nam cum non sit designabilis vlla, quæ non sit ab alia, non est opus recurrere ad primum, sed ipsamet infinitudo sibi sufficiens est: quoniam ante quoduis agens motum præcedit aliud: & ita non restat vlla indigentia motoris externi, ad quam necessariò supponitur in ea collectione infinita esse aliquod mouens non motum, quod repugnat rationi infinitudinis.

VIII. Prima facilè impugnatur inprimis ex ipso Aristotele, cuius auctoritas prætenditur, deinde ratione: & inprimis Aristot. quamuis crebro vsurpet illud principium in materia motus localis, nonnunquam etiam illud supponit absque determinatione ad certam materiam, ita lib. 2. Met. text. 5. *Non sunt*, inquit, *infinitæ entium causæ*, non dixit motuum, aut motorum, *sed entium causæ*, vt complecteretur omnem modum causandi rem aliquam, quem cum infinitate causarum cohærere non possit contendit: non agere vero solùm de causis ad motum determinatis constat, quoniam Metaphysicus considerat causas in sua abstractione, & amplitudine. Sub abstractione à motu & lib. 2. de generatione textu 68. lib. 12. Metaph. text. 12. & alibi sæpius idem principium applicat ad generationes substantiales. Applicandum vero ad quoduis genus actionis productiuæ constat ex ratione, qua Aristoteles verè negat eiusmodi progressum in mouentibus, superius posita, & postea magis explicanda: non vero ex ea, quæ in responsione adducitur. Nam licet ad motum requiratur tempus, non videtur repugnare, vt motus eius, quod motum alia secum trahit, solùm natura non tempore præcedat motum, quem causat: vt patet in orbibus euentricis, qui simul tempore mouentur, & tamen superior est mouens motum, mouetur enim à primo mobili, & euentricum intra se inclusum. Propria itaque ratio est, quoniam mouens non primum hoc intrinsecè vendicat, vt non pellat aliud, nisi ipsum pellatur ab alio: hæc autem ex æquo procedit in quauis infinitudine causarum non primarum siue mouentes, siue generantes, siue quouis modo producentes sint. Semper enim, si nulla est prima, supponunt vim aliunde sibi impressam ad agendum, quia mediæ non agunt, quin agantur, prius saltem natura. Quapropter, siue illa repugnantia, ex peculiari ratione motus localis sit vera, siue non repugnantia quæ sumitur ex propria ratione causæ mediæ, quæ non mouet ex se, sed ab alia mota æquè reperitur in omnibus agentibus motis ab alio: etenim agens non ex se dicit necessariò habitudinem ad agens aliud, à quo determinatur, & vim recipit ad agendum: tota autem illa infinita collectio causarum essentialiter subordinatarum, est agens non ex se: ergo dicit essentialem habitudinem ad certam aliam causam extra eius latitudinem constitutam.

Secunda solutio supponit argumentum IX.
procedere propriè à diuisis ad coniuncta: quod tamen est falsum: nam tunc arguitur à diuisis ad coniuncta, quando à singulis partibus per se sumptis, & non connumeratis cum alijs sumitur argumentum ad totam collectionem: vt patet in exemplo decem boum, ita enim negatur de singulis, vt seorsim sumantur, & non vnus post alium sibi coniunctum, at quando partes connumerantur alijs, ita vt de singulis post alia verè aliquid affirmetur, aut negetur, de

tota collectione verè poterit affirmari, vel negari, vt ſi dicamus, Socrates ferre poteſt hanc libram, & inſuper hanc, & hanc: ergo portare poteſt omnes tres, & hoc ſecundo modo procedit argumentum Ariſtotelis, cauſarum enim mediarũ ſin ſingulæ ita ſunt motæ ab alijs, vt motio vnius ſupponat motionẽ reliquarum, ita vt aſcendendo in infinitũ ſemper ſumere liceat vnam poſt aliam, quę ſit mouens, & mota. Et quidem in quouis numero finito cauſarũ mediarum rectè valet argumentum, vt per ſe cuidens eſt: nam, ſi ſint decem cauſæ mediatæ, omnes debent ab alia moueri, & proinde decima ab effectu non erit prima, ſed neceſſariò ſupponet primam: ita quoque in infinitis cauſis mediatis, ſi de ſingulis ſumptis pòſt alias verè dicitur non ex ſe, ſed ab alia habere vim mouendi, idem quoque de omnium collectione dici debet. Et confirmatur, quoniam tota hæc collectio cauſarum, vel eſt mouens ex ſe, vel ab alio, ſi ab alio, habetur intentum, ſi ex ſe, profecto aliquid in ea eſt mouens non motum, ac proinde non omnes cauſæ ſunt mediæ, ſed aliqua prima: non enim concipi poteſt, vt in collectione cauſarum, quarum nulla habet à ſe vim agendi, ſed indiget extrinſeca motione alicuius, vt ſit vis agendi ex ſe. Aliter eadẽ ſolutio impugnatur admittendo argumentũ procedere à diuiſis ad coniuncta, & hunc argumentandi modum nõ eſſe formalem: valere tamen ratione materiæ, quoties ſermo eſt de prædicato eſſentiali, vel proprietate neceſſariò coniuncta eſſentiæ: qua ratione ſi ſinguli homines ſunt apti ad ratiocinandum, & omnes erunt, ſi ſinguli effectus pendent ab vna aliqua cauſa, & omnes pendebunt: at vero moueri ab alio ad agendũ eſt de intrinſeca ratione cauſæ non primæ: Atque adeò ſi ſingulæ ex infinita multitudine ſunt non primæ, omnes moueri debent ab extrinſeco.

X. Tertia ſolutio, vt tenebras offundat veritati, recurrit ad infinitum, quod quia ignotum eſt, vt ait Ariſt. lib. 3. Phyſ. text. 68. non ſinit ſe penetrari, & eſt erroris occaſio. Verùm, vt appareat eam non obtundere aciem propoſiti argumenti, duo in infinito conſideranda ſunt, ſubſtantia, & quantitas: ſubſtantiam appello naturam, & rationem formalem eius, cui accidit ratio infiniti, quantitatem vero dico extenſionem, ſiue multiplicationem infinitam ipſius: verbi gratia, in multitudine hominum infinita, ſubſtantia eſt natura humana, quantitas infinitudo ipſa naturalis hominum, infinitum enim, vt ait Philoſophus, lib. 1. Phyſicorum textu 15. pertinet ad genus quantitatis. Ex qua diſtinctione facilè impugnatur tertia ſolutio. Variatio penes quantitatem non variat ſubſtantiam: ratio infiniti eſt modus quantitatis, ratio vero mouendi ex alio eſt ſubſtantialis cauſæ mediæ: ergo quamuis huic accidat ratio infiniti, adhuc retinebit propriam naturam, nempè vt nonniſi mota moueat. Maior propoſitio ſupponitur, vt euidens ab Ariſtotele, lib. 3. Phyſicor. text. 42. & 44. & lib. 1. Meteoror cap. 3. aſſerente ignem, ſi foret infinitus, non tranſiturum in aliam ſpeciem, ſed in propria manſurum: & patet manifeſta ratione. Siquidem nihil extrahitur à terminis rationis ſpecificæ per ea, quę illi accidunt: quantitas vero accidit ſubſtantiæ, ſiue naturæ, quam ſupponit, atque adeò non poteſt illam traducere ab vna ſpecie in aliam. Aſſumptio quoad vtramque partem patet ex dictis hoc ipſo capite: ſecunda tamen, in qua conſiſtit argumenti vis, explicatur magis, & oſtenditur. In infinita multitudine cauſarum mediarum conſiderari poſſunt res ipſæ, quæ ſubſtant rationi formali cauſæ: & de his modo non curo: nam nihil ad inſtitutum refert, cuiuſnam naturæ ſint, modo conueniant in ratione cauſæ mediæ, ex cuius natura indagamus cauſam primam: hîc enim agitur formaliter de cauſis ſub ratione propriæ cauſæ. Cauſam vero mediam includere eſſentialiter habitudinem ad primam patet ex terminis: ergo quantumuis illi accidat infinitudo, retinere debet rationem cauſæ mediæ: & conſequenter ratio infiniti, ſi per impoſſibile coniungatur cum ratione cauſæ mediæ, non proinde excludet neceſſitatem primæ. Si vero contendat aliquis excludere, hoc ipſo conuincitur impoſſibile eſſe, vt ſint cauſæ mediæ infinitæ: nam quoties prædicatum aliquod repugnat cum ratione formali intrinſeca alicuius rei, impoſſibile eſt, vt cum ea coniungatur: infinitudo autem ex conceſſis aduerſarij deſtruit rationem formalem intrinſecam cauſæ mediæ: ergo fieri non poteſt vt ſint infinitæ cauſæ mediæ: Si vero finitæ ſint, neceſſari[illegible]danda eſt prima. Quare ſequitur inter cauſas efficientes dari vnam primam immobilem, ac neceſſariam.

(·,·)

Ariſtot.

Ariſtot.

Ex sub ordinatione rerum ad vnum finem vltimum, colligitur esse Deum.

CAPVT VIII.

I. QVæcumque res habent causam efficientem, habẽt etiã finalem. Et quemadmodum ex creaturis, quatenus pendent à causa efficiente, euidenter ostenditur esse in rerum natura causam primam efficientem immobilẽ, ita quoq; ex ipsismet, quatenus sunt propter finem, demonstratur esse vltimum finem, propter quem sint fines intermedij. Hic vero discursus nititur eodem fundamento negante progressum infinitum in causis finalibus. Nam fines intermedij non appetuntur absolutè propter se, sed in ordine ad posteriores: & consequenter vis trahendi, ac determinandi causam efficientem ad agendum sumenda est à fine propter se, & non propter alium volito: vt recte colligitur ex verbis Aristotelis libr. 2. Metaphys. text. 8. vbi sic ait: *Ipsum cuius causa, finis, tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cætera: quare, si tale erit vltimum, non erit infinitum. Quod si nihil tale, non erit ipsum huius causa, sed qui faciunt infinitum, latet eos, quod boni naturam auferunt.* Ex quibus constat de ratione finis, cuius gratia cætera fiunt, esse vt sit vltimus: quod cum ratione infinitæ vicissitudinis finium non cohæret: hoc enim significat Aristoteles cum ait eos, qui constituunt infinitum, hoc est progressum infinitum in finibus, tollere rationem boni, hoc est finis. Itaque totum fundamentum discursus est, quod dissoluitur ratio finis per infinitudinem finium subordinatorum, si vero non dissoluitur, sed cum illa cohærere potest, discursus non habet vim. Posse vero cohærere probatur, quoniam repugnantia vel sumitur ex impossibilitate apprehensionis, & intentionis finium infinitorum, vel ex difficultate agendi propter plures fines, aut perueniendi ad terminum operandi. Ex nullo vero capite repugnat: non ex primo, quoniam non opus est, vt qui operatur propter finem medium, actu apprehendat, vel intendat vltimum: nam sanitas, quam æger intendit per medicamenta, non est finis eius vltimus, & tamen vt ad illam assequendam operetur, non opus est actu cogitare, aut intendere alium finem: quare ex hac parte non repugnat infinitudo finium essentialiter subordinatorum: satis enim erit intendere proximum, qui suapte natura, dirigitur ad subsequentes. Non repugnat etiam ex secundo, quandoquidem res inanimatæ non sentiunt difficultatem, aut resistentiam in operando ex multiplici subordinatione finis: non enim motus raptus inferiorum orbium respectu primi mobilis est difficilior modo, cum ordinatur ad finem generationum, & conseruationis rerum sublunarium, quam si solum ordinaretur ad illuminandũ orbem: atq; adeo, licet finis proximus agentium naturaliũ dirigeretur ad infinitos alios absque termino, non proinde difficilius operarentur. Denique neque ex tertio capite repugnat: siquidem absurdum non est agentia naturalia frustrari proprij finis assecutione, vt frequenter accidit.

II. Agere propter finem contingit duobus modis materialiter, ac formaliter materialiter, cum agens neque agnoscit, neque intendit finem, aut habitudinem mediorum ad ipsum: sed solummodo producit aliquem actum, vel effectum, qui suapte natura ordinatur ad aliquem finem: quomodo graue mouetur deorsum propter finem quietis in loco naturali, & generans producit in subiecto dispositiones præuias ad introductionem formæ substantialis, quæ est finis generationis: formaliter agit efficiens propter finem, cum illum cognoscit, & intendit, & ad ipsius assecutionem eligit, adhibetque media necessaria. Porro quamuis non omnis causa efficiens agat formaliter propter finem, vt patet ex dictis, omnis tamen agit materialiter: prima autem semper formaliter. Omnem agere saltem materialiter constat, quoniam actio omnis Physica est ad aliquem terminum, vel finem, vt inductione patet. Primam vero debere agere formaliter, ostenditur: quoniam omnis effectus est à casu, vel à consilio: effectus autem primæ causæ non sunt à casu, maximè vero vniuersum, quod, vt ait Philosophus libr. 12. Met. text. 52. non est à casu, sed ad aliquod bonum ordinatum: primæ autem causæ est ordinare actiones causarum subordinatarum ad proprium finem: nam fines subordinatarum propter finem superioris expetuntur, vt patet apud Aristotelem libr. 1. Ethicor. capit. 1. & possumus inductione ostendere in mechanicis artibus, aut politicis: nam architectus ordinat fabrorum, & reliquorum artificum actiones ad fabricæ, quam intendit, exædificationem: dux militum operam ad victoriam: Rex omnium subditorum operationes ad feli-

ad felicitatem politicam, quam intendit.

S.Thom. Ex quo principio Diuus Thomas libr. 2. contra Gentes cap. 23. & alibi sæpe, ostendit primum agens agere per intellectum, quoniam eius est dirigere causas secundas ad suum finem: agens vero purè naturale non dirigit, sed dirigitur, vt compertum habemus in instrumentis: nam sagitta non ipsa sibi præeligit scopum, sed tendit quo à collimante dirigitur, hoc ipsum constat ex ipsa ratione finis, cuius causalitas est prior cæteris, nec aliter exercetur, quam supposita appetitione eius, qua efficiens mouetur ad electionem, & executionem mediorum gratia consequendi finis: ergo esse nequit causalitas causæ primæ efficientis, nisi præcedat saltem natura intentio finis, propter quem agens operatur, vt constat ex Philosopho libr. sext. Ethicor. capit. secund. vbi probat non esse actionem sine electione, neque hanc sine intellectu, & appetitu eius, cuius gratia hoc est, finis.

Aristot.

III. Dupliciter fingi possunt infiniti fines operationis. Primo si versus agens sit finis proxim⁹, certus, ac determinatus, post quē sequantur infiniti: deinde vero, si finitudo sit à parte post, ita vt detur vltimus, nō vero primus: Hic secundus modus impossibilis omnino est respectu certæ, ac determinatæ actionis: nam certa actio est ꝓpter certum finem, ad quem immediate dirigitur: vt hæc calefactio propter hunc calorē, hæc generatio ꝓpter hanc numero formam: cū vero nos ex certis, ac determinatis operationibus, & effectis, quę quotidie experimur procedere à causis naturalibus, indagemus supremam causam finalem, sat est si secundus mod⁹ sit impossibilis respectu effectuum determinatorum, siue alioquin possit respectu indeterminatorū, siue non: vt si mundus fuisset ab æterno, & per infinitorum hominū generationes intenderetur generatio alicuius hominis futuri in certo tēpore: hæc enim possibilitas, si fortè sit, non impedit quominus modo sint certi, ac determinati effectus reducendi in vnam finalem vltimam, vt inferius ostendam: quare in operationibus certis, ac determinatis, quas experimur, nō potest esse infinitudo finium, ita vt detur vltimus, non tamen primus immediate intentus à causa; si vero infinitudo sit à parte post, quamuis fortè in operationibus ꝓpter finē materialiter concipi posset subordinatio finium accidentalis, quatenus ex vno habito fit progressio ad alium assequendum: quomodo eam concedit Diuus Thomas 1. 2. quæstion. 1. art. 4. tamen in operationibus formaliter propter finem omnis subordinatio finium est essentialis: quoniam causalitas trahitur à posterioribus ad priores per intermedios, & quouis horum sublato dissoluitur tractio vltimi, quæ remotè ab eo prouenit per medios: & ita absq; distinctione subordinationis essentialis, vel accidentalis ostendenda est repugnantia infinitudinis finium, propter quos agens operatur.

IV. His præmissis probandum est fieri non posse, vt efficiens operetur formaliter, vel materialiter propter fines infinitos. Et quidem Aristoteles 2. Met. text. 8. & 9. absolutè etiam negat possibilem progressum infinitum in causis finalibus, & probari potest in generatione ex eodem principio. Nam sicut causæ efficientes mediæ non mouent nisi motæ à prima, ita fines medij non trahunt absolutè propter se, sed propter bonitatem vltimi: quare, sicut absque causa prima efficiente cessat actio mediarum, ita absque causalitate finis vltimi cessare debet causalitas mediorum. Verum ad repugnantias, quæ in vtroque genere per se consequuntur ex infinito progressu finium in particulari accedendum est; & inprimis quoad modum agendi propter finem materialiter, res est perspicua: natura enim non agit frustra, neque habet propensionem ad impossibile: neque vt in pluribus, & multo minus semper frustratur suo fine. Hæc vero tria euenirent, si agens naturale operaretur materialiter propter infinitos fines essentialiter subordinatos. Non ergo ita potest agere. Maior propositio est euidens, quoniam si quoduis illorum admittatur, dissoluetur natura vniuersi, & omnia à casu sursum, ac deorsum vergent, cuius oppositum experimur. Præterea natura non aliter inclinatur ad finem, quam per formam sibi propriam, & naturalem: hæc autem non propendet naturaliter ad ea, quæ subiecto disconuenientia, vel impossibilia sunt: & quod in pluribus accidit, id est magis congruum, & naturale subiecto: ideoque fieri nequit, vt agentia naturalia vt plurimū, aut semper suo fine frustrentur. Ea vero omnia sequi constat, quoniam infinitorum finiū acquisitio est impossibilis: nam vel acquiri deberent simul in eodem temporis momento, vel successiue alij post alios, hoc secūdū repugnat, quoniā accipienti alias, atque alias partes infiniti, semper restant aliæ iuxta doctrinam Aristotelis lib. 3. Phys. text. 63. diffinientis id esse infinitum, cuius secundum quantitatem accipiētibus semper aliquid accipere est extra

Aristot.

& ita

& ita nunquam agens peruenirет ad omnium consecutionem, ob quam causam idem Philosophus libr. 1. Ethicorum cap. 2. docet vanum, & inanem esse appetitum, si in finibus fiat progressus in infinitum. Illud vero primum repugnare constat, quoniam infiniti fines non nisi infinitis actionibus acquiri possunt, at naturales potentiæ, vt tradit Philosophus in libr. primo de cælo, capit. vndecimo, & ratio, atque experientia docet, habēt terminum suæ virtutis, & actiuitatis: neque infinitos simul effectus ex se effundere possunt: quare nunquam natura peruenirет ad infinitorum finium assecutionem, & consequenter neque operari propter illos potest. Quam rationem attigit Aristoteles libro secundo Metaphys. text. octau. cum de hac ipsa re disputans: *Nullus*, inquit, *inciperet agere quicquam, si non esset peruenturus ad finem*, supponens fieri non posse, vt agens propter infinitos fines eos assequatur. Respondebit aliquis hoc secundum minimè sequi, quandoquidem fieri potest, vt infinitæ causæ simul operentur vnaquæque propter finem proximum, & omnium collectio propter infinitos: quo casu effectus non excedent vim actiuam agentium, nam, sicut effectus sunt infiniti, ita quoque agentia. Verum hæc solutio satis impugnatur ex superioribus: nam, vt agentia infinita operentur propter fines infinitos, debent esse subordinata inter se quemadmodum fines: hoc autem iam supra probatum est fieri non posse, vt infiniti fines eo modo intendantur, & obtineantur. Nam, vt finis posterioris agentis sit etiam finis prioris, opus est, vt hoc illud moueat, & applicet ad agendum: & sic in reliquis omnibus: quare cum probatum fuerit hoc repugnare, illud quoque repugnare censendum est. Quin vero, etiam si ex parte potentiæ actiuæ non repugnaret, tamen ex propria ratione causandi ipsius finis repugnat, vt constabit infra, cum ostendetur radix repugnantiæ, propter quam non potest causa agere formaliter propter infinitos fines: nam, cum causa materialiter operans propter finem dirigatur ad ipsum à causa superiore illum intendente, si hæc non poterit intendere infinitos, nec illa poterit naturaliter agere propter illos.

V. Iam vero in agentibus formaliter propter finem necessario præfigendum aliquem vltimum in executione, qui sit primus in intentione constat ex Philosopho libr. 2. Met. text. 9. vbi ex infinitudine finium arguit his verbis, *nec esset intellectus in huiusmodi, alicuius enim causa agit, quicumque intellectum habet: hoc namque terminus est, finis vero ipse terminus.* Loquitur de proprio modo agendi propter finem formaliter nimirum, & ex intentione, qui conuenit solis, & omnibus habentibus intellectum: & in actione propter infinitos fines censet non posse interuenire opus intellectus: atque adeo neque proprium modum agendi formaliter propter finem. Deinde vero ostenditur, quoniam à causa indeterminata non potest prouenire determinatus effectus: sed agens voluntariū, q; solum formaliter agit propter finē, ante intentionem alicuius certi obiecti est causa indeterminata ad multiplices effect°, & ad diuersa media pro varietate finium eligenda, & exequēda: ergo, vt ex electione procedat ad executionē huius potius operis, q̄ illius, determinari debet ab appetitione finis certi, ac determinati. Patet cōsequētia: quoniam quicq; d appetitur, aut appetitur propter se, aut propter aliud: si propter se absq; vlla omnino relatione ad aliud cum relatione cæterorū ad se, iā datur finis vltimus: si ꝓpter aliud rursus interrogo de hoc ipso: quod si appetitur propter se habetur finis vltimus: si ꝓpter aliud, & aliud in infinitū, nō erit obiectū determinate mouens voluntatē: quandoquidē nullum ex infinita multitudine determinate mouet ꝓpter se: ergo non est determinata tractio voluntatis, & consequenter non erit operatio. Deinde omne volitū propter aliud reducitur ad volitū propter se: sed, si sit infinita progressio in finibus, tota ipsorū collectio est ꝓpter aliud nec resoluitur in finē vltimū, qui sit volitus propter se, repugnat ergo huiusmodi progressio in finib. Maior ꝓpositio est euidens ex terminis: nam volitum ꝓpter aliud dicit rōem medij, quod nō appetitur rōe propriæ bonitatis, vt in se est, absq; ordine ad aliud, sed quatenus est vtilis ad assequendam bonitatem alterius, quæ appetitur propter se: atque adeo sublata intentione finis vltimi, qui appetitur propter se, dissoluitur ratio finium mediorum, qui appetuntur propter illum. Responderi tripliciter potest, primo quidem in collectione illa infinita semper cuilibet fini priori respondere alium posteriorem: & ita nullum esse, qui non sit propter finem: & proinde posse agens ex appetitione posteriorum determinari ad electionem priorum. Secūdo quamuis nō detur vllus finis vltimus in particulari, totā collectionem esse propter se, quatenus nō est

propter

propter aliquem finem externum, & nullus ex ea in particulari est, qui non habeat intra ipsam finem, cuius gratia appetatur. Tertio denique non repugnare eiusmodi progressum, si extra eam collectionem sit finis certus, cuius gratia infiniti appetantur.

VI. Hæ responsiones nequaquam eludunt argumentum. Vt autem incipiam ab vltima, quamuis detur, quod supponit, nempe non repugnare infinitudinem finium subordinatorum, sub vno aliquo fine vltimo extrinseco, non euertitur p̃cipuum intentum p̃bandi vnum vltimũ finẽ actionũ omniũ subordinatarũ, qui responsione ipsa libere cõceditur. Deinde vero p̃batur neq; hoc modo possibilẽ esse: in primis ex parte executionis eodẽ modo, quo p̃batũ est nõ posse causam efficientẽ agere p̃pter infinitos fines; quoniam si successiue acquirendi sunt, impossibile est, vt perueniatur ad finem: si simul, vel ab eadem causa: vel à diuersis: nõ à diuersis: iam enim probatum est id repugnare, non ab eadem, quoniam repugnat in infinitudine dari vltimum extrinsecum, cui immediate succedat penultimum: id vero est omnino necessarium secundum traditam responsionem, quoniam ex infinita illa multitudine finium subordinatorum vel omnes immediate sunt propter illum vltimum, vel mediate alij per alios in illum referuntur: primum non est dandam iuxta suppositionem, secundum quam loquimur: nam immediata relatio singulorum finium ad vnum alium, non pertinet ad subordinationem multorum concathenatam, qua primum non pendet à tertio, nisi quia pendet à secundo, nec à quarto, nisi quia pendet à tertio: qua propter, si quauis alia ratione pendet, & non per secundum & tertium, ratione eius dependentiæ non dicitur quartus finis esse vltimatus comparatione cæterorum: si vero fines infiniti alij per alios resoluantur in vltimum, necessario dandus est penultimus: quoniam posita ea subordinatione omnes fines clausi intra collectionem infinitam sunt propter alium, immediate vero propter extrinsecum, non nisi vnus esse debet, ergo is erit penultimus. Si quis dicat non esse vnum aliquem certum, sed indeterminatum: quemadmodum post quodlibet instans, vel punctum est aliquod indeterminatum, quod proinde designabile non est: nec si sit versus initium, potest dici secũdus: aut penultimus, si sit versus finem. Impugnatur, quoniã aliud est loqui de immẽdiata successione vnius secundum aliquod esse indiuisibile considerati post alterum, aliud vero de ijs, quæ non immediate sequuntur: nam, vbi est immediata successio, quidquid post primum sequitur, est secundum: penultimum vero id, post q̃ sequitur vltimũ, quod non est necesse, vbi non est immediatio. At in punctis, atq; instantibus non est immediatio vnius post aliud: neque enim sequuntur immediate ratione sui, nec ratione quantitatis continuæ, in qua sunt potentia. Nam, si inter alia esset immediatio, vtiq; immediatum primo esset secundum, immediatum vero vltimo penultimum. In finib⁹ vero, quorum causalitas, vt habeat effectum, debet esse determinata, repugnat, vt sit aliquid absq; interuentu finis intermedij propter vltimum, & illum proxime, & immediate non contingat: si rursus respondeas partes proportionales immediate contingere sua indiuisibilia: nec tamen post vnum indiuisibile designari posse primam, ideoq; similiter fieri posset vt finis aliquis medius sit immediatus vltimo, nec tamen sit certus, aut penultimus. Rursus impugnatur ex fundamento iam perstricto, nimirũ quia ex immediatione vnius sub ratione aliqua indiuisibili considerati necessario sequitur determinatio: vt in omni materia inductione constat, hinc enim est vt vnitas immediata alteri vnitati induat habitudinem ordinis certi ad illam, verbi gratia, si illa est tertia, quæ de nouo additur, restat quarta: item in ipsis partibus quantitatis continuę, si præstituatur ratio aliqua vnitatis, vel indiuisibilitatis, sub qua sumi debeant, eo ipso incipit certa habitudo ordinis: nã post punctum est prima pars lineæ digitalis, palmaris, & cætera, quæ sub tali mensura consideratæ sunt indiuisibiles: quia si quidquã illis detrahatur, iam non manent sub eadem ratione: ideo vero proportionalium nulla est prima, quia non possunt sumi sub ratione indiuisibili, pars enim proportionalis non restringitur ad certam rationem mensuræ vnius, sed sub quacunq; in infinitum minore, finis autem ille medius, qui solum esset propter vltimum, esset vnus in ratione finis, & immediatus vltimo: ergo esset penultimus. Impugnari eadem responsio potest ex parte intentionis: quoniam intendens finem immediate post illum eligit media illi proximiora, vel ergo eligit immediate simul omnia, quæ sunt fines medij in infinita illa collectione, & hoc dici nequit, vt constat ex dictis, quoniam secundum hunc modum electionis non esset subordinatio finium, sed electio infinitorũ mediorũ attingentiũ

eundem

eundem finem: vel eligit vnum propter aliud, & in hac electione cum procedat ex cognitione, nullus erit finis in particulari, cuius non agnoscat determinatam habitudinem medij proximi ad illud: nam, si interrogetur cur appetat hunc effectum, si rationabiliter agit, respondebit propter hunc finem immediatum, item, si rogatur per quod medium proxime intendat assequi hunc finem, designabit mediũ immediatum: alioquin, si ignoret, quomodo poterit potentiam executiuam ad eius assecutionem applicare? Si ergo in quouis alio fine designato ex illa infinitate determinate cognoscet medium proximum, per quod illum assequi intendit, quomodo ignorabit medium, per quod proxime intendit ad finem vltimum peruenire. Et confirmatur, quoniam ab hoc etiam fine dependent cæteri, ita, vt si operans hunc non intendat, cæterorum appetitum abijciat: quare, si in agendo propter finem opus est respicere finem vltimum, etiam opus est illi proximum prius natura, quam reliquos determinate intendere.

VII. Secunda solutio facile impugnatur: quoniam multarum rerum collectio non aliter potest dici appeti propter se, quam si singulæ partes appetantur propter se, vel omnes propter vnã, quæ non eligatur propter aliquod bonum extra collectionem. Sed impossibile est ex infinitis finibus subordinatis singulos appeti ptopter se, hoc enim ipso iam non erũt subordinati, nec alij propter alios voliti tanquam fines medij, sed omnes in suo genere vltimi: non etiam omnes ptopter vnum ex eadem multitudine, hic enim erit simpliciter vltimus: atque adeo destruitur etiam progressio in infinitum, in qua non est peruenire ad vltimum. Nec ratio, quæ redditur est idonea: imo contradictionem inuoluit. Nam si nullus omnino finis est ex ea multitudine, qui non sit medius, repugnat prorsus, vt omnes habeant finem intra ipsam: ex hoc enim sequitur eos simul esse, & nõ esse propter finem externum: esse quidem, quoniam de ratione finis medij est, vt respiciat alium finem: sed ex responsione, imo ex suppositione facta, fines omnes eius multitudinis infinitæ sunt medij, quoniam nullus est, qui non sit propter alium: ergo omnes, ac singuli respicere vltimo debent finem aliquem non mediũ extrinsecum. Non esse vero, quoniã nullus omninò est, qui, vt in solutione dicitur non habeat finem intra ipsam absque eo, quod ad finem extrinsecum referatur: quod fieri nequit nisi vel detur circulus in eodem genere causæ, vel intra eam multitudinem sit finis vltimus. Ex quo etiam refellitur prima responsio: nam, quamuis in ea collectione non sit designabilis aliquis finis vicinior agenti via executionis, qui nõ sit propter subsequentẽ, nõ tamẽ datur aliquis certꝰ, ac determinatus, qui sit primus via intentionis, cuius appetitio sit causa cæterorum: operans enim propter finem agit propter certum, ac determinatum finem, quem sibi præfigit, & in cuius assecutione intendit ab operatione quiescere: in infinita vero multitudine finium subordinatorum non occurrit menti aliquid, in quo primum eius appetitio firmetur, & in quod vltimo via executionis terminetur: nam quamuis posita electione posteriorum possit voluntas propter eos eligere anteriores, illi tamen posteriores eligi nequeunt, non præhabita alicuius primum intenti appetitione: quæ dari omnino nequit si fines essent infiniti.

VIII. Ex dictis elucet vnde sumenda sit repugnantia finium sub infinita serie subordinatorum, absolutè enim non est propter duas priores rationes initio assignatas. Nam Deum operari propter infinitos fines essentialiter subordinatos omninò repugnat: non ex defectu cognitionis, aut potentiæ, quoniam infinita cognoscit, & si infinitum actu aliunde non repugnet, non deest illi potentia, nec ex multitudine effectum agendo defatigatur. Prima quidem ratio vim habet in creatura intellectuali, si agere debet formaliter propter finem: nam, vt ageret propter infinitos fines, deberet naturali facultate eos omnes intelligere, vel simul, vel successiue: vtrumque vero est impossibile: prius propter finitudinem virtutis intellectricis naturalis, posterius propter rationem infiniti, quod repugnat successiue absolui. Vt autem creatura libera operetur ex intentione finium infinitorum, opus est, vt antequam accedat ad executionem medij, propter finem primum via executionis illum intendat: cum vero eum intendere nequeat in ratione finis medij, nisi præhabita intentione omniũ sequentium, si hi nequeũt absolui successiue, nunquam deuenietur ad intentionem primi, & consequenter neq; ad executionem. Tertia vero repugnantia est vna ex ijs, propter quas est impossibilis infinita series finium subordinatorum, vt dictũ est: nam, licet nõ repugnet interdum frustrari naturã à suo fine, impossibile tamen est, vt semper frustretur, vt eum finem intendat per se, cuius assecutio sit impossibilis.

possibilis. Consecutio autem finium infinitorum essentialiter subordinatorum est impossibilis: & ita ex hac radice sumi potest aliqualis repugnantia. Præcipua tamen est, quam explicaui sumpta ex ratione finis medij, quæ necessario includit habitudinem ad vltimum, hoc autem cohærere nequit cum ratione infiniti.

IX. Ex rationibus adductis constat neque in causis efficientibus, neque finalibus dari posse progressum in infinitum: atque adeo dandam causam primam efficientem, à qua cæteræ pendeant: & finalem, quam cæteræ, vt suum bonum respiciant. Nunc addendum has duas causas, seu potius has duas causandi rationes primas in vnam, eandemq; rem conuenire, quæ sit causa prima finalis, atq; efficiens. Ad hoc institutum probandum D. Tho. q. 1. de malo ar. 1. S. Thom. vtitur hac ratione. Primum mouens debet esse immobile: at efficiens mouetur à fine, siue ab appetibili: ergo primum efficiens, & primum bonum vniuersale, quod sit causa finalis omnium, idem omnino erit. Huic argumento responderi potest, primum mouens debere esse immobile in genere causæ efficientis, cum quo non repugnat, vt moueatur ab alio in ratione finis, quemadmodum in materiali causa per se patet: nam materia prima, etsi non dependeat ab alia causa materiali, pendet tamen ab efficiente, ac finali. Verum longe diuersa ratio est in vno atq; altero: nam finis, ac efficiens nullo modo participant rationem causandi materialiter, & ideo non repugnat, vt materia prima pendeat ab ijs: finis autem, vt obiectum appetibile, respectu voluntatis, quam mouet ad appetitionem sui, habet modum causæ efficientis: nam primam appetitionem sui causat etiam vt obiectū finis per modum causæ efficientis: ideoque Aristoteles. Philosophus lib. 3. de anima tex. 18. quærēs primum principium immobile actionum humanarum recurrit ad obiectum, quod immobile in se inchoat motionem per notitiam, & appetitionem sui, ex quo de mente illi⁹ sequitur, id, quod mouetur ab extrinseco obiecto, non esse primum mouens immobile: & proinde tolletur ratio causæ primæ efficientis, si moueatur à fine extrinseco. Ostendi secundo potest in hunc modum: quidquid nō est propter aliquem finem, est finis vltimus: repugnat autem primam causam efficientem esse propter finem: ergo ipsa est finis vltimus. Maior propositio est euidens, quoniam res omnis aut est finis, aut propter finē. Dicat aliquis, hoc principium non esse certum, quoniam ad rationem finis non sufficit negatio relationis ad alium finem, sed præterea requiritur, vt ad ipsum cætera referantur: propterea enim Philosophus li. 1. Ethic. c. 7. finem vltimum diffiniuit id, ad quod cætera referuntur, ipsum vero ad nullum alium finem dirigitur: ideoque fieri posse, vt res aliqua nec sit ad finem, nec habeat rationem vltimi finis. Verum enim verò principium illud certissimum est: nam quidquid ad aliud non refertur est perfectum, & summum bonum, nam, si esset bonum inferioris ordinis, absque dubio ad summum tanquam ad finem referretur, quod autem est optimum, ac summum bonum, reliquorum finis est, & ita rectè concluditur id, quod non est ad finem, ipsum esse finem vltimum cæterorum. Non posse vero causam primam efficientem esse propter finem, constat etiam ex ipsis terminis: nam, quod est propter finem, causam quoque efficientem habet: ergo fieri nequit, vt causa prima sit propter finem: hoc enim ipso non erit prima, quoniam erit effectus alterius causæ efficientis: at prima causa ita est causa, vt non possit esse effectus in eodē genere. Quare certum & euidens est esse numen aliquod diuinum: quod sit ens à se primum, & immobile, perfectum, & alterius boni minimè egens. Aristot.

(·.·)

Finis Tractatus: & Libri Primi.

COMMEN-